# COMMENTARIUS
## LITTERALIS ET MORALIS
*IN OMNES*
# EPISTOLAS
SANCTI
# PAULI APOSTOLI,
*ET IN VII.*
## EPISTOLAS CATHOLICAS,
*AUCTORE R. P. F.*
## NATALI ALEXANDRO,

In Sacra Facultate Pariſienſi Doctore, in Collegio generali Pariſienſi FF. PP. emerito Theologiæ Profeſſore, & Studii Regente, Dominicanæ Provinciæ Pariſienſis Expræfecto.

TOMUS SECUNDUS.

PARISIIS,

Expenſis Thomæ Bettinelli Veneti.

MDCCLXVIII.

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala
Estante
Tabla
Número

# COMMENTARIUS
## LITTERALIS ET MORALIS
*IN OMNES*
# EPISTOLAS
SANCTI
# PAULI APOSTOLI,
*ET IN VII.*
## EPISTOLAS CATHOLICAS,
*AUCTORE R. P. F.*
## NATALI ALEXANDRO,

In Sacra Facultate Pariſienſi Doctore, in Collegio generali Pariſienſi FF. PP. emerito Theologiæ Profeſſore, & Studii Regente, Dominicanæ Provinciæ Pariſienſis Expræfecto.

TOMUS SECUNDUS.

PARISIIS,

Expenſis THOMÆ BETTINELLI VENETI.

MDCCLXVIII.

# IN EPISTOLAM
# S. PAULI APOSTOLI
# AD THESSALONICENSES,
## COMMENTARIUS LITTERALIS ET MORALIS,

## *PRÆFATIO.*

*Act. 17. & 18.*

HANC Epiſtolam S. Joannes Chryſoſtomus & Thedoretus omnium a S. Paulo ſcriptarum primam eſſe cenſent. Quod nemo negabit, qui contulerit ea quæ habentur *Actuum* 17. & 18. cum hujus Epiſtolæ cap. 3. Paulus Theſſalonicæ, quæ Macedoniæ Metropolis eſt, jecit fundamenta fidei, Judæis quidem contradicentibus, & aperte repugnantibus, ſed fruſtra laborantibus, cum Evangelium omnibus tempeſtatibus ſuperius eſſet, ejuſque vis & efficacia omnes hominum molitiones vinceret. Horum igitur inſidias cum declinaſſet Apoſtolus, Beroeam venit, ibique Chriſtum prædicavit magno cum fructu: inde profectus eſt Athenas, ibique Chriſtum prædicavit in medio Areopagi. Dum Athenis verſaretur, ad eum rediit Timotheus, ~~& de perſecutione~~ quam Theſſalonicenſes Chriſtiani a Concivibus ſui patiebantur, certiorem fecit. Ad illos cum ſe conferre vehementer optaret, nec tamen tunc poſſet proficiſci, Timotheum Theſſalonicam remiſit, ut eos in fide confirmaret. Tres circiter menſes Athenis cum egiſſet Paulus, venit Corinthum, ibique ut ſapiens architectus Eccleſiæ fundamenta poſuit. Huc ad eum ex Macedonia redierunt Silas & Timotheus, qui de fidelium Theſſalonicenſium ſtatu illum certiorem fecere, ex quo magnum ſolatium accepit. Ad illos igitur hanc Epiſtolam ſcripſit Corinthi, non Athenis (ut quibuſdam viſum eſt) Hæc autem ſumma eſt Epiſtolæ. Theſſalonicenſes laudat quod in accepta fide conſtanter permanſerint, perſecutionibus minime fracti aut concuſſi; illiſque gratulatur quod imitatores ipſius facti ſint, & Domini Jeſu Chriſti, & forma omnium Credentium in Macedonia & in Achaia. Sinceritatem ſuam in Evangelico Miniſterio, charitatem erga ipſos, labores pro ipſorum converſione ſuſceptos commemorat. A fornicatione & omni immunditia, a cupiditate rerum alienarum, a nimia triſtitia qua in ſuorum obitu conficiebantur, illos deterret, ac certiſſima ſpe reſurrectionis conſolatur. Ex eo quod judicii dies incertus ſit & incognitus, monet ſemper eſſe vigilandum, ac bonis operibus incumbendum, ne imparatos oprimat. Illos denique hortatur ad obedientiam & propenſiorem charitatem erga eos qui ipſis præſunt in Domino, ut ſine intermiſſione orent, omnia probent, quod bonum eſt teneant, ab omni ſpecie mala abſtineant.

## C A P U T I.

### *Senſus Litteralis.*

1. *PAulus & Silvanus & Timotheus Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre & Domino Jeſu Chriſto. Gratia vobis & pax.* Paulus, & Silvanus, qui Silas in Actis Apoſtolorum appellatur, & Timotheus, Pauli in Macedonia Coadjutores in Miniſterio Apoſtolico: Eccleſiæ Theſſalonicenſium per virtutem Dei Patris bonorum omnium principii, & per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti congregatæ, & ad ejus fidem & cultum vocatæ, gratiam & pacem adprecantur.

Se Apoſtolum in hac & ſequenti Epiſtola Paulus non inſcribit, quod Theſſalonicenſibus ſatis notus eſſet, & ob honorem Silæ, qui cum illo Theſſalonicenſes Chriſti fide imbuerat.

2. *Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis, memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione.* Gratias continuo agimus Deo pro beneficiis vobis collatis, pro donis fidei, charitatis, & patientiæ, quibus vos miſericorditer ornavit: Vos in orationibus noſtris aſſidue Deo commendantes, ut ſua vobis dona conſervet, ac augeat.

3. 4. 5. *Memores operis fidei veſtræ, & laboris, & charitatis, & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Jeſu Chriſti, ante Deum & Patrem noſtrum.* Nobis in memoriam revocantes ante Deum Patrem noſtrum opera fidei veſtræ, & labores charitatis veſtræ, quibus nos ex Judæorum ſeditione & inſidiis eripuiſtis, cum apud vos Evangelium prædicaremus; & firmitatem ſpei veſtræ in Dominum Jeſum Chriſtum, quæ præſtitit ut adverſa quæque propter ipſum ſuſtineretis. *Scientes, fratres dilecti a Deo, electionem veſtram.* Novimus enim, Fratres a Deo dilecti, veſtram a mundo infideli diſcretionem per gratuitam Dei miſericordiam, & de veſtra ad vitam æternam electione confidimus: *Quia Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed & in virtute, & in Spiritu ſancto, & plenitudine * multa, ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis propter vos.* Prædicatio quippe noſtra Evangelica apud vos verbis tantum facta non eſt, quemadmodum Oratores apte compoſita & ornata oratione perſuadere nituntur quod volunt: ſed miraculis confirmata eſt, & Spiritus ſancti donis in vos effuſis comitata, qui & operatus eſt in vobis ut Evangelii prædicationi crederetis, de illius veritate certo pleneque perſuaſi per ejuſdem Spiritus internam illuſtrationem, & meam adhortationem atque inſtitutionem. Et vos etiam ſcitis quomodo fuerimus apud vos converſati veſtræ ſalutis cauſa, quos labores ſubierimus, manibus noſtris victum nobis comparantes, ne vobis eſſemus oneri, & quæ ſubierimus pericula. Quæ agendi ratio non parum valuit ad perſuadendum vobis divinam eſſe doctrinam quam annuntiabamus.

* Græce πληροφορία *certa & plena perſuadendi ratio.*

6. 7. *Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio*

*Spiritus ſancti : Ita ut facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia*. Nos autem plurimum conſolatur fructus laboris pro ſalute veſtra in Evangelii prædicatione ſuſcepti : ſiquidem imitatores noſtri facti eſtis, & Domini Jeſu, obedienter, & cum gaudio, qui fructus eſt Spiritus ſancti, ſuſcipientes, conſtanterque retinentes verbum Evangelii in medio perſecutionum & periculorum, adverſus ejus profeſſores ſævientium. Adeo ut omnibus Chriſtianis Macedoniæ & Achaiæ, velut exemplar & norma conſtantis invictæque fidei præluxeritis.

8. *A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolum in Macedonia & in Achaia, ſed & in omni loco fides veſtra, quæ eſt ad Deum, profecta eſt ; ita ut non ſit nobis neceſſe quidquam loqui*. Prædicatio enim Evangelii, propter admirabiles effectus quos in vobis operata eſt, fidem ſcilicet evidentibus miraculis Spiritus ſancti chariſmatibus confirmatam, & ſanctis operibus probatam, & inter perſecutiones inconcuſſam, non ſolum in Macedonia & Achaia perſonuit quaſi ſigno dato : ſed & fides veſtra, qua in Deum & Chriſtum Jeſum credidiſtis, longe lateque extra illarum Provinciarum fines pervulgata eſt ac celebrata : ita ut non ſit nobis neceſſe ad veſtram commendationem quidquam loqui, vel ſcribere.

9. 10. *Ipſi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos : & quomodo converſi eſtis ad Deum a ſimulacris, ſervire Deo vivo & vero, & exſpectare Filium ejus de cœlis ( quem ſuſcitavit ex mortuis ) Jeſum, qui eripuit † nos ab ira ventura*. Ipſi enim aliarum Eccleſiarum Chriſtiani nos in veſtræ fidei commendatione præveniunt, nobis enarrantes qualis ſucceſſus & fructus fuerit noſtræ apud vos prædicationis & converſationis, & quomodo relictis ſimulacris ſeu idolis converſi eſtis ad fidem cultumque Dei vivi & veri : ut illi ſoli ſerviatis : & Filium ejus Jeſum certa & firma ſpe de cœlis venturum exſpectetis, quem ſuſcitavit a mortuis : Qui nos morte ſua liberavit ab æterna damnatione infidelibus & impiis in die ultimi judicii ſuperventura : & quotidie nos liberat peccata dimittendo, eamque liberationem in ſecundo ſuo adventu conſummabit.

† Græce ῥυόμενον ἡμᾶς, *eripientem nos*.

---

## CAPUT I.

### *Senſus Moralis*.

Exemplum Præſulibus imitandum.

1. P*Aulus & Silvanus & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium, in Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto*. Apoſtolus Cooperatores ſuos ſibi adjungens, eorumque conſilium adhibens in Eccleſiarum regimine, dat exemplum Eccleſiæ Principibus imitandum, Ordinem ſuum, dignitatem, honoremque ſervent ſine faſtu ; Dominationem in Clerum populumque Chriſtianum ut Principes gentium ſibi non tribuant. Veluti primos in Miniſterio & ſacræ juriſdictionis functionibus ſe gerant, nec tamen Cooperatorum ſuorum conſilia negligant. Eccleſiam agnoſcant & intueantur in Deo Patre a quo exivit, & ad quem redit ; & in Domino Jeſu Chriſto, cujus corpus eſt. Ad id unum collimet eorum Paſtoralis cura, ut gratiam & pacem fidelibus ſibi commiſſis verbo, orationibus, & ſanctis exemplis procurent. Hæc enim bona ſunt Chriſtianis animabus ſumme deſideranda : Gratia qua Deus regnat in nobis hujus vitæ mortalis tempore : Pax qua in Deo regnabunt homines electi in felici æternitate. *Gratia vobis & Pax*.

Paſtoralis oratio & gratiarum actio.

2. 3. *Gratias agimus Deo ſemper pro omnibus vobis, memoriam veſtri facientes in orationibus noſtris ſine intermiſſione*. Duplici in Deum affectu cor hominis vere Chriſtiani movetur ; gemitu ſupplici, quo gratiæ auxilia ſpiritualibus miſeriis ſuis ſublevandis neceſſaria impetret ; & gratiarum actione, qua accepta beneficia ad Dei gloriam referat, a quo eſt omne datum optimum. *Docemur prius gratias agere pro bonis quæ nobis obtigerunt, tum deinde petere ea quæ deſunt*. Hoc præſertim Paſtorum munus eſt, qui neceſſitates & officia ovium ſuarum in ſe ſuſcipere debent, ut eas Deo repræſentent in oratione ; & pro illis, quantum in ſe eſt, ſacrificio laudis & gratiarum actionis fungantur. Illarum autem memores ſine intermiſſione in orationibus ſuis eſſe debent, quia ipſas ſemper debent in corde habere, & earum ſpiritualem profectum, æternamque ſalutem deſiderare & Deo commendare. *Continuum deſiderium, continua oratio*. In oratione porro imprimis a Deo petendum eſt fidei, ſpei, & caritatis augmentum : ſed ut impetretur, Deo debet offerri grata memoria donorum illorum, quæ Deus in animis noſtris miſericorditer operatus eſt. *Memores operis fidei veſtræ, & laboris, & caritatis, & ſuſtinentiæ ſpei Domini noſtri Jeſu Chriſti, ante Deum & Patrem noſtrum*. Bona opera fructus ſunt fidei, quæ *ſine operibus mortua eſt*. Exſpectatio tranquilla & inconcuſſa futurorum bonorum caracter eſt ſpei. Labor & tolerantia perſecutionum & rerum adverſarum pro Eccleſia, ſunt effectus caritatis. *Si credis* ( inquit S. Chryſoſtomus ) *omnia patere. Si autem non pateris, non credis. An non enim ſunt ejuſmodi quæ ſunt promiſſa, ut vel mille mortes pati electurus ſit qui credit? Propterea regnum cœlorum, & immortalitas, & vita æterna. Qui ergo credit, omnia patietur. Num ergo fides per opera oſtenditur? Merito quis dixerit, eam non abſolute, ſed per opera oſtendi, per inſtantiam, per animi alacritatem*. Et laboris charitatis. *Quiſnam eſt labor abſolute diligere? Nullus labor. Germane autem & ſincere diligere, multus eſt labor. Quando enim moventur innumerabilia quæ nos volunt abducere a charitate, nos autem omnibus reſiſtimus, nonne eſt labor? Quid enim non paſſi ſunt iſti ut a caritate non diſcederent? Nonne ad Pauli hoſpitem venerunt, qui bellum gerebant cum prædicatione : & eum cum non inveniſſent, ipſum Jaſonem trahebant ad Magiſtratus civitatis? Hic ne eſt parvus labor, cum ſemina nondum concreviſſent, tantam ferre tempeſtatem, tantas tentationes? .... Propterea autem permittebat Deus ut ſtatim fierent perſecutiones, ne quis diceret caſu & adulatione conſtare prædicationem, & ut oſtenderetur eorum fervor : & quod non eſſet humana perſuaſio, ſed Dei virtus, quæ credentium perſuadebat animis ut vel ad mille mortes eſſent parati. Quod quidem non fuiſſet, niſi ſtatim confirmata eſſet prædicatio, & ſtetiſſet immobilis*.

Theodoret. — S. Auguſt. in Pſalm. 37. — S. Chryſoſt. Hom. 1. in hanc Epiſt.

4. 5. *Scientes, fratres dilecti a Deo, vocationem veſtram : quia Evangelium noſtrum non fuit ad vos in ſermone tantum, ſed & in virtute, & in Spiritu ſancto, & in plenitudine multa, ſicut ſcitis quales fuerimus in vobis propter vos*. Vocationem noſtram ad fidem ac religionem Chriſtianam Catholicam, quæ divini in nos immeritos & indignos amoris effectus eſt, neſcimus, ſi fideliter illius officia non impleamus, nec tantæ gratiæ, ut par eſt, reſpondeamus. Evangelii verba audire non ſufficit, ut a Deo diligamur, ſed Evangelii virtutem ſanctis operibus in nobis oſtendere neceſſe eſt : & Spiritus ſancti in animabus noſtris præſentiam & inhabitationem fructibus ipſius demonſtrare. *Sed & in virtute, & in Spiritu ſancto*. Plena vero opera eſſe debent, id eſt, ex caritate facta, recta & ſincera intentione, cum fervore, omni ex parte implentia Dei legem, & officia ſtatus & conditionis ad quam a Deo vocati, & in qua ejus providentia ac voluntate conſtituti ſumus. *Et in plenitudine multa* : ne dicatur nobis a Domino : *Non invenio opera tua plena*. Et hæc quidem Chriſtianos omnes ſpectant : ad Paſtores vero & Prædicatores pertinent quæ ſequuntur : *Sicut ſcitis quales fuerimus in vobis propter vos*. Dei gloriam & ſalutem animarum ſibi commiſſarum unice ſpectare & intendere debent ; non propter ſe, non propter honores & gloriam ſæculi, aut temporalia bona miniſterio ſuo fungi : ſanctæ converſationis exemplo, prædicationis verbo, fervente prudentique zelo ſalutem illarum promovere. *Quales fuerimus in vobis propter vos*. Hæc vicem quodam modo ſupplent miraculorum ad perſuadendum fidelibus ut ſecundum Evangelium vivant, & quam profitentur Chriſti fidem operibus probent. Nunc majora miracula Chriſtus per ſanctos Paſtores & Prædicatores operatur iis quæ corporis ſanitatem reſtituunt. *Modo caro cæca non aperit oculos miraculo Domini, & cor cæcum aperit oculos ſermoni Domini. Modo non reſurgit cadaver, reſurgit anima, quæ mortua jacebat in vivo cadavere. Modo aures corporis ſurdæ non aperiuntur : ſed quam multi habent aures clauſas cordis, quæ tamen verbo Dei penetrante pateſcunt, ut credant qui non credebant, & bene vivant qui male vivebant, & obediant qui non obediebant .... Cur ergo nunc miraris credentem, innocentem, Deo ſervientem, niſi quia conſpicis videntem, quem noveras cæcum ; conſpicis viventem, quem noveras mortuum ; conſpicis audientem, quem noveras ſurdum?*

Omnia Officia noſtra fideliter implenda. — *Apocal.* 3. 2. Paſtorum & Prædicatorum officia. — *S. Auguſtin. Serm.* 88. *alias* 18. *De Verbis Domini, c.* 3.

6. *Et vos imitatores noſtri facti eſtis, & Domini, excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus ſancti*. Illos verbum Dei ineffabiliter conſolatur, qui pro Fidei veritate, Moraliſque Chriſtianæ puritate, pro Chriſto & ejus Eccleſia patiuntur. Vincula, exilia, calumnias, verbera, proſcriptiones bonorum, quaſvis ærumnas, anguſtias, mortem ipſam ſponte & alacriter perpeti, & ad hæc omnia ſuſtinenda paratos eſſe, modo voluntatem Dei impleamus, gratia Apoſtolica eſt, propria Chriſti Jeſu virtus, qui *propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta*, id unum habens in votis ut Patris voluntas impleretur. Felix qui nullam occaſionem illum imitandi prætermittit. Nulla laus præclarior & magnificentior Theſſalonicenſibus Chriſtianis ab Apo-

Chriſti Jeſu imitatio.



Gaudii cum tribulatione, conjunctio Chriſtianiſſimi privilegium eſt.

Apoſtolo dari potuit. *Imitatores mei facti eſtis & Domini*. Nomen Chriſtiani non meretur, qui Chriſtum non imitatur. Qui delicias amat, non crucem, diſcipulus ejus non eſt. In afflictionibus verbum Dei diligentius audiendum, avidius excipiendum eſt, ut per patientiam & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus. Gaudii cum extrema tribulatione conjunctio, Chriſtianiſſimi privilegium, Spiritus ſancti donum eſt. Afflictio eſt in corporalibus, gaudium in ſpiritualibus. „ Fieri poteſt ut patiens non lætetur, „ quando patitur quiſpiam pro peccatis : & flagris „ cæſus lætetur, quando patitur quiſpiam propter „ Chriſtum. Hoc eſt enim gaudium Spiritus : pro „ iis quæ videntur eſſe gravia & moleſta, educit lætitiam. Afflixerunt vos, ( inquit ) perſecuti ſunt : „ ſed vos in illis perſecutionibus non dimiſit Spiritus. Sicut in igne rore aſpergebantur tres pueri, „ ita vos quoque in afflictionibus. Sed quomodo illic „ non eſt naturæ ignis rore aſpergere, ſed flantis „ ſpiritus : ita non eſt afflictionis gaudium procreare, ſed propter Chriſtum perpeſſionis, & rore perfundentis Spiritus, conſtituentiſque in quiete & „ recreatione per fornacem tentationum. *Cum gaudio Spiritus ſancti*.

S. Chryſoſt. Hom. 1. — Daniel. 3.

Boni exempli vis.

7. 8. *Ita ut facti ſitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia, &c.* Aliorum forma & exemplar eſſe non poteſt, qui in ſe imaginem Chriſti Jeſu non expreſſit. Homo ad imaginem Dei formatus eſt in prima creatione ; ad imaginem Chriſti reformatus eſt in regeneratione. Satagendum eſt & ſtudiis omnibus in id incumbendum ut divinæ illius imaginis lineamenta integra ſerventur, non obliterentur, non inquinentur, non obſcurentur. Odor boni exempli & ſanctæ converſationis ubique diffundendus eſt. Unius Eccleſiæ, imo unius familiæ, quandoque etiam unius animæ pietas, multarum gentium converſionem impetrat, aut promovet. *A vobis enim diffamatus eſt ſermo Domini, non ſolum in Macedonia & in Achaia, ſed & in omni loco fides veſtra*. Sancta exempla per ſe clamant, & quaſi tuba dant ſignum ceteris ad pietatem colendam. Animum non deſpondeant, qui nuper ad fidem aut pœnitentiam ſunt converſi : fervore ſiquidem ſuo in omni genere virtutis tantum proficere poſſunt, ut aliorum forma & exemplar eſſe poſſint, etiam illorum qui ante annos plurimos currunt in ſtadio Chriſtianæ pietatis, & in virtutum actibus ſunt exercitati. Sic Theſſalonicenſes in ipſis pene ſuæ converſionis initiis facti ſunt forma & exemplar ceterorum Chriſtianorum, non ſolum in Macedonia & in Achaia, ſed in omni loco. Qui vero ab annis plurimis Deo ſerviunt, non ſint pigri & ſegnes, non remitti ſinant fervorem ſuum, progrediantur ſemper, currant, properent ad Chriſtianam perfectionem ; caveant ne alii ipſos antevertant, illiſque præripiant palmam & coronam.

Vera & ſincera converſio.

1. *Ipſi enim de nobis annuntiant qualem introitum habuerimus ad vos : & quomodo converſi eſtis ad Deum a ſimulacris ſervire Deo vivo & vero*. Nemo vere & ſincere ad Deum convertitur, qui ſua non reliquerit idola, quibus ante ſerviebat ; alius idolum divitiarum ſuarum, alter voluptates, alius idolum ingenii ſui, alter corporis, alius ambitionis, honoris, inanis gloriæ. Quicumque mundum diligunt, ejuſque ſpiritu aguntur, Deum vivum & verum hujuſmodi idolis poſtponunt, eiſque ſalutem ſuam ſacrificant. Ut ea contemnantur, deſerantur, abjiciantur, opus eſt victoria gratiæ Dei. Quanta conſolatio Paſtoris, Concionatoris, Directoris, qui labores ſuos, curas, prædicationem, Miniſterium hac benedictione a Deo donari conſpicit ! Hic non ſibi de ſucceſſu fructuque plaudat, ſed nomini Domini det gloriam. Neque enim qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus : & apis melli ſuo ſupervolitat, non in eo quieſcit, ne nectat hærentem.

Chriſtiani hominis vita. — *S. Thomas. Lect.* 1.

10. *Et exſpectare Filium ejus de cœlis ( quem ſuſcitavit a mortuis ) Jeſum, qui eripuit nos ab ira ventura*. Deo fideliter, ferventer, & perſeveranter ſervire, & Chriſtum Jeſum exſpectare, tota eſt Chriſtiani hominis vita. Qui exſpectat, deſiderat : qui deſiderat, moram ægre patitur ; qui patitur, gemit : qui gemit, miſeriam ſuam agnoſcit & ſentit, & a ſæculi voluptatibus omnino alienus eſt. Exſpectabimus cum fiducia Salvatorem noſtrum & remuneratorem Jeſum, ſi illi digne ſerviamus ; & mandata ejus plene ſervemus. Deſiderabimus reſurrectionem corporum noſtrorum, ut ei conformemur, membra capiti, unumque cum eo ſimus in gloria. *Fiducia Chriſtianorum, reſurrectio mortuorum*. Chriſtum exſpectemus & deſideremus ut captivi liberatorem, ut exules noſtræ in patriam revocationis auctorem & Mediatorem, ut ægri Medicum, ut filii Patrem, ut ſponſa Sponſum, ut oves Paſtorem, ut ſervi Dominum ac magnificum remuneratorem. Imitemur quem exſpectamus ; illum diligamus, illique in omnibus obediamus. Nos ipſos per pœnitentiam judicemus, ne a Domino judicemur ; & rurſus in iram ac damnationem incurramus, a qua nos miſericorditer eripuit. *Tota vita Chriſtiani boni ſanctum deſiderium eſt*.

*Tertull. lib. De Reſurrect. Carnis.* — S. Auguſt. Tract. 4. in Epiſt. 1. S. Joan.

---

## CAPUT II.

### *Senſus Litteralis*.

1. 2. N*Am ipſi ſcitis, fratres, introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit*. Quid vero opus eſt ut commemorem quod alii nobis de veſtra fide & ſancta converſatione annuntiant ? Cum ipſi noveritis noſtrum ad vos adventum, noſtramque apud vos prædicationem & docendi vivendique rationem non fuiſſe ſine fructu. *Sed ante paſſi multa, & contumeliis affecti ( ſicut ſcitis ) in Philippis*, ( a ) *fiduciam habuimus in Deo noſtro loqui ad vos Evangelium Dei, in multa ſolicitudine*. ( b ) Imo etiam multa prius paſſi, & contumeliis affecti, virgiſque cæſi, & in carcerem detruſi Philippis ( ut vobis notum eſt ) in Deo confiſi, ejuſque ope ac gratia freti, nec præteritis deterriti periculis, prædicavimus apud vos Evangelium Dei, cum multa anxietate, cum anguſtiis & difficultatibus plurimis, propter Judæos prædicationi reſiſtentes, & ſeditionem moventes.

( a ) *Act.* 16. ( b ) Græce ἐν πολλῷ ἀγῶνι, *in multo certamine*. — *Act.* 17.

3. 4. *Exhortatio enim noſtra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo*. ( a ) Doctrina enim, quam vobis prædicavimus, nullis eſt erroribus admixta, nec ad fallendum ſeducendumque compoſita ; ut doctrinæ Philoſophorum Ethnicorum, neque ex ullo impuro affectu profecta, aut libidinibus favens, ut Poetarum fabulæ, & doctrina Gnoſticorum ; neque cum dolo conjuncta quo vos ad perniciem capiamus, aut ſub ſpecie religionis temporalia lucra quæramus, ut Pſeudo Apoſtoli ( b ) *Sed ſicut probati ſumus a Deo ut crederetur nobis Evangelium : ita loquimur, non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra*. Sed cum ea integritate, ſinceritate, & fide, quam nobis donavit, in nobiſque probavit Deus, cum nobis Evangelii prædicationem credidit, illud annuntiamus & docemus ; non hominibus placere ſtudentes, ſed ſoli Deo, qui omnes animorum noſtrorum affectus & motus, intentionemque ſcrutatur, explorat, perfecte cognoſcit ac judicat.

( a ) Græce οὐκ ἐκ πλάνης, *non ex impoſtura, ſeu fallacia*. ( b ) Hos alibi *operarios ſubdolos vocat, transfigurantes ſe in Apoſtolos Chriſti* 2. Cor. 11.

5. 6. *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis ; neque in occaſione avaritiæ : Deus teſtis eſt : nec quærentes ab hominibus gloriam, neque a vobis, neque ab aliis*. Neque aliquando ſermone adulatorio uſi ſumus, ut optime noſtis : non ſtuduimus loqui vobis placentia, ſed ſalutaria : neque ſpecioſis prætextibus uſi ſumus in functionibus Miniſterii noſtri ad velandam avaritiam, & corradendas pecunias. Quæſtus, ( inquam ) gratia non prædicavimus vobis Evangelium ; Deus teſtis eſt. Nec humanam gloriam quæſivimus, ſive a vobis, ſive ab aliis.

7. *Cum poſſemus vobis oneri* ( c ) *eſſe ut Chriſti Apoſtoli : ſed facti ſumus parvuli in medio veſtrum, tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos*. Sumptu ſuſtentationis noſtræ vos onerare poteramus ut Chriſti Apoſtoli, quibus jus eſt de Evangelio vivere : Verum ea poteſtate uſi non ſumus, ſed nos humiliter geſſimus apud vos quaſi parvuli effecti ; lenitatem matris & nutricis filios ſuos foventis ac demulcentis, magis quam auctoritatem & imperium præferentes.

( c ) *Oneri eſſe*, dicit, propter eos qui ſumptus ſuſtentationis Evang. Miniſtris non libenter ſuppeditant.

8. *Ita deſiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non ſolum Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras* ( d ) *quoniam chariſſimi nobis facti eſtis*. Tam tenero amore in vos propenſi & deſiderio vos ad Chriſtum, tanquam ſponſam ad ſponſum adducendi flagrantes, vehementer optabamus non ſolum tradere vobis Evangelium Dei, ſed etiam impendere vitam noſtram ad ſalutem veſtram procurandam, quia chariſſimi nobis in Chriſto facti eſtis : non quod a vobis aut ab aliis aliquid ſperaremus.

( *d* ) Animam tradere dicitur aliquis quem impenſe amat. Unde Iſaiæ 58. 10. dicitur : *Cum effuderis eſurienti animam tuam, orietur in tenebris lux tua*.

9. *Memores enim eſtis, fratres, laboris noſtri, & fatigationis : nocte ac die operantes*, ( e ) *ne quem veſtrum gravaremus, prædicavimus in vobis Evangelium Dei*. Meminiſſe poteſtis laboris quem toleravimus & quo defatigati ſumus : & quomodo prædicavimus vobis Evangelium Dei, nocte ac die operantes manibus noſtris, ne quemquam veſtrum gravaremus, alimenta exigendo.

( e ) *Nocte ac die*, id eſt, aſſidue, Scripturæ ſacræ phraſi.

10. *Vos teſtes eſtis, & Deus, quam ſancte & juſte, & ſine querela, vobis, qui credidiſtis, fuimus*. Vos ipſi teſtes eſtis, & Deus etiam teſtis eſt, quam ſancte in his quæ vitæ doctrinæque integritatem & Dei cultum ſpectant, quam juſte in his quæ proximum, quam inculpate ac irreprehenſibiliter converſati fuimus apud vos qui credidiſtis ; nemini dantes occaſionem de nobis

bis conquerendi, & ſollicite caventes ne infirmis offendiculo eſſemus.

11. 12. *Sicut ſcitis qualiter unumquemque veſtrum (ſicut pater filios ſuos) deprecantes vos & conſolantes, teſtificati ſumus, ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in ſuum regnum & gloriam.* Scitis quo modo affecti fuerimus erga unumquemque veſtrum, quomodo erga ſingulos nos geſſerimus, ut pater erga filios chariſſimos, vos cum precibus exhortando ut in fide conſtantes eſſetis, & conſolando vos in afflictionibus & perſecutionibus propter Evangelium illatis vel imminentibus, & obteſtando ut viveretis ſicut decet cultores & ſervos Dei, qui vos ad Eccleſiam ſuam per fidem ac baptiſmum vocavit, & gloriæ ſuæ pignus tam gratuita vocatione dedit.

13. *Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione: quoniam cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed, (ſicut eſt vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis.* Quamobrem aſſidue gratias agimus Deo, quoniam Dei verbum, quod nobis prædicantibus audiviſtis, non accepiſtis ut verbum hominum, id eſt, ut dubium vel probabile tantum, aut humana ſolum ratione vel auctoritate firmatum, quo modo recipiuntur Philoſophorum placita: ſed ut verbum quod Deus ipſe locutus eſt, nobiſque prædicandum credidit: qui, cum ſit prima Veritas, nec falli poteſt, nec fallere. Qui, ſermo ſcilicet Evangelicus, in vobis credentibus, velut ſemen fructiferum, omne genus bonorum operum Dei virtute operatur.

14. 15. 16. *Vos enim imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæa in Chriſto Jeſu: quia eadem paſſi eſtis & vos a contribulibus veſtris, ſicut & ipſi a Judæis.* Vobis enim quid ſimile contigit ac Eccleſiis Dei quæ Jeſu Chriſti fidem in Judæa ſunt amplexæ, & illarum in fide conſtantiam ac patientiam imitati eſtis; ſiquidem ſimiles perſecutiones a concivibus veſtris paſſi eſtis, eis quas ipſæ paſſæ ſunt a Judæis: *Qui & Dominum occiderunt Jeſum, & Prophetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adverſantur.* Qui (ſcilicet Judæi) Dominum Jeſum interfecerunt, mortem ejus a Pilato ſeditioſis & efferatis clamoribus extorquentes; & Prophetas ſibi ſpeciatim deſtinatos & ad ſe miſſos occiderunt, & nos Chriſti Apoſtolos ac Miniſtros perſecuti ſunt & expulerunt: & Deo ſunt exoſi; & omnibus hominibus per invidiam & malitiam adverſantur, ſaluti totius generis humani obſiſtentes, dum Evangelii curſum pro viribus impediunt. *Prohibentes nos Gentibus loqui ut ſalvæ fiant, ut impleant peccata ſua ſemper: pervenit enim ira Dei ſuper illos uſque in finem.* Impedientes nos, quantum in ipſis eſt, ne Gentibus annuntiemus Evangelium, cui credendo & ſecundum illud vivendo, ſalutem æternam conſequantur: atque ita peccata peccatis ſemper addentes, menſuram criminum ſuorum implent, cujus cumulum Deus expectare decrevit, ut ſimul & plene omnia puniat. Super illos cecidit ira Dei, æternumque manebit. Proximum Judæorum exitium prædicit, & diſperſionem ac ſervitutem, ex qua revocationem non conſequentur. Ita etiam prædixit David: *Ut quid Deus repuliſti in finem?*

Pſal. 73. 1.

17. 18. *Nos autem, fratres, deſolati a vobis ad tempus horæ, aſpectu, non corde, abundantius feſtinavimus faciem veſtram videre cum multo deſiderio.* Nos autem, fratres, ad breve tempus disjuncti ſumus a vobis, ut pater chariſſimis filiis orbatus; ſed aſpectu, non corde ſumus ſeparati; unde multo ardentiore deſiderio vobis etiam corpore præſentes eſſe per optavimus: *Quoniam voluimus venire ad vos: ego quidem Paulus, & ſemel, & iterum, ſed impedivit nos Satanas.* Statueramus enim venire ad vos, ego Paulus, Timotheus & Silas: & ego quidem ſæpius: ſed nos impedivit Satanas per homines malos obſtacula injiciens, inſidias ſtruens, ſeditiones excitans vel diſſidia.

S. Chryſoſt. Theodoret.

19. 20. *Quæ eſt enim noſtra ſpes, aut gaudium, aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum eſtis in adventu ejus? Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.* Quæ enim major ratio mihi eſſe poteſt ſperandi præmii a Chriſto juſto judice in adventu ejus, ac proinde nunc gaudendi? Quo majore ornamento Apoſtolatus mei gloriari poſſim, quam fructu quem apud vos feci? De vobis certe gloriari poſſum & lætari coram Domino . . . „ Quoniam ſe ipſum Apoſtolus aſſimilavit matri quæ „ lactat infantes, ejus quoque verba imitatur . . . . „ Eæ ſiquidem parvulos filios ſuos & ſpem & gau- „ dium, & alia ejuſmodi, appellare conſueverunt.

## CAPUT II.

### Senſus Moralis.

Caveant Paſtores & Concionatores ne ipſorum culpa infructuoſa ſit Evangelii Prædicatio.

1. 2. 3. 4. 5. 6. N*Am & ipſi ſcitis, fratres, introitum noſtrum ad vos, quia non inanis fuit.* Caveant Paſtores & Concionatores, ne ipſorum culpa ſit inanis in populo Chriſtiano Evangelii prædicatio. Id enim non ſolum auditorum vitio & indiſpoſitione, ſed & ſæpe Paſtorum & Prædicatorum culpa contingit. Timeant ne coram Deo vacui appareant in judicii die, ipſiſque merito imputetur quod nullum fructum in Eccleſia Dei, & in negotio ſalutis animarum fecerint. Imitentur exemplar quod ipſis in Apoſtolo Paulo monſtratum eſt. 1. Sacrum Paſtoralis Curæ & Prædicationis Miniſterium Spiritus ſancti impulſu, non humanis rationibus ſuſcipiant. Qui enim humano favore, aut carnis vel ſanguinis reſpectu, non Dei vocatione Miniſterium ſacrum ingreditur, timere debet ne introitus ejus aliis ſit inanis & infructuoſus, ipſi vero exitialis. Qui cruces, tribulationes, difficultates, contradictiones, agones, ærumnas, perſecutiones ſuſtinet in ipſis miniſterii ſui & miſſionis ſuæ exordiis, benedictionem, virtutem, & unctionem crucis conſequetur ad ſalutem animarum, propriamque ſanctificationem.

Miniſtrorum Chriſti & Concionatorum officia.

*Sed ante paſſi multa, & contumeliis affecti.* O præclarum evangelici Miniſterii tyrocinium, dignum iis qui Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum annuntiant! 2. Fiduciam in hominibus, & mediis humanis, quæ prudentia carnis filiis hujus ſæculi ſuggerit, collocare non debent, ſed in ſola Dei virtute & gratia. *Fiduciam habuimus in Deo noſtro.* 3. Imperterrito animo & cum ſancta libertate prædicanda eſt veritas, ſive fidem, ſive mores ſpectans. *Loqui ad vos Evangelium Dei in multa ſolicitudine.* Qui ita ſe gerunt, fructum multum in miniſterio, benedicente Deo, facient. „ Sufficit enim vel ærumnarum

Theodoret.

„ teſtimonium ad oſtendendam veritatem prædica- „ tionis. „ Qui enim decipere conantur, ad pericu- „ la uſque larvam gerunt: ſed ubi ea viderint, ſe- „ ipſos detegunt, & mendacium patefaciunt. Ea de „ cauſa divinus Apoſtolus vincula & verbera quæ „ paſſus eſt Philippis, & dicendi libertatem qua po- „ ſtea uſus eſt, in memoriam revocavit; docens ſe „ poſt graves moleſtias majori alacritate repletum „ fuiſſe, quoniam laborum prævidebat emolumen- „ tum.

Quarto, Paſtor & Prædicator Evangelicus doctrinæ, vitæ, intentioniſque puritate ſpectabilis ſit neceſſe eſt. *Exhortatio enim noſtra non de errore, neque de immunditia, neque in dolo.* Error, integritati doctrinæ; immunditia, puritati vitæ; dolus intentionis ſinceritati opponitur. Error, immunditia, dolus, proprii hæreticorum & Pſeudo-apoſtolorum caracteres. Veritas doctrinæ, munditia vitæ, rectitudo intentionis, virorum apoſtolicorum dotes propriæ. *Neque in confuſione paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore ſchiſmaticorum, neque in cæcitate Judæorum quærenda eſt Religio; ſed apud eos qui Chriſtiani Catholici vel orthodoxi nominantur, id eſt integritatis cuſtodes & recta ſectantes.*

S. Auguſt. lib. De vera Religione, cap. 5.

5. Dei providentiam, voluntatem, electionem, ſive in cura Paſtorali ſuſcipienda, ſive in prædicationis officio, ſive in directione conſcientiarum, ſive in quibuslibet ſacri Miniſterii functionibus ſequi oportet, illique obſequi. *Sed ſicut probati ſumus a Deo.* Felix qui a Deo probatus, & dignus Miniſter inventus eſt, miſericordia ejus operante. 6. Veritatem Chriſtianam, ſive fidem, ſive morum diſciplinam ſpectet, prædicare debent ac docere Paſtores & Evangelici Miniſtri ut rem ſibi traditam, non a ſe inventam; ut rem doctrinæ, non ingenii; cujus ſunt cuſtodes & depoſitarii, non domini; quam proinde immutare & adulterare non licet.

Vincentius Lirini in Commonitorio.

*Sicut probati ſumus ut crederetur nobis Evangelium, ita & loquimur.* 7. Hominum applauſum & laudem parviſacere debent ſacri Miniſtri, & ſolum Dei judicium vereri, qui cordium ſcrutator eſt & judex. *Non quaſi hominibus placentes, ſed Deo, qui probat corda noſtra.* 8. Adulationis ſtudium & uſus ab Evangelicis Miniſtris procul eſſe debet. Qui enim ab hominibus nihil timet aut ſperat, illos *labiis ſuis lactare*, illis *placentia loqui* non ſtudet, nec doctrinam morum cupiditatibus & ſtudiis illorum accommodat, viam ſalutis dilatans, & Chriſtianæ Religionis diſciplinam evangelicis & apoſtolicis regulis adſtrictam relaxans cum animarum detrimento: *Neque enim aliquando fuimus in ſermone adulationis, ſicut ſcitis.*

Prover. 24. 18.

Iſai. 30. 10.

9. Omnem avaritiæ occaſionem, ſpeciem, ſuſpicionem, affectum fugiant Chriſti Miniſtri: ab omni rerum terrenarum & commodorum temporalium cupi-

pidi-



piditate alieni ſint; a captandis muneribus, ab extorquendis in propriam vel communem Eccleſiarum, vel Societatum, Congregationum, ſeu Monaſteriorum ſuorum, vel domorum utilitatem fundationibus, a ſuggerendis donationibus & teſtamentis abhorreant. Procul, qui lucrum exiſtimant pietatem, qui in miniſterio verbi magis requirunt datum quam fructum. Procul, qui filiarum Tyri in muneribus conſcientias moderari amant, aut ſimulata temporalium emolumentorum contemptione, & aſſumpta generoſitatis larva minora dona recuſant, ut majora aucupentur. *Neque in occaſione avaritiæ, Deus teſtis eſt.* „ Adu-

Theodoret.

„ lationis illos teſtes appellavit. Verba enim adulato- „ rum aperta ſunt iis qui audiunt: avaritiæ autem „ non jam ipſos, ſed inſpectorum univerſorum. Sæpe enim homines latet ejus, quod ſit ſcopus & inſtitutum.

10. Chriſti Miniſter propter honores, dignitates, gloriam humanam, ſive famam & celebritatem nominis acquirendam in Eccleſia laborans, Chriſti humilitati facit injuriam, qui gloriam ſuam in Evangelii prædicatione non quæſivit, & fugit in montem ſolus, cum ab hominibus quæreretur ad regnum. *Nec quærentes ab hominibus laudem, neque a vobis, neque ab aliis.* Apoſtolorum imitatores eſſe debent Evangelii Miniſtri, immo Chriſti Domini; non Philoſophorum quos *Animalia gloriæ* Tertullianus vocat; non Pharisæorum, quibus Chriſtus ait: *Quomodo poteſtis credere, qui gloriam ab invicem accipitis, & gloriam, quæ a ſolo Deo eſt, non quæritis?*

Joan. 5. 44.

*Verſ. 7. Cum poſſemus vobis oneri eſſe, ut Chriſti Apoſtoli: ſed facti ſumus parvuli*, &c. Undecimo, juribus ſuis, ſive honores, ſive lucrum ſpectantibus, ſponte ac generoſe cedant Chriſti Miniſtri, ſi illorum exactio Dei opus & animarum ſalutem impeditura vel retardatura videatur. Cupiditas immolanda caritati, quæ Deus eſt. Apoſtolum aliqua ſaltem ex parte imitentur qui ſufficiens patrimonium habent ad vitam honeſte tranſigendam & ſuſtentandam: non ſint oneri fidelibus, immo pauperibus ſublevandis patrimonium pauperum impendant, de ſuo vivant. (Præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.) Infirmorum vitent offenſionem, apud quos rigoroſa jurium exactio, & levior cupiditatis umbra minuit fiduciam quam Paſtoribus debent, diſſenſiones & lites interdum excitat, & profectum omnem Evangelii impedit. *Cum poſſemus vobis oneri eſſe, ut Chriſti Apoſtoli.* Superbi, imperioſi, agreſtes, moroſi non ſint Chriſti Miniſtri; ſed parvulorum ſimplicitatem, manſuetudinem, affabilitatem, cum nutricis amore, ſolicitudine, vigilantia conjungant. *Sed facti ſumus parvuli in medio veſtrum, tamquam ſi nutrix foveat filios ſuos.* Audiant hoc *Prælati, qui ſibi commiſſis ſemper volunt eſſe formidini, utilitati raro: Erudimini qui judicatis terram. Diſcite ſubditorum matres vos eſſe debere, non dominos. Studete magis amari, quam metui. Etſi interdum ſeveritate opus eſt, paterna ſit, non tyrannica. Matres, fovendo; patres vos, corripiendo exhibeatis. Manſueſcite, ponite feritatem, ſuſpendite verbera, producite ubera. Pectora lacte pingueſcant, non typho turgeant. Quid jugum veſtrum ſuper eos aggravatis, quorum potius onera portare debetis? Cur morſus a ſerpente parvulus fugit conſcientiam Sacerdotis, ad quem eum magis oportuerat tamquam ad ſinum recurrere Matris? Si ſpirituales eſtis, inſtruite hujuſmodi in ſpiritu lenitatis*, &c.

S. Bernard. Serm. 23. in Cantica.

*Verſ. 8. 9. Ita deſiderantes vos, cupide volebamus tradere vobis non ſolum Evangelium Dei, ſed etiam animas noſtras.* Duodecimo, non tantum lac divini verbi, nutricis matris inſtar, fidelibus curæ ſuæ ſubditis præbere debent Rectores animarum, ſed ad ſanguinem etiam pro illorum ſalute profundendum eſſe parati. Quantum a tam ſancta diſpoſitione remotus eſt, qui nec animas alere curat, nec eſurientia pauperum corpora reficere? *Cum incomparabiliter ſit melior anima qua vivimus, terrena ſubſtantia quam poſſidemus: qui non dat pro ovibus ſubſtantiam ſuam, quando pro his daturus eſt animam ſuam?* Vicarios caritatis Jeſu Chriſti vitam crucifixam & laborioſam in ſacro Miniſterio pro ſalute animarum ejus ſanguine redemptarum ducere oportet. Indigni ſunt Sacerdotio, qui vitam in otio tranſigunt: Eccleſiæ ſunt oneri & dedecori, qui luxui & voluptati indulgent, nullis naturæ commodis propter Chriſtum, & bonum ſalutis animarum, privari ſuſtinentes. *Memores enim eſtis laboris noſtri & fatigationis: nocte ac die operantes, ne quem veſtrum gravaremus, prædicavimus vobis Evangelium.* „ Doctorem (inquit S. Chry- „ ſoſtomus) nihil oportet gravate facere eorum quæ „ tendunt ad ſalutem diſcipulorum. Nam ſi beatus „ Jacob nocte & die laborabat in ovium cuſtodia, „ multo magis eum cui creditæ ſunt animæ, etiamſi „ ſit opus laborioſum & vile, oportet omnia fa- „ cere, unum ſolum ſpectantem, nempe ſalutem „ diſcipulorum, & quæ inde Deo exiſtit, glo- „ riam.

S. Gregor. M. Hom. 14. in Evang.

S. Chryſoſt. Hom. 3.

Geneſ. 31. 40.

*Verſ. 10. 11. 12. Vos teſtes eſtis, & Deus, quam ſancte, & juſte, & ſine querela, vobis qui credidiſtis, fuimus; ſicut ſcitis, qualiter unumquemque veſtrum (ſicut pater filios ſuos)* &c. Decimo tertio, Chriſti Miniſtri veritatem doctrinæ quam prædicant, vitæ integritate ſuffulciant; rerum terrenarum affectu vacui, cœleſtium amore exardeſcant: nihil profanum, nihil impurum in cor vel corpus ſuum ſinant inferri, utpote Deo ſecundum utrumque conſecrati. *Sancte*, Juſti & æqui erga proximum ſint obſervatores, nemini inferant injuriam, omnibus benefaciant, alienis affectibus & ſtudiis ſe adverſus aliquem præoccupari minime patiantur. *Juſte*. Tanta rectitudine, tam perfecta modeſtia ſe gerant, ut in eorum converſatione nihil ſit reprehenſioni obnoxium. *Et ſine querela*. Probitas & virtus Miniſtrorum Chriſti ſoli Deo notæ eſſe non debent ob æternam remunerationem, ſed & hominibus ob exemplum & ædificationem. Ideo luci, & civitati ſupra montem poſitæ a Chriſto Domino comparantur. Tales eſſe debent, ut fideles quos regunt, vitæ ſuæ teſtes habere minime vereantur. *Vos teſtes eſtis . . . . Sicut ſcitis.* Decimo-quarto, paternum erga omnes & ſingulos Chriſtianos curæ ſuæ commiſſos affectum habeant ac demonſtrent Rectores animarum, neminem negligentes, neminem cum faſtu excipientes, etiam infimæ ſortis. *Quis enim pater adverſus filios inflatur?* Omnium animæ æque Deo pretioſæ, Chriſti ſanguine pariter redemptæ (*Sicut pater filios ſuos*,) Decimo-quinto, Paſtores, Prædicatores, & Directores animarum exhortentur aſſidue imperfectos, ut in via virtutis proficiant: conſolentur puſillanimes, ut in via mandatorum Dei confidenter ambulent: obteſtentur & urgeant peccatores, ut viam ſalutis per ſinceram Pœnitentiam ingrediantur: proficientibus oſtendant quantum diſtent a ſanctimonia digna Deo tam magno, tam bono, tam ſancto, qui eos ad ipſam vocat; digna mediis tam gratuitis, tam efficacibus, tam ſuavibus, tam ſapientibus, quibus illos ducit; digna regno & gloria tam ſublimi, tam perfecta, tam divina, quam diligentibus ſe promiſit ac præparavit. *Deprecantes vos, & conſolantes, teſtificati ſumus, ut ambuletis digne Deo, qui vocavit vos in ſuum regnum & gloriam.*

Theophylact.

13. *Ideo & nos gratias agimus Deo ſine intermiſſione, quoniam cum accepiſſetis a nobis verbum auditus Dei, accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed, (ſicut eſt vere) verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis.* Decimo-ſexto, Paſtores & Prædicatores fideliter & ſemper ad Deum referre debent verbi ejus fructum, & profectum animarum, ac de eo gratias illi agere, cujus donum eſt ut populi Evangelium audiant, & auditum accipiant, cordeque retineant, ac per illud bonum operentur. 17. Auditoribus inculcent dignitatem & excellentiam & virtutem verbi Dei; quantum ſupereminent hominum verbis, errori, mendacio, mutationi obnoxiis, per ſe inefficacibus, aures percutientibus, in corde non operantibus; cum verbum Dei corda flectat, eorum duritiem vincat, illorum corruptionem ſanet. Quanto igitur in pretio habendum eſt? Quanta reverentia audiendum? Quanta obedientia ſuſcipiendum? Quanta diligentia & ſolicitudine retinendum? Quanta fide ipſi cooperandum eſt, ne auditores judicet in noviſſimo die? Qui ſecundum Evangelium non vivunt, Evangelio credere non videntur. *Sed ſicut eſt vere, verbum Dei, qui operatur in vobis, qui credidiſtis.*

Verbi Dei excellentia.

Joan. 12. 48.

14. *Vos enim imitatores facti eſtis, fratres, Eccleſiarum Dei, quæ ſunt in Judæa, in Chriſto Jeſu: quia eadem paſſi eſtis & vos a contribulibus veſtris, ſicut & ipſi a Judæis.* Tria nos in Chriſtiana & Catholica Religione ac fide maxime confirmant. 1. Quod credamus quæ Prophetæ, Apoſtoli, & Eccleſiæ ab illis fundatæ & inſtitutæ crediderunt. Eamdem profitemur fidem, quam *Eccleſiæ matrices & originales fidei* ab Apoſtolis acceperunt tum viva voce, tum per Epiſtolas. 2. Quod Apoſtoli & e primis Chriſtianis plurimi, pro doctrina quam credimus, ſanguinem fuderint, & tam frequenti, tam ſolemni, tam conſtanti teſtimonio ejus obſignaverint veritatem. „ *Pueri etiam & mulierculæ noſtræ*, (inquit Minucius Felix) „ *cruces & tormenta, feras, & omnes ſuppliciorum* „ *terriculas inſpirata patientia doloris illudunt. Nec* „ *intelligitis, o miſeri, neminem eſſe qui aut ſine ratione velit pœnam ſubire, aut tormenta ſine Deo* „ *poſſit ſuſtinere.* 3. Quod Eccleſia Catholica etiamnum ſimiles perſecutiones patiatur a Paganis & Hæreticis, & Martyres adhuc habeat, qui pro eadem fide moriuntur & coronantur. *Eadem paſſi eſtis & vos.* Apoſtolorum, Martyrum, & primorum Chriſtianorum, quorum fidem tenemus, actiones imitemur. *Imitatores facti eſtis Eccleſiarum Dei* &c.

Quæ nos in Chriſtiana Religione confirment?

Tertull. lib. De Præſcript. Hæret.

Minucius Felix in Octavio.

15. 16. *Qui & Dominum occiderunt Jeſum, & Prophetas,*

*phetas, & nos perſecuti ſunt, & Deo non placent, & omnibus hominibus adverſantur, prohibentes nos Gentibus loqui ut ſalvæ fiant, ut impleant peccata ſua ſemper: pervenit enim ira Dei ſuper illos uſque in finem.* Terribile Dei judicium in Judæos qui Dominum Jeſum occiderunt, timorem incutere debet Chriſtianis, qui rurſus illum in ſemetipſis crucifigunt, qui Judaice vivunt, ſolis rebus temporalibus inhærentes, nec de ſpiritualibus æterniſque bonis cogitantes. Timeant ne Judæorum inſtar a Deo deſerantur, obdurentur, & in nova peccata incidere permittantur in pœnam præcedentium peccatorum, neglectæ & contemptæ gratiæ, rejectæque veritatis, quæ interius illorum mentibus inſpirante Deo affulſit, exterius eorum auribus per verbi divini prædicationem inſonuit. Timeant ne impleta peccatorum ſuorum menſura, iræ Dei in æternum ſubjaceant. *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Iram Dei æternam incurretis, qui ejus miſericordiam contempſiſtis; & pœnas dabitis in interitu ſempiternas ultionum Domino.

Terribile Dei judicium.

*Iſai. 5. 18.*

17. 18. 19. *Quoniam voluimus venire ad vos, ego quidem Paulus, & ſemel & iterum, ſed impedivit nos Satanas.* Paſtores & Rectores animarum ad Reſidentiam in Diœceſibus & Parochiis ſuis divino jure, & ſub peccati mortalis reatu ſe teneri meminerint: Oves cognoſcere, pro his ſacrificium offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere: pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum paternam curam gerere, & in cetera munia paſtoralia incumbere, quæ nequaquam ab his præſtari & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque adſiſtunt, ſed mercenariorum more illum deſerunt. Reſidentiam igitur ament, non otioſam, ſed vigilem, actuoſam, & in cura paſtorali ſemper occupatam. Raro admodum, & quam breviſſimo temporis intervallo fieri poterit, abſint corpore, nuſquam animo. „ Tunc tantum ſibi licere noverint abſen„ tiam, quando Chriſtiana caritas, urgens neceſſitas, „ debita obedientia, & evidens Eccleſiæ vel Reipu„ blicæ utilitas, illos abeſſe poſtulant & exigunt. Abſentiæ occaſiones bonus Paſtor non quærit, rationes non prætexit: abſens, continuo, vehementi & ſollicito deſiderio redeundi ad cariſſimas oves tenetur, urgetur. Impedimenta omnia reditus ſui vincere nititur, timetque ne a Satana ſint appoſita in perniciem animarum, quarum gravia detrimenta ex abſentia Paſtorum oriri novit. *Sed impedivit nos Satanas.* Bonus Paſtor ſalutem ſe conſequi non poſſe certus eſt, niſi animarum ſibi commiſſarum ſaluti aſſidue cooperetur. Ejus ſolatium & gaudium in peccatorum converſione, in juſtorum profectu poſitum eſt; gloriam vel confuſionem ſuam in die judicii, coronam vel damnationem æternam ex fideli vel infideli Paſtoralis Officii functione pendere novit. *Quæ eſt enim noſtra ſpes aut gaudium aut corona gloriæ? Nonne vos ante Dominum Jeſum Chriſtum eſtis in adventu ejus?* Attendite igitur vobis quicumque opus miniſterii hujus ſortiti eſtis, *attendite* (inquam) *vobis, & pretioſo depoſito quod vobis creditum eſt. Civitas eſt, vigilate ad cuſtodiam, concordiamque. Sponſa eſt, ſtudete ornatui. Oves ſunt, intendite paſtui.* Niſi vos ita geratis, Paſtori ſtulto ſimiles eſtis, quem in furore ſuo ſe immiſſurum in terram Dominus per Prophetam comminatur: *Adhuc ſume tibi*, inquit, *vaſa paſtoris ſtulti; quia ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, quod diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & id quod ſtat non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum diſſolvet. O Paſtor & Idolum, derelinquens gregem! Gladius ſuper brachium ejus, & ſuper oculum dextrum ejus: brachium ejus ariditate ſiccabitur, & oculus dexter ejus tenebreſcens obſcurabitur.*

Reſidentia paſtoralis.

*Concil. Trid. Seſſ. 6. Seſſ. 23. Cap. 1. De Reformat.*

*S. Bernard. Serm. 76. in Cantica.*

*Zachar. 11. 15*

---

# C A P U T III.

## *Senſus Litteralis.*

1. 2. 3. P*Ropter quod non ſuſtinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis ſolis.* Ideo non amplius tolerans deſiderium veſtri, & quod nullum ad me nuntium de ſtatu veſtro, & de his quæ vos attinent, perveniret, ſolus Athenis, quo ex Macedonia tranſieram, remanere ſtatui, ut præſentiam meam apud vos ſupplerem miſſo Timotheo ſocio meo cariſſimo, & cooperatore fideliſſimo in miniſterio Evangelii. *Et miſimus Timotheum fratrem noſtrum & Miniſtrum Dei in Evangelio Chriſti, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide veſtra.* Illum (inquam) miſi, ut vos in fide confirmaret, & ad perſeverandum hortaretur. *Ut nemo moveatur in tribulationibus iſtis: ipſi enim ſcitis quod in hoc poſiti ſumus.* Ut nemo veſtrum conturbetur animumque deſpondeat ob perſecutiones & afflictiones quas patimur. Non enim vos latet, hanc noſtram eſſe ſortem, ad idque nos a Deo deſtinatos, ut pro Chriſti nomine adverſa quæque patiamur? * *Nam & cum apud vos eſſemus, prædicebamus vobis paſſuros nos tribulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis.* Nam cum eſſem Theſſalonicæ, prædixi vobis me paſſurum Evangelii cauſa perſecutiones & afflictiones graviſſimas, multaque mihi imminere pericula: quod ita evenit, ut vos ſcitis, partim experientia, * partim fama, & ex aliorum relatione.

* *Act. 9. 16. Ego oſtendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati.*
* *Act. 17.*

5. *Propterea & ego amplius non ſuſtinens, miſi ad cognoſcendam fidem veſtram: ne forte tentaverit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noſter.* Propterea ergo diutius exſpectare non valens, & de ſtatu veſtro ſolicitus, moræque impatiens ut de illo certior fierem, miſi Timotheum ut per illum cognoſcerem an conſtans & firma eſſet fides veſtra, an aliquo modo labefactata & concuſſa. Vereor enim ne Satanas, qui homines ad malum inſtigat, vos tentet, ejuſque malis artibus, & veſtro conſenſu, inanis & infructuoſus fiat labor, quem prædicando apud vos Evangelio, vobiſque in Chriſtiana fide inſtituendis inſumpſi.

6. 7. 8. *Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, & annuntiante nobis fidem & caritatem veſtram, & quia memoriam noſtri habetis bonam ſemper, deſiderantes nos videre, ſicut & nos quoque vos: Ideo conſolati ſumus, fratres, in vobis in omni neceſſitate & tribulatione noſtra, per fidem veſtram.* Modo autem cum ad nos Timotheus a vobis redierit, nobiſque exoptatum nuntium retulerit de fidei charitatiſque veſtræ conſtantia, & perſeverantia, ab eoque etiam didicerimus quod noſtri memoriam honorificam & cum affectu ac deſiderio reciproco conjunctam retineatis: ideo fides veſtra per Dei gratiam inconcuſſa magno nobis ſolatio eſt in omnibus afflictionibus, anguſtiis & periculis, quibus premimur. *Quoniam nunc vivimus, ſi vos ſtatis in Domino.* Nam etſi continua pene mortis pericula me circumſtent, lætam nihilominus vitam ago, quandoquidem vos in fide Chriſti conſtantes permanetis.

9. 10. 11. *Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo retribuere pro vobis, in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum noſtrum, nocte ac die abundantius orantes ut videamus faciem veſtram, & compleamus ea quæ deſunt fidei veſtræ?* Quas enim gratias ſatis dignas Deo referre poſſum de gaudio, immenſo atque perfecto, quo propter vos in ejus conſpectu perfundor? Quo fit ut continuis ac ferventiſſimis precibus Deum interpellem, ut vos adire & coram alloqui poſſim: ut ſi quid ad fidem veſtram perficiendam deſideratur, id ſuppleam pleniore expoſitione, adhortatione, conſolatione. *Ipſe autem Deus & Pater noſter, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, dirigat viam noſtram ad vos.* Precor itaque Deum & Patrem noſtram, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut nobis proſperum ad vos iter tribuere dignetur.

12. 13. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem veſtram in invicem, & in omnes, quemadmodum & nos in vobis.* Chriſtus Dominus magis ac magis augeat, ac perficiat in vobis charitatem, qua vos invicem, immo & omnes homines, etiam infideles, & veſtros inimicos diligitis: illamque ſimilem efficiat noſtræ erga vos charitati. *Ad confirmanda corda veſtra ſine querela in ſanctitate, ante Deum & Patrem noſtrum, in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus Sanctis ejus. Amen.* Confirmet etiam Dominus corda veſtra, voſque faciat irreprehenſibiles & immaculatos per veram ſanctimoniam, non ſolum in oculis hominum, ſed in conſpectu Dei, quem nihil latet, & qui novit abſcondita cordis: utque tales inveniamini in die judicii, cum Dominus noſter Jeſus Chriſtus cum omnibus Sanctis ſuis apparebit: ut cum ipſis obviam illi eatis, coronam gloriæ ab illo percepturi. Fiat.

---

# C A P U T III.

## *Senſus Moralis.*

1. 2. P*Ropter quod non ſuſtinentes amplius, placuit nobis remanere Athenis, ſolis:*] *Et miſimus Timotheum fratrem noſtrum & Miniſtrum Dei in Evangelio Chriſti, ad confirmandos vos, & exhortandos pro fide veſtra.* Qui Deum & Eccleſiam ſincere diligit, omni ſolatio & auxilio deſtitui, etiam in maximis anguſtiis, pro Dei gloria, & ipſius Eccleſiæ utilitate, animarumque ſalute non renuit. Neminem chariorem habuit Apoſtolus Paulus Timotheo, a nemine majus ac ſuavius ſolatium accipiebat quam a fideliſſimo illo ſocio & Cooperatore ſuo, quem diligebat uti fratrem: & tamen elegit remanere ſolum Athenis tanto ſolatio deſtitutum, ut majori Dei gloriæ, ac Theſſalonicenſium ſaluti conſuleret, illo miſſo ad ipſos in fide Chriſti ſuis exhortationibus confirmandos. Hinc diſcant Paſtores, omnia ſolatia exteriora ſaluti animarum eſſe poſtponenda & ſacrificanda; immo & interiorum quorumdam mereque ſpiritualium ſolatiorum privationi conſentiendum, fiduciamque in Domino collocandam, qui illa uberius ſupplebit, cum ipſi placuerit. Paſtores & Prædicatores conſiderent ſe Dei Miniſtros eſſe in ejus regno, quod eſt Eccleſia; ſe in ſocietatem miſſionis Jeſu Chriſti ab illo vocatos, & Apoſtolorum in Evangelii prædicatione fratres eſſe & cooperatores. Quæ dignitas? Quæ fidelitas? Quæ ſedulitas & diligentia in obeundo Miniſterio? Fratres & Cooperatores Apoſtolorum. Apoſtolicas virtutes in ſe exprimant, apoſtolice vivant, honorem Dei, quem Timothei nomen ſignificat, unice intendant; officii ſui eſſe noverint, Evangelium annuntiare, Chriſtianos in fide Evangelii confirmare, omnes ad Evangelii amorem, & ad vitam ſecundum illud componendam exhortari, adducere, accendere. *Miſimus Timotheum fratrem noſtrum & miniſtrum Dei in Evangelio Chriſti, ad confirmandos vos & exhortandos pro fide veſtra.*

Paſtores omnia ſolatia exteriora poſtponere debent animarum ſaluti.



3. 4. *Ut nemo moveatur in tribulationibus iſtis: ipſi enim ſcitis quod in hoc poſiti ſumus. Nam & cum apud vos eſſemus, prædicebamus vobis paſſuros nos tribulationes, ſicut & factum eſt, & ſcitis.* Perſecutionibus & tribulationibus commoveri & conturbari vir Chriſtianus non debet, ſive ſit Paſtor, ſive ſimplex ovis. Quod enim Paſtores ſpectat, hæc Apoſtolorum & Apoſtolicorum ſors eſt; hoc Dei conſilium, ut ſucceſſus operis afflictionibus Operariorum Evangelicorum promoveatur. Illos ad tribulationes pro Evangelio tolerandas deſtinavit Dominus quaſi ſignum ad ſagittam. *Si mundus vos odit* (inquit Chriſtus) *ſcitote quia me priorem vobis odio habuit... Mementote ſermonis quem ego dixi vobis: Non eſt ſervus major domino ſuo. Si me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermonem meum ſervaverunt, & veſtrum ſervabunt. Sed hæc omnia facient vobis, propter nomen meum, quia neſciunt eum qui miſit me.* Nec Paſtorum tantum ſed Chriſtianorum omnium pie viventium patrimonium in hac vita eſt tribulatio, perſecutio, crux *quotidie* ferenda, ut Chriſto Jeſu pro nobis crucifixo conformentur. Hæc Chriſto Jeſu pronobis crucifixo conformentur. Hæc Chriſtus Dominus ab initio prædixit: *Beati*, inquit, *qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* In hoc poſitus eſt Chriſtianus: *In hoc poſiti ſumus.* Quid igitur conturbamini in tribulationibus, quaſi otium, requies, & omnimoda proſperitas Chriſtianorum hac in vita ſors eſſet? *Nondum ad ſanguinem uſque reſtitiſtis adverſus peccatum repugnantes.* „ Imo ne oportunum quidem eſt hoc „ vobis dicere. Sed quid? Nondum pecunias deſpe„ xiſtis. Cui ſunt impacti colaphi & alapæ? . . . . „ tam multa paſſus eſt Chriſtus propter nos, qui „ eramus inimici. Quid propter ipſum paſſi ſumus? „ Undenam erit nobis in diei judicii fiducia? Neſci„ tis quod miles, quando mille plagas & vulnera o„ ſtendit, tunc poterit eſſe illuſtris apud Regem? Sin „ autem nihil poſſit oſtendere recte & fortiter geſtum, „ inter extremos collocabitur. At non eſt, inquis, „ tempus belli. Nam ſi eſſet, dic quæſo, quis de„ certaſſet? Fortaſſe nullus. Nam cum videro te „ propter Chriſtum pecunias non deſpicere, quomo„ do tibi credam futurum ut plagas deſpicias? Di„ cite mihi, fortiter-ne fertis eos qui probro & „ contumelia vos afficiunt, & eis benedicitis? Quod „ nihil habet periculi non facis, & plagas feres in „ quibus multum eſt triſtitiæ & doloris? Neſcitis „ quod in pace ſe ad bellum oportet exercere? Non „ videtis hos milites, qui etiam nullo urgente bello, „ & vel in ſumma pace, abſterſis armis, cum Magi„ ſtris qui ſtruere aciem, & ordines collocare eos do„ cent, in patentes & latos campos quotidie exeun„ tes, rem militarem exercent accuratiſſime? Quis „ hoc facit militum ſpiritualium? Nullus Propterea „ in bellis molles ſumus & ignavi, & facile capi„ mur & expugnamur: Quam hebetis autem & ob„ tuſi eſt ingenii, exiſtimare præſens tempus non „ eſſe belli, cum clamet Paulus: *Omnes qui pie vo„ lunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patien„ tur;* & dicat Chriſtus: *In mundo preſſuram habe„ bitis.*

Afflictio & Crux, ſors Chriſtianorum pie viventium.

*Joann. 15.*

*Matth. 5.*

*Hebr. 12.*

*S. Cryſoſt. Hom. 3. in hanc Epiſt.*

*2. Tim. 3. 12.*

*Joann. 16. 33.*

5. *Propterea & ego amplius non ſuſtinens, miſi ad cognoſcendam fidem veſtram: ne forte tentaverit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noſter.* Invigilant ſancti Epiſcopi, dantque operam Viſitationibus Paſtoralibus, Ecyclicis Litteris, Operariorum Evangelicorum Miſſionibus, Prædicationibus, Inſtructionibus, ut Fidei integritas, Moralis Chriſtianæ puritas, Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ordo ſervetur; ut ſuperſtitiones, pravæ conſuetudines, periculoſæ novitates eradicentur & eliminentur; ut muniantur infirmi contra tentationes tribulationum & pravorum exemplorum, ut denique bonum quod inſtitutum & cœptum eſt, perficiatur, nec inanis fiat anteacti temporis labor. Vigilat diabolus ut pervertat, & perdat, vel per ſe, vel per alios, ſicut fecit in Job incitata uxore: vigilet Paſtor ut cuſtodiat, muniat, defendat! vigilet ovis ne intret in tentationem, reſiſtat Maligno, a quo non ſuperabitur, ſi nolit, immo vincet per fidem & gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti. Reſiſtat uſque ad ſanguinem adverſus peccatum repugnans, ne inanis fiat labor non ſolum Paſtorum, Prædicatorum, Directorum, immo & Chriſti Jeſu, ſanguinem ſuum in paſſione & cruce pro ipſa profundentis. *Ne forte tentaverit vos is qui tentat, & inanis fiat labor noſter.*



6. 7. 8. *Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, & annuntiante nobis fidem & charitatem veſtram, & quia memoriam noſtri habetis bonam ſemper, deſiderantes nos videre, ſicut & nos quoque vos: Ideo conſolati ſumus in vobis;* &c. Puritas Fidei, ordo Diſciplinæ, ſervor charitatis, concordia plebium cum bonis Rectoribus, fiducia, & adhæſio Hierarchica ad illos, ſanctorum Epiſcoporum ſolatium eſt. Lætabatur ſupra modum Apoſtolus propter Theſſalonicenſium charitatem, quod ea eſſet ſignum fidei. Summam vero illorum venerationem, amorem, & fiduciam in Paulum demonſtrabat honorifica de illo abſente & tribulationes propter Evangelium patiente memoria. *Quia memoriam noſtri habetis bonam ſemper*, hoc eſt, cum laudibus; non tantum quando aderamus, & miracula faciebamus, ſed nunc quoque quando abſumus, & mala patimur innumera. „ Audite quomodo in admiratione habentur Diſci„ puli de Magiſtris bonam habentes memoriam, quo„ modo beati cenſentur; eos imitemur. Nos enim ju„ vabimus, non eos qui diliguntur. Felix Eccleſia, „ cujus Clerus & populus Epiſcopi Viſitationem ac præſentiam pariter deſiderat, ut ſponſa caſta deſiderat præſentiam ſponſi! Adultera enim & infida timet ſponſi præſentiam, qua prohibetur amatores ſuos admittere. *Deſiderantes nos videre, ſicut & nos quoque vos.* Boni Paſtores ſe vivere non exiſtimant coram Deo, niſi quatenus Chriſti gregi ſunt utiles. Ovium lapſum, infirmitatem, defectionem, morte amariorem & pejorem ſibi ducunt. *Quoniam nunc vivimus, ſi vos ſtatis in Domino.* „ Non dixit Paulus, „ conſolationem accepimus, ſed, *Vivimus*: indicans „ quod eorum ſcandalum mortem exiſtimarit, ac „ eorumdem progreſſum: & conſtantiam, & confir„ mationem in Chriſto vitam. Paſtores qui greges ſuos non curant, ſed negligunt, nomen habent quod vivant, & mortui ſunt.

*S. Chryſoſt. Hom. 4.*

*S. Chryſoſt. Theophylact.*

9. 10. 11. *Quam enim gratiarum actionem poſſumus Deo retribuere pro vobis in omni gaudio, quo gaudemus propter vos ante Deum noſtrum?* Paſtor bonus ovium ſuarum profectu magis afficitur quam propriis calamitatibus & ærumnis. Gaudet ſupra modum de illarum virtute, & de gaudio ſuo, ejuſque materia & objecto gratias agit Deo, cujus donum eſt. Gratiarum actioni orationem adjungit aſſiduam, ferventem, perſeverantem. *Nocte ac die abundantius orantes ut videamus faciem veſtram, & compleamus ea quæ deſunt fidei veſtræ.* Complentur ea quæ deſunt Fidei Chriſtianæ plebis, cum rudes catechizantur, peritiores pleniore Myſteriorum & veritatum Chriſtianarum expoſitione illuminantur, confirmantur, & contra falſos Doctores, quos in Eccleſiam immittit ſatanas, errorum zizania ſeminaturos, muniuntur. Hoc boni Paſtoris opus, hic labor eſt. Qui etſi Timotheum haberet vices ſuas gerentem, per ſe ipſum tamen ſacro Miniſterio, regimini, prædicationi verbi, Viſitationibus, aliiſque omnibus Paſtoralis Officii partibus incumbere debet: cum per ſe, non per Vicarios redditurus ſit magno animarum Paſtori in die judicii rationem. *Ipſe autem Deus & Pater noſter, & Dominus noſter Jeſus Chriſtus, dirigat viam noſtram ad vos.*

Sollicitudo Paſtoralis.

12. *Vos autem Dominus multiplicet, & abundare faciat charitatem veſtram in invicem, & in omnes, quemadmodum & nos in vobis.* Charitas præceptorum & orationum finis, correptionis occaſio Apoſtolus noſter paſſim in Epiſtolis ſuis *Præcipit ut habeatur charitas; corripit, quia non habetur charitas; orat ut abundet charitas. O homo, in præceptione cognoſce quid debeas habere; in correptione cognoſce tuo te vitio non habere; in oratione cognoſce unde accipias quod vis habere.* Caritate maxime indigemus, quæ cooperit multitudinem peccatorum, quæ complementum legis eſt, & veſtis nuptialis, ſine qua nemo ad æterni

Caritas Præceptorum & orationum finis.

*S. Auguſt. lib. De Corrept. & Grat. cap. 3.*

Regis conſpectum admittitur. Dum in hoc mundo vivimus, demus operam ut ſemper in nobis & in iis quorum nobis cura commiſſa eſt, minuatur cupiditas, creſcat & extendatur charitas, ut ſit univerſalis, & omnes complectatur. Nam, *Hoc eſt plane charitatis quæ eſt ſecundum Deum, omnes complecti. Si autem hunc quidem diligis, illum vero minime, eſt amicitia ſecundum hominem.*

*S. Chryſoſt. Hom. 4.*

13. *Ad confirmanda corda veſtra ſine querela in ſanctitate, ante Deum & Patrem noſtrum, in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus ſanctis ejus.* Bonum incœpiſſe non ſufficit, modis omnibus ſatagendum & enitendum eſt ut ſancti ſimus ſanctitate plena & integra: *Ad confirmanda corda veſtra ſine querela*: ſanctitate non ſolum exteriore, ſed interiori, *In ſanctitate; ante Deum*: ſanctitate perſeverante: *In adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Nihil confirmare poteſt corda noſtra ante Tribunal Dei, præter puram conſcientiam & integram vitam. Ut nos immaculatos mente & corpore ſervemus, ſemper cogitemus nos de omnibus cogitationibus, deſideriis, verbis, & operibus noſtris reddituros rationem Deo & Patri noſtro, qui nobis Filium ſuum, & cum ipſo omnia donavit propter ſuam gloriam; & Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui nos ſanguinis ſui pretio inæſtimabili & infinito acquiſivit, ut nos ad Patris ſui regnum perduceret, ac in nobis interim regnum Patris ſui ſtabiliret. *Feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes.*

*Apoc. 5. 10.*

## CAPUT IV.

### *Senſus Litteralis.*

1. DE *cetero ergo, fratres, rogamus vos & obſecramus in Domino Jeſu, ut quemadmodum accepiſtis a nobis quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſic & ambuletis; ut abundetis magis.* Quod ſupereſt igitur vos rogamus, & obteſtamur per Dominum Jeſum, ut ſicut didiciſtis a nobis, quomodo vos oporteat incedere in via Dei ad illum promerendum, ſic & incedatis, ſic vivatis, ut in ſancta converſatione, ac ſtudio placendi Deo magis magiſque in dies proficiatis.

2. 3. 4. 5. *Scitis enim quæ præcepta dederim * vobis per Dominum Jeſum.* Scitis quæ præcepta dederimus vobis nomine & auctoritate Domini Jeſu, ut ejus legati ac Miniſtri. *Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra; ut abſtineatis vos a fornicatione.* Hoc eſt enim quod a vobis ſuo quodam jure poſtulat Deus, ut ſanctitati, perfectæque puritati animi & corporis ſtudeatis; ut abſtineatis ab omni illicito concubitu: *Ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore: non in paſſione deſiderii, ſicut & Gentes quæ ignorant Deum.* Ut unuſquiſque corpus ſuum cuſtodiat & conſervet ſancte & honeſte ab omni immunditia & libidine purum & immaculatum, non turpium cupiditatum affectibus ſerviat, ut Pagani, qui verum Deum ignorant. Vel, ut unuſquiſque uxore ſua honeſte & caſte utatur, non intemperanter, nec ad præpoſteram & innaturalem libidinem ea abutatur umquam ut Gentiles, qui deſperantes tradiderunt ſemetipſos impudicitiæ in operationem immunditiæ omnis, ut ait Apoſtolus noſter. *Epheſ.* 4.

* Græce ἐδώκαμεν, *dederimus*, ego Paulus Timotheus & Silas.

Corpus vas, receptaculum & inſtrumentum animæ. 1. Reg. 21. 5. *Continuimus, nos ab heri & nudius tertius & fuerunt vaſa puerorum ſancta.* Vaſis etiam nomine muliebre corpus ſignificatur. 1. Petri 5. 7. *Quaſi infirmiori vaſculo muliebri impertientes honorem.*

6. *Et ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem* (a) *ſuum: quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus, & teſtificati ſumus.* Et ne quis opprimat vel fraudet ſeu injuria afficiat proximum ſuum in ullo negotio. ,, Vel, ſecundum vim Græci Textus, *in iſto negotio*, ἐν τῷ πράγματι, id eſt, ne ſuam conjugem derelinquens, ,, alterius polluere quærat uxorem. Unicuique Deus, ,, tribuit uxorem, naturæ conſtituit terminos, nempe cum una concubitum. Quamobrem qui eſt ,, cum altera concubitus, tranſgreſſio eſt & latrocinium, eo quod per avaritiam & plura habendi ,, cupiditatem infertur damnum: imo vero eſt gravior ,, quovis latrocinio. Non enim adeo dolemus ſi noſtræ exportentur pecuniæ, ut ſi noſtrum matrimoniale perfodiatur cubile. Hic igitur loquitur de ,, adulterio, ut S. Chryſoſtomus interpretatur, ſuperius autem de fornicatione. Eadem eſt Theodoreti ,, expoſitio. *Circumventionem* (inquit) *hoc loco vocavit adulterium. Quod enim ad ſe non pertinet invadit, qui alienum violat matrimonium, & alterius cubili vim affert. Auxit autem criminationem, fratrem oſtendens qui injuria afficitur.* Supplicium autem indicat, iniquitati terrorem objiciens. *Quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus & teſtificati ſumus.* Chriſtus enim Dominus, quem judicem univerſorum venturum vobis denuntiavimus, de his omnibus graviſſimas pœnas ſumet.

(a) Apoſtolus *negotii* nomine turpem concubitum verecunde ſignificavit.

*S. Hieron. in cap. 4. Epiſt. ad Epheſ. S. Chryſoſt. Hom. 4. Theodoret. in hunc locum.*

7. 8. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem.* Non enim vocavit nos Deus ad cultum ſuum & veram Religionem ut libidini ſerviamus, ſed ut puri, ſancti & caſti ſimus. *Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum: qui etiam dedit Spiritum ſanctum ſuum in nobis.* Proinde qui has regulas ac præcepta tranſgreditur & contemnit, non tam hominem a quo proponuntur, quam Deum eorum auctorem & ſcelerum ultorem contemnit: qui etiam Spiritum ſanctum ſuum nobis dedit, quem carnalia vitia ſpeciali injuria & contumelia afficiunt.

9. 10. *De charitate autem fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis: ipſi enim vos a Deo didiciſtis ut diligatis invicem.* Quod ſpectat charitatem fraternam, minime opus eſt ut de ea vos commonefaciam per hanc Epiſtolam. Ipſi enim a Deo edocti eſtis ut vos mutuo diligatis: edocti (inquam) eſtis, non modo intellectu ut ſciatis, verum etiam affectu ut faciatis. Confer cum *Jerem.* 31. 33. & 1. *Joan.* 2. 20. 27. *Etenim illud facitis in omnes fratres in univerſa Macedonia.* Et certe dilectionem veſtram & beneficentiam experiuntur, non ſolum Concives veſtri Theſſalonicenſes, ſed omnes totius, qua late patet, Macedoniæ Chriſtiani. *Rogamus autem vos, fratres, ut abundetis magis.* Vos autem adhortor, fratres mei, ut magis magiſque in hac charitate proficiatis.

11. 12. *Et operam detis ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, * ſicut præcepimus vobis.* Studioſe contendite ut tranquille & pacifice vivatis, aliorum quietem inquieta & tumultuoſa agendi ratione non turbantes: & res veſtras privatas agite, alienis negotiis vos non ingerentes, & importuna curioſiate in ea non inquirentes. Nec otio indulgete, pauperes, divitum beneficientia abuſi, per domos illorum diſcurrentes, & menſis inhiantes, ſed labore aſſiduo victum quærite, ſicut præcepimus vobis, cum apud vos eſſemus. *Et ut honeſte ambuletis ad eos qui foris ſunt: & nullius aliquid deſideretis.* Ita vos gerite, ne infideles qui ſunt extra Eccleſiam, moribus veſtris offendantur, quod ab honeſtate prorſus alienum videatur, homines ſanos & validos mendicare, & in otio vivere, cum laborare poſſint: & ut quiſque de ſuo labore habens unde vivat, nec fratribus ſit oneri, nec extraneorum opem implorare cogatur, nec res alienas concupiſcat.

* Præceptum de manuali opere pauperes tantum ſpectat, ſublimioribus & ſacris functionibus, Prædicationi præſertim verbi Dei, & Doctrinæ non occupatos, ut docet Apoſtolus noſter 1. *Cor.* 8. 13. 14.

13. 14. *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus; † ut non contriſtemini ſicut & ceteri qui ſpem non habent.* Nolumus autem vos ignorare, quod vos ſcire oportet de his qui in Chriſto mortui ſunt; ne de eorum obitu contriſtemini ultra modum, ut ceteri homines, infideles ſcilicet, qui ſpem reſurrectionis æternæque vitæ non habent. *Si enim credimus quod Jeſus mortuus eſt & reſurrexit: ita & Deus eos qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo.* Quandoquidem enim credimus Jeſum pro nobis mortuum eſſe & reſurrexiſſe ad vitam immortalem & glorioſam, credere & ſperare conſequenter debemus quod Deus eos qui in Chriſti fide & dilectione mortui ſunt, per ejus meritum cum eo redivivos ad cœleſte regnum, æternamque gloriam adducet, ut membra capiti conformentur eique in perpetuum conjuncta ſint.

† Mortui in monumentis dormire dicuntur, quia mors eorum inſtar ſomni eſt, a quo ſunt ad vitam excitandi. Unde loca in quibus mortuorum corpora conduntur, veteribus Chriſtianis *Cœmeteria*; quaſi *dormitoria* dicta ſunt.

15. *Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui reſidui ſumus in adventum Domini, non præveniemus eos, qui dormierunt.* * Vobis enim declaramus, quod didicimus a Chriſto Domino, quod nos qui nunc vivimus, aut electi qui ſuperſtites erunt cum Dominus ad judicium veniet, non prius reſurgemus, nec ad Chriſti occurſum præveniemus eos qui jam ſomno mortis dormierunt. Tam celeriter enim & in momento reſurgent, ac illi qui tunc vivi reperiuntur, ſtatimque morientur & reſurgent.

* Non in ſua, ſed in omnium electorum perſona qui in ſecundo Chriſti adventu ſuperſtites erunt in hoc mundo, loquitur Apoſtolus: & ita ſermonem ſuum librat, ut Theſſalonicenſium animos in expectationem adventus Domini teneat ſemper erectos atque ſuſpenſos. *Matth.* 24. 31. 1. *Cor.* 15. 52. *Heb.* 11. 39.

16. 17. *Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo: & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi.* Ut primum enim jubente Domino ſignum datum fuerit ab Archangelo Michaele, omnes homines voce magna ad judicium convocante & congregante, ipſe Dominus Jeſus Chriſtus cum poteſtate magna & majeſtate deſcendet de cœlo; & qui mortui fuerint in Chriſti fide & caritate, id eſt, omnes electi, primum reſurgent, ordine dignitatis, non temporis; omnium enim tam electorum quam reproborum reſurrectio fiet *in momento, in ictu oculi, in noviſſima tuba* (ut alibi ait Apoſtolus noſter.) *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus.* Omnium autem reſurrectione & electorum immutatione facta, qui in die judicii fuerint ſuperſtites ſimul cum illis qui præteritis temporibus & ſæculis in Chriſto obierint, in nubibus velut in curru triumphali rapientur in ejus occurſum, ut regni, gloriæ, gaudiique ipſius in perpetuum ſint conſortes.

Vide Commentarium noſtrum, in c. 15. Epiſt. 1. ad *Corinth.*



18. *Itaque conſolamini invicem in verbis iſtis.* Vos igitur mutuo conſolemini ſermonibus iſtis; & cœleſtium illarum veritatum commemoratione fidem ac ſpem veſtram in mortibus propinquorum & amicorum veſtrorum excitetis & ſuſtentetis.

## CAPUT IV.

### *Senſus Moralis.*

1. 2. DE *cetero, fratres, rogamus vos & obſecramus in Domino Jeſu, ut quemadmodum accepiſtis a nobis quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo, ſic & ambuletis, ut abundetis magis.* In via ſalutis & perfectionis, quam a Chriſto & Apoſtolis ejus didicimus, non ambulare, periculoſiſſimum, & æternæ damnationi proximum eſt. Hanc viam Chriſtus non aperuit, Apoſtoli non demonſtrarunt, ad blandiendum hominibus, & ad indulgendum eorum cupiditatibus & affectibus, ſed ad placendum Deo, illumque promerendum. Hanc viam ingreſſi, ab ea nuſquam recedamus, non declinemus ad dexteram, neque ad ſiniſtram; non quieſcamus, ſed ſemper ambulemus & proficiamus: quia non progredi, retrogredi & reverti eſt. *Sic & ambuletis, ut abundetis magis.* Duces ac Directores in via ſalutis non ſequamur, niſi qui animas dirigunt ſecundum regulas ab Apoſtolis traditas, & a Chriſto acceptas; non vero qui viſiones cordis ſui loquuntur, & dicunt. Hæc dicit Dominus; cum Dominus non ſit locutus. *Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum Jeſum.* Opiniones hominum fuco probabilitatis linitæ, anguſtam ſalutis viam dilatantes, cupiditatibus indulgentes, mundum cum Evangelio conciliantes, Chriſtianiſmum ſine cruce, ſine pœnitentia, ſine amoris divini actibus effingentes, non conveniunt cum regulis quas Apoſtoli tradiderunt per Dominum Jeſum.

Semper in via ſalutis incedendum, non retrocedendum eſt.

3. 4. 5. *Hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra; ut abſtineatis vos a fornicatione.* Voluntas Dei eſt ut ſanctitati ſemper ſtudeamus, ad quam nos per miſericordiam ſuam vocavit. Omnis ſtatus, omnis conditio, omne officium, ars omnis, quæ huic Dei voluntati repugnat, deſeri & abjici debet ſine hæſitatione, ſine mora. Sanctificationi noſtræ capitaliter adverſatur fornicatio, & quævis immunditia & impudicitia. Illarum prohibitio non eſt novum Chriſtianæ Religionis mandatum, ſed legis naturalis in animis hominum per peccatum obliteratæ renovatio. Fornicationis fuga, apud Ethnicos heroica virtus, ad quam neminem teneri plerique cenſebant: apud Chriſtianos primus tantum ad ſanctimoniam & puritatem gradus eſt. ,, Voluntas Dei eſt ſanctificatio noſtra. Vult enim imaginem ſuam nos etiam ſimili- ,, tudinem fieri (*ait Tertullianus*). Id bonum, ſan- ,, ctificationem dico, in ſpecies diſtribuo complures, ,, ut in aliqua earum deprehendamur. Prima ſpecies ,, eſt, virginitas a nativitate. Secunda, virginitas a ,, ſecunda nativitate, id eſt, a lavacro, quæ aut in ,, matrimonio purificat ex compacto, aut in vidui- ,, tate perſeverat ex arbitrio. Tertius gradus ſupereſt ,, Monogamia, cum poſt matrimonium unum inter- ,, ceptum exinde ſexui renuntiatur. Prima virgini- ,, tas, felicitatis eſt, non noſſe in totum, a quo ,, poſtea optabis liberari. Secunda, virtutis eſt, con- ,, temnere cujus vim optime noris. Reliqua ſpecies ,, hactenus nubendi poſt matrimonium morte disjun- ,, ctum, modeſtiæ laus eſt. Modeſtia enim eſt abla- ,, tum non deſiderare, & ablatum a Domino Deo. ,, PUDICITIA flos morum, honor corporum, decus ,, ſexuum, integritas ſanguinis, fides generis, funda- ,, mentum ſanctitatis, præjudicium omnis bonæ men- ,, tis, quamquam rara, nec facile perfecta, vixque ,, perpetua, tamen aliquatenus in ſæculo morabi- ,, tur, ſi natura præſtruxerit, ſi diſciplina perſuaſe- ,, rit, ſi cenſura compreſſerit. ,, Quænam vero ſanctior diſciplina pudicitiam perſuadere poteſt, quam Evangelica & Apoſtolica? *Ut ſciat unuſquiſque veſtrum vas ſuum poſſidere in ſanctificatione & honore.* Qui corpus ſuum per impudicitiam polluit & dedecorat, abutitur vaſe quod Deus creavit ad miniſterium ſuum, quod Chriſtus ſanctificavit ut membrum ſuum, quod Spiritus ſanctus conſecravit ut templum ſuum. ,, Omnia peccata hominum aut ad corrupte- ,, lam pertinent flagitiorum, aut ad facinora nocen- ,, di. Quia Deo nocere non potes in facinoribus, in ,, flagitiis eum offendis, in corruptelis eum offendis, ,, in te illi facis injuriam. Facis enim injuriam gra- ,, tiæ ipſius, domui ipſius. Nec tantum fonicatores, ſed & mariti qui ſuis uxoribus quaſi meretricibus abutuntur, nec procreandorum liberorum cauſa, qui matrimonii finis eſt, ſed uno laſciviæ ac libidinis exſaturandæ deſiderio, etiam contra naturæ legem ac regulas honeſtatis. *Vas ſuum in ſanctificatione & honore poſſidere neſciunt*: ſed brutas Paganorum cupiditates imitantur, qui Deum & legem ejus ignorant, nec tamen propterea excuſantur a culpa. *Non in paſſione deſiderii, ſicut & Gentes quæ ignorant Deum.* ,, Quærit in te Deus integritatem templi ſui, ,, & non invenit; non quia tua uſus es, ſed quia ,, immoderate uſus es. Nam & vinum de apotheca ,, tua bibis, & tamen ſi ſic bibis ut inebrieris, non ,, quia re tua uſus es, ideo non peccaſti: donum ,, enim Dei convertiſti ad corruptionem tuam. Quid ,, ergo, fratres? Certe manifeſtum eſt, & renuntiat ,, omnium conſcientia, quia difficile eſt ſic uti rebus ,, conceſſis, ut non aliquantulum excedatur modus. ,, Quando autem exceſſeris modum, offendis Deum, ,, cujus templum es. *Templum enim Dei ſanctum eſt,* ,, *quod eſtis vos.* Nemo ſe fallat: *Quiſquis templum* ,, *Dei corruperit, corrumpet illum Deus.* Dicta ſen- ,, tentia eſt, teneris reus, &c.

Fornicationis fuga, primus dumtaxat ad Chriſtianam ſanctimoniam gradus.

*Tertul. lib. De Exhortat. Caſtitatis, c. 1.*

*Idem lib. De Pudicitia, c. 5.*

Laus pudicitiæ.

*S. Auguſt. in Serm. 9. De Decem Chordis alias 96. De Tempore? cap. 10.*

*S. Auguſtin. Serm. 278. alias 34. De Diverſis.*

1. *Cor.* 3. 18.

*Non in paſſione deſiderii, ut gentes quæ ignorant Deum.* Prava deſideria extinguenda ſunt, non eſt eis obſtetricandum, non alenda ſunt, non fovenda, non eis occaſio danda luxu, deliciis, otio, frequentatione liberiore alterius ſexus, ſpectaculorum, & Canticorum amorem profanum inſpirantium voluptate. ,, Nos ipſos, *inquit S. Chryſoſtomus*, in rogum in- ,, jicimus. Quanto enim in theatrum aſcenderis, & ,, ſederis nudis mulierum membris paſcens oculos, ,, ad tempus quidem lætaris, poſtea autem illic magnam alis febrem, cum videris mulieres tanquam ,, in ſpecie corporis apparentes, & ſpectacula & can- ,, tica, quæ nihil aliud habent quam amores nefa- ,, rios.... Quando & auribus hæc acceperis, & per ,, mulieres, & per geſtus, & habitus, & figuras, quo- ,, modo poteris de cetero eſſe pudicus & temperans, ,, cum illa ſpectacula, illæ auditiones animum tuum ,, occupent ac detineant, & de cetero talia ſomnia ,, accipiant?

Prava deſideria extinguenda, Spectacula, & Cantica amatoria fugienda ſunt.

*S. Chryſoſt. Hom. 5. in hanc Epiſt.*

6. *Et ne quis ſupergrediatur neque circumveniat in negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, &c.* Quemvis hominum in quovis negotio vel aperta vi opprimere, vel malis artibus defraudare, juſtitia & caritas vetant: frater enim eſt jure naturæ matris unius, multo magis frater communione gratiæ, & unius Patris Dei agnitione, & unius Spiritus participatione, & unius promiſſione cœleſtis hereditatis. Qui vim, fraudem, & injuriam in quocumque negotio patiuntur, vindictam ſibi non ſumant, nec expetant. Deum illis habere ſufficiat protectorem, & patientiæ ſuæ remuneratorem: ultorem injuriæ non optent. Dei vindictam non effugient raptores, violenti, adulteri, fraudulenti: ſed pœnas ab illis repetet ut juſtitiæ ſuæ jus ſervet, non ut iræ hominum, & ultionis qua flagrant libidini ſerviat. *Quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus, ſicut prædiximus & teſtificati ſumus.* Infelix & ſenſu deſtitutus eſt, qui Deum peccatorum ſuorum teſtem & judicem non veretur; aut ejus cognitionem ac vindictam effugere ſe poſſe confidit.

7. 8. *Non enim vocavit nos Deus in immunditiam, ſed in ſanctificationem.* Non ad carnis voluptates, non ad ludos, ad comeſſationes, ad luxum! ad congregandas opes, ad bonorum temporalium fruitionem, ſed ad renuntiandum hujuſmodi bonis & oblectamentis; non ad explendas cupiditates noſtras, ſed ad eas coercendas & domandas, a Deo vocati ſumus. Ad hoc ſumus Chriſtiani. Qui ſanctiſſimis illis Moralis Chriſtianæ regulis ſpretis corruptos ſæculi mores ſequitur, Deum contemnit, Spiritui ſancto *contumeliam facit*, ipſum *contriſtat & extinguit*, (Apoſtoli noſtri verbis utor.) *Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum: qui etiam dedit Spiritum ſuum ſanctum in nobis.* ,, Deus autem videns quod ,, ipſum in talibus magis contemnamus quam homi- ,, nes, ſui ipſius vindex eſt. Hominum enim oculos ,, ne ab eis conſpiciamur fugere ſtudemus: ipſum autem reſpicientem contemnimus.

Vocationis noſtræ finis ſanctificatio noſtra.

*Theophylact.*

9. 10. *De charitate autem fraternitatis non neceſſe habemus ſcribere vobis: ipſi enim vos a Deo didiciſtis ut diligatis invicem.* Cœleſtem illam doctrinam & nos a Deo didicimus, *non oſtendente tantummodo veritatem, verum etiam impertiente charitatem. Sic enim docet Deus eos qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, ſimul donans & quid agant ſcire, & quod ſciunt agere.* Unde ut probaret Apoſtolus Theſſalonicenſes doctrinam charitatis a Deo didiciſſe, ſubjunxit: *Etenim illud facitis in omnes fratres in univerſa Macedonia.* Tamquam hoc ſit certiſſimum indicium quod a Deo didiceris, ſi id quod didiceris feceris. ,, Iſto modo ,, ſunt omnes ſecundum propoſitum vocati, ſicut ,, ſcri-

*S. Auguſtin. lib. De Gratia Chriſti, cap. 13. & 14.*

*Joan.* 6. 45. Certiſſimum judicium eſt

nos a Deo ſalutis doctrinam didiciſſe, ſi ejus præcepta impleamus.

,, ſcriptum eſt in Prophetis, docibiles Dei. Qui autem novit quidem quod fieri debeat, & non facit, nondum a Deo didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundum legem; non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum litteram. De iſto docendi modo etiam Dominus ait: *Omnis qui audivit a Patre meo, & didicit, venit ad me*. Qui ergo non venerit, non de illo recte dicitur, Audivit quidem & didicit ſibi eſſe veniendum, ſed facere non vult quod didicit. Prorſus non recte dicitur de illo docendi modo quo per gratiam docet Deus. Si enim, ſicut Veritas loquitur, omnis qui didicit, venit: quiſquis non venit, profecto nec didicit. Quis autem non videat, & venire quemquam & non venire arbitrio voluntatis? Sed hoc arbitrium poteſt eſſe ſolum, ſi non venit: non autem poteſt niſi adjutum eſſe, ſi venit; & ſic adjutum eſſe, ut non ſolum quid faciendum ſit ſciat, ſed quod ſcierit etiam faciat. Ac per hoc quando Deus docet, non per legis litteram, ſed per Spiritus gratiam; ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantum cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat. Felix qui ſuis operibus oſtendit legem charitatis in corde ſuo ſcriptam eſſe digito Dei! Semper in ea creſcendum. Quo abundantius habetur, eo ardentius deſideratur. *Rogamus autem vos fratres, ut abundetis magis*.

Vita otioſa Chriſtiano indigna.

11. 12. *Et operam detis ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis, & operemini manibus veſtris, ſicut præcepimus vobis: Et ut honeſte ambuletis ad eos qui foris ſunt: & nullius aliquid deſideretis*. Labor & honeſta in ſuo cujuſque ſtatu occupatio, non eſt merum perfectionis conſilium, ſed præceptum. Homo inquies, & otioſus, ſinceræ pietatis cultor non eſt. Qui pietatem profitentur in ſæculo, ſi bona fortunæ non habent unde victum ac veſtitum comparent, manibus ſuis operentur, ne commercium ſaluti aut Chriſtianæ perfectioni contrarium cum mundo habere cogantur; & ne pietatis & devotionis inimici occaſionem arripiant illi detrahendi, quaſi otioſitatis & deſidiæ prætextus ſit ac velamentum; & indigni quæſtus auctoramentum. Sed & qui habent unde vitam tranſigant, laborare debent ut ſubveniant neceſſitatem patientibus. *Dedecus eſt enim in otio vivere, non quæ ſunt neceſſaria ex labore quærere, ſed mendici vitam eligere, & exſpectare aliorum munificentiam*. Cum ait Apoſtolus: *Operemini manibus veſtris*, pudefacit eos qui corporale opus tollunt, ſolum ſpirituale quærentes. ,, Num jejunium aliquis operatur manibus? Num humi cubationem? Minime ſane. Verum de opere corporali loquitur, quod & magis ſpirituale eſt, nimirum ut ex labore tuo aliis impertias, pauperibus ſcilicet. Quia vero pauperes fuerunt, quippe qui bonis ſuis ſpoliati eſſent, laborare eos docet, ut indigentibus impertiri eleemoſynam poſſint. Quod ſi hos operari jubet, qui propter Chriſtum ſpoliati erant, multo magis alios. *Operam detis ut quieti ſitis, & ut veſtrum negotium agatis*. Quibus verbis oſtendit Apoſtolus noſter, quod otioſi homines curioſi turbulentique ſint. Quod & in ſæculo, & in Monaſteriis utriuſque ſexus triſti experientia comprobatur. Unde operæ pretium faciunt Superiores, qui otioſitatem ex Religioſis familiis eliminant, & ſacra ſtudia, vel opera manuum inſtaurant, ut nullus aditus detur diabolo, dum omnes invenit occupatos, utque regularis obſervantia, & pax domeſtica conſervetur.

*Theodoret,*

*S. Chryſoſt. Hom. 6.*
*Theophylact.*

13. 14. *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus; ut non contriſtemini, ſicut & ceteri, qui ſpem non habent*. ,, Eſt de mortuis eis qui diligunt, quædam triſtitia quodam modo naturalis. Mortem quippe horret, non opinio, ſed natura. Nec mors homini accideret, niſi ex pœna quam præceſſerat culpa. Quapropter ſi animalia quæ ita creata ſunt, ut ſuo quæque tempore moriantur, mortem fugiunt, diligunt vitam; quanto magis homo, qui ſic fuerat creatus, ut ſi vivere ſine peccato voluiſſet, ſine termino viveret? Hinc itaque neceſſe eſt ut triſtes ſimus, quando nos moriendo deſerunt quos amamus: quia etſi novimus eos non in æternum relinquere nos manſuros, ſed aliquantum præcedere ſecuturos; tamen mors ipſa, quam natura refugit, cum occupat dilectum, contriſtat in nobis ipſius dilectionis affectum. Ideo non admonuit Apoſtolus ut non contriſtemur; ſed non ſicut ceteri qui ſpem non habent. *Contriſtamur ergo nos in noſtrorum mortibus neceſſitate amittendi, ſed cum ſpe recipiendi. Inde angimur, hinc conſolamur; unde infirmitas afficit, hinc fides reficit; inde dolet humana conditio, hinc ſanat divina promiſſio*. ,, Permittantur itaque pia corda carorum de ſuorum mortibus contriſtari dolore ſanabili, & conſolabiles lacrymas fundant conditione mortali; quas cito reprimat fidei gaudium, qua creduntur fideles, quando moriuntur, paululum a nobis abire, & ad meliora tranſire. " Mors requies eſt a laboribus iis qui ad finem uſque vitæ pro ſalute ſua bonis operibus laboraverunt; ſomnus eſt iis qui vigilaverunt ne eos in morte peccati ultimus vitæ dies interciperet: Tranſitus eſt ad vitam immortalem & beatam, iis qui in hoc mundo Domino vixerunt, nec rebus tranſitoriis adhæſerunt. Mors & reſurrectio Chriſti Jeſu capitis noſtri, ſolatium eſt & ſpes membrorum ipſius. Mors enim illius noſtram ſanctificat, pœnamque in ſacrificium Deo gratum convertit, ſi illi conjuncti, & Spiritu ejus animati ex hoc mundo tranſeamus. Ejus vero reſurrectio, noſtræ reſurrectionis cauſa eſt, & exemplar vitæ Chriſtianæ, quam in terris agere debemus ab omni peccati corruptione liberi, & vitæ beatæ quam in cœlis ſperamus. ,, Si enim credimus quod Jeſus mortuus eſt & reſurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt per Jeſum, adducet cum eo. *Lugendi non ſunt fratres noſtri accerſitione Dominica de ſæculo liberati*, cum ſciamus non eos amitti, ſed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiſcentes, ut navigantes ſolent; deſiderari eos debere, non plangi: nec accipiendas hic atras veſtes, quando illi ibi indumenta alba jam ſumpſerint: occaſionem dandam non eſſe Gentilibus, ut nos merito ac jure reprehendant, quod quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos & perditos lugeamus, & fidem quam ſermone & voce promimus, cordis & pectoris teſtimonio non probemus. Spei noſtræ ac fidei prævaricatores ſumus; ſimulata, ficta, fucata videntur eſſe quæ dicimus. Nihil prodeſt verbis præferre virtutem, factis deſtruere veritatem... Qui ſpe vivimus, & in Deum credimus, & Chriſtum paſſum eſſe pro nobis & reſurrexiſſe confidimus, in Chriſto manentes, & per ipſum atque in ipſo reſurgentes; quid aut ipſi recedere iſtinc de ſæculo nolumus, aut noſtros recedentes quaſi perditos plangimus ac dolemus?

*S. Auguſt. Serm. 172. alias 32. De Verb. Apoſtol.*

Chriſtianorum immoderatus dolor & luctus in mortibus ſuorum eſſe non debet.

Chriſtiana in morte amicorum conſolatio.

*S. Cyprian. lib. De Mortalitate.*

16. 17. *Quoniam ipſe Dominus in juſſu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei deſcendet de cœlo: & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi. Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus obviam Chriſto in aera, & ſic ſemper cum Domino erimus*. Terribilem tubam de proximo clangentem fides audiat, Pœnitentia præveniat. Adventum Domini, tremendum judicii apparatum, bonorum & malorum ſortem nobis ponamus ob oculos. Quis erit eorum animus, cum illos quidem in altum tolli, ſe vero dimitti viderint? Si enim mors repentina, vel in urbibus terræ motus, & minæ ita noſtros afficiunt animos; quid fiet quando viderimus terram mortuos omnes e ſepulcris excitatos exhibentem Judici, ſorte tam diſpari? Quando audierimus Archangeli vocem quavis tuba clariorem? Quando viderimus cœlum contrahi, ipſumque omnium Regem ac Dominum adeſſe, quis nobis erit animus? Horreamus ergo & extimeſcamus, tamquam hæc jam fiant. Ne dilatione & mora nos ipſos conſolemur. Nam cum omnino fieri oporteat, nihil juvat dilatio. Mors eſt in januis: poſt hanc autem judicium. Aſcendamus tribunal mentis noſtræ, ſimus adverſum nos ipſos judices; vice divinæ juſtitiæ pœnas a nobis exigamus ad condignam pro peccatis ſatisfactionem. Deſideriis & affectibus a terra elati, jam nunc obviam eamus Chriſto Domino ac Salvatori noſtro. Lacrymas noſtras abſtergat, labores & afflictiones leves efficiat, Pœnitentiam & crucem ſuavem reddat ſpes in æternum vivendi & regnandi cum Chriſto. *Et ſic ſemper cum Domino erimus*. His verbis nos invicem conſolemur, & adverſus mortis timorem muniamus. Ad Chriſtum, cum quo victuri & regnaturi ſemper ſumus, læta ſecuritate veniamus. *Quod interim morimur, ad immortalitatem morte tranſgredimur: nec poteſt vita æterna ſuccedere, niſi hinc contigerit exire. Non eſt exitus iſte, ſed tranſitus, & temporali itinere decurſo ad æterna tranſgreſſus. Qui non ad meliora feſtinet? Quis non mutari & reformari ad Chriſti ſpeciem, & ad cœleſtis gratiæ dignitatem venire citius exoptet? Paulo Apoſtolo prædicante*. ,, Noſtra autem converſatio in cœlis eſt, unde & Dominum exſpectamus Jeſum Chriſtum, qui transformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ. *Tales nos futuros & Chriſtus Dominus pollicetur, quando ut cum illo ſimus, & cum illo in æternis ſedibus vivamus, atque in regnis cœleſtibus gaudeamus, Patrem pro nobis precatur dicens*: Pater, quos mihi dediſti, volo ut ubi ego fuero, & ipſi ſint mecum, & videant claritatem quam mihi dediſti prius quam mundus fieret. *Venturus ad Chriſti ſedem, ad regnorum cœleſtium claritatem, lugere non debet & plangere, ſed potius ſecundum pollicitationem Domini, ſecundum fidem veritatis in profectione hac ſua & translatione gaudere*, &c.

Divini Judicii metus, & ad illud præparatio.

*S. Chryſoſt. Hom. 8.*

*S. Cyprian. lib. De Mortalitate.*

C A-



C A P U T V.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. 3. D*E temporibus autem & momentis, fratres, non indigetis ut ſcribam vobis*. Quo tempore vel momento Dominus ad judicium venturus ſit, & quæ vobis mox dicebam, implenda, non opus eſt ut ad vos ſcribam, neque ad fidem veſtram confirmandam & ſpem excitandam neceſſarium eſt. Et quomodo vobis aperirem arcanum, quod Dominus ipſis Angelis abſconditum eſſe voluit? *Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte*, * *ita veniet*. Ipſi enim a me & Coadjutoribus edocti plane noſtis, quod dies adventus Domini ad judicium improviſo adveniet hominibus; non præſcientibus, nec exſpectantibus, ſicut fur nocturnus hominibus tranquille dormientibus ſupervenit. *Cum enim dixerint, Pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habentis, & non effugient*. Cum enim improbi ſibi videbuntur alta pace & ſecuritate frui, tunc repentinum illis imminebit exitium, ſicut mulieri prægnanti, dum aliud agit, ex improviſo ſuperveniunt dolores partus: nec ulla ratione damnationem æternam effugere poterunt.

Act. 1. 7. *Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate.*

* Confer cum *Matth.* 24. 43. & *Luc.* 12. 39.

4. 5. *Vos autem, fratres, non eſtis in tenebris*, * *ut vos dies illa tamquam fur comprehendat*. Vos autem non eſtis in tenebris infidelitatis & ceterorum vitiorum, ut vos dies extremus conſopitos improviſo deprehendat & opprimat furis inſtar nocturni. *Omnes enim vos filii lucis eſtis & filii diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum*. Omnes enim vos Evangelii fide illuminati eſtis, & ad opera lucis ac diei, id eſt, fidei, ceterarumque virtutum, per Chriſti gratiam vocati. Nos ſcilicet Chriſtiani, in tenebris erroris & peccati abſit ut maneamus.

* Metaphora lucis ac tenebrarum, diei ac noctis, pro fide & infidelitate, virtutibus, ac vitiis, & utriuſque generis operibus, Chriſto & Apoſtolis ejus familiaris.

6. 7. *Igitur non dormiamus ſicut & ceteri; ſed vigilemus, & ſobrii ſimus*. Ne igitur nos corripi ſinamus ſomno peccatorum, ſomno carnalis ſecuritatis, & oblivione Judicii extremi, ſicut infideles & improbi; ſed attenti ſimus & vigiles in ſummi Judicis exſpectatione; & omnibus hujus mundi rebus ſobrie ac modeſte utamur. *Qui enim dormiunt, nocte dormiunt: & qui ebrii ſunt, nocte ebrii ſunt*. Qui enim dormiunt, plerumque nocte dormiunt, quæ ſomno deſtinata eſt, ut dies labori: & qui inebriari ſolent, nocte ut plurimum inebriantur, veſpertina convivia ad multam noctem protrahentes.

8. *Nos autem qui diei ſumus, ſobrii ſumus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis*. Nos autem qui filii diei ſumus, quibus Sol juſtitiæ Chriſtus affulget, piis & juſtis operibus ſtudeamus, quæ ſobrietatis nomine metaphorice ſignificantur: armaque induamus adverſus hoſtes pugnaturi: fides & charitas ſint nobis inſtar loricæ, & ſpes ſalutis inſtar galeæ. Confer cum *Roman.* 13. 12.

9. 10. *Quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum*. Non enim nos ideo vocavit Deus ut æternum ſupplicium nobis infligeret, ſed ut ſalute & vita æterna nos donet per merita Domini noſtri Jeſu Chriſti, *qui mortuus eſt pro nobis*; ut *ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus*. Ut & qui ſunt mortui, & qui adhuc ſuperſtites ſumus, æternæ vitæ ac gloriæ cum eo participes ſimus. *Vigilantes* enim appellavit eos qui erunt tempore ſupremi judicii ſuperſtites: dormientes autem eos qui exceſſerint.

11. *Propter quod conſolamini invicem, & ædificate alterutrum, ſicut & facitis*. Quamobrem vos mutuo conſolemini per ea quæ de reſurrectione & vita beata ad vos ſcribo: & alter alterius ſalutem piis ſermonibus & exemplis promovete, ſicut hactenus feciſtis.

12. 13. *Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos, ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum: pacem habete cum eis*. * Hortamur vos ut ſummo in pretio maximaque reverentia habeatis Chriſti Domini Miniſtros, qui laborant inter vos in his quæ ad ſalutem veſtram promovendam pertinent, Evangelii prædicatione, Doctrinæ Chriſtianæ traditione & expoſitione, Sacramentorum adminiſtratione, & quibus animarum veſtrarum regimen commiſſum eſt auctoritate Chriſti Domini; & qui vos ex officio commonent de iis quæ vobis agenda vel fugienda ſunt. Ipſos (inquam) propenſiore charitatis affectu honorate, propter opus excellentiſſimum quo funguntur in Eccleſia, propter curam & laborem, quem in procuratione veſtræ ſalutis impendunt. Pacem cum eis ſervate; ne iis quæ dicunt, contradicatis.

* Græci quidam Codices habent: εἰρηνεύετε ἐν ἑαυτοῖς *Pacem habete in vobis ipſis*, id eſt, pacem cum Paſtoribus veſtris habete, non, externa ſpecie, non ſimulatam, & fucatam, ſed ſinceram *in vobis ipſis*. Ita

14. *Rogamus autem vos, fratres, corripite * inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes*. Hortamur vos Paſtores & Rectores animarum, admonete & corripite inordinatos, qui ſtatutum ordinem & præſcriptas a Chriſto, & a nobis ejus nomine & auctoritate regulas non ſervant. Conſolamini eos qui in adverſis dejecto ſunt animo, nec fortiter ferunt inſultus adverſariorum. Infirmos in fide ſuſtinete & confirmate. Lenes, manſueti, patientes eſtote erga omnes, tam domeſticos, quam extraneos.

Theophylact. & Oecumen.

* Græce, τὰς ἀτάκτους, *inordinatos*, ſeu *incompoſitos*, metaphora ſumpta a militibus ſparſis & inconditis, & qui non ſunt in numeros coacti.

15. *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini in invicem, & in omnes*. Date operam ne quis fidelium curæ veſtræ commiſſorum malum pro malo rependat, ſed omni occaſione beneficentiam exercete non ſolum erga Chriſtianos fratres veſtros, ſed etam erga infideles, & eos qui vos perſequuntur. Confer cum *Roman.* 12. 19. 20. 21.

16. 17. 18. *Semper gaudete*, gaudio ſpirituali, in proſperis & adverſis. *Sine intermiſſione orate*. Aſſidue & frequenter orate, nec ſtatuta orandi tempora unquam intermittatis. *In omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu in omnibus vobis*. De omnibus bonis Deo bonorum omnium auctori gratias agite. In omnibus, non ſolum, ſecundis rebus, ſed adverſis. Hæc enim Deus poſtulat a vobis, qui Chriſti Jeſu diſcipuli, cultores, & ſervi eſtis.

19. 20. 21. *Spiritum nolite extinguere*. Nolite prohibere quo minus quiſque chariſmata ſeu dona Spiritus ſancti ad aliorum utilitatem data proferat in medium, iiſque ſervato Eccleſiæ ordine, & Præpoſitorum ejus judicio utatur, ut dono Prophetiæ, dono linguarum, dono miraculorum, &c. Quæ prohibere, nihil aliud eſſet, quam Spiritum ſanctum in ſuis donis velle extinguere. Quæ cum in forma ignis data ſint, igni recte comparantur, ac proinde dicuntur & *ſuſcitari* & *extingui*. Suſcitantur precibus, gratiarum actione, ac perpetuo ſtudio pietatis: extinguuntur per contraria. *Prophetias nolite ſpernere*. Sermones quibus vel res futuræ prædicuntur inſpiratione & afflatu Spiritus ſancti, vel ſacræ Scripturæ ſenſus reconditi exponuntur, vel alia quæcumque latentia Myſteria proferuntur, ne ſpernatis, aut prohibeatis, eo prætextu quod diabolus Pſeudoprophetas nonnullos excitet. *Omnia autem probate*: * *quod bonum eſt tenete*. Vos qui Eccleſiæ Præpoſiti eſtis, hujuſmodi Prophetias, ſermones, revelationes, examinate ad analogiam fidei, diligenter dijudicate: & quod fidei principiis conſentaneum eſt, recipite & retinete: ne bona ſimul cum malis rejiciatis, aut mala ſimul cum bonis, verbi gratia, falſas Prophetias cum veris admittatis.

* Omnia fidei dogmata ab Eccleſia olim definita revocari poſſe ad examen, & privati cujuſque fidelis examini & judicio permitti, ex hoc loco Apoſtoli perperam colligeretur, cum ſequentis ex Epiſtolæ cap. 2. 14. dicat: *Tenete Traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram*.

22. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*. Cavete & abſtinete ab omnibus quæ ſpeciem habent mali, & quæ, tametſi per ſe non mala, vobis tamen vel aliis occaſio lapſus & ſcandali eſſe poſſunt. Quæ Apoſtoli ſententia ſimul comprehendit ea quæ ad Dogmata, & quæ ad Mores pertinent, ut Theodoretus obſervat.

23. *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia: ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus, ſine querela, in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur*. Deum precor pacis & ſanctitatis auctorem, ut vos ex omni parte ſanctificet, ut Spiritus veſter, id eſt ſuperior pars animæ, ſeu nobiliores ejus facultates, intellectus & voluntas: & pars inferior, ſeu appetitus animalis; & corpus quod animæ domicilium & inſtrumentum eſt, per gratiam ſuam ſine macula ſervet, ut impolluta inveniantur, nullique reprehenſioni obnoxia, cum Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad Judicium veniet.

24. *Fidelis eſt, qui vocavit vos: qui etiam faciet*. Qui vos in ſocietatem Filii ſui miſericorditer vocavit, donando vobis fidem & juſtitiam, verax eſt, & fidelis in promiſſis; vires vobis dabit ad perſeverandum efficaciſſimas.

25. *Fratres, orate pro nobis*, ut noſtrum Miniſterium fideliter impleamus, & ut Evangelii curſus proſpere dirigatur. Omnium orationibus ſe commendat humillimus ac modeſtiſſimus Apoſtolus, tanquam omnium curam gerentem, & de omnibus rationem redditurum.

Confer cum 1. *Cor.* 1. 8.

26. *Salutate omnes in oſculo ſancto*, ſincero, & charitatem ſpirante, non ſimulatam amicitiam præ ſe ferente, aut meram urbanitatem indicante.

27. *Adiuro vos per Dominum, ut legatur Epiſtola hæc omnibus ſanctis fratribus*. Vos, qui Eccleſiæ Theſſalonicenſium præeſtis, in Chriſti Domini noſtri nomine obteſtor ut hanc Epiſtolam omnibus, qui ſunt apud vos, fidelibus legi curetis.

28. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti vobiſcum. Amen*. Omne ſpiritualium beneficium genus, quæ a Deo per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum nobis donantur, vobis adprecor. Fiat.

C A-

## C A P U T V.

*Senſus Moralis.*

1. 2. *De temporibus autem & momentis fratres, non indigemus ut ſcribamus vobis: ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet.* „ Cum dicatur neſcire Filius hominis „ hunc diem, non quod neſciat, ſed quod neſcire „ faciat eos, quibus hoc non expedit ſcire, id eſt, „ non eis hoc oſtendat: quid ſibi vult neſcio quæ „ præſumptio, quæ annis computatis, certiſſimum „ ſperat poſt ſeptem annorum millia diem Domini? „ Nos igitur, quod neſcire nos Dominus voluit, li- „ benter neſciamus. „ Quicquid de judicii die verbum Dei non docet, illuſio eſt, aut vana conjectatio. *Cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti. Adverſus regulam*, quæ eſt Scriptura ſacra & Traditio, *nihil ſcire, omnia ſcire eſt.* Judicii univerſalis & particularis, id eſt, mortis noſtræ, dies nos ignorare voluit Deus, ut obſervemus omnes dies, ut ſemper vigilemus, ne unquam obdormiamus in nocte peccati, ut fide, ſpe, caritate, & oratione muniti ſemper ſimus, ne quando dicat inimicus noſter, *Prævalui adverſus eum:* & ne dies ille nos in oblivione Dei, in legis ejus tranſgreſſione, in officiorum noſtrorum negligentia & omiſſione ſtertentes, velut fur nocturnus intercipiat, comprehendat, opprimat.

*S. Auguſtin. Enarrat. in Pſalm. 6. n. 1. & 2.*

*Tertullian.*

Ignotus omnibus, improviſus improbis judicii dies.

3. *Cum enim dixerint, Pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habenti, & non effugient.* Pax falſa, fallax ſecuritas, quam bona conſcientia, & divinæ legis amor obſervantiaque non pariunt. Timor vero ſalutaris, quem fides judiciorum Dei, & noſtræ infirmitatis ac miſeriæ cognitio excitant in nobis. Non intercipere & imparatos opprimere non vult Deus; qui tam frequenter & tot modis nos monet ut vigilemus, & parati ſemper ſimus. *Dediſti metuentibus te ſignificationem, ut fugiant a facie arcus, ut liberentur dilecti tui.* Incredulitas noſtra, Dei oblivio, mandatorum ejus contemptus, in carnales voluptates ingurgitatio, in repentinum nos pertrahunt interitum, quem effugere non poterimus. *Tunc repentinus eis ſuperveniet interitus, ſicut dolor in utero habenti, & non effugient.* „ Exemplum valde appoſitum. Mulier enim „ gravida ſcit ſe habere fœtum in utero, neſcit autem „ tempus pariendi: ita & nos venturum quidem uni- „ verſorum Dominum ſcimus: ipſum autem tempus „ certo non didicimus. Ideo diem illum oportet ſem- „ per exſpectare. Sic etiam dixit Dominus in divinis „ Evangeliis. “ *Et ſicut factum eſt in diebus Noe, ita erit & in diebus Filii hominis. Edebant, & bibebant: uxores ducebant, & dabantur ad nuptias, uſque in diem qua intravit Noe in Arcam: & venit diluvium, & perdidit omnes. Similiter ſicut factum eſt in diebus Lot. Edebant & bibebant, emebant & vendebant, plantabant, & ædificabant: qua die autem exiit Lot a Sodomis, pluit ignem & ſulphur de cœlo, & omnes perdidit: ſecundum hæc erit qua die Filius hominis revelabitur.* Repentinus & improviſus impiis veniet interitus, de quibus ſacer Vates ait: *Erubeſcant & conturbentur omnes inimici mei, convertantur & erubeſcant valde velociter.* „ Quandocumque autem „ venerit, celerrime venit quod deſperatur eſſe ven- „ turum: & longitudinem vitæ hujus non facit ſen- „ tiri niſi ſpes vivendi. Nam nihil videtur eſſe ce- „ lerius, quam quicquid in ea jam præteritum eſt. „ Cum ergo judicii dies venerit, tunc ſentient pec- „ catores quam non ſit longa omnis vita quæ tran- „ ſit. Nec omnino eis videri poterit tarde veniſſe, „ quod non deſiderantibus, ſed potius non credenti- „ bus: venerit. “ Nunc fugere poſſumus a Deo irato ad Deum ipſum propitium: ſed tunc non erit quo fugiamus. Tunc enim non erit locus miſericordiæ, ſed juſtitiæ. *Et non efugient.* Nullum tunc illis ſupererit medium ſalutis, qui omnibus ſalutis mediis & adminiculis, dum hic viverent, abuſi fuerint.

*Pſalm. 59. 6.*

*Theodoret. in hunc locum.*

*Luc. 17.*

*Pſalm. 6.*

*S. Auguſt. in eumdem Pſalmum.*

4. 5. *Vos autem, fratres, non eſtis in tenebris, ut vos dies illa tamquam fur comprehendat.* Illum dies mortis tamquam fur nocturnus comprehendet, qui in tenebris ignorantiæ & nocte peccati invenietur, in qua mavult ambulare, quam in luce fidei & juſtitiæ. Nec fides ſine operibus, utpote mortua, nec opera ſine fide viva, utpote inania, quemquam eripient a repentino & ſempiterno interitu. Quicquid Deo per fidem vivam non dederimus, quicquid illi per charitatem non conſecraverimus, ſeu in ſtatu gratiæ & charitatis non egerimus, quicquid ad ejus gloriam virtuali charitatis affectu non retulerimus, totum illud ultimus vitæ dies tamquam fur nocturnus, dormientis hominis domum perfodiens, ſubito nobis eripiet; noſque nudos, inopes, miſeros coram Chriſti Domini Tribunali ſiſtet, ut victimas iræ ejus devovendas, æternoque igne conſumendas. Omnis peccator in tenebris eſt. *Qui enim male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, ut manifeſtentur opera ejus, quia in Deo ſunt facta.* Lex fidei, & juſtitiæ dies a Chriſto Jeſu velut a Sole Eccleſiæ oritur: Nox vero infidelitatis & tenebræ peccati, a corrupta voluntate. Niſi enim fecerimus caſum, Sol Juſtitiæ non facit nobis occaſum. Quicumque in Chriſto Jeſu baptizati ſunt, illuminati ſunt, filii lucis ſunt & diei: quicumque a baptiſmi ſui ſanctitate deficiunt, diabolo tenebrarum principi ſervientes, ſunt filii noctis & tenebrarum. Quid vero nobis proderit eſſe filios lucis & diei per fidei Sacramentum, ſi vitæ pravitas nos efficiat filios tenebrarum? Gravior certe damnatio in tenebris æternis nos manebit. *Omnes autem vos filii lucis eſtis & filii diei: non ſumus noctis, neque tenebrarum.* Nos igitur geramus ut filios lucis, & opera lucis, id eſt, fidei noſtræ reſpondentia, & Chriſtianis, quos Deus in admirabile lumen ſuum vocavit, digna faciamus.

Nec fides ſine operibus, nec opera ſine fide proderunt in die judicii.

*Joann. 3. 20. & ſeq.*

6. 7. 8. *Igitur non dormiamus, ſicut & ceteri, ſed vigilemus, & ſobrii ſimus.* O quantus hominum ſpirituali lethargia correptorum in mundo numerus eſt! Lethifer ille ſomnus, oblivio Dei eſt; ſenſuſque ſpiritualis ad omnia quæ ſunt ſalutis, privatio quædam ſive ſtupor. „ Quicquid in mundo eſt, vanitas eſt, „ illuſio & ſomnium eſt. Omnes iſtæ felicitates quæ „ videntur ſæculi, ſomnia ſunt dormientium. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Spiritualis ebrietas, voluptatum amor eſt, & ingurgitatio. Sæculi enim cupiditatibus ratio obtenebratur, mens excæcatur, homines quaſi vertigine correpti, titubant, deviant, impingunt, cadunt, in foveam damnationis præcipites & incogitantes ruunt. Vigilantia Chriſtiana, fructus eſt fidei, cuſtos gratiæ, ſecuritas ſalutis. Sobrietas eſt moderatus rerum omnium creatarum uſus, numquam in fruitionem degenerans. Summa enim perverſitas eſt uti fruendis, & frui utendis. *Igitur non dormiamus, ſicut & ceteri, ſed vigilemus, & ſobrii ſimus.* Qui operantur iniquitatem, qui in Eccleſia Dei inſtar infidelium vivunt, diem ſanctitatis in noctem ebrietatis & turpitudinum convertunt. *Qui enim dormiunt, noctu dormiunt, & qui ebrii ſunt, noctu ebrii ſunt.* „ Ebrietatem hic dicit, non eam „ ſolum quæ eſt a vino, ſed eam etiam quæ eſt ab „ omnibus vitiis & pravis cupiditatibus. Ebrietas enim „ animæ ſunt divitiæ & pecuniæ cupiditas, & amor „ corporum, & quodcumque dixeris malum eſt ebrie- „ tas animæ. Cum autem vitium vocavit ſomnum? „ Quoniam primum qui eſt ejuſmodi, caret omni „ actione virtutis. Deinde viſione & phantaſia ap- „ prehendit, nihil verum videt, ſed eſt plenus „ ſomniis. Si quid autem boni viderit, nihil habet „ firmum nec ſolidum. Talis eſt vita præſens, eſt „ plena ſomniis & viſione. Divitiæ ſunt ſomnium, „ & gloria, & quæcumque ſunt hujuſmodi. Qui „ dormit, ea quæ ſunt, & quæ vere conſiſtunt, „ non videt. Quæ autem non ſunt, tamquam quæ „ ſunt, viſione apprehendit. Tale eſt vitium, & quæ „ in vitio agitur vita. Non videt quæ ſunt, hoc „ eſt, cœleſtia, ſpiritualia, manentia: ſed quæ fluunt „ & avolant, & cito a nobis reſiliunt. „ *Nos autem, qui diei ſumus, ſobrii ſimus, induti loricam fidei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis.* Tota vita Chriſtiani eſt, Evangelii lumen præ oculis ſemper habere. *Nos autem qui diei ſumus.* Huic regulæ mores ſuos conformet, ad illam omnia opera ſua exigat, neceſſe eſt. 2. Creaturis ſobrie uti, nec temperantiæ & modeſtiæ Chriſtianæ fines umquam prætergredi. *Sobrii ſimus.* 3. Contra dolos, & inſidias inimicorum ſalutis noſtræ ſemper vigilare, ne ab illis ſeducatur & ſupplantetur. *Vigilemus.* Vigilat hoſtis, dormis tu, corde vigila, operibus vigila, donec veniat Sponſus, qui te paratum & accenſa lampade inſtructum introducat ad nuptias. 4. Stare ſemper ſub armis, & ad pugnam contra diabolum ſemper eſſe paratum Chriſtianum hominem neceſſe eſt. Ejus arma, fides, ſpes, charitas. Fides perſpicax & attenta, quæ præſentis ſæculi nebulis, falſorumque bonorum illuſionibus non obſtantibus vera æternaque bona conſpiciat: ſpes humilis & firma, quæ illa certo exſpectet: charitas ardens & operans, quæ illa mereatur. *Induti loricam fidei & charitatis, & galeam ſpem ſalutis.* Hæc lorica ab ignitis diaboli telis Chriſti milites tutos reddit, animæque vitam conſervat: hæc galea caput noſtrum, id eſt, principium & intentionem operum noſtrorum, in Deum erectum cuſtodit. „ Non quam- „ vis fidem, inquit Sanctus Chryſoſtomus, ſed ſicut „ loricam, nihil diſſecuerit, ſed eſt validus & firmus „ murus pectoris: ita etiam tu fidem & charitatem „ adjunge animæ, & nullum ex ignitis telis diaboli „ poterit infigi. Ubi enim armis charitatis protecta & „ munita fuerit vis animæ, omnia temere ac fruſtra „ ſtruunt qui inſidiantur. Neque enim malitia, nec „ inimicitiæ, nec invidia, non aſſentatio, non hy- „ pocriſis animam poterit attingere. Non abſolute „ dixit charitatem, ſed tamquam loricam validam, „ & galeam ſpem ſalutis. Sicut enim galea conſervat „ id quod eſt præcipuum in nobis, nempe caput am- „ plectens & undique tegens: ita etiam ſpes non „ ſinit rationem concidere, ſed facit ſtare rectam „ tamquam caput, nihil externum in ipſam ſinens „ cadere. Quamdiu autem nihil in eam cadit, nec „ ipſa labitur. Qui his armis munitus eſt, fieri non „ poteſt ut cadat. *Manent* enim *fides, ſpes, charitas.*

*S. Auguſt. in Pſalm. 131. n. 1. Pſal. 73.*

*S. Chryſoſt. Hom. 9. in hanc Epiſt.*

Chriſtianæ vitæ caractères.

*S. Chryſoſt. Hom. 9. in hanc Epiſt.*



9. 10. *Quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis: ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus.* Hæc arma nobis ſubminiſtrat Chriſtus Jeſus pugnandique vires nobis tribuit, ut eo adjuvante vincentes, æternam ſalutem & cœleſte regnum acquiramus ſecundum conſilium & voluntatem Dei. Non enim creavit nos Deus ad perditionem, ſed ad ſalutem. Non vult aliquos perire; non vult mortem impii, ſed magis ut convertatur & vivat. Fiduciam habere debemus nos eſſe de numero electorum; fiduciam (inquam) non meritis noſtris, ſed ſoli Dei miſericordiæ ac bonitati innixam. *Quoniam non poſuit nos Deus in iram, ſed in acquiſitionem ſalutis per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* „ Verumtamen ſatagere debemus ut per „ bona opera certam noſtram vocationem & electio- „ nem faciamus; & cum metu ac tremore ſalutem „ noſtram operari. Hanc fiduciam in nobis excitat Chriſti mors, & pretioſus ejus ſanguis pro nobis effuſus, ut per illum, & cum illo vivamus. Vitam noſtram ac mortem illi quotidie in ſacrificium offeramus, qui *Mortuus eſt pro nobis*, in Sacrificio Corporis & Sanguinis ejus, quod frequentat Eccleſia, in memoriam mortis ejus, & in quo ſe ipſam per ipſum offert: *Ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus . . . . CHRISTUS ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem Spiritu.* Et nos igitur in grati animi vicem illi offeramus ſpiritum vita ejus viventem, carnem vero Chriſtiana mortificatione conſecratam. Etiam cum dormimus ſomno corporali, cor ad ipſum vigilet, ne nos hoſtis ſurripiat: *Ut ſive vigilemus, ſive dormiamus, ſimul cum illo vivamus.*

*2. Petri 3. 9.*

*Ezech. 33. 9.*

*2. Petri 1. 10.*

*Philip. 2. 12.*

*1. Petri 3. 18.*

11. *Propter quod conſolamini invicem, & ædificate alterutrum, ſicut & facitis.* Duo Chriſtianæ converſationis officia hæc Apoſtoli verba complectuntur. 1. Ut Chriſtiani ſe mutuo conſolentur colloquendo de Myſteriis & præceptis Chriſti, de iis quæ pro nobis geſſit, docuit, ac pertulit, de iis quæ ſuis electis promiſit. 2. Ut ſe mutuo ad pietatis opera verbo & exemplo excitent. Nunc autem Chriſtianorum converſationes & colloquia quid ſunt niſi nugæ, corruptio, alienatio a Deo, tentationes, impedimenta ſalutis, jactura temporis ad Deum promerendum nobis dati? Converſationibus & colloquiis virorum & mulierum ſæcularium ſpiritus mundi, qui totus in maligno poſitus eſt, præſidet, Chriſti Spiritus ab iis exulat. Primi Chriſtiani ſeſe mutuo ædificabant: Chriſtiani noſtræ ætatis ſeſe mutuo ſcandalizant, & ad peccatum impellunt. In ſermone obtrectationes, ſcurrilitas, obſcœnitas, nugacitas, otioſitas; ut comparata Chriſtianorum noſtri temporis cum primorum Chriſtianorum converſatione dicere poſſimus; *Ipſo etiam ſermone proavis renuntiaſtis.* In opere diſſolutio, turpitudo, vindicta, inimicitiæ, rixæ, contentiones, invidiæ, comeſſationes, ebrietates, vanitates, ubique ſcandala; ubique pene fœtor diaboli, non bonus odor Chriſti. Quamobrem *Vita meliore* Chriſtianus fruitur *in ſeceſſu, quam in promptu.*

Duo Chriſtianæ converſationis officia.

*Tertullian.*

12. 13. *Rogamus autem vos, fratres, ut noveritis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & monent vos.* Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ adhortationibus & precibus plerumque magis promovent ſalutem animarum, quam duris mandatis; manſuetudine magis quam ſeveritate; ſi fiduciam populi Chriſtiani ſibi doctrina, probitate, & charitate conciliaverit. *Rogamus vos, fratres.* 2. Si laborent aſſidue & ferventer in ſacro Miniſterio, in verbo, in doctrina, in Sacramentorum adminiſtratione, in diſſidentium concordia procuranda, in litibus componendis & præveniendis, in conſolatione afflictorum, in ſublevanda neceſſitate pauperum; nullamque vitæ ſuæ partem otio aut voluptati relinquant. *Ut noveritis eos, qui laborant inter vos.* 3. Si fideles Paſtorali curæ ſuæ a Deo commiſſos regant cum prudentia & ſolicitudine, in Spiritu Chriſti Jeſu, & ſecundum documenta ab illo tradita. Qui enim in Eccleſiæ regimine indolis ſuæ impetum, cupiditatum ſuarum impulſum, aut humanos reſpectus ſequuntur, non bene præſunt, nec Paſtores ſunt, ſed mercenarii. *Et præſunt vobis in Domino.* 4. Si moneant cum ſancta quadam vehementia & fortitudine, ſed ſine acerbitate. *Et monent vos.* Fideles vero eo impenſius, ac honeſtius Paſtorum ſuorum ac Miniſtrorum Eccleſiæ neceſſitati ſubveniant, quo minus labori parcunt ut eorum ſaluti conſulant. *Ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum.* 2. Eorum pietati, fervori, ac zelo, reverentiam, amorem, ac fiduciam majorem rependant. *Abundantius.* 3. Omnem diſſidii, contentionis, & litium cum ipſis occaſionem vitent, utpote cum Patribus ſpiritualibus & Magiſtris, qui Chriſti vice illis præſunt pro illorum ſalute. *Pacem habete cum eis.* „ Si ho- „ mo quidem tui patrocinium ſuſcipiat, & te defen- „ dat apud homines, omnia agis, & omnem ei habes „ gratiam. Hic autem apud Deum tui patrocinium „ ſuſcipit, & te defendit, & ei non habes gratiam? „ Et quomodo, (inquis) me defendit? Quoniam pro „ te precatur, & dono quod per baptiſmum datur „ tibi inſervit, viſitat, hortatur, & monet, & media „ nocte, ſi vocaveris, venit. Is vero nihil aliud quam „ perpetuo tibi eſt in ore, & quæ tu in eum con- „ geris, fert maledicta.... Nemo ſeditionem agitet, „ nemo contendat. Qui Chriſtum diligit, qualiſcum- „ que ſit Sacerdos, eum diliget, quod per eum ve- „ neranda ſit aſſecutus Sacramenta. Dic mihi, ſi vel- „ les videre Regiam multo auro ſplendentem, & „ gemmarum fulgore coruſcantem, inveneris autem „ eum qui habet claves, ille autem rogatus ſtatim „ aperuerit, & intromiſerit, an non ipſum omnibus „ præponeres, non æque ac oculos amares, non oſcu- „ lareris, non amplectereris? Hic cœlum tibi aperuit, „ & non oſcularis, non amplecteris? Si uxorem no- „ bilem, pulchram, caſtam, divitem habeas, non „ eum diligis qui eam tibi conciliavit? Ita ſi Chri- „ ſtum diligis, ſi diligis regnum cœlorum, agnoſce „ quorum miniſterio id conſequeris. Ideo ait Apoſtolus, *Pacem habete cum eis.*

Paſtorum & ovium officia.

*S. Chryſoſt. Hom. 10. in hanc Epiſt.*

14. *Rogamus autem vos, fratres, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes.* Ne acerba ſit & arrogans inquietorum ſeu inordinatorum objurgatio, ſed manſuetudine temperata admonitio & correptio. Vino & oleo animarum vulnera curet bonus Paſtor, Samaritanum illum Evangelicum imitatus. Qui enim vecors eſt, fit aſperior cum acerbius objurgatur, & contra ſtimulum ſæpe calcitrat ut equus indomitus. Inordinati autem ſunt omnes qui aliter agunt quam a Deo ſit ordinatum: ordinem enim unicuique ſtatuit, quem qui tranſgreditur, inordinatus eſt. Temulentus, conviciator, avarus, adeoque omnes iniqui ordinem tranſgrediuntur. „ His correptionis me- „ dicamentum adhibendum eſt aliquando acrius, ali- „ quando lenius, pro ratione delictorum, & varieta- „ te indolis, ut in ordinem redigantur, quem ſi te- „ nuerimus in vita, perducet ad Deum, & quem „ niſi tenuerimus in vita, non perveniemus ad Deum. „ Ordo exigit ut homo Deo, caro ſpiritui ſubjiciatur. Ordo enim non eſt ubi deterioribus ſubjiciuntur meliora. *Corripite inquietos.* Qui puſillo ſunt animo, qui peccatis ſuis turbati, aut ſcrupulis anxii, aut tentationibus vexati animum deſpondent, ſumma cum lenitate tractandi ſunt; ad fiduciam in Deum ut Patrem, ut Dominum miſericordem & benignum, ut amicum beneficentiſſimum; in Chriſtum ut redemptorem, qui cum ſanguinem ſuum, vitamque ſuam pro noſtra ſalute dederit, quid non daret? excitandi ſunt, & conſolationum ſpiritualium fomentis roborandi. *Conſolamini puſillanimes.* Qui animo deficiunt in rebus adverſis, in everſione fortunæ ſuæ, in jacturis bonorum, in orbitatibus, erigendi ſunt in ſpem, & ad patientiam adhortandi per conſolationem Scripturarum. Qui in fide infirmi ſunt, qui nondum ſatis in doctrina Chriſtiana inſtituti ſunt, agreſtes, rudes, ex ignorantia peccantes, quique in via Dei facile ſcandalizantur, docendi ſunt, ſuſtinendi, ac ſublevandi. *Suſcipite infirmos.* Ne impatientes ſitis, ſi curæ veſtræ, exhortationes, inſtructiones, labores fructum cito non faciant. Dei patientiam imitemini, de omnibus ſperate meliora. Patientia & longanimitas virtus eſt Chriſtianis omnibus, ſed iis maxime qui præſunt, neceſſaria, erga omnes, in omnibus occaſionibus, omni tempore. *Patientes eſtote ad omnes.* Præclare ait Sapiens, *Doctrina viri per patientiam noſcitur:* & Propheta Rex, *Bene patientes erunt ut annuntient.*

*Theophylact.*

*S. Auguſt. lib. 1. De Ordine, cap. 9.*

*Prov. 19. 11.*

*Pſalm. 91. 15.*

15. *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat, ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini in invicem, & in omnes.* Qui malum pro malo alicui reddit, jura Dei uſurpat, Chriſti Domini præceptum contemnit, carnalis Judæus eſt, ſolo nomine Chriſtianus. Carnales

*Matth.* 5.

Caritas, manſuetudo, & beneficentia in omnes, propriæ ſunt hominis Chriſtiani.

nales etiam Judæi oculum pro oculo, dentem pro dente exigunt. Spiritalis vero Chriſtianus diligit inimicos ſuos, iis qui illum oderunt benefacit, pro perſecutoribus orat, ut Patris noſtri cœleſtis filius eſſe mereatur, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & injuſtos. Cum Jacob Patriarcha e domo Laban avunculi ſocerique ſui fugeret, ac Laban ipſum ultionis ardore ſuccenſus inſequeretur, Deus illi in monte Galaad conſpicuus, a vindicta ipſum deterruit, dicens: *Cave ne quidquam aſpere loquaris contra Jacob*. Paruit homo Gentilis & Idolorum cultor mandato Dei quem ignorabat; inventoque Jacob dixit: *Et nunc quidem valet manus mea tibi reddere malum: ſed Deus Patris tui heri dixit mihi: Cave ne loquaris contra Jacob quidquam durius*. Chriſtus Jeſus, qui nos reconciliavit Deo, cum inimici eſſemus, nobis in monte ait: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos*: & Domino noſtro ac Redemptori non obſequimur? Vindictæ cupido inſtigante diabolo velut ſerpens obrepit hominibus iratis. Ab ejus igitur letifero morſu cavete. *Videte ne quis malum pro malo reddat*, non ſolum æqualibus, ſed & inferioribus; non ſolum propinquis, ſed etiam extraneis; non ſolum iis qui ex ignorantia & animi levitate, aut irati animi impetu, ſed & illis qui ex mala voluntate & odio pertinaci vos offenderunt. *Alicui*. Charitas & promptus ad beneficentiam animus, proprius eſt Chriſtianorum caracter; non ſolum erga fratres & participes ejuſdem fidei & gratiæ, ſed erga omnes, etiam ab Eccleſia alienos, etiam inimicos & perſecutores. *In invicem, & in omnes*. Tam late patere debet charitas hominis Chriſtiani, quam late patet charitas Chriſti. In id maxime invigilent Paſtores ac Rectores Eccleſiarum, ut diſſenſionum, jurgiorum, inimicitiarum, ultionum fomites in grege illis commiſſo extinguantur, ut caritas & pax inter fideles conſerventur & regnent. *Videte ne quis malum pro malo alicui reddat*.

*Geneſ.* 31.

16. *Semper gaudete*. Carnale & ſæculare gaudium in momento tranſit: ſpirituale gaudium tamdiu durat, quamdiu pura conſcientia, & caritas, cujus fructus eſt. Semper gaudet Chriſtianus, cui nihil accidit ſuæ voluntati repugnans; cum ejus voluntas divinæ in omnibus conformetur. Gaudet in adverſis æque ac in proſperis, quem delectat in eo eſſe ſtatu quem vult Deus. Semper ſub cruce vivere, & ſemper gaudere, ſola Chriſti Salvatoris gratia præſtare poteſt, *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem*. Carnales homines piorum cruces & afflictiones vident, ſed non vident unctionem. Quomodo non gauderent ſemper, quorum gaudium Deus ipſe eſt? Spiritus mundi operatur gaudium iniquitatis, & vanitatis: Spiritus Dei gaudium veritatis & felicitatis.

*Hugo a S. Victore, in Miſcellaneis lib. 1. Tit. 103.*

17. *Sine intermiſſione orate*. Qui auxilio gratiæ Dei continuo indigere nos agnoſcimus, ſine intermiſſione orare debemus. Miſericordiam ſuam orationibus noſtris Deus largitur, ſed & magnæ miſericordiæ donum eſt miſeriæ noſtræ agnitio, & gratiæ Dei per orationem imploratio. *Benedictus Deus* (ait Propheta) *qui non amovit orationem meam, & miſericordiam ſuam a me*. „Ergo non deficiamus in oratione. „Ille quod conceſſurus eſt, etſi differt, non aufert: „ſecuri de pollicitatione ipſius non deficiamus orando, & hoc ex beneficio ipſius eſt. Cum videris „non a te amotam deprecationem tuam, ſecurus „eſto, quia non eſt a te amota miſericordia ejus. Sine intermiſſione autem orat, qui ſtatis horis orationem frequentat, & temporalia potius negotia intermittit, quam officium Deum orandi. Semper orat, qui juſtitiam & vitam beatam ferventer deſiderat. Semper orat, qui omnia opera ſua in ſpiritu orationis ex dilectione Dei, & propter ejus gloriam facit. „In ipſa fide & ſpe & caritate continuato deſiderio „ſemper oramus. Sed ideo per certa intervalla horarum & temporum etiam verbis rogamus Deum, „ut illis rerum ſignis nos ipſos admoneamus, quantumque in hoc deſiderio profecerimus nobis ipſis „innoteſcamus, & ad hoc augendum nos ipſos acrius „excitemus. Dignior enim ſequitur effectus, quem „ferventior præcedit affectus. Ac per hoc & quod „ait Apoſtolus, *Sine intermiſſione orate*, quid eſt „aliud quam beatam vitam, quæ nulla niſi æterna „eſt, ab eo qui eam ſolus dare poteſt, ſine intermiſſione deſiderate? Semper ergo hanc a Domino „Deo deſideremus, & oremus ſemper. Sed ideo ab „aliis curis atque negotiis, quibus ipſum deſiderium „quodammodo tepeſcit, certis horis ad negotium „orandi mentem revocamus, verbis orationis nos „ipſos admonentes in id, quod deſideramus, intendere, ne quod tepeſcere cœperat, omnino frigeſcat, „& penitus extinguatur, niſi crebrius inflammetur. Orationi gratiarum actio adjungatur pro donis omnibus ab ejus infinita bonitate acceptis, inter quæ & oratio ipſa eſt. „Oratis ut perſeveranter & proficienter habeatis dona Dei: gratias agitis, quia non „ex vobis habetis (inquit S. Auguſtinus) *In omnibus gratias agite: hæc eſt enim voluntas Dei in Chriſto Jeſu, in omnibus vobis*.

*Pſalm.* 65. 20.

*S. Auguſt.*

Oratio aſſidua.

*S. Auguſt. Epiſt. 130. Ad Probam, alias 121. cap. 9.*

*S. Auguſt. Epiſt. 188. ad Julianam alias 143. c. 2. num. 7.*

19. *Spiritum nolite extinguere*. Spiritus ſancti gratiam extinguit vita immunda. „Quomodo enim ſi „quiſpiam in lucernæ lucem & aquam & terram infuderit, lucernam extinguit, etſi nihil eorum fecerit, ſed oleum tantum ſubtraxerit. Ita etiam in „dono gratiæ. Nam ſi terrenarum & diffluentium „rerum curas inſperſeris, Spiritum extinguis. Et ſi „nihil tale feceris, aliunde autem adveniens irruerit „tentatio vehemens tamquam ventus validus, & „flamma non ſit vehemens, aut minime ſufficiens „oleum, aut oſtium non clauſeris, pereant omnia. „Eſt autem quoddam foramen, ſicut in lucerna, ita „etiam in nobis oculus & auris. Ne ſinas ut in eos „irruat vehemens ſpiritus nequitiæ, quoniam lucernam extinguit, ſed obtura timore Dei. Os eſt oſtium: Claude & obſera, ut lucem præbeat; & „externorum repellat irruptionem. Aliquis te contumelia affecit, maledicto appetivit; os claude. „Nam ſi aperueris, ventum excitas. Non vides in „ædibus, quando ex adverſo & directe ſteterint duæ „januæ, ſitque ventus vehemens, ſi alteram clauſeris, & adverſus non fuerit flatus, nihil poteſt ventus, ita nunc duæ ſunt januæ, os tuum, & os „ejus qui te afficit convitiis & contumeliis. Si tuam „non clauſeris, vento tentationis ex adverſo flante, „extinguis totum Spiritum. Sin autem aperueris, „non poteſt cohiberi ac repelli tentatio. Spiritum „ergo ne extinguamus. Sæpe autem contingit, ut „etſi nihil irrumpat, extinguatur flamma, cum defecerit oleum. Quando eleemoſynam non facimus, „extinguitur Spiritus. Etenim ad te venit a Dei „eleemoſyna & miſericordia. In te igitur non manebit ſi ſis immiſericors. Spiritus ſanctus extingui in ſe ipſo non poteſt: ſed illius extinctores merito dicuntur, qui ſic agunt ut extinctum velint, donis ejus repugnantes, Prædicatorum vocem ſuffocantes. Miſſiones, ſancta inſtituta, & pietatis opera ad Eccleſiæ ædificationem & animarum ſalutem conducentia maligne prohibentes, gratiis interioribus reſiſtentes.

*S. Chryſoſt. Hom. 11. in hanc Epiſt.*

Quinam Spiritus ſancti gratiam extinguunt?

20. 21. *Prophetias nolite ſpernere. Omnia autem probate: quod bonum eſt tenete*. De fide minime judicandum: ſed per regulas fidei, verbum ſcilicet Dei ſcriptum & traditum, de omnibus quæ religionem ſpectant, prophetiis, revelationibus, viſionibus, miraculis, doctrinis, ſingularibus orationis modis, viiſque extraordinariis, judicium ferendum eſt. Ad Epiſcopos; quos Spiritus ſanctus Eccleſiæ Dei præfecit, & maxime ad Romanum Pontificem Chriſti Domini in terris Vicarium & totius gregis Chriſti ſupremum Paſtorem id pertinet. Chriſtiana plebs intra fines humilis obſequii ſe contineat, nec Superiorum præveniat judicium. Omnia in dubium revocare, impietatis eſt: Omnia credere, levitatis & ſuperſtitionis. Apoſtolicam regulam ſi ſecutus eſſet Tertullianus, novellis Montani, Priſcillæ & Maximillæ Prophetiis adhærendo, in errores graviſſimos non impegiſſet. Sed ad Scripturam ſacram & Apoſtolicam Traditionem non attendens; & *contra Moyſis præceptum exurgentis in Eccleſia novellas Montani furias, & inſana illa inſanarum mulierum novitii dogmatis ſomnia, veras Prophetias aſſeverando, meruit ut de ſe quoque & Scripturis ſuis diceretur?* Si ſurrexerit in medio tui Propheta. *Et mox*, Non audies verba Prophetæ illius ... Chriſtus Redemptor noſter, cum diſcipulos ſuos monuiſſet cavendum eſſe a falſis Prophetis, hoc ad eos dignoſcendos indicium tradidit, *A fructibus eorum cognoſcetis eos*: ut enim ex fructibus arbor, ita ex doctrina & ex moribus Propheta verus a falſo diſcernitur. Non quod bonitas morum ad Prophetiam abſolute neceſſaria ſit, ſi interiorem ejus radicem reſpiciamus, quæ eſt gratia gratum faciens; ſed quia requiritur ad Prophetiam maxima mentis elevatio ad ſpiritualium contemplationem; hæc autem pravitate vitæ impeditur: ideo hoc donum a Deo ut plurimum hominibus ſanctis tribuitur, & ex eo deſumi ſolet certiſſimum ſanctitatis argumentum ... *Quoniam in malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*: Sed *in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei & Prophetas conſtituit*. Quorum igitur vita pravis moribus contaminata eſt, eorum prædictiones ſpernendæ ſunt. Hi ſunt enim qui falſis vaticiniis plebem ſeducunt, & mendacibus revelationibus incautos decipiunt, de quibus ait Jeremias: *Prophetæ tui viderunt falſa & ſtulta, nec aperiebant iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent*. Hi ſunt, qui quod execrantur admittunt, quod prohibent faciunt, apud quos innocentia culpatur, culpa pro innocentia ducitur, apud quos peccare juſtum eſt, & juſtitiam exercere

Per regulas fidei de omnibus quæ Religionem ſpectant, judicium ferendum eſt ab iis ad quos attinet.

*Vincentius Lirin. Common. cap.* 24.

*Matth.* 7. 15.

*Cardin. Bona Tract. De Diſcretione Spirituum, c. 17.*

*Sap.* 1. 4.

*Thren.* 2. 14.

nefan-



nefandum, ubi certant facta cum dictis, dimicat doctrina cum factis.

22. *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos*. Species mali ſæpe plus nocet infirmis, quam mali revera operis exemplum noceat ſpiritualibus & fortibus. Qui non abſtinet ab eo quod fratri ſuo Chriſtiano mortem animæ inferre poteſt, ſuæ ipſe animæ lethale vulnus infligit.

23. *Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia; ut integer ſpiritus veſter, & anima & corpus ſine querela in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti ſerventur*. Perfecta ſanctimonia eſſe non poteſt ſine pace, quæ eſt *tranquillitas ordinis*, qua motus corporis animæ, affectus animi rationi, ratio Deo ſubjicitur. Nemo ſibi de corporis puritate blandiatur, niſi caſta ſit anima & ſpiritus integer. Nemo ſe ſpiritu & anima integrum eſſe exiſtimet, ſi quid inordinatum & immundum permittat in corpore. Sanctus ſit *per omnia* Chriſtianus, qui omni ex parte membrum Chriſti, & Spiritus ſancti templum eſt. Perſeverabit autem in ſanctitate, ſi Domini noſtri Jeſu Chriſti adventum ad judicium præ oculis ſemper habuerit. *Quoniam omnia judicia ejus in conſpectu meo, Et ero immaculatus cum eo, & obſervabo me ab iniquitate mea*.

*S. Auguſtin.*

*Pſalm.* 17. 23. 24.

24. *Fidelis eſt qui vocavit vos, qui etiam faciet* ... Omne bonum, & perſeverantia in bono uſque in finem, quam Deus in electis ſuis operatur, vocationis ſecundum propoſitum ſeu Decretum æternum divinæ voluntatis, effectus eſt, & fidelitatis, quam ſibi ipſi debet. Qua ratione ſecurus eſſet Deus de conſilii ac propoſiti ſui executione, & de promiſſorum ſuorum infallibilitate, quibus electos Filio ſuo ut membra capiti, ut fratres Primogenito, ut ſubditos ac ſervos ab ipſo redemptos Regi ac Domino ſe daturum pollicitus eſt, niſi ſalutem illorum ipſemet operaretur? Certitudo & immutabilitas electionis divinæ ex ipſa inconſtantia & infirmitate penderet, ſi Deus gratiæ ſuæ efficaciam ex humanæ voluntatis conſenſu ſuſpenderet, quem ipſe in illa non operaretur. Fidelis igitur ſibi ipſi Deus eſſe non poteſt, niſi nos gratiæ ſuæ fideles cooperatores efficiendo. *Fidelis eſt qui vocavit vos, qui etiam faciet*. „Jubet Deus „homini ut velit, ſed Deus in homine operatur & „velle: Jubet ut faciat, ſed operatur & facere. Ideo utrumque jungit beatus Apoſtolus dicens, *Cum timore & tremore veſtram ſalutem operamini; Deus eſt enim qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate*. „Ut ergo cum timore & tremore ſuam quiſque operetur ſalutem, opus eſt volentis hominis: ſed hoc ipſum Dominus operatur „in ſuis. Ac per hoc quoniam habet homo liberum „arbitrium, audit præcepta, quæ faciat: ſed ad implenda præcepta liberum arbitrium nullatenus idoneum efficitur, niſi divinitus adjuvetur. Ita fit ut „ſe operari debere homo cognoſcat, dum præceptum accipit; & Deo ſe ſciat ſemper omne bonum „debere, quod vult ac facit, quem teſte Apoſtolo „cognoſcit operari in homine velle & perficere pro „bona voluntate: Qui ſuis fidelibus hanc dignatus „eſt gratiam promittere per Prophetam dicens, *Spiritum meum dabo in vobis, & faciam ut in juſtificationibus meis ambuletis, & judicia mea obſervetis & faciatis*. „Cum ergo Deus in homine operari cœperit velle, tunc homo ad Deum convertitur, & „eodem in ſe operante, unde ipſi placeat, operatur. De Deo enim dicit Apoſtolus, *Aptet vos in omni bono, ut faciatis voluntatem ejus, faciens in vobis, quod placeat coram ſe*. Ad vitam quoque in tantum poteſt homo manum porrigere, in quantum habuerit Dominum protectorem ſuum ſuper manum dexteram ſuam. *Adjutorium igitur Dei etiam ſanctis ſemper eſt implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono poſſint opere perdurare. Multa quippe Deus facit in homine bona quæ non facit homo: Nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præſtet ut faciat homo*.

Gratiæ efficacia ex æterno Dei propoſito, & fidelitate quam ſibi ipſi debet.

*Epiſtola Synodica Epiſcoporum Afric. in Sardinia exſulum. Philipp.* 2. 12. & 13.

*Ezech.* 36. 17.

*Hebr.* 13. 21.

*Concil. Arauſic.* 11.

# IN EPISTOLAM II.
# S. PAULI APOSTOLI
## AD THESSALONICENSES,
## COMMENTARIUS
## LITTERALIS ET MORALIS,

### PRÆFATIO.

Commentum Grotii hanc Epiſtolam ad Caligulæ tempora referentis.

ALTERA hæc ad Theſſalonicenſes Epiſtola, ex eodem loco, & eodem anno ſcripta eſt, quibus prior, cum S. Paulus eos adire non poſſet ſecundum deſiderium ac propoſitum ſuum, ut quæ illorum deerant fidei compleret. Scripta eſt ſub Claudio Imperatore, non ſub Caligula, ut Grotio viſum eſt, nec ante eam quæ prima inſcribitur. Data eſt enim poſtquam ipſe Apoſtolus apud Theſſalonicenſes, Chriſti fidem amplexos, jam præſens fuiſſet, & cum Timotheum & Silvanum in Miniſterio Evangelii conjunctos ſibi haberet. Hæc autem eſt Epiſtolæ ſumma. Cum in priore diem judicii imminere innuiſſet Apoſtolus, & falſi nonnulli Doctores, ut emungerent pecunias, terrerent animos, proximum eſſe mundi finem & ſupremi judicii diem aſſerentes, idque confirmantes vel falſa interpretatione primæ Epiſtolæ, vel ex Epiſtola ſub ejuſdem Apoſtoli nomine falſo vulgata, operæ pretium duxit mentem illis aperire ſuam, ne ipſis illuſiſſe videretur, indeque apud eos nutaret Evangelii fides, cum eventum non reſpondere prædictioni conſpicerent. Docet igitur non prius Chriſtum venturum ad judicium, quam venerit diſceſſio, id eſt, quam omnia pene regna a fide Evangelii & ab Eccleſia toto orbe ante diffuſa defecerint, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, id eſt, Antichriſtus apparuerit, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui. Hortatur ſubinde Theſſalonicenſes ut Traditiones, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam a ſe acceptas, ſervent ac teneant: inquietos ac laborem fugientes iterum arguit, jubetque, ut notentur qui vitam inordinatam & otioſam ducere perrexerint, immo ut a fidelium ſocietate ſeparentur: non tamen habeantur inimicorum loco, ſed corripiantur ut fratres medicinali ſeveritate.

### CAPUT I.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. P*Aulus, & Silvanus, & Timotheus, Eccleſiæ Theſſalonicenſium in Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.* * Paulus Apoſtolus, & Timotheus ac Silvanus ſocii & adjutores ejus in Evangelii prædicatione, Eccleſiæ, quæ Theſſalonicæ in nomine Dei Patris noſtri, & Domini Jeſu Chriſti, in utriuſque fide & cultu congregata eſt, ſalutem dicunt. *Gratia vobis & Pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.* Deus & Pater noſter, & Dominus Jeſus Chriſtus gratiam & pacem vobis largiantur.

* Æqualem Patris & Filii ejus JeſuChriſti potentiam his verbis ſignificat Apoſtolus, a quibus eadem bona nobis donantur. Obſervatio eſt Theodoreti.

3. 4. 5. *Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum eſt, quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas uniuſcujuſque veſtrum in invicem.* Continuas gratiarum actiones Deo reddere debemus pro vobis: id enim æquum eſt; ſiquidem fides veſtra creſcit & confirmatur, & charitas qua vos invicem diligitis, vobiſque mutuo benefacitis, augetur in dies, & exuberat. *Ita ut & nos ipſi gloriemur in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus, quas ſuſtinetis.* Adeo ut de vobis gloriemur in aliis Eccleſiis, veſtram fidem & patientiam comendantes & in exemplum proponentes, quas demonſtratis fortiter & invicte ſuſtinendo perſecutiones & afflictiones Evangelii cauſa vobis illatas. *In * exemplum juſti judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.* Quæ quidem tribulationes veſtræ indicia ſunt & documenta juſti judicii Dei, qui vos afflictos coronabit, & perſecutores veſtros puniet; & qui vos affligi permittit, ut dignos efficiat regno ſuo, quod patiendo pro ipſius nomine & Evangelio promeremini.

* Græce, ἔνδειγμα, *oſtenſionem.*

† Illud, *Si tamen*, non eſt dubitantis, ſed affirmantis: ſicut dicere ſolemus, *ſi tamen hoc verum*, quod utique verum eſſe non dubitamus.

6. 7. 8. 9. 10. *Si tamen * juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant:* Si quidem juſtum eſt apud Deum, qui in judiciis ſuis falli non poteſt, & in illorum executione ſemper conſtans eſt & verax, ac proinde ab ejus juſtitia certiſſime exſpectandum eſt, ut aliquando pœnas ſumat de illis qui vos in præſenti ſæculo perſequuntur, & vexant. *Et vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in revelatione Domini Jeſu de cœlo cum angelis virtutis ejus.* Vobis vero qui perſecutionem, & tantam malorum molem propter Evangelium ſuſtinetis, vice verſa requiem a præſentibus malis, æternamque felicitatem nobiſcum rependat, cum Dominus Jeſus de cœlo manifeſte veniet, cum Angelis Majeſtatis & potentiæ ſuæ adminiſtris, ad omnes homines judicandos. *In flamma ignis * dantis vindictam, iis qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Cum (inquam) ſe manifeſtum exhibebit, igne ante ipſum præcedente, ut ultionem ſumat de his qui Deum non noverunt, & de his qui non credunt, nec obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & a gloria virtutis ejus.* Qui præſentis iratique Domini conſpectu, & glorioſa poteſtate turbati, confuſi, proſtrati, pœnis æternæ damnationis addicentur. *Cum venerit glorificari in Sanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui * crediderunt: quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos in die illo.* Hæc (inquam) fient, cum venerit Dominus ut ſe in Sanctis ſuis exhibeat, & in omnibus qui in eum crediderunt, & ſecundum fidem vixerunt admirabilem, eos ad gloriæ ſuæ conſortium evehendo. Quod & vos exſpectare a juſto Judice debetis, quia teſtimonium quod verbo ejus apud vos reddidimus, a vobis ſuſceptum & creditum eſt, exſpectantibus illum diem, & retributionem regni cœleſtis ſperantibus.

* Ignis ultimæ conflagrationis, Chriſtum Judicem præcedens. Confer cum Pſalm. 49. 3. Pſalm. 96. 3. Iſai. 66. 15. Dan. 7. 9. Joel. 2. 3. & 2. Petri 3. 7.

* Mirum quod apud Theodoretum in Textu quidem legatur quod habent omnes Codices, ἐπὶ πᾶσι τοῖς πιστεύσασιν, *in omnibus qui crediderunt:* in Commentario vero habeatur, ἐν πᾶσι τοῖς μὴ πιστεύσασιν, *in omnibus qui non crediderunt. Ignem & flammam* hoc loco Marcion delevit, ne Deum noſtratem faceret, (inquit *Tertull.* l. 5. c. 16.) id eſt a noſtris partibus ſtare fateretur, ſi de noſtris adverſariis ultionem ſumeret.

11. 12. *In quo etiam oramus ſemper pro vobis: ut dignetur vos vocatione ſua Deus noſter, & impleat omnem voluntatem bonitatis ſuæ, & opus fidei in virtute.* Quapropter enim oramus aſſidue pro vobis, Deo noſtro ſupplicantes, ut vocatione ſua ad vitam æternam vos dignos reddat, & efficacia potentiæ ſuæ impleat in vobis omne propoſitum bonæ voluntatis ſuæ, donum perſeverantiæ vobis tribuens: & opus fidei veſtræ perficiat, fortem illam & invictam contra tentationes & perſecutione efficiendo. *Ut clarificetur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in vobis, & vos in illo, ſecundum gratiam Dei noſtri, & Domini Jeſu Chriſti.* Ut nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in vobis & per vos glorificetur, per conſtantiam fidei veſtræ, & patientiam in adverſis; & vos in illo ſeu per illum glorificemini, ut membra ipſius, tum in hoc ſæculo per ſocietatem paſſionum, tum in futuro per ſocietatem gloriæ. Quod a gratia Dei & meritis Domini noſtri Jeſu Chriſti ſperandum eſt.

### CAPUT I.

*Senſus Moralis.*

3. G*Ratias agere debemus ſemper Deo pro vobis, fratres, ita ut dignum eſt, quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas uniuſcujuſque veſtrum in invicem.* Sacrificium orationum & actionis gratiarum in Eccleſia & pro Eccleſia juge ac per-

Sacrificium orationum & actionis gratiarum ab omnibus fidelibus; maxime vero a Paſtoribus, offerendum eſt.



perpetuum eſſe debet, & ab omnibus Chriſtianis, maxime vero ab Eccleſiæ Miniſtris offerri, Gratias quidem agere Deo non poſſumus quæ dignitati benefactoris, aut magnitudini beneficiorum ex æquo reſpondeant: ſed ut quam maximas poſſumus, agamus, poſtulat a nobis ratio juſtitiæ & officii noſtri erga Deum, ut Sacerdotes in Sacrificio pretii noſtri profitentur: *Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & ubique gratias agere, Domine ſancte, Pater omnipotens, Æterne Deus, per Chriſtum Dominum noſtrum.* Gratiæ autem maxime agendæ ſunt Deo, cum fides creſcit, & caritas abundat. Hæc enim præcipua ſunt Dei dona, in quibus ſumma Chriſtianæ Religionis poſita eſt. Pulchram Eccleſiam non faciunt magnificentia ædificiorum, multitudo populorum, abundantia divitiarum, ſed magnitudo fidei, & abundantia charitatis. *Quoniam ſupercreſcit fides veſtra, & abundat charitas uniuſcujuſque veſtrum in invicem.* Noſtras ob virtutes efferri non debemus, ſed Deo virtutum gratiæ ſemper agendæ, cujus eſt totum quod eſt optimum. *Gratias agere debemus ſemper Deo.* 2. Lacrymis non eſſe digna quæ patimur, ſive jacturas bonorum ſive orbitates, ſive morbos, ſive calumnias, ſive exilia, & pericula, aut adverſa quæque, ex Apoſtoli verbis diſcimus: ſed beneficiorum loco habenda eſſe, pro quibus Deo gratias agere, lætari, & animum non deſpondere debeamus. 3. Bene operantibus non eſſe invidendum his verbis docet Apoſtolus noſter, ſed de aliorum bonis & profectu gaudendum, & gratias agendas Deo bonorum omnium largitori. *Gratias agere debemus ſemper Deo pro vobis.* Non conſilii tantum res iſta eſt, ſed officii: *Debemus* Non unius momenti, unius horæ, unius diei, ſed totius vitæ: *Semper.* Abſit vero ut ob ipſam gratiarum actionem efferamur: facimus enim quod juſtum eſt fieri: *Ita ut dignum eſt.* 4. Non verbis dumtaxat, ſed etiam operibus, & de bonis quæ ab aliis fiunt, gratiæ Deo ſunt agendæ: hæc enim digna eſt gratiarum actio. 5. Ex Apoſtoli verbis diſcimus, fidem probationibus & afflictionibus Chriſtiano animo, propter Chriſtum patienter toleratis augeri, & altiorem fieri, quemadmodum in diluvio generali, rebus omnibus ſubmerſis, arca in ſublime evecta eſt, aquarum inundationi ſupereminens. *Multiplicatæ ſunt aquæ, & elevaverunt arcam in ſublime a terra.* Hinc Apoſtolus noſter, ut altitudinis exceſſum indicet, ait: *Quoniam ſupercreſcit fides veſtra.* 6. Ex Apoſtoli verbis diſcimus, ad afflictiones æquo & Chriſtiano animo ferendas, neceſſariam eſſe charitatem in Deum & proximum. Publicas calamitates, & privatas afflictiones facilius ferre fideles conſertos, & inter ſe per charitatem Chriſti compactos, maximumque inde illis accedere ſolatium. 7. Diſcimus ex hoc Apoſtoli noſtri loco, charitatem noſtram univerſalem & abundantem eſſe debere, & ad omnes in Chriſto fratres extendi: ſi enim ad aliquos reſtringatur, diſſenſio erit, non dilectio. Nam ſi oculus quam habet totius corporis curam, in manum conferret, & ſe ab aliis membris avertens, ad illam ſolam attenderet, nonne totum corpus perderet? Ita nos, ſi charitatem, quæ extendi debet in omnem Dei Eccleſiam, in unum & alterum contrahamus, & nos ipſos, & alios perdimus. Hæc enim charitas non eſt, ſed diſſidium, & ſciſſura, Nam ſi avulſam a toto corpore partem accepero, ipſa quidem ſciſſura ſibi unita eſt & continens & conglutinata: ſciſſura tamen eſt, quoniam reliquo non eſt unita corpori. Quid enim prodeſt, quod hunc aut illum valde diligis? Humana iſta eſt amicitia. Si autem non eſt humana, ſed propter Deum diligis, omnes diligere. At diligo, (inquis) ſed non ita, imo vero ne diligis quidem. Nam quando accuſas, quando invides quando inſidiaris, quomodo diligis? At hoc, (inquis) non facio: ſed quando maledicente fratre, maledicentis os non obſtruis, & iis quæ dicuntur credis, nec ea comprimis, cujuſnam dilectionis hoc eſt indicium? *Ei abundat charitas uniuſcujuſque veſtrum in invicem.*

S. Chryſoſt. Hom. 2. in hanc Epiſt. Theophylact.

Geneſ. 7. 17.

S. Chryſoſt.

Caritas noſtra univerſalis eſſe debet, ſeu ad omnes extendi.

4. *Ita ut & nos ipſi in vobis gloriemur in Eccleſiis Dei, pro patientia veſtra, & fide, & in omnibus perſecutionibus veſtris, & tribulationibus quas ſuſtinetis.* Fidelitas gregis, ſolatium eſt & gloria Paſtoris, ad Dei tamen gloriam referenda. In nullo enim nobis *gloriandum eſt, cum noſtrum nihil ſit.* Quantum gaudii in animo Rectoris oritur, cum fides, pietas, fervor, charitas, & patientia ſubditorum tanta eſt, ut in aliis Eccleſiis celebretur, & ad imitationem proponatur; Fides viva radix eſt patientiæ; quia fide & ſpe bonorum æternorum ad ferenda adverſa roboramur: & quo ferventius Deus diligitur, eo magis ad perſecutiones & tribulationes pro ejus nomine & gloria ſuſtinendas animus accenditur & confirmatur. Quid ſpondere poſſumus de fide, quæ teſtimonio patientiæ in rebus adverſis non probatur? Quomodo invicta eſſet fides in graviſſimis perſecutionibus, quales erant primorum Chriſtianorum, quæ nutat in minimis & communibus afflictionibus & calamitatibus?

Fides viva radix patientiæ. S. Cyprian.

5. 6. *In exemplum juſti judicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini.* Magna certe afflictionum utilitas, quæ Dei juſtitiam oſtendunt. 1. Ad terrorem malorum, 2. Ad purgationem, exercitationem & meritum bonorum. Si enim Deus non parcit bonis in hoc mundo, quanto minus parcet malis in futuro? *Quoniam tempus eſt ut incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum qui non credunt Dei Evangelio? Et ſi juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* „ Quibus verbis Apoſtolorum Princeps manifeſte oſtendit eaſdem ipſas paſſiones, quas juſti patiuntur, ad judicium Dei pertinere: quod inchoari dixit ex domo Dei, ut inde conjiciatur, quantæ impiis futuræ ſervantur. Tribulationes ergo & moleſtiæ cum per juſtitiam Dei redduntur peccatis, bonos & juſtos, & quibus jam plus peccata ipſa diplicent quam ulla corporis pœna, non reflectunt ad peccandum, ſed ab omni labe penitus purgant. Nemo Chriſtianus exiſtimet ſe immeritum pati, ſed humiliet ſe ſub potenti manu Dei, dexteram Patris corripientis & diligentis exoſculetur. *Juſtitiæ quippe divinæ tanta conſtantia eſt, ut cum pœna ſpiritualis & ſempiterna Pœnitenti fuerit relaxata, preſſuræ tamen cruciatuſque corporales, quibus etiam Martyres exercitatos novimus; poſtremo mors ipſa, quam peccando meruit noſtra natura, nulli relaxetur. Quod enim etiam juſti homines & pii, tamen exſolvunt iſta ſupplicia, de juſto Dei judicio venire credendum eſt.* Sed electi per afflictiones ad regnum æternum præparantur a Deo, *Ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini:* dum juſtus Judex terribili patientia permittit improbos falſis mundi bonis ſaginari, & ſanctos perſequi. Sed *congregat eos quaſi gregem ad victimam, & ſanctificat eos in die occiſionis.* Væ illis qui pios perſequuntur, tametſi juſtitiæ ac zeli ſpeciem perſecutionibus ſuis prætexant, vocantes malum bonum, & bonum malum. Deus juſtitias judicabit, injuſtitias revelabit illius ignis luce, qui ejus adventum præcedet: *Uniuſcujuſque opus manifeſtum erit: Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur.* Nec ſolum iniquorum injuſtitias ad eorum confuſionem & juſtorum ſolatium omnibus revelabit juſtus Judex, ſed pœnis æternis vindicabit. *Si tamen juſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis qui vos tribulant.* Aggravabit ſuper eos manum ſuam, conteret eos in furore ſuo: & ſentient quam ſit horrendum incidere in manus Dei viventis.

Afflictionum utilitas.

S. Thomas, lect. 1.

1. Petri 4. 17.

S. Auguſt. in Expoſit. inchoata Epiſtola ad Rom. 19.

Iſai. 12. 3.

1. Cor. 3. 13.

7. *Et vobis, qui tribulamini, requiem nobiſcum in revelatione Domini Jeſu de cœlo, cum Angelis virtutis ejus.* Fidem eamdem profitemur, quam Apoſtoli, eamdem cum ipſis mercedem, idem ſolatium, eamdem requiem ac felicitatem in cœlis exſpectamus: cur ergo ſimiles perſecutiones, afflictiones, & cruces ſuſtinere refugimus? Fidei proprium eſt afflictionum amaritudine nutriri, augeri, roborari, exſpectando adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti de cœlo. Nunc deprimuntur, contemnuntur, irridentur electi coram hominibus filiis hujus ſeculi: tunc glorificabuntur coram filiis & angelis Dei. Juſti a peccatoribus affliguntur, vexantur, opprimuntur; ſed illos Deus ſui ipſius fruitione, & gaudio pleno ac perpetuo conſolabitur. Quid non patiamur alacriter pro vera æternaque gloria conſequenda, ſi Ethnici pro falſa, inani, temporalique gloria tam acerbos caſus, tam gravia mala, ipſamque mortem conſtanti animo pertulerunt? „ Si tantum terrenæ gloriæ licet de corporis & animi vigore, ut gladium, ignem, crucem, beſtias contemnant ſub præmio laudis humanæ, poſſum dicere, Modicæ ſunt iſtæ paſſiones ad conſecutionem gloriæ cœleſtis, & divinæ mercedis. Si tanti vitrum, quanti margaritum? Quis ergo non libentiſſime tantum pro vero habeat erogare, quantum alii pro falſo? Omitto nunc gloriæ cauſam. Eadem omnia ſævitiæ & cruciatus certamina, jam apud homines affectatio quoque & morbus quidam animi conculcavit. Quot otioſos affectatio armorum ad gladium locat? certe ad feras ipſas affectatione deſcendunt, & de morſibus & de cicatricibus formoſiores ſibi videntur. Jam & ad ignes quidam ſe autoraverunt, ut certum ſpatium in tunica ardente conficerent. Alii inter venatorum taureas ſcapulis patientiſſimis inambulaverunt. Hæc, benedicti, non ſine cauſa Dominus in ſæculum admiſit, ſed ad nos & tunc exhortandos, & in illo die confundendos, ſi reformidaverimus pati pro veritate in ſalutem, quæ alii affectaverunt pro vanitate in perditionem.

Tertullian, Exhort. Ad Martyres, c. 4, & 5.

8. 9. *In flamma ignis dantis vindictam, iis qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Si Dei ignorantia neminem ſic





BIBLIOTECA UNIVERSITARI

ſic excuſat ut ſempiterno igne non ardeat, quanto gravior eorum erit damnatio, pœnaque acerbior, qui cum Deum cognoviſſent, ejuſque Evangelium ſuſcepiſſent, Paganorum inſtar in Eccleſia Dei vixerunt? Pœnas damnationis æternæ nemo vitabit, qui Evangelio non obediverit, nec ſecundum ejus regulas & Chriſti præcepta vixerit. *Qui pœnas dabunt in interitu æternas a facie Domini, & a gloria virtutis ejus.* Ignis æterni pænas terribiles præveniamus igne charitatis & pœnitentiæ. Ne judicemur, noſtri judices ſimus. Bonorum & malorum fines meditemur continuo, ut vitam noſtram ad Evangelium componamus. „Quando videris aliquid bonum & magnum in præſenti vita, cogita regnum, & id nihil eſſe exiſtimabis. Quando terribile, cogita gehennam, & irridebis. Quando te invaſerit cupiditas corporalis, reputa ignem, reputa & ipſius peccati voluptatem. Si enim legum, quæ hic ſunt latæ, metus tantam vim habet ut nos a pravis abducat actionibus, multo magis futurorum memoria, ſupplicium immortale, gehenna ſempiterna. Si metus Regis terreni a tam multis nos abducit malis, quanto magis metus æterni Regis? Si mortuus, ſi ſolum videatur, animum noſtrum ita reprimit: quanto magis gehenna & ignis qui nequit extingui, & vermis qui non moritur? Si gehennam ſemper cogitemus, in eam facile non incidemus. Propterea ſupplicium minatus eſt Deus. Si eam cogitare non magnam pareret utilitatem, non eam minatus eſſet Deus: ſed quoniam ejus recordatio valet ad res magnas recte gerendas, propterea tamquam ſalutare aliquod medicamentum ejus minas noſtris inſevit animis. Fieri non poteſt ut anima de gehenna cogitans facile peccet. *Memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.* Si everſionem non timuiſſent, Ninivitæ, fuiſſent everſi: quoniam vero timuerunt, non ſunt everſi. Si temporibus Noe timuiſſent homines diluvium, non fuiſſent obruti diluvio. Si timuiſſent Sodomitæ, non fuiſſent exuſti. Si Dives epulo ignem illum cogitaſſet, non peccaſſet. Quoniam autem ejus numquam meminit, in eum incidit. Dic mihi, cum ſiſtendus ſis ad tribunal Chriſti, quævis potius quam de eo cogitas ac loqueris: & cum litem aliquam habes apud judicem terrenum, perpetuo de illa cogitas, nihil pene aliud loqueris. De tota autem vita tua rationem redditurus, vix toleras eos qui terribile illud judicium tibi in memoriam revocant? Propterea perit maxima pars animarum, quod ad hominum tribunal ſiſtendi pro rebus quæ ad hanc vitam pertinent, omnia movemus, quemlibet rogamus, aſſidue ſumus de negotio noſtro ſoliciti, nihil non agimus ut cauſam obtineamus; ad Chriſti autem tribunal brevi venturi, nihil nec per nos, nec per alios agimus, rationes noſtras non paramus, judicem noſtrum rogare, placare, promereri negligimus. Qui Dominum Jeſum humiliatum & crucifixum imitari noluerunt ad ſalutem, illum videbunt cum gloria & poteſtate judicantem, & ſententiam damnationis ab illo excipient. Videbunt juſti & lætabuntur. Videbunt impii & confundentur *a facie Domini, & a gloria virtutis ejus.* Numquam carebunt ſupplicio, qui numquam voluerunt carere peccato. Qui Deo vivere noluerunt, æterno interitui devovebuntur, morte ſecunda in igne inextinguibili punientur. Quam brevis duratio voluptatum, honorum, poteſtatis, divitiarum temporalium! Quam diuturna & immenſa duratio confuſionis, & dolorum! *Pœnas dabunt in interitu æternas.* Momentaneum quod delectat, æternum quod cruciat.

Noviſſimorum noſtrorum ſalutaris meditatio.

*S. Chryſoſt. Hom. 2. in hanc Epiſt.*

10. *Cum venerit glorificari in ſanctis ſuis, & admirabilis fieri in omnibus qui crediderunt: quia creditum eſt teſtimonium noſtrum ſuper vos in die illo.* Cum impletum fuerit quod paſſionibus Chriſti deeſt in omnibus electis ejus, tunc & ipſe, quod gloriæ ſuæ in illis deeſt, conſummabit. Quemadmodum enim nunc in corpore ſuo myſtico patitur, ita in eodem ex omnium membrorum conjunctione cum capite tunc pleno & perfecto, glorificabitur. Caput enim & membra unus Chriſtus. Sicut ergo probra, contumelias, perſecutiones, quas impii juſtis inferunt, quaſi ſibi illatas Chriſtus excipit, unde clamabat: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Perſecutorem ſuum vocans perſecutorem membrorum ſuorum: ita electorum ſuorum gloriam & beatitudinem quaſi propriam ac ſuam ducit. *Cum venerit glorificari in Sanctis ſuis.* Tunc Dei providentiam erga electos ſingularem, tunc dotes glorioſas illis communicatas admirabuntur ipſi reprobi, & ſtupore percuſſi, atque a tantæ gloriæ conſpectu in deſperationem acti, *Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore: ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt.*

Chriſtus in electis ſuis glorificabitur in ſecundo ſuo adventu.

*Sap. 5. 2. 3. 4. 5.*

11. 12. *In quo etiam oramus ſemper pro vobis: ut dignetur vos vocatione ſua Deus noſter, & impleat omnem voluntatem bonitatis ſuæ, & opus fidei in virtute.* Tota ſalutis œconomia conſiſtit in gratuita bonitate qua Deus ſanctos ſuos eligit; in gemitibus aſſiduis, quos in illis & pro illis in corde Eccleſiæ producit; in prædicatione verbi quo illos vocat, in virtute efficaciſſima gratiæ, qua fidem, ſpem, caritatem, ceteraſque virtutes in illis operatur, & opus fidei per dilectionem agentis dono perſeverantiæ conſummat & perficit. Dignos vocatione ſua non invenit, ſed facit: nec implet bonam voluntatem noſtram, quæ præceſſerit, ſed *omnem voluntatem bonitatis ſuæ*, quæ origo eſt omnis bonæ voluntatis noſtræ, ejuſque cauſa per gratiam ſuam. Dei verbum cum fructu audire, divinæ vocationi fideliter reſpondere, humilis orationis gemitibus Dei gratiam ad ejus opus in nobis perficiendum & conſummandum implorare; omne bonum quod in nobis operatur, ad Chriſtum ut ad Caput noſtrum referre; unam ejus gloriam in ſalute noſtra quærere, officia noſtra ſunt. *Ut clarificetur nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in vobis, & vos in illo, ſecundum gratiam Dei noſtri, & Domini Jeſu Chriſti.* Chriſtus in nobis glorificatur, cum in ejus honorem & ob ejus dilectionem aliquid agimus aut patimur. „Nonne enim gloria ejus eſt, quod adeo bonus ſit, ut pro ipſo etiam moriantur ſervi? & quod ſit adeo potens; ut nos ad patientiam corroboret? In ipſo vero glorificamur, cum adeo fideles ſumus, ut omnia patiamur potius quam a via mandatorum ejus deflectamus. Gloria enim ſervi eſt, quod Domino fidelis inveniatur. Præterea, afflictio propter Chriſtum tolerata, gloria eſt, qua ſplendidiores reddit, ac tentationibus ſuperiores. Hoc ipſum autem Dei eſt, non noſtrum; ſed gratia ipſius eſt, ut & glorificetur in nobis, & quod nihil ipſi præponimus: & ut nos in ipſo glorificemur, quoniam ab ipſo vires ſuſcipimus patiendi afflictiones, & tentationes vincendi, qui eſt fortitudo noſtra, & patientia noſtra.

Tota œconomia ſalutis electorum.

*Theophylact.*

---

## C A P U T II.

### *Senſus Litteralis.*

1. 2. *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum: ut non cito moveamini a veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per Epiſtolam tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini.* Vos obteſtamur, fratres, per ſecundum adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtram ad illum aggregationem, collectionem, & inſeparabilem conjunctionem, ut membrorum ad caput glorioſum: quæ fiet in die judicii, cum omnes electi congregabuntur & adducentur ad eum, eique rapientur obviam in aera, ſemper cum illo futuri: ne facile vos dimoveri patiamini a priori veſtra ſententia & fide, quam me docente imbibiſtis: neque conturbemini, credentes obtentu neſcio cujus Prophetiæ ſeu revelationis, quaſi a Spiritu ſancto profectæ, aut ſermonis quaſi ex ore noſtro auditi, aut Epiſtolæ quaſi a nobis ſcriptæ, diem Domini ſeu extremi judicii imminere, ſeu brevi & certo tempore adfuturum. Hunc autem errorem inſtantis diei Domini tam ſolicite ſtudet Apoſtolus fidelium mentibus eximere, ne cum viderent diem illum differri, aut impatientia deficerent, aut promiſſionem adventus Dominici, & ſuæ glorificationis fabulæ loco haberent, ut docet S. Auguſtinus Epiſt. 199. alias 80. *Ad Heſychium*, cap. 5.

* *Adventum Domini, & diem Domini*: de excidio Hieroſolymitano, perperam quidam recentiores intelligunt, & toto cœlo aberrant ab Apoſtoli ſenſu. Quis enim terrori locus in animis Chriſtianorum, ſi de Judæorum excidio agebatur? Quid Macedoniæ cum Judæa, Theſſalonicæ cum Hieroſolymis? Quid commune Chriſtianis cum periculo infidelium & Chriſto rebellium Judæorum, quod ipſis potius ſolatio futurum erat.

3. 4. *Ne quis vos ſeducat ullo modo: quoniam niſi venerit diſceſſio † primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus.* Cavete ne quis vos decipiat & ſeducat ullo modo, perſuadendo Chriſtum ſtatim venturum ad judicium. Illud enim non eveniet, niſi prius facta fuerit defectio pene univerſalis omnium gentium Chriſtianarum a fide & religione Chriſti, auctore & duce Antichriſto, & palam apparuerit in mundo homo ille inſigniter ſceleratus, & quaſi totus ex peccato concretus, æternæque perditioni deſtinatus; Qui Deo & Chriſto ſe opponens, ſeſe efferet ſupra omnem veri aut falſi nominis Deum, id eſt, non modo ſupra Deum Chriſtianorum, qui ſolus verus eſt, ſed & ſupra Deos omnes Gentium, & omnem alium cul-

*Defectionem a Romano Imperio S. Hieronymus *Epiſt. Ad Algaſiam Quæſt.* 11. interpretatur. Verum cum jam olim Romano imperio Gentes, quotquot ei erant ſubjectæ, defe-



cultum evertet, ut ſolus ipſe colatur. Ita ut templum ſibi arroget, divinos honores uſurpans, ſeque ut Deum oſtentans.

cerint, & ſolum pene Romani Imperii nomen hodie ſuperſit, nec tamen venerit Antichriſtus, & aliunde nomen ἀποστάσια quod in Græco textu habetur, proprie ſignificet defectionem a fide & religione, ut patet ex collatione cum 1. *Ad Timoth.* 4. 1. convenientior eſt expoſitio S. Thomæ, & aliorum, quam ſequimur.

5. 6. *Non retinetis quod cum adhuc eſſem apud vos, hæc dicebam vobis?* Nonne meminiſtis hæc me vobis dixiſſe, cum apud vos agerem? *Et nunc quid detinent * ſcitis, ut reveletur in ſuo tempore:* Noſtis vero quod obſtet quo minus nunc veniat Chriſtus Dominus ad generale judicium, quod tempore congruenti & a Deo præſtituto futurum eſt, cum ſcilicet prædicatum fuerit Evangelium in univerſo mundo, cum fuerit completus electorum numerus, cum apoſtaſia illa generalis contigerit, cum ſceleſtus ille homo, ſcilicet Antichriſtus, in mundo prodierit; cum completa fuerint omnia, quæ Chriſtus prædixit ſecundum ſuum adventum præceſſura; cum tempus conſummationis mundi præfinitum Dei decreto advenerit, tunc Dominus Jeſus Chriſtus vivos & mortuos judicaturus adveniet.

7. *Nam myſterium jam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.* Etſi nondum venerit Antichriſtus, jam iniquitas ejus occulte velut in myſterio peragitur & exercetur per ejus emiſſarios & præcurſores, Chriſtum & ejus Eccleſiam oppugnantes, & per Chriſtiani nominis perſecutores. Interim vero qui veram fidem tenet, eam firmiter retineat, & in ea conſtanter perſeveret, donec iniquus ille, ſcilicet Antichriſtus, e medio tollatur. Confer cum Epiſt. 2. S. Joannis cap. 2. 18. *Filioli, noviſſima hora eſt: & ſicut audiſtis quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt.* Et cap. 4. 2. 3. *Omnis Spiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt, & omnis Spiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt; & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.* Vide Theodoretum in Commentario, & *S. Auguſtinum* lib. 20. *De Civitate Dei*, cap. 19. ubi ſenſum Apoſtoli ſe ignorare fatetur, quamvis aliorum opiniones & conjecturas referat, magiſque in eam, quam amplectimur, propendere videatur.

* Id *quod detinet*, quidam Imperium Romanum, alii Spiritus ſancti gratiam intellexerunt. Utramque expoſitionem Theodoretus refellit, cujus interpretationem ſequimur.

*Myſterium iniquitatis* nonnulli *Neronem* intellexerunt, ut S. Hieronymus. Alii commenti ſunt ipſum reſurrecturum & futurum Antichriſtum. Vide *Severum Sulpit. lib. 2. Hiſtoriæ.*

8. 9. 10. *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui eum.* Et cum in generalem apoſtaſiam ſeu defectionem a fide myſterium iniquitatis evaſerit, tunc iniquus ille homo, Antichriſtus ſcilicet, in apertum ſe proferet ut caput omnium impiorum: quem Dominus Jeſus ſolo ſuæ majeſtatis imperio, cujus juſſiſſe, feciſſe eſt, interficiet, & præſentia ſua delebit, ſicut Sol oriens tenebras luce ſua fugat & diſſipat. *Cujus eſt adventus ſecundum operationem ſatanæ, in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus.* Impium illum, in quo ſatanas operabitur, falſa miracula, ſigna, & prodigia mendacia per illum oſtentans, ut homines in errorem inducat. „Solet ambigi, inquit S. Auguſtinus, utrum propterea dicta ſint ſigna & prodigia mendacia, quoniam mortales ſenſus per phantaſmata decepturus eſt; ut quod non facit, facere videatur; an quia illa ipſa, etiamſi erunt vera prodigia, ad mendacium pertrahent credituros non ea potuiſſe niſi divinitus fieri, virtutem diaboli neſcientes; maxime quando tantam, quantam numquam habuit, acceperit poteſtatem. Non enim quando de cœlo ignis cecidit, & tantam familiam cum tantis gregibus pecorum ſancti Job uno impetu abſumpſit, & turbo irruens & domum dejiciens filios ejus occidit, phantaſmata fuerunt: quæ tamen fuerunt opera ſatanæ, cui Deus dederat hanc poteſtatem. Propter quid ergo dicta ſint prodigia & ſigna mendacii, tunc potius apparebit. Sed propter quodlibet horum dictum ſit, ſeducentur eis ſignis atque prodigiis, qui ſeduci merebuntur. *Et in omni ſeductione iniquitatis iis qui pereunt: eo quod charitatem veritatis non receperunt * ut ſalvi fierent.* Et omni genere illuſionis, omnibus artibus ac modis, velut blanditiis, promiſſis, muneribus ſeducet reprobos, ut eos ad iniquitatem ſeu ad quævis flagitia impellat. Seducentur autem, quia veritatem non amaverunt, nec receperunt, ut ea per fidem ſuſcepta, ſecundum Evangelium vitam inſtituentes, ſalutem æternam conſequerentur.

Antichriſtus ſingularis homo, illeque non Simon Magus, non Nero, non Domitianus, non Apollonius Thyanæus, non Mahumetes; multo minus Romanus Pontifex, ut Proteſtantes plurimi ſerio inſanientes ſcribunt ac deblaterant, Grotii flagello pro meritis vapulantes, Opuſc. *De Antichriſto. S. Aug. l. 20. De Civ. Dei. cap. 19.*

* Ad Judæos præſertim id refertur, qui Antichriſto credent, quia Chriſto Domino credere noluerunt. Unde Chriſtus ipſe Joan. 5. dixit illis: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recipitis me: venit alius in proprio nomine, & illum recipietis.*

11. 12. *Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Ideo mittet illis Deus Impium illum, cujus opera in errorem inducant. „Ita fiet ut credant mendacio. Deus enim mittet, quia diabolum facere iſta permittet, juſto ipſe judicio, quamvis faciat ille iniquo malignoque conſilio. *Ut judicentur omnes qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati.* Ita denique fiet, ut quicumque veritati ſibi prædicatæ fidem habere noluerunt, & per eam juſtificari; ſed maluerunt acquieſcere falſitati, & iniquitati quæ illum comitatur, condemnentur a Deo. Judicati ergo ſeducentur, & ſeducti judicabuntur. „Sed judicati ſeducentur illis judiciis Dei occulte juſtis, juſte occultis, quibus ab initio peccati rationalis creaturæ nunquam judicare ceſſavit: ſeducti autem judicabuntur noviſſimo manifeſtoque judicio per Jeſum Chriſtum, juſtiſſime judicaturum, injuſtiſſime judicatum.

S. *Aug. loco mox indicato.*

13. 14. *Nos autem debemus gratias agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias * in ſalutem, in ſanctificatione Spiritus, & in fide veritatis.* Nos autem gratiarum actionem Deo ſemper offerre debemus pro vobis, fratres in Chriſto chariſſimi, quod vos elegerit ab initio, & quaſi primitias ſeparaverit, ut vos ad ſalutem æternam perduceret per gratiam ſancti Spiritus vos ſanctificantis, & per fidem veritatis Evangelicæ. *In qua & vocavit vos per Evangelium noſtrum, in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Ad quam fidem & ſanctificationem vos vocavit per Evangelium quod prædicamus, ut gloriam Chriſti meritis & ſanguine vobis partam acquiratis.

* Theſſalonicenſes Primitias a Deo electas vocat quod primi fere ex Gentibus fidem ſuſcepiſſent.

15. *Itaque, fratres, ſtate & tenete Traditiones, quas accepiſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram.* Firmi & conſtantes in fide & vocatione veſtra perſiſtite & retinete ac ſervate doctrinam & inſtituta religionis Chriſtianæ, quæ vobis tradidimus, ſive viva voce, ſive per Epiſtolam. *Hinc eſt perſpicuum quod non omnia tradiderunt* Apoſtoli *per Epiſtolam, ſed multa etiam ſine ſcriptis: & ea quoque ſunt fide digna. Quamobrem Eccleſiæ quoque traditionem cenſeamus eſſe fide dignam. Eſt traditio, nihil quæras amplius*, (ait S. Chryſoſtomus.)

Apoſtolica Traditio ſcripta & non ſcripta. Utraque retinenda ut regula fidei.

S. *Chyrſoſt.* hunc locum explicans. *Hom.* 4.

16. 17. *Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, * & Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere & ſermone bono.* Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus qui & Pater noſter eſt, qui nos prior dilexit, & per gratiam ſuam nos conſolatus eſt promiſſis bonorum cœleſtium & æternorum, & pro ſumma ſua bonitate ſpem tantæ felicitatis nobis dedit, hunc in vobis conſolationem augeat; voſque confirmet in ſana doctrina, & in omni genere bonorum operum.

* Hic locus aperte docet nominum ordinem in ſanctiſſima Trinitate non ſignificare dignitatum differentiam. Filium enim hoc loco Patri præpoſuit Apoſtolus, non Patre majorem eſſe docens Filium, ſed ordinis mutatione honoris æqualitatem oſtendens. Theodoreti obſervatio eſt contra Arium & Eunomium.

---

## C A P U T II.

### *Senſus Moralis.*

1. 2. *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti, & noſtræ congregationis in ipſum: ut non cito moveamini a veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſpiritum, neque per ſermonem, neque per Epiſtolam tamquam per nos miſſam, quaſi inſtet dies Domini.* Nihil magis deſiderare debet Chriſtianus, quam diem Domini, quod complementum erit Myſteriorum ejus, juſtitiæ illius manifeſtatio, providentiæ juſtificatio, corporis myſtici perfectio, perpetuaque & indiſſolubilis cum Capite conjunctio. Nihil fidei præſentius, nihil altioribus radicibus in corde defixum eſſe debet. Illi ad quos ſcribebat Apoſtolus, *Non cito moveamini a veſtro ſenſu, quaſi inſtet dies Domini*, diligebant utique „adventum Domini: nec eos hoc dicens Doctor Gentium ab illa dilectione frangebat, qua ut inflammarentur volebat; & ideo nolebat ut crederent eis, a quibus audiebant inſtare diem Domini, ne forte cum tranſiſſet tempus quo eum crediderant eſſe venturum, & veniſſe non cernerent, etiam cetera fallaciter ſibi promitti arbitrantes, & de ipſa mercede fidei deſperarent. *Non ergo ille diligit adventum Domini, qui eum aſſerit propinquare, aut ille qui aſſerit non propinquare; ſed ille potius qui eum, ſive prope, ſive longe ſit, ſinceritate fidei, firmitate ſpei, ardore caritatis exſpectat.* „Error quidem in utroque vitandus eſt, quantum ab homine vitari poteſt, ſive citius, ſive tardius, quam futurum eſt, Dominus venturus eſſe credatur: ſed mihi quiſquam non videtur errare, cum aliquid neſcire ſe ſcit, ſed cum ſe putat ſcire quod neſcit. Removeamus itaque de medio ſervum illum malum, qui dicens in corde ſuo, *Moram faciet Dominus meus venire*, dominatur conſervis ſuis, & ebrioſis convivando miſcetur: ille quippe proculdubio Domini ſui odit adventum. Quo ſervo malo remoto, conſtituamus ante oculos tres ſervos bonos familiam dominicam diligenter ſobrieque tractantes, adventum Domini ſui ſitienter deſiderantes, vigilanter exſpectantes, fideliter amantes. Si unus eorum citius, alter tardius Dominum putat eſſe venturum, tertius vero ſuam de hac re ignorantiam confitetur; quamquam

Adventus Domini Jeſu diligendus & vigilanter exſpectandus.

*S. Auguſt. Epiſt. 199. alias 80. Ad Heſychium.*

*Matth.* 13. 35.

„omnes

„ omnes conſonent Evangelio, quia omnes diligunt
„ manifeſtationem Domini, & eum diligenter & vi-
„ gilanter exſpectant, videamus tamen quis amplius
„ conſonet. Unus dicit, Vigilemus & oremus, quia
„ citius venturus eſt Dominus. Alter dicit, Vigile-
„ mus & oremus, quia brevit & incerta eſt iſta vita,
„ quamvis tardius venturus ſit Dominus. Tertius di-
„ cit, Vigilemus & oremus, quia & brevis & in-
„ certa eſt iſta vita, & neſcimus tempus quando ven-
„ turus eſt Dominus. Evangelium dicit. *Videte, vi-*
„ *gilate, & orate; neſcitis enim quando tempus ſit.*
„ Obſecro te quid aliud dicere audimus hunc ter-
„ tium, quam quod dicere audimus Evangelium?
„ Omnes quidem, præ deſiderio regni Dei, hoc vo-
„ lunt eſſe verum quod dicit primus; ſed hoc ſecun-
„ dus negat, tertius vero non negat aliquid horum,
„ ſed ignorare ſe fatetur quis verum dicat illorum.
„ Proinde ſi hoc factum fuerit quod prædixerat, pri-
„ mus, gaudebunt cum illo ſecundus & tertius.
„ Omnes enim manifeſtationem Domini diligunt.
„ Exſultabunt itaque citius veniſſe quod diligunt. Si
„ autem factum non fuerit, & apparere cœperit hoc
„ potius eſſe verum quod dicebat ſecundus, metuen-
„ dum eſt ne inter ipſas moras perturbentur, qui
„ crediderant quod dixerat primus, & incipiant Do-
„ mini adventum non tardum putare, ſed nullum:
„ qui vides quantus ſit interitus animarum. Quod ſi
„ tantæ fidei fuerint, ut ſe ad ſecundi prædicta con-
„ vertant, & Dominum etiam tardantem fideliter &
„ patienter exſpectent, abundabunt tamen opprobia
„ & inſultationes atque irriſiones inimicorum, mul-
„ tos infirmos a Chriſtiana fide avertentium, dicendo
„ tam fallaciter eis regnum eſſe promiſſum, quam
„ fallaciter dicebatur cito eſſe venturum. Qui autem
„ credunt quod ſecundus dicit, tardius Dominum eſſe
„ venturum, ſi falſum fuerit inventum citius Do-
„ mino veniente, nullo modo qui ei crediderant tur-
„ babuntur in fide, ſed inopinato gaudio perfruen-
„ tur. *Quapropter* qui dicit Dominum cito eſſe ven-
„ turum, optabilius loquitur, ſed periculoſius falli-
„ tur. Utinam ergo ſit verum, quia erit moleſtum,
„ ſi non erit verum. Qui autem dicit Dominum
„ tardius eſſe venturum, & tamen credit, ſperat,
„ amat ejus adventum, profecto de tarditate ejus
„ etiamſi fallitur, feliciter fallitur. Habebit enim
„ majorem patientiam, ſi hoc ita erit; majorem læ-
„ titiam, ſi non erit. Ac per hoc ab eis qui diligunt
„ manifeſtationem Domini, ille auditur ſuavius, illi
„ creditur tutius: Qui autem quid horum ſit verum,
„ ignorare ſe confitetur, illud optat, hoc tolerat,
„ in nullo eorum errat, quia nihil eorum aut affir-
„ mat aut negat.

3. 4. *Ne quis vos ſeducat ullo modo: quoniam niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis. Qui adverſatur & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tamquam ſit Deus.* Innumeris artibus & illuſionibus diabolus utitur ut nos ſeducat, extremique judicii memoriam ex animis noſtris auferat. Hinc mundi illecebras & vanitates, divitias, honores, dignitates; hinc voluptates carnis objicit, quibus illuſi, decepti, abrepti, de Deo, de ſalute noſtra, de noviſſimis noſtris minime cogitamus. Curioſas de Antichriſto quæſtiones agitare quid juvat? Cavendum eſt ne ipſi in nobis Antichriſti characteres aliquos habeamus. Qui enim a Deo per infidelitatem, aut quodcumque mortale peccatum deficit, Antichriſtus eſt. Quicumque ex habitu peccat, & in ſuis iniquitatibus obduratus eſt, *homo peccati* eſt. Quiſquis in peccato mortali perſeverat, damnationis æternæ reus eſt, *filius perditionis*. Quiſquis concupiſcentias ſuas, amoremque proprium Dei legi præponit, quiſquis finem ſuum ultimum in creatura conſtituit (quod facit lethaliter peccans) Deum, quantum in ſe eſt, & affectu pravo deſtruit, reiſpa deſtructurus, niſi immortalis eſſet: ſeque Dei loco conſtituit: quod præſertim facit ſuperbus, ad ſe omnia referens, omnia viribus ſuis, induſtriæ ſuæ tribuens, ſeipſum magis diligens quam Deum, ac proinde ſe præ Deo colens in templo cordis ſui. Id enim colitur, quod diligitur. *Extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei ſedeat*. Quiſquis denique vitam ſanctitati Evangelii contrariam ducit, Chriſto adverſatur. *Et nunc Antichriſti multi facti ſunt*.

Artes diabolus nos ſeducat.

Quiſquis mortaliter peccat, Antichriſtus eſt.

1. *Joan*. 2. 18.

7. 8. *Nam myſterium jam operatur iniquitatis: tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat. Et nunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui*. Præcurſores ſuos in mundo Antichriſtus habet. Mundus ipſe *totus in maligo poſitus*, & Chriſti adverſarius, Antichriſtus eſt. Mores ejus & inſtituta ſunt *Myſterium iniquitatis*. Contra mundi errores pugnandum fide viva, contra ejus amores & illecebras certandum charitate perfecta, contra terrores ejus invicta patientia dimicandum. Evangelium Chriſtus tenendum eſt, vita ſecundum ejus regulas ab Eccleſia expoſitas ſancte inſtituenda: ſic vincetur mundus, ſic expugnabitur Antichriſtus. *Tantum ut qui tenet nunc teneat, donec de medio fiat*. Chriſtus Jeſus in electis ſuis nunc abſconditus eſt; Antichriſtus vero in reprobis, quorum eſt caput ob plenitudinem malitiæ. In fine mundi Chriſtus Sanctus ſanctorum, caput in membris, cum gloria manifeſtabitur: Antichriſtus in reprobis cum opprobrio ſempiterno. *Et tunc revelabitur ille iniquus*. Nunc mundi errores contra Fidem & Moralis Chriſtianæ puritatem, ejus inſtituta, concupiſcentiam, corruptoſque mores, Dei verbo, & Spiritus ſancti virtute, Paſtores, Doctores, Concionatores, fortiter, ſtrenue, perſeveranter impugnent ac deſtruere nitantur; ſicut Dominus Jeſus, cujus Miniſtri ſunt, Antichriſtum *interficiet ſpiritu oris ſui, & deſtruet illuſtratione adventus ſui*. Dei verbum imbibant lectione & meditatione ſancta: Spiritum ſanctum invocent oratione aſſidua.

Mundus in maligno poſitus, Antichriſtus eſt.

*S. Thomas, III. P. Quæſt. 8. Art. 8.*

10. 11. 12. *Eo quod charitatem veritatis non receperunt ut ſalvi fierent, Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio.* Qui veritatem non amat, non recipit, ſed ei verbis & operibus contradicit, juſto Dei judicio credit errori, mendacio, & illuſioni diabolicæ. Hoc magnum peccatum eſt, & pœna peccati, & peccatum cauſa multorum. Odio habetur, reſpuitur, & impugnatur ſalutaris veritas, quia dominatur cupiditas. *Deus* enim *lege infatigabili ſpargit pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates ... Pluet ſuper peccatores laqueos ... Supercecidit ignis, & non viderunt Solem*. Hæc gravior peccatorum pœna in hac vita, quæ pœnæ æternæ meritum eſt, Deo ita peccatorum pœnas ordinante. *Ut judicentur omnes, qui non crediderunt veritati, ſed conſenſerunt iniquitati*. Terribilis punitio! & eo terribilior, quo minus timetur ab iis qui *Lætantur cum male fecerint, & exſultant in rebus peſſimis*. Condemnabuntur autem omnes non ſolum qui veritatem non receperunt, eique non crediderunt; ſed qui *caritatem veritatis* non habuerunt. An vero caritatem veritatis habent, an ſincere veritatem diligunt, qui docent quidem, prædicant, ac defendunt veritatem, ſed honores, dignitates, plauſum popularem, humanamque gloriam, temporalia commoda, vel delectationem, magis diligunt quam gloriam æternæ & incommutabilis veritatis? Hi non ſerviunt veritati, niſi inviti, quia ſerviunt vanitati, & conſentiunt iniquitati, immo veritati contradicunt non lingua, ſed vita. Veritatem enim prædicare nihil eſt, ſi cor a lingua diſſentiat. *Iſque ſolus bene atque honeſte vivit, cujus vita per omnia congruit veritati*. Tandem qui veritatem docent, prædicant, defendunt alia ratione movente quam amore æternæ Veritatis, cognoſcunt quidem veritatem, ſed in eam non intrant, quia *Non intratur in veritatem, niſi per charitatem*.

Qui veritatem non amat, juſto Dei judicio credit errori.

*S. Auguſtin. lib.* 1. *Confeſſ. cap.* 18.

*Pſalm.* 107.

*Pſalm.* 57. 9.

*Proverb.* 2. 14.

Sincerus veritatis amor.

*S. Auguſt. lib. De Quantitate Animæ, cap.* 16. *Idem lib.* 32. *contra Fauſtum, cap.* 17.

13. 14. *Nos autem debemus Deo gratias agere ſemper pro vobis, fratres dilecti a Deo, quod elegerit vos Deus primitias in ſalutem, in ſanctificatione Spiritus, & in fide veritatis: In qua vocavit vos per Evangelium noſtrum, in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Enarrari non poteſt quantum Deo debeamus, qui nos miſericordiæ ſuæ gratiis prævenit & cumulat, dum alios peccatores in furore ſuo conterit, condemnat & punit æternis ſuppliciis. Nos elegit, vocavit, juſtificavit, glorificabit. Æterna Dei electio, qua ſalvandos diſcernit a perditis, ab uno ejus amore eſt, quo prior ipſe dilexit nos, cum inimici eſſemus, ut ſui dilectores faceret. Iſtius electionis effecta ſunt vocatio, *in quo vocavit vos*: juſtificatio ſeu ſanctificatio, quæ gratias omnes, virtutes, & dona Spiritus ſancti, ad ſalutem noſtram ordinata complectitur: *In ſanctificatione Spiritus*: fides, quæ juſtitiæ Chriſtianæ initium ac fundamentum eſt: *& in fide veritatis*. Perſeverantia & gloria, quæ conſummatio ſalutis eſt: *In acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Suam gloriam Chriſtus noſtram ſalutem eſſe dicit. Benigni enim & clementis Domini gloria eſt eſſe multos quibus ſalutis auctor ſit.
„ Si autem noſtram ſalutem ita deſiderat Spiritus
„ ſanctus, cur non prius dixit fidem, ſed ſanctifica-
„ tionem? Quoniam etiam poſt ſanctificationem ma-
„ gna fide opus habemus, ne labefactemur & defi-
„ ciamus, Vide quomodo nihil oſtendit eſſe eorum,
ſed *totum Dei*. Gloria æterna ad quam vocati ſumus, miſerentis Dei donum eſt: illam exſpectemus cum humilitate & timore. Stipendium eſt & corona, nulli parcamus labori ut illam acquiramus. Venale eſt regnum cœlorum: emit illud Chriſtus ſanguine ſuo, eme labore tuo. Viam arctam ingredere, quæ ducit ad vitam: crucem amplectere, per quam aſcenditur ad gloriam. Mores exige ad regulam Evangelii, ad cujus profeſſionem vocatus es, cujus obſervantiam in

Quantum Deo debeant electi?

*S. Chryſoſt. Hom.* 4.



in baptiſmo promiſiſti. Sic acquiritur gloria cœleſtis. *In qua & vocavit vos per Evangelium noſtrum, in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti*.

13. *Itaque, fratres, ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam noſtram*. In fide firmi & fortes ſtare non poſſunt, qui Traditiones Apoſtolicas non tenent, ſed reſpuunt. Hinc hæreſes natæ; hinc Scripturæ ab hæreticis pro arbitrio repudiatæ, mutilatæ, corruptæ, privato ſpiritu ac ſenſu expoſitæ. Ita fit ut neque Scripturis, neque Traditioni conſentiant. Hinc Proteſtantium variationes in doctrina fidei; hinc plurimorum ex iis qui inter illos columnæ videntur, ad Socinianiſmum defectio.
„ Traditionem itaque Apoſtolorum in toto
„ mundo manifeſtatam, in omni Eccleſia adeſt per-
„ ſpicere omnibus qui vera velint audire, & habemus
„ annumerare eos qui ab Apoſtolis inſtituti ſunt Epi-
„ ſcopi in Eccleſiis, & ſucceſſores eorum uſque ad nos,
„ qui nihil tale docuerunt, neque cognoverunt quale
„ ab his deliratur. Etenim ſi recondita myſteria
„ ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim & latenter ab reli-
„ quis perfectos docebant, his vel maxime traderent
„ ea quibus etiam ipſas Eccleſias committebant.
„ Valde enim perfectos & irreprehenſibiles eos vo-
„ lebant eſſe, quos & ſucceſſores relinquebant ſuum
„ ipſorum locum Magiſterii tradentes, quibus emen-
„ date agentibus fieret magna utilitas, lapſis autem
„ ſumma calamitas. Sed quoniam valde longum eſt
„ omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, ma-
„ ximæ, & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, a
„ glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Ro-
„ mæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam
„ habet ab Apoſtolis Traditionem, & annuntiatam
„ hominibus fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum
„ pervenientem uſque ad nos, indicantes, confundi-
„ mus omnes eos, qui quoquo modo vel per ſui pla-
„ centiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæ-
„ citatem & malam ſententiam, præter quam opor-
„ tet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter
„ potentiorem Principalitatem, neceſſe eſt omnem
„ convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undi-
„ que fideles: in qua ſemper ab his qui ſunt undi-
„ que, conſervata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis Tra-
„ ditio ... Non oportet *igitur adhuc* quærere apud
„ alios veritatem, quam facile eſt ab Eccleſia ſume-
„ re, cum Apoſtoli, quaſi in depoſitorium dives ple-
„ niſſime in eam contulerint omnia quæ ſint ve-
„ ritatis: uti omnis quicumque velit, ſumat ex ea
„ potum vitæ. Hæc eſt enim vitæ introitus, omnes
„ autem reliqui fures ſunt & latrones: propter quod
„ oportet devitare quidem illos, quæ autem ſunt Ec-
„ cleſiæ, cum ſumma diligentia diligere, & appre-
„ hendere veritatis traditionem. Quid enim? Et ſi
„ quibus de aliqua modica quæſtione diſceptatio eſſet,
„ nonne opporteret in antiquiſſimas recurrere Eccle-
„ ſias, in quibus Apoſtoli converſati ſunt, & ab eis
„ de præſenti quæſtione ſumere quod certum & re
„ liquidum eſt? Quid autem ſi neque Apoſtoli quidem
„ Scripturas reliquiſſent nobis, nonne oportebat or-
„ dinem ſequi Traditionis, quam tradiderunt iis qui-
„ bus committebant Eccleſias? Deum collaudemus,
qui fidem noſtram tam firmis fundamentis ſuperſtruxit, tam tutis ac immutabilibus regulis dirigit, Scripturis ſuis & Apoſtolicis Traditionibus. Scripturarum ſacrarum lectione paſcamus animum, Traditiones Apoſtolicas ab Eccleſia diſcamus, teneamus; quæ illis repugnant, novitates rejiciamus: Apoſtolorum ſucceſſoribus Epiſcopis, & maxime omnium Primati, Apoſtolorum heredi, S. Petri ſucceſſori, Jeſu Chriſti in terris Vicario Romano Pontifici, nobis annuntiantibus, declarantibus, exponentibus Fidei & Moralis Chriſtianæ dogmata, omnemque Chriſtianæ Diſciplinæ ordinem, *ſive per ſermonem, ſive per Epiſtolam*, cum reverentia, animi ſimplicitate, humilitate, & obedientia auſcultemus.

Traditiones Apoſtolicæ altera fidei regula.

*S. Irenæus lib.* 3. *cap.* 3. & 4.

Fidei depoſitum & Apoſtolicas Traditiones Romana Eccleſia ſemper conſervavit.

16. 17. *Ipſe autem Dominus noſter Jeſus Chriſtus, & Deus & Pater noſter, qui dilexit nos, & dedit conſolationem æternam, & ſpem bonam in gratia, exhortetur corda veſtra, & confirmet in omni opere & ſermone bono*. Dei & Patris noſtri, qui nos ita dilexit ut Filium ſuum unigenitum pro nobis daret, & Domini noſtri Jeſu Chriſti qui ſanguinem ſuum pro nobis fudit, ut nos Patri reconciliaret, & vitam æternam nobis acquireret, erga nos amor ſpem noſtram excitat, & corda noſtra inefabili conſolatione perfundit. Confidamus in Dei bonitate, in Chriſti Jeſu Salvatoris noſtri ſanguine, ſed non præſumamus. Redamemus eum, qui *prior dilexit nos*. Tranſitorias ſæculi voluptates, & momentaneas delectationes faſtidiamus, reſpuamus; ut delectemur in Domino, qui ſolus *conſolationem æternam* dare poteſt. Hanc certiſſime ſperare licet per gratiam Dei, ſi in fide & in omni opere bono proficiamus, & perſeveremus; ſi nos invicem piis ſermonibus & ſanctis exemplis ædificemus: quod cum ſit donum Dei corda noſtra exhortantis & confirmantis, ſuppliciter ab ipſo poſtulandum eſt continuis & ferventibus orationibus, ut nos confirmet in omni opere & ſermone bono; adeo ut non depravemur, neque ob ea quæ contingunt adverſa, animum deſpondeamus.
„ Hæc vera Chriſtiani
„ conſolatio. Qui enim firmatus eſt, quæcumque pa-
„ titur fert ſtrenue, & non ſubvertitur, propterea
„ quidem quod rectum dogma teneat, de futuris fir-
„ miter perſuaſus: quod vero bonam vitam ducit,
„ gaviſus quia non veluti maleficus, ſed velut Dei
„ miniſter patiatur.

Vera Chriſtiani conſolatio.

*Theophylact.*

---

## CAPUT III.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. *DE cetero, fratres, orate pro nobis, ut ſermo Dei currat, & clarificetur, ſicut & apud vos: Et ut liberemur ab * importunis & malis hominibus: Non enim omnium eſt fides*. Quod reliquum eſt, fratres, orate pro me, meiſque in Evangelii Miniſterio Collegis, ut doctrina Evangelica per noſtram prædicationem feliciter ac ſine impedimento progrediatur, & quem celerrime propagetur, ac in honore & pretio habeatur, quemadmodum habetur apud vos: & ut liberemur ab hominibus *abſurdis*, moleſtis & improbis, qui Evangelii progreſſum impediunt, huc illuc diſcurrentes, ut homines avertant a fide. Quod minime mirum, non enim omnibus communis eſt fides. Dei proprium eſt vocare, noſtrum parere. Non enim neceſſitatem affert, ſed voluntatem deſiderat, quam tamen in nobis miſericorditer operatur.

* Græce ἀτόπων *abſurdis*, ex protervo animi præoccupati affectu, non ex rationis ductu agentibus.

3. *Fidelis autem Deus eſt, qui confirmabit vos, & cuſtodiet a malo*. * Deus autem verax eſt & conſtans in promiſſis; ideo vos gratia ſua confirmabit ne deficiatis in tentationibus & perſecutionibus, & liberabit vos a maligno ſpiritu, qui vos tentat tum per ſe, tum per inſtrumenta ſua, ſcilicet homines improbos.

* Græce Ἀπὸ τοῦ πονηροῦ *Ab illo malo*, ſeu *maligno*, ut *Mat.* 6. 13.

4. *Confidimus autem de vobis, in Domino, quoniam quæ præcipimus, & facitis & facietis*. De vobis ſpero gratiæ Domini Jeſu Chriſti confidens, quod ea quæ vobis Domini auctoritate præcipimus, & modo ſervatis, & impoſterum accuratius ac perfectius ſervabitis.

5. *Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti*. * Dominum precor ut corda veſtra dirigat, moveatque magis ac magis ad Deum diligendum, & ad Chriſti patientiam imitandam; vel ad expectandum cum patientia adventum Chriſti remuneratoris. Apoſtolum hoc loco tres ſanctiſſimæ Trinitatis Perſonas deſignaſſe, Dominum, & Deum, & Chriſtum; & Domini quidem nomine Spiritum ſanctum; Dei vero, Patrem; Chriſti, Filium, Theodoretus & Theophylactus obſervant. Quin etiam nomine *Domini* Spiritum ſanctum hic a S. Baſilio Magno intelligi, Theophylactus notat.

* Græce, εἰς τὴν ἀγάπην τοῦ Θεοῦ, καὶ εἰς τὴν ὑπομονὴν τοῦ Χριστοῦ, *Ad dilectionem Dei, & ad patientiam Chriſti*. S. *Chryſoſt. Hom.* 5. *Theophylact.*

6. *Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos † ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem quam acceperunt a nobis*. Præcipimus vobis, fratres, auctoritate Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ejus Apoſtoli ac legati, ut abſtineatis a conſortio & familiaritate cujuslibet Chriſtiani diſſolutam, inordinatam, inquietam & turbulentam vitam agentis, non ſecundum doctrinam & inſtitutionem a nobis acceptam.

* Genus excommunicationis. Confer cum 1. *Cor.* 5. 11.

7. 8. *Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imitari nos: quoniam non inquieti fuimus inter vos*. Noſtis quid faciendum ſit, ut nos imitemini: ſiquidem inter vos præter ordinem non viximus; ſed ſecundum ordinem lege naturali & divina præſcriptum, ſecundum regulam Evangelii quod prædicamus. *Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore, & in fatigatione, nocte & die operantes, ne quem veſtrum gravaremus*. Neque gratis acceptum ab aliquo panem manducavimus, ſed cum labore & fatigatione manibus noſtris aſſidue operantes ut victum vobis conpararemus, ne cui veſtrum eſſemus oneri.

9. *Non quaſi non habuerimus poteſtatem, ſed ut noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos*. Non quod jus & poteſtatem non haberemus accipiendi a vobis ſtipendium ſuſtentationis noſtræ; ſed ut noſmetipſos exemplar exhiberemus vobis, quod imitaremini, victum proprio labore quærendo.

10. *Nam & cum eſſemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: Quoniam ſi quis non vult operari, non manducet*. Cum apud vos ageremus, præcipiendo declarabamus vobis, non eſſe dignum cibo eum, qui convenienter ſtatui ſuo & conditioni ſuæ non laborat,

rat, cum poſſit, ſed panem alienum comedere mavult otioſus, quam honeſto labore ſeu corporis, ſeu animi a ſe quæſitum.

* Græce; μηδὲν ἐργαζομένους, ἀλλὰ περιεργαζομένους, id eſt, *nihil operantes, ſed circum operantes* id eſt, huc illuc circumcurſitantes aliena ſcrutantur.

11. *Audivimus enim inter vos quoſdam ambulare inquiete, nihil operantes, ſed curioſe agentes.* * Audivimus enim quoſdam ex vobis præter ordinem vivere nulli operi honeſto, utili, neceſſario vacantes, ſed circumcurſantes & de rebus alienis curioſe & inaniter ſatagentes, percunctatores, ſcrutatores, & cenſores importuni, garruli, maledici.

12. *Iis autem qui ejuſmodi ſunt, denuntiamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, ut cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent.* Hujuſmodi hominibus præcipimus, illoſque per Dominum Jeſum Chriſtum obteſtamur, ut quiete, pacifice, modeſte, in ſilentio ſuum opus agentes, panem labore ſuo partum manducent. Quietem curioſitati, operationem otio, ſilentium garrulitati, Apoſtolus opponit.

13. *Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes.* Vos autem, qui præcepta noſtra, imo Domini ſervatis, nolite in bono agendo defatigar & deficere, nec ad benefaciendum & ſuccurrendum pauperibus remiſſiores ſitis, propterea quod aliqui veſtra beneficentia & eleemoſynis ad otium abutantur.

*S. Auguſt. lib. Ad Donatiſtas poſt Collationem, cap. 4. S. Thomas, Lect. 2.*

14. 15. *Quod ſi quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & non commiſceamini cum illo, ut confundatur.* Si quis non obedit monitioni & præcepto quod hac Epiſtola denuntiavi, notent illum Eccleſiæ Præfecti cenſura excommunicationis; & ne cum eo commercium ullum habeatis, ut pudore ſuffuſus ad meliorem mentem redeat. *Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem.* Ne tamen illum habeatis ut inimicum, ne illum propterea oderitis, ſed charitatis affectu corripite ut fratrem, animo ſanandi, non nocendi, & perdendi.

16. *Ipſe autem Dominus pacis det vobis pacem ſempiternam in omni loco. Dominus ſit cum omnibus vobis.* Deum pacis auctorem ac dominum precor, ut det vobis pacem & concordiam omni tempore & loco; ne ex correptione contentiones & diſſenſiones oriantur, ſive ex imprudentia corripientis, ſive ex correpti contumacia. Dominus Jeſus Chriſtus per gratiam ſuam in vobis omnibus inhabitet, voſque regat, cuſtodiat, & protegat.

17. *Salutatio mea manu Pauli: quod eſt ſignum in omni Epiſtola, ita ſcribo.* Ego Paulus ſaluto vos mea manu. Quod eſt inſtar ſignaculi quo veras epiſtolas meas a falſis & ſuppoſititiis, vel interpolatis diſcernatis. Sic in fine omnium Epiſtolarum mearum ſalutationem ſcribere conſuevi manu propria, & gratiam hunc in modum adprecari:

18. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen.* A gratia incipit, & in gratia deſinit gratiæ Prædicator. Id autem poſitum pro eo quod in ſæcularibus litteris uſurpatur, *Vale.*

---

## C A P U T III.

### *Senſus Moralis.*

Fidei initium, incrementum, & perfectio, donum Dei eſt. *S. Auguſt. paſſim.*

1. 2. *De cetero, fratres, orate pro nobis, ut ſermo Dei currat & clarificetur, ſicut & apud vos: & ut liberemur ab importunis & malis hominibus: non enim omnium eſt fides.* Fides donum Dei eſt, non meritis conceſſum, ſed gratis datum. Poſſe enim habere fidem, ſicut & ſpem, & charitatem, naturæ eſt hominum; habere autem, gratiæ eſt fidelium. Fides principium meriti, cujus & initium & incrementum & perfectio a Deo eſt mentes illuminante, & corda eorum qui credunt movente, aperiente, convertente. Unde quod quidam audientes Evangelium non credant, juſtum Dei judicium eſt; quod vero credant alii & obediant, Dei miſerentis donum eſt. Catholicum iſtud dogma invicte probant Eccleſiæ orationes & gratiarum actiones. Inaniter enim & perfunctorie pro infidelibus qui vel omnino audire nolunt, vel ad hoc audiunt, ſive etiam legunt, ut irrideant & deteſtentur, & quanta poſſunt contradictione blaſphement; *inaniter* (inquam) *& perfunctorie potius quam veraciter pro eis, ut doctrinæ cui adverſantur, credendo conſentiant, Deo fundimus preces, ſi ad ejus non pertinet gratiam, convertere ad fidem ſuam ipſi fidei contrarias hominum voluntates. Inaniter etiam & perfunctorie potius quam veraciter magnas cum exſultatione agimus Deo gratias, quando aliqui eorum credunt, ſi hoc in eis ipſe non facit.*

*Idem, Epiſt. 217. alias 107. Ad Vitalem.*

Grati porro animi erga Deum, qui fidem nobis dedit, nec donat omnibus, officium poſtulat, ut non ſolum pro ipſo fidei opere, ſed etiam pro Prædicatoribus & Doctoribus fidei preces ad Deum fundamus, *ut ſermo Dei currat & clarificetur*, ut doctrina evangelica per eorum prædicationem feliciter ac ſine impedimento propagetur, & ſit in pretio & honore, etiam apud infideles, per inculpatam vitam credentium. Glorificatur enim verbum Dei, cum vita Chriſtianorum Catholicorum reſpondet fidei quam profitentur. Gloriæ autem & honoris verbi Dei ſtudioſiores eſſe debent Prædicatores Evangelici, quam gloriæ propriæ, quam quærere non debent; ſed ſi quæ naſcatur, eam ad Deum totam referre, dicentes: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.* *Pſalm. 113.*

Efficaciſſima gratiæ vis. Humanæ voluntatis cooperatio.

3. 4. 5. *Fidelis autem Deus eſt, qui confirmabit vos, & cuſtodiet a malo.* Fidelis eſt Deus ut impleat quod promiſit; fideles & nos ſimus ut faciamus quæ præcepit. Abſit ut ejus veracitati & miſericordiſſimæ poteſtati diffidamus; abſit ut noſtræ infirmitati & mutabili voluntati confidamus, ac de noſtris viribus præſumamus. De Dei enim opitulatione & quotidianæ gratiæ auxilio habet homo, ſi proficit: de ſua mutabilitate & infirmitate, ſi deficit. Ille ſolus fidem & caritatem confirmat, qui dedit & inſpiravit: ille ſolus nos a malo cuſtodit inter tentationes quas offert Mundus, quas ſuggerit Malignus, quas noſter ſuſcitat carnalis & corruptus appetitus, qui vicit mundum, qui expugnavit & foras ejecit diabolum, qui gratiæ ſuæ noſtrum ſubjicit affectum, de quo dictum eſt: *Diligam te, Domine, fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus adjutor meus, & ſperabo in eum. Protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. Laudans invocabo Dominum, & ab inimicis meis ſalvus ero.* *Pſalm. 17.* Sic tamen totum eſſe Dei docet ſanctus Apoſtolus, ut humanæ cooperationem exigat voluntatis. Ne igitur ſegnes ſimus, ſed vigilemus, oremus; & cum divina gratia, quæ nobis non deeſt, niſi prius illi defuerimus, totis agamus viribus voluntatis, quas ipſa gratia tribuit efficaciſſimas. *Confidimus autem de vobis in Domino, quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis.* *S. Chryſoſt. Hom. 5.* Nos quidem Deo totum tribuere oportet in ſalutis noſtræ negotio, ſic tamen operari, ſic laborare, ſic certare, quaſi totum penderet ex nobis. Noſtra eſt obedientia, Spiritu Dei corda noſtra movente & rebelles etiam voluntates ad obediendum miſericorditer compellente. Vivit ſemper & vivet ad conſummationem uſque ſæculi in Catholica Eccleſia Apoſtolorum auctoritas in eorum ſucceſſoribus. Eam pariter venerari, illi obedire fideliter & perſeveranter, noſtrum eſt, Dei tamen gratia præveniente, adjuvante, operante, dirigente, cooperante, perficiente. *Dominus autem dirigat corda veſtra in charitate Dei, & patientia Chriſti.* Cor rectum ſolus Deus dare poteſt. Cor rectum eſt, quod nihil magis quam Deum diligit, quod nihil præter Deum metuit, quod nulla bona deſiderat, niſi quæ Deus electis ſuis per Chriſtum Jeſum promiſit; quod nulla mala formidat, niſi quæ reprobis comminatur. *Dominus dirigat corda noſtra in charitate Dei.* *S. Chryſoſt. ibid.* „ Multa ſunt quæ avertunt a charitate, multæ ſemitæ quæ ab ea declinant. Primum quidem ſemita „ Mammonæ, deinde inanis gloria, & ſæpe etiam „ afflictiones & tentationes avertunt. Propterea tamquam quodam ſpiritu, Dei auxilio opus habemus, „ ut nobis velum tamquam ab aliquo vehementi ſpiritu tranſmittatur ad Dei charitatem. Ne mihi „ enim dixeris, Diligo Deum, pluſquam me ipſum. „ Hæc ſunt verba, oſtende factis. Si ipſum diligis „ pluſquam te ipſum, dilige pluſquam pecuniam; „ & tunc crede te illum diligere pluſquam te ipſum. „ Qui autem pecunias non deſpicis propter Deum, „ quomodo te ipſum deſpicias? *Et in patientia Chriſti.* Quid eſt? Ut patiamur ſicut ille paſſus eſt: „ & ut eum exſpectemus cum patientia, ſimulque „ ſemper ad ejus adventum parati; ut denique afflictiones quibus nos probat, cum gaudio ſuſtineamus. *Hoc eſt enim Deum diligere, ſuſtinere, & non conturbari.*

Inordinate vivit, quiſquis otioſe vivit.

6. 7. 8. 9. *Denuntiamus autem vobis, fratres, in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non ſecundum traditionem quam acceperunt a nobis.* Nihil peſtilentius, nihil Eccleſiæ pernicioſius ac Reipublicæ quam homines inquieti & turbulenti. Perturbatores ſunt ordinis a Chriſto & ab Apoſtolis inſtituti, doctrinæ ſeu Fidei, ſeu Morum ab illis traditæ inimici, Eccleſiaſticæ Hierarchiæ & Diſciplinæ hoſtes, ab Apoſtolica Traditione aberrantes, ut proprium ſenſum, ambitum, privataque commoda ſectentur. Hi fratrum nomine ſunt indigni, a Paſtoribus Eccleſiæ, Chriſti auctoritate coercendi, a fidelibus vitandi. Hanc peſtem parit otium & deſidia. Inordinate vivit, ſive dives, ſive pauper: ſive nobilis, ſive plebeius; ſive Clericus, ſive laicus; Religioſus, ſive ſæcularis. *Theophylact.* „ Qui enim ab utilibus operibus abſtinent, in dicacitatem plerumque & ſcurilitatem præcipites aguntur. Hæc autem inordinata ſunt. Vitam mollem,



diſſolutam, otioſam Eccleſiæ Paſtores, Sacerdotes, Religioſi Viri, non doctrina tantum, ſed exemplo ſuo velut viva traditione condemnent, atque ita laborent in ſacro Miniſterio, ut cum fiducia ſe ipſos proponere poſſint ut ſancti & aſſidui laboris, vitæque a voluptatibus, & bonorum temporalium cupiditate penitus alienæ exemplaria. *Ipſi enim ſcitis quemadmodum oporteat imitari nos, quoniam non inquieti fuimus inter vos: Neque gratis panem manducavimus ab aliquo, ſed in labore & fatigatione: nocte & die operantes, ne quem veſtrum gravaremus.* Abſtinere poterat Apoſtolus a labore manuali, quod majori opere occupatus eſſet, prædicationis nempe Miniſterio: victum a diſcipulis accipere poterat; ſed præ magnitudine animi laborare maluit, ad victum ſibi ſociiſque ſuis comparandum, ut diſcipulos ſuos ab otio & vitiis inde ſecutis, exemplo ſuo revocaret. *Non quaſi non habuerimus poteſtatem, ſed ut noſmetipſos formam daremus vobis ad imitandum nos.* Hinc diſcant Eccleſiarum Rectores, & Moderatores conſcientiarum, munera ab iis quibus præſunt, vel quos dirigunt, non accipere, non eorum convivia frequentare, ne accipiendo fiant ſervi hominum, & ſanctam libertatem addicant veritates practicas Moralis Chriſtianæ & arctioris vitæ prædicandi, vitia corripiendi, ſeveritatem diſciplinæ in peccatores exercendi, ſecundum Dei & Eccleſiæ leges, abſque ullo perſonarum & conditionum reſpectu, cum id poſtulat animarum ſalus. *Ezech. 13.* „ Væ Prophetis inſipientibus, „ qui ſequuntur ſpiritum ſuum, *dicit Dominus*.... „ Qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & „ faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad „ capiendas animas: & cum caperent animas populi „ mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me „ ad populum meum propter pugillum hordei, & „ fragmen panis, ut interficerent animas quæ non „ moriuntur, & vivificarent animas quæ non vivunt, „ mentientes populo meo credenti mendaciis.

*Geneſ. 3. 17. 18. 19.*

*S. Th. 2. 2. q. 87. art. 3.*

10. *Nam & cum eſſemus apud vos, hoc denuntiabamus vobis: Quoniam ſi quis non vult operari, non manducet.* Homo ad laborem natus, ut avis ad volatum. Hæc pœnitentia generalis univerſo hominum generi in perſona Adami peccatoris a Deo impoſita. Ab hac lege nemo immunis, pro ſua quiſque conditione & vocatione laborare tenetur, pro viribus, ſive dives, ſive pauper, ſive liber, ſive ſervus; nemini eſſe licet otioſum. *Theophylact.* Jus ad victum peccator non habet, niſi iis conditionibus quas ipſi Dei juſtitia impoſuit. Conditio illi impoſita ut cibum mereatur, labor eſt. *Qui non vult operari, non manducet.*

Eccleſiaſtici Religioſique Viri ad laborem profeſſioni ſuæ convenientem tenentur.

Nec ſolum ad cibum promerendum, ſed ad vitandum otium, ad domandas corporis & animi cupiditates, ad comparandum unde indigentibus & laborare non valentibus ſubveniatur, Dei ſervos laborare oportet. „ At oro (inquiet aliquis) & jejuno. At iſtud non „ eſt opus manuum, nec propterea ab opere diſpenſaris, cum & hæc præſtare poſſis atque interim „ operari. Quia itaque iſtud aſpernaris, tamquam „ otioſus condemnaris. At quare (inquiunt) is qui „ docet, non cogitur operari? Quia difficilius & „ præſtantius opus aggreditur, quod impedit ipſum „ a manuum operatione. Tibi autem privatim viam „ agenti nihil hujuſmodi incumbit. Peccas itaque, ſi laborem negligas...... Non peccant vero qui ſacris Altaris Miniſteriis, & divinis Officiis celebrandis, aut adminiſtrandis Sacramentis in Monaſteriis, aut Eccleſiis, quibus animarum cura annexa eſt, ſunt occupati, ſi a labore manuum abſtineant, modo quod reliquum eſt temporis, ab Eccleſiaſticis functionibus, in lectione, meditatione, ſtudio, aut aliis neceſſariis & utilibus operibus inſumant, niſi manuum opus ſit illis Regula ſeu Conſtitutionibus præceptum ſeu præſcriptum certis horis. (De Viris Religioſis loquor.) Ipſa enim profeſſione ſua ad Deum laudandum, & ad laborandum in verbo & doctrina, & ad opitulandum Eccleſiarum Rectoribus in Sacramentorum adminiſtratione, ab Eccleſia inſtituti, & a Summis Pontificibus ac Epiſcopis in ſubſidium Hierarchici Ordinis miſſi, & admiſſi, in Eccleſia infructuoſi non ſunt, neque gratis panem manducant: ſed poteſtatem habent de Altari & de Evangelio vivendi, *Dignus eſt enim operarius cibo ſuo.* *S. Auguſt. lib. De Opere Monachorum.* Nec Rempublicam gravant, qui nihil ab invitis accipiunt, ſed ex bonorum fidelium oblationibus vivunt, Rempublicam, qua Chriſtiana eſt, ſpirituali opera juvantes. Sicut ergo corporales infirmitates laicos a labore manuum diſpenſant, ita Eccleſiaſtici Religioſique Viri *propter Eccleſiaſticas occupationes, vel eruditionem doctrinæ ſalutaris*, a labore manuum diſpenſantur. Veruntamen quicumque ſeu Clericus, ſeu Laicus, ſeu Sæcularis, ſeu Religioſus, laborem ſuæ profeſſioni & conditioni convenientem refugit, & otio ac deſidia torpeſcit, Apoſtolicum, imo divinum præceptum tranſgreditur: *Si quis non vult operari, non manducet.* Nec ipſum excuſat communium orationum frequentatio. *Citius enim exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris.*

Otioſitatis mala.

11. *Audivimus enim inter vos quoſdam ambulare inquiete, nihil operantes, ſed curioſe agentes.* Otioſitas *Mater nugarum, noverca virtutum*, radix inquietudinis, curioſitatis, & diſſolutionis. *S. Bernard. lib. 1. De Conſiderat.* Sunt qui magno conatu magnas nugas agunt. Sunt quibus nullum operoſius negotium eſt, quam ut aliis negotium faceſſant: curioſi exploratores audaceſque cenſores vitæ alienæ, negligentes ſuæ; ad proximorum defectus attenti, ad proprios cæci; feſtucam in oculo fratris videntes, trabem ex oculo ſuo ejicere non curantes. *Luc. 6. 41.* *Curioſum genus ad cognoſcendum vitam alienam, deſidioſum ad corrigendam ſuam.* Curioſitas hominum carnalium, quam dilectus Chriſti Apoſtolus *concupiſcentiam oculorum* vocat, in rebus fidei ſacrilega; in futurorum cognitione damnanda; in ſpectaculis, quæ ſunt lenocinia cupiditatum, periculoſa; in Reipublicæ negotiis inquieta & ſeditioſa, domeſticæ pacis perturbatrix. Suum quiſque negotium agat, *Unum eſt neceſſarium.* „ Summa mentis malitia, otium „ iners. Quodcumque agat aliquis, ſi propter hoc „ non agit ut Deo ſerviatur, in eo quod agit, otiatur. Pro vitando otio otioſa ſectari, ridiculum & „ pudendum eſt. „ Otioſum autem eſt quod nullam habet utilitatem, vel utilitatis intentionem. Denique *Multam malitiam docuit otioſitas.*

*S. Auguſt. lib. 10. Confeſſ. cap. 3.*

*1. Joan. 2.*

*Guillelmus Abbas S. Theodorici in Tract. ad Fratres de Monte Dei, De Vita Solitaria, c. 8.*

*Eccli. 33. 29.*

Chriſtiane laborandum.

12. *Iis autem, qui ejuſmodi ſunt, denuntiamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto: ut cum ſilentio operantes, ſuum panem manducent.* Animalis homo cogente neceſſitate laborat ut panem lucretur carnis ſuæ; ſpiritualis vero & bonus Chriſtianus, ut Dei voluntati obſequatur, & cibum acquirat qui non perit. Ille in ſpiritu inquietæ ſolicitudinis: iſte in ſpiritu pœnitentiæ, humilitatis & pacis, *cum ſilentio.* Ille intuitu lucri temporalis: iſte intuitu æternæ mercedis, labores ſuos ſanctificans intentione ſancta charitatis; labores a Domino noſtro Jeſu Chriſto pro nobis in terris ſuſceptos pie recogitans, & per ipſum quotidie ſuum opus Deo & Patri noſtro offerens, a mundi tumultibus, a cupiditatum perturbationibus alienus. Qui ſic laborat *in incorruptibilitate modeſti & quieti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples*, *1. Petri 3. 4.* Chriſtiane laborat, Deo, & æternitati laborat, labore requiem emit ſempiternam. Chriſtianos agricolas, opifices manuarios duris & quotidianis operibus fatigatos, de ſorte ſua conquerentes, ac pene deficientes, Rectores animarum per viſcera charitatis Jeſu Chriſti obteſtentur, exhortentur, conſolentur, dicentes: *Multi multa patiuntur propter pecuniam perituram, & tu non vis pati propter vitam manſuram? Sic recuſas laborare pro Dei promiſſis, quaſi non labores pro cupiditatibus tuis. Quanta patiuntur pro ſua iniquitate latrones, quanta patiuntur pro ſuis ſceleribus perditi, pro ſua nequitia luxurioſi, pro ſua avaritia negotiatores mare tranſmeantes, ventis tempeſtatibuſque corpus & animam committentes, ſua relinquentes, ad ignota currentes? Judex ſi pronuntiat exſilium, pœna eſt, avaritia jubet exilium, & lætitia eſt. Quid ergo magnum tibi imperat Sapientia, quod non poſſet imperare avaritia? Et tamen cum imperat avaritia, facis & cum feceris quod imperat avaritia, quid habebis?* Audi Sapientiam per os Apoſtoli ſui præcipientem ut cum ſilentio operans, tuum panem manduces, non alienum, ut uſurarii, ut plerumque publicani, ut omnes qui rapinis, fraudibus & malis artibus lucrantur & diteſcunt. *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit.* *Pſal. 127. 2.*

*S. Aug. Serm. 38. alias De Tempore 94.*

In caritate & beneficentia non deficiendum.

13. *Vos autem, fratres, nolite deficere benefacientes.* A beneficentia & eleemoſynarum largitione deficere non debent divites, tametſi nonnulli ſint mendicantes validi, nolentes operari, paupertatem ſimulantes, ut ſtipem extorqueant, & panem alienum otioſi comedant. Severiori examine pauperes non ſunt examinandi. *S. Chryſoſt. Hom. 11. in Epiſt. ad Heb.* „ Exquire quomodo Abraham ſe exhiberet hoſpitalem ad omnes qui accedebant. Si de „ iis qui ad ipſum accedebant curioſe eſſet ſcrutatus, „ hoſpitio non excepiſſet Angelos: ſed quoniam omnes „ excipiebat, Angelos etiam excepit..... „ Quid „ perſonas eligis? Quid membra inſpicis? Pro homine tibi habendus eſt, quiſquis ideo precatur, quia „ te hominem putat. Abiice umbras illas imaginemque juſtitiæ, atque ipſam veram & expreſſam „ tene, *Imprimis tamen* largire cœcis, debilibus, „ claudis, deſtitutis, quibus niſi largiaris, moriendum „ eſt. Inutiles ſunt hominibus, ſed utiles Deo, qui „ eos vita, qui ſpiritu, qui lare dignatur. Fove, „ quantum in te eſt, & animas hominum, ne extinguantur, humanitate ſuſtenta. Qui ſuccurrere „ perituro poteſt, ſi non ſuccurrerit, occidit. Qui ex charitate, & ſolius Dei intuitu benefacere conſuevit, non facile deficit. Qui autem ob vanam gloriam,

*Lactantius lib. 6. Divin. Inſtitut. c. 11.*

riam, aut humanas rationes, vel importunitate pauperum victus, eleemoſynam erogat, mirum non eſt ſi deficiat. Arbor radicibus in terra non defixa citius areſcit. Chriſtianus in charitate non radicatus brevi deficit.

Cenſura medicinalis. *Tertullian. in Apologet.*

14. 15. *Quod ſi quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur*. Terribilis pœna; qua inobedientes & contumaces Chriſtiani a communicatione orationis & conventus & omnis ſancti commercii relegantur futuri judicii præjudicio. Caſtigatio gravis, ſed medicinalis. Non acerba & inhumana duritie, ſed prudenti & ſevera charitate infligi debet, ut pudore ſuffundantur peccatores & ad pœnitentiam, obedientiamque redeant, non ut perdantur: non hoſtili animo ad ſumendam ultionem, ſed fraterno, ad ſuſcitandam in ipſis charitatem. *Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem*. Pro illis privatim gemat oretque charitas, quos communium ac publicarum orationum ſuffragio privat juſta diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſeveritas. Cum ergo ad talem cenſuram neceſſitas cogit, „ humilitas lugentium debet „ impetrare miſericordiam, quam repellit ſuperbia „ ſævientium; nec illius ipſius qui de medio fratrum „ tollitur debet negligi ſalus; ſed ita agendum eſt ut „ ei talis vindicta ſit utilis; & agendum voto & „ precibus, ſi corrigi objurgationibus non poteſt. „ *Nam & virga Paſtoralis charitatem habet*. Sed „ aliud eſt caritas ſeveritatis, aliud caritas manſuetudinis. Una quidem caritas eſt, ſed diverſa in „ diverſis operatur. *Et nolite quaſi inimicum exiſtimare, ſed corripite ut fratrem*. Sic enim & diſci„ plina ſervat patientiam, & patientia temperat di„ ſciplinam, & utrumque refertur ad caritatem, ne „ forte aut indiſciplinata patientia ſoveat iniquita„ tem, aut impatiens diſciplina diſſipet unitatem.

*S. Auguſt. lib. 3. Contr. Epiſt. Parmen. c. 1.*

*Idem, lib. ad Donatiſtas poſt Collationem, cap. 4.*

16. *Ipſe autem Dominus pacis det vobis pacem ſempiternam in omni loco*. Pax mundi tam falſa, tam fallax, tam inconſtans ac ipſe mundus: pax Domini tam vera, tam ſincera, tam a locis ac temporibus independens ac Deus ipſe. In Eccleſiaſtico regimine, & peccatorum correptione pacifico ſemper animo debent eſſe Paſtores. „ Nihil enim tam utile ad per„ ficiendum ea quæ volumus, quam pacificum eſſe, „ & perturbatione vacare, neque ex odio videri „ quemquam objurgare.

*Theophylact.*

18. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum omnibus vobis. Amen*. Si gratia vobiſcum fuerit, qua a principio ſanctificati eſtis, omnes infirmitates veſtras ſanabit. Erit autem ſemper vobiſcum, ſi eam non expellatis. *Deus enim non deſerit, niſi deſeratur, ut pie ſemper juſteque vivatur*. Quodcumque bonum ſine gratia Chriſti vel nobis ipſis, vel amicis deſiderare poſſumus; nihil eſt, nec felices efficere poteſt. Gratiam amicis deſideremus, illis ad gratiam conſervandam ſerviamus, nihil ab illis exigamus quod illis aut nobis amittendæ gratiæ occaſio eſſe poſſit. Gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti magis in illis amemus; quam quælibet humanæ amicitiæ officia vel ſolatia. Illam a Deo & pro nobis, & pro ipſis in oratione petamus, ſine qua nihil ſancte amamus, aut operamur.

*S. Auguſtin.*

IN



# IN EPISTOLAM I. S. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM, COMMENTARIUS LITTERALIS ET MORALIS,

## PRÆFATIO.

CUM Epheſi aliquandiu commoratus S. Paulus, inde in Macedoniam pergere decreviſſet, Epheſinæ Eccleſiæ Timotheum diſcipulum ſuum Epiſcopum præfecit. In Macedonia vero apud Philippenſes aliquandiu manſit, ſicut eis ipſe ante promiſerat. Hinc iſtam ad Timotheum ſcripſit Epiſtolam extremis annis vitæ ſuæ, anno Chriſti circiter 66. Demandatum a ſe Timotheo docendi munus in ea commemorat, ut falſos Doctores doctrinæ Evangelicæ corruptores in Aſia coerceret, qui fabulas & genealogias interminatas venditabant. Docet finem præcepti eſſe caritatem de corde puro, de fide non ficta, & conſcientia bona, quam repellentes Hymenæus & Alexander, a fide defecerant. Quos Apoſtolus tradidit Satanæ, ut caſtigati diſcerent non blaſphemare. Orationes publicas fundi jubet pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus in ſublimitate conſtitutis, quia hoc acceptum eſt Salvatori noſtro Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & qui verus Mediator eſt Dei & hominum. In omni loco orandum eſſe docet, ac levandas puras manus ſine ira: Mulierum Chriſtianarum mores informat, modeſtiam in ornatu, ſilentium, ſubjectionem viris imperans. Poſt hæc Epiſcopi & Diaconi dotes deſcribit, & officia explicat, ut ſciat Timotheus quomodo converſari debeat in Eccleſia Dei, quæ eſt columna & firmamentum veritatis. Omnes Epiſcopos & Eccleſiæ Miniſtros in Timotheo inſtituit. Unde S. Auguſtinus tres Epiſtolas (Apoſtoli) ſcilicet duas ad Timotheum, & aliam ad Titum, ante oculos eum habere debere ait, cui eſt in Eccleſia Doctoris perſona impoſita. Præterea, futuros prædicit Apoſtolus Doctoris perſona impoſita. Præterea, futuros prædicit Apoſtolus Doctores erroris, qui nuptias prohibeant, & abſtinentiam imperent a cibis, quos Deus cravit ad percipiendum cum gratiarum actione. De Viduarum inſtitutione ſanctiſſimas regulas tradit. Presbyteros, qui bene præſunt, duplici honore dignos. Accuſationem adverſus Presbyterum non facile recipiendam; manus nemini cito imponendas docet. Formam doctrinæ divitibus hujus ſæculi prædicandæ tradit. Denique diſcipulum adhortatur ut depoſitum fidei cuſtodiat, devitans profanas vocum novitates.

*1. Tim. 1. 3.* Non ex Laodicæa ſcripta eſt hæc Epiſt. ubi numquam fuit S. Paulus, quamvis in Græcis codicibus ad finem Epiſt. hæc nota addita legatur ab inerudita manu.

S. Timoth. Epiſcopum Epheſinum, fuiſſe teſtatur *Euſebius lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 4.* Martyrio obiiſſe teſtatur Sophron. in Addit. ad Catalogum Virorum Illuſt. S. Hierony. & ejus Acta a Photio in compendium redacta.

*S. Auguſt. lib. 4. De Doctrina Chriſtiana, cap. 16.*

### CAPUT I.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. P*Aulus Apoſtolus Jeſu Chriſti, ſecundum imperium Dei Salvatoris noſtri, & Chriſti Jeſu ſpei noſtræ: Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, miſericordia, & pax a Deo Patre, & Chriſto Jeſu Domino noſtro*. Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti ſecundum delegationem, ordinationem, ac mandatum Dei Patris, qui ſalutem nobis dedit per Filium ſuum, & Chriſti Jeſu, qui ſpei noſtræ Auctor, objectum, & fundamentum eſt: Timotheo dilecto filio, mihi in fidei prædicatione conjunctiſſimo, gratiam, miſericordiam, & pacem a Deo Patre, & Chriſto Jeſu Domino noſtro adprecor. Filium in fide Timotheum non vocat Apoſtolus, quod illum ad fidem converiſſet, Chriſtianus enim erat antequam Paulus eum noviſſet, ſed quia a Paulo aſſumptus, ei ut filius Patri ſpirituali, ut diſcipulus Magiſtro unanimis adhæſit, ejuſque in prædicatione fidei adjutor fuit, Apoſtolicarum ejus virtutum præclarus imitator.

Secundum Græcum, *germano filio in fide.*

*Act. 16. 1. 2.*

3. 4. *Sicut rogavi te ut remaneres Epheſi, cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibuſdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogiis interminatis: quæ quæſtiones præſtant magis quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide*. Te iterum rogo, ſicut rogavi cum in Macedoniam proficiſcerer, ut remaneres Epheſi, ut cum auctoritate præcipias quibuſdam, quorum parco nomini & pudori, & quos optime noſti, ne diverſam ab ea, quam tradidi, doctrinam doceant, neque Judaicis commentis, & nugis, quibus in explicatione Hiſtoriæ ſacræ & Legis luxuriantur eorum Doctores, attendant; nec genealogiis quarum non eſt finis, perſcrutandis & venditandis ſtudeant: quæ diſputationes inutiles & contentiones magis pariunt, quam ædificium Dei per fidem fundent, ſtabiliant, ac promoveant. „ Scilicet, qui ex Judæis cre„ diderant, propter veteris Teſtamenti cognitionem „ gloriantes, iis qui ex Gentibus crediderant quaſdam „ quæſtiones proponebant, eos ut divinorum eloquio„ rum ignaros redarguere conati: atque ut legalem „ vitæ inſtitutionem ſervarent perſuadere niteban„ tur: ductas ex Abraham & David recenſebant ge„ nealogias, perſcrutantes ſcilicet an ex iis Dominus „ ſecundum carnem natus ſit. Præcipit ergo divinus „ Apoſtolus Timotheo, ut his quidem os obſtruat, „ eiſque non permittat ut doctrinæ regulam corrum„ pant: aliis autem jubeat ut eorum nugis non at„ tendant. Fabulas autem vocavit, non legis doctri„ nam, ſed Judaicam interpretationem, quæ ab eis „ vocatur *Deuteroſis*. Similiter *genealogias interminatas* non vocat, quæ in ſacris Parilipomenon libris, & in Evangeliis SS. Matthæi & Lucæ deſcribuntur: ſed privatas genealogias, quas Judæi ex privatis familiarum ſuarum ſcriniis, vel inanis cognitionis vel oſtentationis cauſa proferebant, ut ſuum genus & nobilitatem prædicarent. Variæ autem diſceptationes circa hujuſmodi genealogias oriebantur, præſertim poſt captivitatem Babylonicam; a quibus, utpote inutilibus abſtineri jubet Apoſtolus, ac incorruptæ fidei doctrinæ a ſe traditæ attendi, qua mens illuminatur, & divinæ diſpenſationes pateſiunt. Falſas igitur Judæorum Traditiones, pernicioſaque dogmata, ædificationi fidei contraria, & inutiles quæſtiones circa genealogias Apoſtolus prohibet, non quæ ad Scripturæ ſacræ intelligentiam & fidei confirmationem conducunt. 2. Fabularum & genealogiarum infinitarum nomine, nihil etiam vetat deliria Gentilium intelligi, qui deorum ſuorum ſeriem & genealogias, filios & nepotes enumerabant. Ex his commenta ſua hauſere Simon Magus, & Gnoſtici, quibus nova errorum portenta Valentiniani poſtmodum addiderunt. Hinc Tertullianus: *Sed qui ex alia conſcientia venerit fidei, ſi ſtatim inveniat tot nomina Æonum, tot conjugia, tot genimina, tot exitus, tot eventus, felicitates, infelicitates, diſperſæ atque conciſæ divinitatis, dubitabitne pronuntiare, has eſſe fabulas & genealogias interminatas, quas Apoſtoli ſpiritus, his jam tunc pullulantibus ſeminibus hæreticis, damnare prævenit*. Similes fabulas & genealogias cum falſi quidam Doctores Evangelicæ doctrinæ comminiſcerent, ac Epheſiis venditarent, ut periti viderentur, huic malo Timotheum ſuum obviam ire ac mederi jubet Apoſtolus.

*S. Chryſoſtom. Hom. 1.* *Theodoret.*

Lege & *S. Auguſt. lib. 2. contra Adverſar. Legis & Proph. cap. 1.*

*S. Chryſoſtom. Homil. 1. in hanc Epiſtol. Tertull. lib. adverſus Valentin. c. 3.*

5. *Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*. Fabulis illis ac nugacibus & inutilibus quæſtionibus relictis, ſtudendum potius eſt charitati, ad quam lex omnis, & præceptorum multitudo ut ad finem collineat ac refertur, & quæ legis perfectio eſt & conſummatio. Charitatis autem characteres ſunt ut ſit ex corde puro & pravis affectibus vacuo. 2. Ex conſcientia bona, qua vir Chriſtianus ſibi bonæ voluntatis ac bonorum ope-

Confer cum *Rom. 13. 10.*

operum conſcius eſt, propter quod in ſpem æternæ felicitatis erigitur. 3. Ex fide non ficta, qua ſcilicet in Chriſtum ſincere creditur. Fidem non fictam opponit Apoſtolus ſimulatæ falſorum Doctorum fidei, qui ſe Legis & Scripturæ Sacræ auctoritatem ſequi gloriabantur, ut rudibus atque imperitis per Fidei ſpeciem imponerent.

Metaphora a malis jaculatoribus ſumpta, quia a ſcopo aberrant.

6. 7. *A quibus quidam aberrantes converſi ſunt in vaniloquium*. A quibus, ſcilicet a cordis puritate, conſcientiæ bonitate, & ſinceritate fidei, poſtquam aberraverunt aliqui, ad vanam dicacitatem, ad ſtudia inutilia & infrugifera, ad vanas doctrinas, ad quæſtiones ſupervacaneas, & nugaces; ad diſputationes inanes deflexerunt, *Volentes eſſe legis doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant:* Volentes videri Legis periti, & Magiſtrorum nomen affectantes; cum tamen non intelligant quæ ſibi docenda propoſuerunt, & de quibus tam affirmate diſſerunt.

Græce, νομίμως, *ex legibus.*

Lex ſecundum præcepta moralia conſonat Evangelio: ſecundum præcepta ceremonialia, præfigurabat Evangelium & ad illud præparabat.

8. *Scimus autem quia bona eſt lex, ſi quis ea legitime utatur*. Hæc autem non ita velim intelligi, quaſi legem accuſem, abſit. Scimus bonam eſſe legem, utpote a Deo optimo maximo latam, bona præcepta continentem, peccata oſtendentem ac damnantem, ad Chriſtum manuducentem. Bona, inquam, eſt, ſi quis ea utatur ad eum finem, ad quem a Deo data eſt, ut ſcilicet per eam ad Chriſtum ducatur, eamque ſe viribus propriis obſervare non poſſe ut par eſt, agnoſcens, gratiæ ipſius adjutorium imploret, ut in eum credendo, & præcepta legis, mores ſpectantia, & per Evangelium renovata obſervando; per ipſum juſtus fiat, & vitam æternam conſequatur.

9. 10. 11. *Sciens hoc quia lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis, & non ſubditis, impiis & peccatoribus, ſceleratis, & contaminatis, parricidis, & matricidis, fornicariis, maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & perjuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur, quæ eſt ſecundum Evangelium gloriæ beati Dei, quod creditum eſt mihi*. Ad bonum porro legis uſum pertinet ut ſciamus ipſam non eſſe juſto poſitam ut eum terreat minis, ut invitum premat velut onus, ut ei pœnas irroget: quamvis & ipſi lata ſit ut eum dirigat præceptis, ut promiſſis conſoletur, ut præmiis remuneret. Sed poſita eſt ad terrorem, damnationem, & punitionem eorum qui juſtitiam oderunt; qui naturæ legi non obſequuntur, & rebelles ſunt atque contumaces adverſus eos qui Dei vice illos regunt: lata eſt adverſus impios, ſacrilegos, blaſphemos, adverſus inſignium flagitiorum reos, & qui nulla religione, nullo Dei aut hominum metu poſſunt a nefariis operibus revocari, adverſus parricidas & parentum percuſſores, homicidas, fornicatores, abominandæ libidinis reos; adverſus eos qui fraude aut aperta vi homines furantur & abducunt, ut pro mancipiis vendant; adverſus eos qui cum alterius damno mentiri, & fidem in contractibus fallere non verentur; adverſus perjuros; & quicquid aliud ſanæ & incorruptæ doctrinæ & inſtitutioni morum adverſatur, quæ conſentanea eſt Evangelio, quo Dei per naturam beati gloria manifeſtatur & prædicatur, & quod æternam gloriam pollicetur credentibus: cujus quidem Evangelii prædicatio mihi concredita eſt. Quæ ab Apoſtolo hic enumerantur crimina, & alia quæ generali clauſula complectitur, *& ſi quid aliud, &c.* a lege fieri prohibentur. *Qui autem ab his abſtinet, legis præcepto non indiget*.

*Theodoret.*

Exiſtimari fidelem a Deo, eſt, effici fidelem, ſicut *reputare ad juſtitiam*, Rom. 4. 3. eſt *juſtificare*, & non *imputare peccatum*, eſt *peccatum remittere*. Pſal. 31. 2.

12. 13. *Gratias ago ei, qui me confortavit, Chriſto Jeſu Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimavit, ponens in miniſterio*. Gratias habeo Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vires mihi dedit ut inter tot perſecutiones & pericula potenter, fortiter, conſtanter Evangelium ejus prædicarem: qui fidelem me exiſtimavit, id eſt, effecit, me Apoſtolatum vocans, & Evangelii Miniſtrum conſtituens, *Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus: ſed miſericordiam Dei conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate:* Me qui prius eram in Chriſtum blaſphemus, ejuſque in Eccleſia & membris ſuis perſecutor, & Chriſtianorum contumelioſus inimicus & oppreſſor: ſed miſericordiam a Deo conſecutus ſum cum profundis ignorantiæ & infidelitatis tenebris jacerem. Extrema miſeria mea infinitam Dei miſericordiam commovit, qua me prævenit talia per ignorantiam facientem, & nondum fide illuminatum, ſed ægroto ſimilem, qui per inſaniam, ſeu phreneſim Medicum verberat quem non novit.

Ignorantiæ peccata, ſi voluntaria & affectata non ſit, minus gravia ſunt, & facilius a Deo condonantur quam peccata malitiæ. Ignorantia & incredulitas Pauli eum venia dignum non fecit, ſed minus indignum quam ſi ex malitia peccaſſet, & agnitam impugnaſſet veritatem. Hæc verba ſi cum Verſ. 13. conferantur, compertum erit, Apoſtolum ignorantiam & incredulitatem ſuam non commemoraſſe ut peccatum ſuum extenuaret.

14. *Superabundavit autem gratia Domini noſtri, cum fide, & dilectione, quæ eſt in Chriſto Jeſu*. In me autem ſupra modum exuberarunt gratia Chriſti Domini noſtri, ejuſque fides, dilectio, & alia dona: ſiquidem mihi non ſolum peccata remiſit, ſed & fidei lumine me illuſtravit, & mihi dedit ut eum diligam, & Apoſtolatum mihi contulit. Fidem opponit incredulitati, dilectionem ſævitiæ.

15. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: quod Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum*. Certa & indubitata veritas eſt, & digna quam amplectamur & cum reverentia & humili fide ſuſcipiamus: Chriſtum Jeſum in hunc mundum veniſſe, Filium Dei incarnatum fuiſſe, inter homines vixiſſe, docuiſſe, paſſum ac mortuum eſſe, ut peccatoribus ſalutem conferret, cujus partes ſunt converſio, remiſſio peccatorum, juſtificatio, & glorificatio. Quos inter peccatores, meo quidem judicio, ſum maximus. *Sum*, pro *fui*, interdum uſurpari Primaſius obſervat. Primum, non abſolute inter omnes peccatores, ſed inter peccatores Chriſti miſericordia ſalvatos, S. Paulum ſe profiteri S. Thom. exiſtimat.

Ad totam Trinitatem hanc glorificationem Theodoretus, aliique Græci referunt: ſed etſi ad Patrem referatur, certum eſt particulam excluſivam a creaturis ſolis, non a Filio & Spiritu ſancto, immortalitatem, inviſibilitatem, atque divinitatem removere, ut diſerte oſtendit *S. Chryſ. Homil.* 4.

16. *Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum: ut in me primo oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem patientiam, ad informationem eorum qui credituri ſunt illi, in vitam æternam*. Sed propterea miſericordiam obtinui, ut primus eſſem in quo Chriſtus Jeſus ſummam ſuam longanimitatem demonſtraret, qua me ad pœnitentiam expectavit, & clementer vocavit ac ſuſcepit: ut exemplum eſſem eorum, qui ad finem uſque ſeculi in illum credituri ſunt, & per eamdem fidem ad vitam perventuri ſunt æternam: ut & ipſi, quantumvis magni peccatores, veniam a divina bonitate, miſericordia, & clementia ſperent.

17. *Regi autem ſeculorum immortali, inviſibili, ſoli Deo, honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen*. Regi totius univerſi ab initio quo conditum eſt uſque in æternum, immortali; qui nec oculis corporis, nec ab ipſa mente videri poteſt, ut in ſe eſt, quandiu mortalem vitam agimus, nec poteſt uſpiam cogitatione comprehendi; ei qui ſolus eſt verus Deus, honor & gloria ut omnium bonorum principio & fini tribuatur per totam æternitatem. Fiat. Græci codices habent, μόνῳ σοφῷ θεῷ, *ſoli ſapienti Deo;* ſed vox illa σοφῷ, non habetur in veteri MS. Alexandrino, nec eam in ſuis Codicibus legit Sanctus Hieronymus, nec habet Syriaca Verſio.

Timotheus per divinam revelationem ad prædicationis miniſterium & Paſtorale munus electus & ordinatus. *2. Tim. 2. 17. & cap. 14. 15.*

18. 19. *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundum præcedentes in te prophetias, ut milites in illis bonam militiam*. Hoc igitur præceptum, fili Timothee, velut depoſitum, cujus ſanctiſſima fides, tibi commendo, ut prophetias olim de te factas implere ſtudens, omnibus ſanctæ militiæ officiis ſtrenue, fideliter, ac fortiter perfungaris. *Habens fidem, & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt*. Conſtanter retinens fidem ac ſanam doctrinam & vitam inculpatam, quæ bonæ conſcientiæ fructus eſt, qua repulſa, ſcilicet bona conſcientia, quidam fidei naufragium fecerunt ac perierunt, ad ſcopulos errorum alliſi.

20. *Ex quibus eſt Hymenæus, & Alexander: quos tradidi ſatanæ, ut diſcant non blaſphemare*. De quorum numero ſunt Hymenæus, & Alexander: quos diabolo tradidi per excommunicationem, qua eos ab Eccleſia ejecit; ut caſtigati diſcant Eccleſiæ fidem non irridere, & contumeliis impetere. Vel, ne blaſphemias ſuas impune ferant. An vero corporaliter etiam vexandos diabolo tradiderit Apoſtolus, quod S. Chryſoſtomo viſum eſt, non omnino certum.

---

## C A P U T I.

*Senſus Moralis.*

1. 2. P*Aulus Apoſtolus Jeſu Chriſti ſecundum imperium Dei Salvatoris noſtri, & Chriſti Jeſu ſpei noſtræ: Timotheo dilecto filio in fide. Gratia, miſericordias & pax a Deo Patre, & Chriſto Jeſu Domino noſtro*. Eccleſiaſticum miniſterium ſuſcipere nemo debet niſi *ſecundum imperium Dei*. Qui paſtoralem curam poſtulat, & hominum commendatione & gratia eam obtinere nititur, ea indignus eſt. Apoſtolorum nemo hanc a Chriſto dignitatem poſtulavit, ſed ejus imperio ac miſſione munus Apoſtolicum ſuſceperunt. Unus ex Legis peritis, & alter ab immundo ſpiritu exagitatus, ac Domini Jeſu virtute liberatus, poſtulare auſi ſunt, ut eos in Diſcipulorum ſuorum numerum cooptaret, ſed repulſam ſunt paſſi. Paulus, quem Deus ab æterno Doctorem Gentium elegerat, quem Chriſtus e cœlo vocaverat, munus Apoſtolicum obire non eſt auſus, niſi Dei mandato ſingulari. *Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod aſſumpſi eos*, ait Spiritus ſanctus. Pauli Apoſtoli veſtigia ſecuti ſunt ſancti quique Epiſcopi, Paſtorale munus, & onus Angelicis humeris tremendum reſpexerunt, nec ſuſceperunt niſi cognita Dei voluntate. Teſtes SS. Ambroſius, Chryſoſtomus, & alii. Quam indigni igitur Eccleſiaſtico Miniſterio, & Officio Paſtorali, qui ex

Paſtoralem curam nemo ambire, & pro ſe poſtulare debet. *Matth. 18. 19. Luc. 9. 57. 58. Marci 5. 18. 19. Act. 13. 2.*

levi-



*Epheſ. 4. 12.*

levitate, præſumptione, ambitione, cupiditate in illud irrepunt? An illi idonei ſunt, qui *ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti* aſſumantur? Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ, Timothei eſſe debent, genuini Apoſtolorum filii, illis ſimiles *Fide* ſincera, fervente, conſtante & inconcuſſa; Paulum referentes caritate, zelo ſalutis animarum, mortificatione, humilitate; magnanimitate & fortitudine; qui ea duntaxat mala reformident, a quibus nos *miſericordia* Dei Patris liberat, ea tantum bona ſperent, quæ *Gratia Chriſti Jeſu*, per ejus merita nobis parit; illam ſolummodo *pacem* deſiderent & quærant, quam Spiritus ſanctus in juſtorum cordibus operatur. Rectores animarum miſericordiæ Dei cooperatores in earum ſalute procuranda eſſe debent, omnibuſque ſtudiis ac viribus eniti, ut eas ad Chriſtum Jeſum ſpem noſtram perducant. Cum autem in Paſtorali munere multa pericula ſuſtinenda ſint, adverſa quæque toleranda, difficultates innumeræ ſuperandæ, diabolo tam adverſus Paſtorem quam adverſus oves vehementius furente, ut eo percuſſo grex totus diſſipetur: ad Chriſtum ſpem noſtram animum erigant. Salvatorem habemus Deum, & Chriſtum ſpem noſtram. Patimur multa, ſed magna nitimur ſpe: pericula, inſidiaſque perpetimur, ſed Salvatorem habemus, non homi-,, nem, ſed Deum. Neque igitur qui ſalvat, infir-,, mus eſt: Deus quippe eſt; & quantacumque peri-,, cula fuerint, nos ſuperare non poterunt: neque ,, ſpes noſtra confunditur, Chriſtus enim eſt. Non in Lege & ejus ceremoniis, ut carnales Judæi, ſpem ſalutis noſtræ collocamus, ſed in Chriſto, per cujus paſſionem & merita, non aliunde veniam peccato-,, rum, veram Legis obſervantiam, & vitam æter-,, nam ſperamus. His igitur duobus adminiculis ,, maximis freti, Dei miſericordia, Gratia Chriſti ,, Jeſu ſpei noſtræ, pericula & adverſa quæque ſu-,, ſtinemus, quod ſcilicet aut celeriter liberamur, ,, atque ſalvamur; aut meliori ſpe nutriti atque roborati cuncta facile toleramus. Denique Dei miſericordiam, quæ gratiæ, pacis, omniumque mediorum quibus ſalvamur, fons eſt, & pro ſuis ovibus, & pro ſe ipſis, aſſidue implorare debent Rectores animarum. *Paſtores* enim *longe maxima miſericordia indigent*.

*S. Chryſoſt. Hom. 1. in hanc Epiſt.*

S. Pauli prudentia, caritas, & vigilantia Paſtoribus imitandæ.

3. 4. *Sicut rogavi te ut remaneres Epheſi cum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibuſdam ne aliter docerent, neque intenderent fabulis & genealogiis interminatis: quæ quæſtiones præſtant magis, quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide*. Paſtores cuncti Pauli modeſtiam imitari decet, qui cum præcipere poſſet Timotheo, ut pater filio, ut præceptor diſcipulo, rogare maluit & exhortari, quam imperare. ,, Non tamen erga omnes diſcipulos paſſim affectus ,, iſte ſervandus eſt, verum ad eos qui & manſuetu-,, dine & virtute ſunt prædici: Ceterum ad eos qui ,, non ſunt hujuſmodi alia ratione affici neceſſe eſt, ,, quemadmodum & ipſe alibi ſcribit: *Argue cum omni imperio*: Et hic ait: *Ut denuntiares quibuſdam ut aliter docerent*. Ut denuntiares, inquit, non ut rogares. 2. S. Pauli prudentiam & charitatem Paſtores imitentur; ſubditorum inordinate ambulantium nomini parcant & famæ conſulant, quantum fieri poteſt; ipſoſque privatim admoneri curent & corripi, ut emendentur. Cum enim publice ac nominatim arguuntur, plerumque impudentiores fiunt & contumaces. *Ut denuntiares quibuſdam*. 3. Unum ex præcipuis Epiſcopi officiis eſt doctrinæ puritati invigilare, ne peregrinarum doctrinarum, errorum, ac profanarum novitatum admixtione corrumpatur, ne Traditionis Apoſtolicæ ſacratiſſimum depoſitum violetur. *Ne aliter docerent*: 4. Prohibere debet ne in Scholis Chriſtianis & ſacris Pulpitis, quæſtiones ſupervacaneæ, inutiles, ineptæ, quæ contentiones pariunt, nihil vero conferunt ad fidei doctrinam confirmandam, exponendam, illuſtrandam, vel ad pietatem promovendam; immo vero fidei aut pietati impedimentum afferunt, aut diſſidia excitare poſſunt, & pacem Eccleſiæ perturbare, attingantur, & tractentur. Procul ab Eccleſia, quæ columna eſt veritatis, quicquid incertum, fabuloſum, & ejus fide indignum eſt: procul a domo caritatis & ſchola veritatis, quicquid contentiones, diſſenſiones, ſchiſmata & ſcandala excitare poteſt. *Neque intenderent fabulis quæ quæſtiones præſtant magis quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide*, Scripturæ ſacræ, Traditioni Eccleſiæ definitionibus ac Decretis, firmiter & obedienter inhærendum & acquieſcendum eſt. ,, Ubi fides eſt, nulla quæſtionis neceſſitas eſt. Ubi ,, nihil oportet curioſe perquirere, quid opus eſt ,, quæſtione! Quæſtio nempe fidem tollit. Qui enim ,, quærit, nondum invenit. Qui quærit, credere ,, difficile poteſt. Idcirco, *inquit*, non vacemus hu-,, juſmodi quæſtionibus: Nam ſi quærimus, id fides ,, non eſt. Fides enim animum cogitationemque facit ,, conquieſcere .... Magna ſunt quæ dare nobis vo-,, luit Deus ſed non capit anima diſpenſationum ,, ipſius magnitudinem. Fide igitur opus eſt: ea ,, enim animarum medicamentum maximum ac ſa-,, luberrimum eſt. Quæſtio igitur Dei diſpenſationi ,, contraria eſſe perhibetur. Quid enim fides efficit ,, ac molitur in nobis; Ut ipſius beneficia grato ,, animo ſuſcipiamus, evadamuſque meliores. Non ,, permittit de re nulla contendere aut ambigere, ſed ,, requiem ab his omnibus præſtat. Quæ enim fides ,, ædificat, ea quæſtio prorſus evertit. Non igitur in-,, tendamus queſtionibus. Fideles enim ideo vocati ,, ſumus, ut his quæ dicuntur ſine ulla hæſitatione ,, credamus, ut nihil omnino dubitemus. Nam ſi ,, humana eſſent quæ dicuntur, oporteret ea merito ,, diſcuti: quod ſi divina ſunt honoranda ſolummodo ,, atque credenda cenſentur.

*S. Chryſoſt.*

*Ad Tit. 2. 15.*

*S. Chryſoſt.*

*S. Chryſoſt. Hom. 1.*

5. *Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*. Lex & Evangelium referuntur ad finem caritatis; Scripturæ veteris & Novi Teſtamenti recte explicari non poſſunt niſi caritatis regnum ſtabilitum inveniatur, in quo ſumma totius juſtitiæ & ſanctitatis Chriſtianæ conſiſtit, *Divinarum Scripturarum multiplicem abundantiam, multiplicemque doctrinam, ſine ullo errore comprehendit, & ſine ullo labore cuſtodit, cujus cor plenum eſt caritate ... Totam magnitudinem & latitudinem divinorum eloquiorum ſecura poſſidet caritas, qua Deum proximumque diligimus. Docet enim nos cæleſtis unus Magiſter & dicit:* ,, Diliges Dominum ,, Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima ,, tua, & ex tota mente tua, & diliges proximum ,, tuum ſicut teipſum. In his duobus præceptis uni-,, verſa Lex pendet, & Prophetæ. *Si ergo non vacat omnes paginas ſanctas perſcrutari, omnia involucra ſermonum evolvere, omnia Scripturarum ſecreta penetrare, tene caritatem ubi pendent omnia: ita tenebis quod ibi didiciſti. Si enim noſti caritatem, aliquid noſti unde & illud pendet quod forte non noſti: & in eo quod in Scripturis intelligis, caritas patet: in eo quod non intelligis, caritas latet. Ille itaque tenet & quod patet & quod latet in divinis ſermonibus, qui caritatem tenet in moribus.* ,, Quapropter ſectamini ,, caritatem: dulce ac ſalubre vinculum mentium, ,, ſine qua dives pauper eſt, & cum qua pauper di-,, ves eſt. Hæc in adverſitatibus tolerat, in proſpe-,, ritatibus temperat; in duris paſſionibus fortis, in ,, bonis operibus hilaris, in tentatione tutiſſima, in ,, hoſpitalitate latiſſima, inter veros fratres lætiſſima, ,, inter falſos patientiſſima. In Abel per ſacrificium ,, grata, in Noe per diluvium ſecura, in Abrahæ ,, peregrinationibus fideliſſima, in Moyſe per inju-,, rias leniſſima, in David tribulationibus manſuetiſ-,, ſiſſima. In tribus pueris blandos ignes exſpectat; ,, in Machabæis ſævos ignes fortiter tolerat, caſta ,, in Suſanna erga virum, in Anna poſt virum, in ,, Maria præter virum. Libera in Paulo ad arguen-,, dum, humilis in Petro ad obediendum, humana in ,, Chriſtianis ad confitendum, divina in Chriſto ad ,, ignoſcendum .... Quanta eſt iſta? Anima littera-,, rum, prophetiæ virtus, Sacramentorum ſalus, ,, ſcientiæ ſolidamentum, fidei fructus, divitiæ pau-,, perum, vita morientium. Sectamini ergo caritatem, *de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta*. Cor caſtum eſt, cui non dominatur cupiditas & amor proprius *cum nihil aliud niſi quod diligendum eſt, diligitur ...* Si in terra *erit cor, id eſt, ſi eo corde quiſque operetur aliquid ut terrenum commodum adipiſcatur, quomodo erit mundum, quod in terra volutatur? Si autem in cœlo, mundum erit, quia munda ſunt quæcumque cœleſtia. Sordeſcit enim aliquid cum inferiori miſcetur naturæ, quamvis in ſuo genere non ſordidæ; quia etiam de puro argento ſordidatur aurum, ſi miſceatur: ita & animus noſter terrenorum cupiditate ſordeſcit*. Cor purum eſt, cum intentio pura & recta eſt, & propter unam Dei gloriam operamur. Caritas vera non eſt, niſi ſit ex *conſcientia bona*: Nam & latrones, & homicidæ, ſimiles ſuos ſceleratos amant. Si conſcientia nos redarguit quod Dei legem violemus, quod divitias, honores, voluptates Deo in corde noſtro præponamus, quod proximum noſtrum oderimus aut ipſi invideamus, quod duri & immiſericordes in pauperes ſimus, quod injurias nobis illatas condonare nolimus, quomodo caritas Dei manet in nobis? *Si quis dixerit, Diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Caritati conſcientiam bonam conjunxit Apoſtolus propter ſpem: *Ille enim ſe ad id quod credit & diligit perventurum eſſe deſperat, cui male conſcientiæ ſcrupulus ineſt*. Caritas denique *ex fide non ficta* naſcitur. ,, Fide enim titubante, caritas etiam ipſa langueſcit. Nam ſi a Fide

,, quiſ-

*S. Aug. Serm. 130. alias De Tempore 39.*

*Matth. 27. 37. &c.*

Caritas ſanctarum Scripturarum clavis & finis. Caritatis caracteres.

*S. Aug. l. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 40. Idem l. 2. de Serm. Dom. in Monte, c. 13.*

*1. Jo. 40. 20.*

*S. Aug. l. de Doctr. Chriſt. c. 40. Ib. c. 37.*

„ quiſque ceciderit, a caritate etiam neceſſe eſt cadat: non enim poteſt diligere quod eſſe non credit: porro ſi & credit & diligit, bene agendo, & præceptis morum bonorum obtemperando efficit ut etiam ſperet ſe ad id quod diligit eſſe venturum. Quæ vero fides ficta? Reſpondet S. Bern. Quæ ſuſcepta quidem ex caritate vita moveri inchoat ad bene operandum, ſed non perſeverans deficit, & moritur tamquam abortiva.

*S. Bern. Tract. de Moribus & Officio Epiſcopor. cap. 4.*

6. 7. *A quibus quidem aberrantes, converſi ſunt in vaniloquium, volentes eſſe Legis Doctores, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* A ſcopo aberrant, & de Religionis Myſteriis, de Lege ac mandatis Dei, ut par eſt, non loquuntur Paſtores, Doctores, & Concionatores, qui finem Legis, Chriſtum Jeſum; & finem præceptorum, caritatem, præ oculis & in animo non habent. Hæc veteris Teſtamenti clavis, ſubſtantia novi. Qui caritate ex corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta naſcente deſtituti, divini verbi prædicationi ſe ingerunt, & Paſtorale munus ſuſcipiunt, volentes eſſe legis Doctores, in vaniloquentiam deflectunt, non intelligentes neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Quomodo enim de Deo, qui caritas eſt, & de Religione, quæ finem habet caritatem, indignè loquerentur homines caritate & vera pietate vacui? Quomodo intelligerent quæ loquuntur, & de quibus affirmant, qui Scripturas ſacras non legunt, qui legem Domini non meditantur? *Qui cum ſermone compoſito aures populi mulſerint, quicquid dixerint, hoc Dei legem putant, nec ſcire dignantur quid Prophetæ, quid Apoſtoli ſenſerint, ſed ad ſenſum ſuum incongrua aptant teſtimonia: quaſi grande ſit, & non vitioſiſſimum docendi genus, depravare ſententias, & ad voluntatem ſuam Scripturam trahere repugnantem... Puerilia ſunt hæc, & circulatorum ludo ſimilia, docere quod ignores: immo ne hoc quidem ſcire quod neſcias.*

*S. Hier. Epiſt. ad Paulinum.*

Zelatores legis videri volunt, qui legem non diligunt. Quomodo enim diligerent legem, qui non habent caritatem? Eorum cæcitas pœna ſuperbiæ eſt, & malæ conſcientiæ fœtus, quia clauſerunt oculos cordis divinæ veritati, cujus capax non eſt niſi mens a vitiis libera. Tanto igitur apertius & evidentius Paſtor, Doctor, Concionator veritates Religionis cognoſcit, quanto magis in caritate proficit, & ejus ſimplicitate cor habet mundatum, quia ipſo interiore oculo videtur veritas. *Beati* enim *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*; qui *veritas eſt*.

*S. Aug. de Agone Chriſtiano cap. 33.*

*Matth. 5.*

8. *Scimus autem quia bona eſt lux, ſi quis ea legitime utatur.* Hæc ſententia & illos refellit, qui lege utuntur male, & eos qui illam opinantur malam. Bona Lex quæ demonſtrabat infirmitatem, & promittebat indicabatque Salvatorem. Lege abutitur, qui illi tribuit, quod uni gratiæ Salvatoris convenit. Regula noſtra eſt, non virtus noſtra; lumen noſtrum, non juſtitia noſtra; dux noſter, non via noſtra; monitor, per quem cognoſcimus peccatum; non Salvator noſter per quem remittitur peccatum, & peccatores ſanctificantur. „ Lege *autem* utitur legitime, qui intelligens quare ſit data, per ejus comminationem confugit ad gratiam liberantem. Huic gratiæ qua juſtificatur impius, quiſquis ingratus velut ad legem implendam de ſuis viribus fidit, ignorans Dei juſtitiam, & ſuam volens conſtituere, juſtitiæ Dei non eſt ſubditus: ac per hoc fit ei Lex non abſolutionis adjutorium, ſed vinculum criminis. *Non quia Lex malum eſt, ſed quia* peccatum, *ſicut ſcriptum eſt*, per bonum *talibus* operatur malum. *Per mandatum enim gravius delinquit, qui per mandatum ſcit quam malum ſit quod admittit.* Lege bene utitur, qui per illam cognoſcens quid ſibi datum fuerit a Deo, illi gratias agit; & cognoſcens quid ſibi deſit, illud in oratione humiliter petit. „ Nam & ipſa Lex in hoc adjutorium data eſt illis, qui ea legitime utuntur, ut per illam ſciant vel quid juſtitiæ jam acceperint, unde gratias agant; vel quid adhuc eis deſit, quod inſtanter petant. Bonus autem legis uſus non eſt a liberi arbitrii viribus, ſed ex gratia, quia *Libertas ſine gratia non eſt libertas, ſed contumacia.*

Bonus uſus Legis.

*S. Aug. Epiſt. 145. al. 144.*

*Rom. 7. 13.*

*Idem Epiſt. 157. al. 89.*

*S. Auguſt.*

9. 10. 11. *Sciens hoc quia Lex juſto non eſt poſita.* Non eſt illi neceſſaria Lex ſcripta in lapideis tabulis, qui ſcriptam gerit Spiritu Dei vivi in tabulis cordis. „ Cur minaretur amanti? Cur puniret obedientem? Non opus habet terrente littera, quem delectat ipſa juſtitia. Qui ad id virtutum culmen evaſit, ut non legis metu recte factis inſiſtat, ſed virtutis tantum gratia, hic ea legitime atque ſecure utitur. Si quis ea ita utitur ut non metuat eam, ſed futurum magis ſupplicium ſemper ante oculos habeat, hic ea legitime utitur. Juſto igitur Lex non eſt poſita, qui ab ea erudiri opus non habet. Quemadmodum enim litterarum apices pueris proponuntur; porro qui eas docet, non ex ipſis excellit, verum aliunde peritiæ gloriam promeretur, atque ex ea eruditione præſtantius utitur litteris: ita & qui legem tranſcendit, nihil opus habet doceri lege. Qui enim non metu ipſam exequitur, ſed ex virtutis deſiderio, hic illam dignius ceteris ac præſtantius implet: Neque enim pari conditione is qui ſupplicium veretur, & qui honorem appetit, legem implet. Non ſimiliter enim ſervat, qui ſub lege, & qui ſupra legem eſt: Nam ſupra legem vivere, id tandem eſt ea legitime uti. Ille enim ea legitime utitur, qui majora quam ipſa præcipit, perficit; qui ab ea non eruditur. Lex enim ut plurimum circa malorum interdicta verſatur. At id juſtum neminem facit, ſed ſola bonorum operum exercitatio. Itaque *Lex juſto non eſt poſita*. Non tamen juſti ſunt ſine lege. Alia enim lex eſt promulgata a ſpiritu ſervitutis in timore; alia a Spiritu libertatis in ſuavitate. Nec ſub illa coguntur eſſe filii, nec ſine iſta eſſe patiuntur. Vis audire quia juſtis non eſt lex poſita? *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore.* Vis audire quod tamen ſine lege caritatis non ſint? *Sed accepiſtis*, inquit, *Spiritum adoptionis filiorum Dei.* Denique audi juſtum utrumque de ſe fatentem, & quod non ſit ſub lege, nec tamen ſine lege ſit. *Factus ſum*, inquit, *his qui ſub lege erant, quaſi ſub lege eſſem, cum ipſe non eſſem ſub lege. His qui ſine lege erant, tamquam ſine lege eſſem, cum ſine lege Dei non eſſem, ſed in lege eſſem Chriſti.* „ Unde ipſe non dicit, juſti non habent legem, aut, juſti ſunt ſine lege: ſed, *Juſto Lex non eſt poſita*. Hoc eſt, non tamquam invitis impoſita, ſed voluntariis eo liberaliter data, quo ſuaviter inſpirata. Bona itaque lex caritas, & ſuavis: quæ non ſolum leviter ſuaviterque portatur, ſed etiam ſervorum & mercenariorum leges portabiles ac leves reddit, quas utique non deſtruit, ſed facit ut impleantur dicente Domino: *Non veni legem ſolvere, ſed adimplere*. Illam temperat, iſtam ordinat, utramque levigat. Numquam erit caritas ſine timore, ſed caſto: numquam ſine cupiditate, ſed ordinata. „ *Implet ergo caritas legem ſervi, cum infundit devotionem: implet & mercenarii, cum ordinat cupiditatem.* Lex vetus quoad præcepta moralia tota in Evangelio includitur, renovatur, clariuſque ac perfectius explicatur. Moyſes ſolam litteram dedit: Chriſtus Jeſus gratiam largitur & Spiritum nobis tribuit, noſque ad beatam & æternam vitam perducit. Hunc audiamus, ejuſque Evangelio obediamus. *Quæ eſt ſecundum Evangelium gloriæ Dei, quod creditum eſt mihi.*

*S. Chryſoſt. Hom. 2.*

Juſti non ſunt ſub lege, nec tamen ſunt ſine lege.

*S. Bernardus, Tract. de Diligendo Deo, cap. 14.*

*Rom. 8.*

*2. Cor. 9.*

*Matth. 5.*

12. 13. *Gratias ago ei, qui me confortavit, Chriſto Jeſu Domino noſtro, quia fidelem me exiſtimavit, ponens in miniſterio.* Judicia & viæ Dei longe diſſimilia ſunt judiciis & viis hominum. Nam homines quidem iis credunt rerum ſuarum diſpenſationem, quos fideles exiſtimant, etſi non faciunt. Deus autem neminem judicat fidelem, quem non faciat. Fidelitas ſervi eſt effectus miſericordiæ Domini. Unde alibi ait Apoſtolus noſter: *Tamquam miſericordiam conſecutus a Domino ut ſim fidelis.* Idque probat gratiarum actio: Nulla enim gratia Deo debetur, quod hominem fidelem talem eſſe exiſtimet cum neceſſarium ſit ejus judicium, quod falli non poteſt: ſed quod fidelem faciat. Vere fidelis eſt, qui ad Chriſtum Jeſum non ſolum vocationem ſuam ad Miniſterium Apoſtolicum refert, ſed & talenta, & fidem, & fortitudinem ad Apoſtolicas functiones recte obeundas neceſſariam. „ Non enim propriis uſus viribus hanc hominibus doctrinam exhibeo, ſed ab eo qui ſervavit confirmatus & corroboratus, qui eum qui adverſus ipſum furere ſolebat, fidum Evangelii Miniſtrum effecit. „ Totum id gratiæ ejus munus eſt, & miſericordiæ ejus in me indigniſſimum, utpote. *Qui prius blaſphemus fui, & perſecutor, & contumelioſus*, O admirabilem gratiæ virtutem & efficaciam, quæ ex blaſphemo Prædicatorem Evangelii Chriſti fecit; ex Eccleſiæ naſcentis ſævo perſecutore, Apoſtolum Domini, & ejuſdem Eccleſiæ per orbem univerſum fundatorem & propagatorem; ex cœco Legis zelatore, Doctorem Gentium in fide & veritate! Quodnam aliud meritum in Paulo magnam Dei miſericordiam provocare potuit ut illi ſuccurreret, niſi ſumma ejus miſeria? Quid fidei donum in illo præceſſit, niſi extrema cæcitas & infidelitas? *Sed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci in incredulitate.* Miſericordiam nulla merita præceſſerunt, niſi mala. Pro damnatione gratiam, pro ignorantia fidem, pro ſævitia in Chriſtianos caritatem, non qualemcumque, ſed ſuperabundantem conſecutus eſt. *Superabundavit autem gratia Domini noſtri, cum fide, & dilectione, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* „ Fidei caritatem adjunxit Apoſtolus, quia ſine caritate fides eſſe poteſt, ſed prodeſſe ad ſalutem non poteſt. Heu, quam multi ſunt qui Chriſtum Deum quidem eſſe credunt, ſed ipſum tamen non diligunt, neque caritatis jura

„ cuſto-

*1. Cor. 7.*

Dei miſericordia erga S. Paulum.

*Theodoret.*

Fides ſine caritate non prodeſt ad ſalutem.

*S. Chryſoſt. Hom. 3.*



„ cuſtodiunt? Ipſi enim præferunt pecunias, voluptates, honores, gloriam hominum, & cetera Chriſtianæ Religioni prorſus adverſa. Et quæ dilectionis noſtræ in Chriſtum Jeſum argumenta, qui in illius injuriam vivimus? Habet quiſpiam amicum, quem ardenti amplectatur affectu; vel ſic ſaltem Chriſtum diligat, vel ſic diligat Deum, qui pro inimicis ſuum tradidit Filium, cum nulla in nobis merita præceſſiſſent, imo cum per innumera ſcelera corruiſſemus, poſt innumera beneficia ingrati. Nos autem tantis beneficiis affecti, & ad amicorum, imo & filiorum dignitatem evecti, ipſum ne ut amicum quidem diligemus? Pro his qui vere amici ſunt plurimi ſæpe numero damna perpeti elegerunt: pro Chriſto autem, non dixerim ſuſtinere detrimenta, verum præſentibus contenti eſſe bonis vix pauci tolerant. Pro amico ſæpe & contumelias & inimicitias ſuſcipimus: Chriſti vero gratia nullus inimicitias cum mundo ejus inimico ſuſcipit. Amicum fame confectum numquam omnino deſpicimus: Chriſtum vero in pauperibus quotidie ad nos venientem neque pane dignamur, cum plerique divitum ventri ſerviant, & deliciis ſolvantur, plurimi meretricibus, paraſitis, aſſentatoribus, comœdis & hiſtrionibus liberaliter largiantur. Amicis, qui vere amici ſunt, nunquam invidemus, at Chriſto gloriam ſuam invidere videmur, homines plus reveriti quam illum qui corda intuetur. Ad amicum, cum aliqua afflictione vexatur, ſolliciti pergimus, & ſi modicum diſtulerimus, reprehenſionem expaveſcimus. At vero cum Chriſtus in carcere ſuis in membris captivus ſit & patiatur, eum ne quidem viſitamus. Amicum peregre proficiſci cum cernimus, lugemus, ingemiſcimus, etſi noverimus non perpetuo a nobis eſſe ſeparandum, propter reſurrectionis ſacramentum. Chriſtum a nobis quotidie ſeparari novimus, cum illum offendimus, immo nos illum a cordibus noſtris expellere, nec dolemus, neque ſtudiis & viribus omnibus nitimur, ut illum retineamus, & ad illum per Pœnitentiam redeamus. Non ſolum Chriſtum Jeſum non diligimus ut amicum: ſed, quod dictu horrendum eſt, ut inimicum perſequimur.

15. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus: quod Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.* Quid dignius meditationibus fidei noſtræ? Quid ad corda noſtra divino amore inflammanda efficacius incarnatione, paſſione, & amore Filii Dei pro ſalute omnium peccatorum? Pauciſſimi de tam adoranda, tamque ſalutari veritate, ut par eſt, cogitant, plurimi ad eam non attendunt; tantis Chriſti beneficiis vix quiſquam reſpondet grati animi ſignificatione & vitæ ſanctitate. *Fidelis ſermo & omni acceptione dignus.* Adeo magnum eſt beneficium iſtud Salvatoris noſtri, adeo humanam omnem expectationem ac ſpem tranſcendebat, ut neceſſarium duxerit Apoſtolus homines ad illud credendum his verbis præparare: *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus.* Quemadmodum enim cum excellentia quæque bona nobis præter expectationem eveniunt, admiratione percellimur & dicimus, Putaſne hoc ſomnium eſt! Ita & in divinis muneribus contingit. Qui enim admirabilius, quid humano ingenio ad divina cæcutienti ad credendum difficilius, quam Deum Filium ſuum tradidiſſe, ut ſervos redimeret; Chriſtum Jeſum veniſſe in mundum, ut peccatores ſalvos faceret; quod inimici adoptionem Filiorum receperint; quod hi qui nec per legem, nec per legis opera juſtificari poterant, per fidem & dilectionem Chriſti Jeſu conſequantur juſtitiam & ſalutem. *Chriſtus Jeſus venit in hunc mundum peccatores ſalvos facere.* „ Nulla alia cauſa illi fuit veniendi. Tolle morbos, tolle vulnera, & nulla eſt cauſa medicinæ. Si venit de cœlo magnus Medicus, magnus per totum orbem terræ jacebat ægrotus. Ipſe ægrotus genus humanum eſt. Ex magnitudine remedii, morbi magnitudinem æſtimemus. Venit Chriſtus Jeſus in hunc mundum, humilis factus eſt, ut ſuperbiæ noſtræ vulnus curaret. Humilem Deum imitemur: & ſi magnum videtur imitari Dominum noſtrum, imitemur ſervum ejus Paulum, & cum ipſo dicamus: *Venit Chriſtus Jeſus in hunc mundum peccatores ſalvos facere, quorum primus ego ſum.* Qui vere humilis eſt, ſe maximum peccatorum ſemper exiſtimat, quia peccata ſua præ oculis ſemper habens, cum nemine ſe comparat: ad aliorum peccata vel non attendit, vel ea excuſat & extenuat urgente caritate; ſolam in ſe naturæ corruptionem, peccati conſuetudinem, divinorum in ſe beneficiorum multitudinem & magnitudinem conſiderat; ſeque adeo graviorum delictorum reum exiſtimat, utpote majoribus beneficiis ingratum. *Peccatores, quorum primus ego ſum.* Plures

Myſteria Incarnationis, Paſſionis, & mortis Chriſti meditanda.

*S. Chryſoſt. Hom. 4.*

*S. Auguſt. Serm. 175. alias 9. de Verbis Apoſtoli.*

Vera humilitas.

actu externo, & verbis tenus ſe humiliant, ſe maximos & miſerrimos omnium peccatorum confitentur: pauci ſincero cordis affectu ſe humiliant. Se omnium notarum peccatores dicunt, non quia humiles ſunt, ſed ut eſſe putentur. Tales nollent cenſeri, quales ſe prædicant ſimulata & affectata modeſtia. *Verus humilis vilis vult reputari, non humilis prædicari. Gaudet contemptu ſui, hoc ſolo ſane ſuperbus, quod laudes contemnit.* Humilitas & caritas terminos non habent. Nec Deus poteſt nimium diligi, nec homo ſe nimium humiliare humilitate affectus. Ideo Paulus ſe omnium peccatorum maximum fatetur, terminos humilitatis excedere non metuens. *Quorum primus ego ſum.*

*S. Bernard. in Cantica Serm. 16.*

16. *Sed ideo miſericordiam conſecutus ſum: ut in me primo oſtenderet Chriſtus Jeſus omnem patientiam, ad informationem eorum, qui credituri ſunt in vitam æternam.* Paulum exemplar fiduciæ, quam maximi peccatores in Dei miſericordia & gratia Chriſti Jeſu habere debent, modo ad eum ſincere convertantur & pœnitentiam agant, Deus eſſe voluit, ut vim gratiæ in ſe expertus, maximus ipſius Prædicator eſſet, exemploque ſuo doceret gratiam potentiorem eſſe peccato, Deumque peccatores non ſolum vocare, ſed exſpectare ad pœnitentiam & patienter ſuſtinere. „ Quemadmodum Medicus, cum in una domo multi ſimul ægrotant, & omnes de ſalute deſperant, ſi unum peſſime affectum viderit, & datis ei medicamentis ad perfectam ſanitatem deduxerit, facit ut alii omnes fiduciam concipiant: ita Chriſtus Dominus ſummus animarum Medicus, cum pro ſalute omnium hominum homo factus eſſet, me (inquit Paulus) omnium iniquiſſimum producens in medium, non ſolum a prioribus maculis liberavit, ſed maximis etiam donis cumulavit, omnibus hominibus per me oſtendens immenſam patientiam: ut nemo eorum qui maxima ſcelera perpetrarint, ad me ſuſpiciens de ſalute deſperet... Dicant ergo ſibi omnes: Si Paulus ſanatus eſt, ergo quare deſpero? Si a tanto Medico tam deſperatus æger ſanatus eſt, ego cur vulneribus meis illas manus non aptabo? Ad illas manus non feſtinabo? Ut hoc dicerent homines, ideo Paulus ex perſecutore factus eſt Apoſtolus. Quia quo venit Medicus, quærit aliquem ibi deſperatum, & ipſum ſanat: & ſi pauperrimum, tamen deſperatum inveniat; non ibi quærit mercedem, ſed commendat artem.

S. Paulus exemplar fiduciæ in Dei miſericordia & gratia Chriſti Jeſu.

*Theodoretus.*

*S. Auguſt. Serm. 175. alias 9. de Verbis Apoſtoli, cap. 8.*

17. *Regi autem ſeculorum immortali, inviſibili, ſoli Deo, honor & gloria in ſecula ſeculorum. Amen.* Memoria miſerationum Domini gratum animum in hymnos laudis effundit, metuentem ne in ſe, non in Domino glorietur, & ne aliquid ſibi tribuens, ingrati animi vitio totum amittat. Gratiæ enim dona alicui fiunt ſua, cum amat quod accipit, & gratias agit ei qui dedit. *Regi ſæculorum, immortali, inviſibili, ſoli Deo*, qui propter nos & propter noſtram ſalutem factus eſt homo, ſervus, tempori & morti ſubditus, qui ſanat omnes infirmitates noſtras, qui redimit de interitu vitam noſtram, qui donorum ſuorum abundantia nos cumulat, qui coronat nos in miſericordia & miſerationibus. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus.

*S. Aug. Serm. 168. al. De Diverſis 25.*

18. 19. *Hoc præceptum commendo tibi, fili Timothee, ſecundum præcedentes in te prophetias; ut milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes, circa fidem naufragaverunt.* Miniſterium Eccleſiaſticum, omniſque Chriſtiani hominis vita, ſancta militia eſt, in qua ſemper contra peccatum, mundum, & dæmonem pugnandum eſt; jura, lex, honor, gloria & Eccleſia Jeſu Chriſti conſtanter defendenda; pro imperii ejus propagatione ſemper laborandum verbo & exemplo Prelatis & Eccleſiæ Miniſtris, quibus Evangelium creditum eſt: exemplo ſaltem omnibus Chriſti fidelibus. Fides pro Deo militat: bona conſcientia & vita immaculata, arma ſpiritualia conſervat. *Quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* Sic multi in atheiſmum, vel in hæreſim, juſto Dei judicio corruerunt. Ne enim futurorum metu turbarentur, ſibi perſuaſerunt falſa eſſe omnia, aut certe plurima quæ Religio Chriſtiana Catholica docet. Cujuslibet hominis Chriſtiani vita *bona militia* eſſe debet. „ Quid enim aliud in mundo, quam pugna adverſus diabolum quotidie geritur, quam adverſus jacula ejus & tela concertationibus aſſiduis dimicatur? Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ira, cum ambitione congreſſio eſt, cum carnalibus vitiis, cum illecebris ſecularibus, aſſidua & moleſta luctatio eſt. Obſeſſa mens hominis, & undique diaboli infeſtatione vallata vix occurrit ſinguis, vix reſiſtit. Si avaritia proſtrata eſt, exſurgit libido: ſi libido compreſſa eſt, ſuccedit ambitio; ſi ambitio contempta eſt, ira exuperat, inflat ſuperbia, vi-

„ no-

Chriſtiani hominis vita ſancta militia eſt.

*S. Cypr. Tract. De Mortal.*

*S. Chryſ. Hom. 5.*

„ nolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abſcindit. Sed Eccleſiæ maxime Rectores ac Miniſtros vigilantes, ſtrenuos, fortes in ſancta militia eſſe oportet. „ Bellum enim vehementius adverſus mundum & diabolum illis ſuſtinendum eſt; in quo armis opus eſt validis, ſobrietate, temperantia, precibus, perpetuiſque vigiliis; quia non pugnant adverſus carnem & ſanguinem, ſed cum atrociſſimis & verſutiſſimius hoſtibus, cum ſpiritibus nequam prælia committenda ſunt, ut nullum hic locum habeat blanda & pernitioſa mollities. *Ut milites in illis bonam militiam.* In caſtris non omnes ſervant eumdem militiæ gradum, ſed variis diſtribuuntur ordinibus, ita in Eccleſia alius ducis & magiſtri, alius gregarii militis & diſcipuli. Sed & Duces & Ductores iiſdem armis inſtructos eſſe neceſſe eſt: *Habens fidem & bonam conſcientiam.* Magiſtrum quippe prius oportet docere ſeipſum. Quemadmodum enim in bello ſeculari Dux, niſi bonus miles prius fuerit, & exercitum ducere ac regere non poterit: ita nec Prælatus & Doctor in militia ſpirituali. Unde alio in loco ait Apoſtolus, *Ne forte cum aliis pædicavero, ipſe reprobus efficiar.* Habe fidem & bonam conſcientiam, ut ceteris præeſſe digne poſſis.

*1. Cor. 9.* Qui indigne communicant, inviſibilter Satanæ traduntur.

20. *In quibus eſt Himenæus & Alexander, quos tradidi ſatanæ, ut diſcant non blaſphemare.* Terribilis pœna, a ſummis quidem Eccleſiæ Paſtoribus in Eccleſiaſtico judicio Hæreticis, flagitioſis & contumacibus inferenda: a Chriſto vero juſto judice illata omnibus lethalis peccati reis, ſed præſertim indigne Corpus Chriſti manducantibus; quorum in cor intrat Satanas, ſicut in cor Judæ proditoris poſt buccellam introivit. Hinc etiam flagella divinæ iracundiæ, orbitates, damna, morbi, mortes ſubitaneæ, *Ideo,* inquit alibi Apoſtolus, *inter vos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi.* „ Et quomodo, inquies, iſta perpetimur, cum ſemel tantum per annum ea Sacramenta ſumamus? Hoc nempe eſt quod univerſa perturbat, quia non munditia animi, verum intervallo temporis longiore conſtare meritum putas, ſummamque arbitraris reverentiam ac Religionem eſſe, ſi non ſæpius cœleſtem illam adeas Menſam. Ignoras quod indigne accedere, etiamſi ſemel tantum fiat, te ſupplicio tradit? Digne vero etiamſi ſæpe accedas, ſalutem inde conquiris? Non eſt audaciæ ſæpius accedere ad Dominicam Menſam, ſed indigne accedere, etiamſi ſemel tantum quiſpiam toto vitæ tempore accedat. At nos adeo ſtolidi, adeo inſenſati ſumus, ut cum innumera per totum annum crimina perpetremus, non curemus ea exuere: ceterum ſatis eſſe arbitramur, ſi non aſſidue præſumamus atque contumelioſe Chriſti Corpus attingere: neque intelligimus miſeri, quod hi qui Cruci Chriſtum affixerunt, ſemel tantum id fecerunt. Non igitur quia ſemel crucifixerunt, minus idcirco delictum eſt. Et qui Chriſtum prodidit, ſemel tantum prodidit, neque tamen id illum ſupplicio eripuit. Quid igitur hanc rem temporis lege metimur? Tempeſtivum accedendi tempus munditia conſcientiæ faciat. Nihil habet amplius quod in Paſcha conſummatur Myſterium, eo quod continue celebratur. Unum quippe atque idem eſt, eadem eſt Spiritus ſancti gratia, ſemper Paſcha eſt.

*1. Cor. 11.*

*S. Chryſoſt. ibid.*

---

## C A P U T II.

### *Senſus Litteralis.*

*Obſecrationes, orationes, poſtulationes,* voces ſynonymas eſſe, harumque congeriem ad vehementiam Apoſtolici deſiderii exprimendam adhiberi, cenſet *Theophyl.* idemque ſenſiſſe S. Chryſoſt. videtur, qui diverſam horum nominum ſignificationem non profert. *γεμνότητι, morum honeſtate.*

2. O*Bſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Te igitur inprimis obteſtor, ut publicæ ſupplicationes, orationes, vota & gratiarum actiones pro omnibus hominibus Deo offerantur. Hæc ita diſtinguit Theodoretus: *Obſecratio* eſt ad malorum depulſionem oblata ſupplicatio. *Oratio* eſt bonorum petitio. *Poſtulatio* eſt accuſatio injuriam inferentium. Eſt autem nobis colluctatio adverſus dæmones, contra quos juſtum Judicem adimus interpellantes, & neceſſarium auxilium petimus ad eorum tentationes & infeſtationes arcendas. *Gratiarum actio* denique Deo offertur pro nobis quæ nobis ab ejus bonitate & miſericordia collata ſunt. Hæc explicatio maxime litteralis videtur. Orationes autem, poſtulationes, gratiarum actiones offerendæ ſunt *Pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut tranquillam & quietam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.* Pro ſupremis Principibus & omnibus qui ſub ipſis Rempublicam moderantur, nimirum pro Provinciarum Præſidibus, & Magiſtratibus, etiamſi infideles ſint, & Eccleſiæ perſecutores, ut vitam agamus liberam a bellis & moleſtiis quæ pacem Reipublicæ perturbant: utque pax illa cum pietate & morum honeſtate atque integritate conjuncta ſit. Divinus autem Apoſtolus non hac ſolum de cauſa præcepit pro illis fieri orationes, ſed etiam ut ad fidem convertantur, ſi infideles ſint, & ut pietatem colant ſi fideles.

Deus venit omnes homines ſalvos fieri. Quo ſenſu?

3. 4. *Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro Deo, qui omnes homines vult ſalvus fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* Id enim (nempe ut pro omnibus, etiam infidelibus & inimicis oretur) ex ſe bonum eſt, cum ſit præcipuum opus caritatis in proximos: & gratum eſt Deo Salvatori noſtro, qui vult omnes homines ſalvos fieri ſalute æterna, quæ hic per fidem inchoatur, & ad agnitionem veritatis Evangelicæ, de ſalute nobis per Chriſtum parta, venire. Quod autem Deus omnes homines ſalvos fieri velit, multipliciter intelligi poteſt, ſalva divinæ voluntatis omnipotentiſſima virtute & efficacia. 1. Nullum hominem ſalvari, niſi quem Deus ſalvari voluerit, & ideo rogandum eſſe ut velit, quia neceſſe eſt fieri ſi voluerit. 2. Quo ſenſu in Evangelio ſcriptum eſt, *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Non quia nullus eſt hominum qui non illuminetur, ſed quia niſi ab ipſo nullus illuminatur. 3. Ex omni hominum genere aliquos vult ſalvare, ex Judæis, Gentibus; Principibus, privatis; ſervis, liberis; divitibus, pauperibus; doctis, indoctis; ex omni ſexu, ſtatu, conditione electos: ſicut Phariſæis dictum eſt, *Decimatis omne olus.* Neque enim Phariſæi & quæcumque aliena & omnium per omnes terras alienigenarum omnia olera decimabant. Sicut ergo ibi *omne olus*, omne olerum genus, ita & hic *omnes homines*, omne hominum genus intelligere poſſumus. 4. Poteſt intelligi Deum velle omnes homines ſalvos fieri, quia nos facit velle: ſicut *miſit Spiritum Filii ſui clamantem, Abba, Pater*, id eſt, nos clamare facientem. 5. Vult omnes homines ſalvos fieri, quantum in ipſo eſt, voluntate antecedente, quæ eſt beneplacitum ex ipſo manans; non voluntate conſequente, quæ ex certis circumſtantiis, vult aliquid, quod alioqui nollet. Deus enim ut bonitate præſtans primario quidem vult omnes homines ſalvari, ac Regni ſui conſortes eſſe. Neque enim ſupplicii ac cruciatus cauſa, verum ad hoc ut bonitatis ipſius participes ſimus nos effinxit. Ut juſtus autem his qui peccant pœnam inferri nihilominus vult. Sic judex vult antecedenti voluntate hominem vivere, quia bonus eſt: ſed conſequenti voluntate vult homicidam ſuſpendi, quia juſtus eſt. Deus igitur vult omnes homines ſalvos fieri, non ſolum *bonitate Creatoris*, ut loquitur Lugdunenſis Eccleſia, verum etiam *bonitate Redemptoris*, quia ſanguinis Chriſti pretium pro omnibus omnino hominibus ſufficienter ab ipſo Dei & hominum Mediatore Chriſto Jeſu Deo oblatum eſt, Evangeliique prædicatio, & Sacramenta, qui ſunt *Fontes Salvatoris*, communiter expoſita ſunt: ac præterea gratiæ etiam interiores ſufficientes ad ſalutem ex inexhauſto divinæ bonitatis pelago jugiter & ubertim ſcaturientes, omnibus & ſingulis hominibus conferuntur vel offeruntur.

*S. Aug. in Enchir. c. 103. l. 22. de Civ. Dei c. 2. & l. De Corr. & Gratia c. 15.*

*S. Joann. Damaſc. lib. 1. De Fide Orthod. c. 19. S. Th. Lect. 1. in hoc cap. & 1. p. q. 19. art. 6.*

Pater æternus dicitur *Unus Deus*, in excluſionem falſorum Numinum, quæ natura non ſunt dii, non ad excluſionem Filii & Spir. Sancti.

*Qui dedit Redemptionem ſemetipſum* Græcæ *ἀντίλυτρον* Redemptionem qua caput capite, & vita redimitur vita Redemptoris.

5. 6. *Unus enim Deus: unus & Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus. Qui dedit Redemptionem ſemetipſum pro omnibus, teſtimonium temporibus ſuis.* Unus enim tantum Deus omnium Creator, Pater & Dominus: unus etiam Mediator Deum inter & homines Chriſtus Jeſus, qui immediate ad Deum per proprium meritum, ab alienis meritis independens, accedit, illum hominibus placatum reddit, omniaque ſalutis dona ab ipſo hominibus obtinet. Solus, inquam, Mediator eſt Chriſtus Jeſus ratione redemptionis, *Quia dedit Redemptionem ſemetipſum pro omnibus*, & teſtimonium perhibuit veritati præfinito tempore. Chriſtus Jeſus unus Mediator primarius Dei & hominum, qui non precibus tantum, ſed & pretio infinito ſanguinis ſui nos Deo reconciliavit: quod Sanctorum interceſſionem Chriſti meritis innixam non excludit. *Unus Mediator Dei & hominum Homo Chriſtus Jeſus.* Homo revera, ſed & verus & unus cum Patre Deus, ut homines a mortali miſeria ad beatam immortalitatem perducat. „ Mortalis quippe factus eſt, non infirmata Verbi Divinitate, ſed carnis infirmitate ſuſcepta. Non autem permanſit in ipſa carne mortalis, quam reſuſcitavit a mortuis: quoniam ipſe fructus eſt mediationis ejus, ut nec ipſi propter quos liberandos Mediator effectus eſt in perpetua vel carnis morte remanerent. Proinde Mediatorem inter nos & Deum, & mortalitatem oportuit habere tranſeuntem, & beatitudinem permanentem; ut per id quod tranſit, congrueret morituris, & ad id quod permanet, transferret a mortuis.... Unus *Mediator Dei & hominum Homo Chriſtus Jeſus*, non Mediator quatenus

*S. Aug. lib. 9. De Civit. Dei, cap. 9.*

Chriſtus unus Mediator pro omnium hominum redemptione mortuus.

*Idem. lib. 11. de Civit. cap.*





*2. l. 10. Confeſ. cap. 43. in Pſ. 103. & Tract. 72. in Joann.*

„ Deus æqualis Patri, ſed quatenus homo. Ad Mediatoris quidem ſtatum utriuſque naturæ ſocietas neceſſaria fuit, ut Perſona Divina dignitatem infinitam ac inæſtimabile meritum operibus Mediatoris communicaret: & Mediatoris officium per carnem adminiſtraret. Dedit ſe Redemptionem pro omnibus, lubens volens morti ſe tradidit pro omnium hominum Redemptione. „ Quod enim ad magnitudinem pretii, & quod ad unam pertinet cauſam generis humani, Sanguis Chriſti Redemptio eſt totius Mundi. Sed qui hoc ſeculum ſine fide Chriſti, & ſine regenerationis Sacramento pertranſeunt, redemptionis alieni ſunt. Cum itaque propter unam omnium naturam, & unam omnium cauſam a Domino noſtro in veritate ſuſceptam, recte omnes dicantur, redempti & tamen non omnes a captivitate ſint eruti, Redemptionis proprietas haud dubie penes illas eſt, ex quibus Princeps mundi miſſus eſt foras & jam non vaſa Diaboli, ſed membra ſunt Chriſti, cujus mors non ita impenſa eſt humano generi, ut ad redemptionem ejus etiam qui regenerandi non erant pertinerent; (*quoad efficaciam*) Sed ita ut quod per unicum exemplum geſtum eſt pro univerſis, per ſingulare Sacramentum celebraretur in ſingulis. Poculum quippe immortalitatis quod confectum eſt ex infirmitate noſtra & virtute divina, habet quidem in ſe ut omnibus proſit; ſed ſi non bibitur, non medetur.

*S. Proſp. Ad Objectiones Vincentianas, cap. 1.*

S. Paulus Miſſionem ſuam & Apoſtolicam dignitatem inculcat, non propter Timotheum, cui comperta erat, ſed propter alios, præſertim Judæos, qui illam in dubium revocabant.

7. *In quo poſitus ſum ego Prædicator & Apoſtolus (veritatem dico, non mentior) Doctor Gentium in fide, & veritate.* Ad veritatem, cui Chriſtus teſtimonium ad mortem uſque perhibuit, promulgandam, conſtitutus ſum ab ipſo prædicator & Apoſtolus, Doctor Gentium, ad quas in fide Chriſti, & Evangelii veritate inſtituendus miſſus ſum.

Signum pro re ipſa nempe invocatione, hic ponitur, ut *Iſai. 1. 15.*

Græce *καταστολῇ* habitum longiorem, quo undique veſtiantur & contegantur, & ne impudenter detegantur.

8. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine ira & diſceptatione.* Velim igitur ac jubeo viros orare in omni loco ad publicas preces opportuno, non Hieroſolymis tantum, aut in Synagogis Judaicis, puras manus a rapinis, libidine, pugnis & ſanguine tollentes in cœlum, abſque ira, vindictæ appetitu, odio in proximum, & contentione, quæ paci & concordiæ adverſatur.

9. 10. *Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa.* Mulieres pariter orare volo in habitu honeſto, modeſtia & caſtitate ornatas, non calamiſtratis, & in nodos ſeu reticula implexis & tortis crinibus; non auro aut margaritis ad oſtentationem decoris fulgentes, aut veſte ultra modum ſumptuoſa & magnifica indutas: *Sed quod decet mulieres promittentes pietatem, per opera bona.* Sed ut decet mulieres Chriſtianam pietatem, quæ bonis operibus demonſtratur, profitentes.

11. 12. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione.* Mulier in ſilentio diſcat quæ ad fidem & rectam vitæ inſtitutionem pertinent, & ſubjectionem ſuam ac reverentiam erga viros oſtendat, Doctores & Prædicatores auſcultando, non ſibi jus in publico cœtu loquendi arrogando. *Docere autem* in Eccleſia, *mulieri non permitto, neque dominari in virum*, ſeu auctoritatem & imperium in maritum uſurpare, cum ad obſequendum nata ſit, vir autem ad imperandum: *Sed eſſe in ſilentio*: ſed jubeo ut ſilentium in Eccleſia & cœtibus publicis ſervet, memor ordinis a Deo conſtituti, cum primæ mulieri dixit: *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Affectati autem imperii indicium eſſet, ſi mulier in cœtu virorum publice loqueretur, etiam prætextu doni Prophetiæ, quo aliquas temporibus Apoſtolicis inordinate uſas, in Eccleſia loquendi vices ſibi arrogaſſe, veriſimile eſt; ut levis ſexus loquacitatem Apoſtoli mandato comprimi opus fuerit.

*Geneſ. 3.*

13. 14. *Adam enim primus formatus eſt*, ut caput mulieris, *deinde Eva*, mulier propter virum, ut illi in adjutorium eſſet, ad illumque ut Dominum reſpiceret. *Et Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit.* Adam non eſt ſeductus a ſerpente, nec vera eſſe credidit ſerpentis verba & promiſſa, quæ mulier ipſi forte retulit; ſed mulier a ſerpente decepta mandatum Dei tranſgreſſa eſt. Unde mulier Deo interroganti reſpondit, *Serpens decepit me.* Adam autem non ſic; ſed, *Mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* „ Sicut ergo Aaron erranti populo ad idolum fabricandum non conſenſit ſeductus, ſed ceſſit obſtrictus; nec Salomonem credibile eſt errore putaſſe idolis eſſe ſerviendum, ſed blanditiis femineis ad illa ſacrilegia fuiſſe compulſum. Ita credendum eſt, illum virum ſuæ feminæ, uni unum, hominem homini, conjugem conjugi, ad Dei legem tranſgrediendam, non tamquam verum loquenti credidiſſe ſeductum, ſed ſociali neceſſitudine paruiſſe... Illa quod ei ſerpens locutus eſt, tamquam verum eſſet, accepit, ille autem ab unico noluit conſortio dirimi, nec in communione peccati; nec ideo minus reus, ſed ſciens prudenſque peccavit, (inquit S. Auguſtinus).

*Geneſ. 3.*

*S. Auguſt. lib. 14. De Civit. Dei, cap. 11.*

Quod prima mulier decepta fuerit a ſerpente, imbecillitatem ſexus, levitatem animi, ac infirmitatem judicii in muliere oſtendit. Æquum autem eſt id quod eſt imbecillius, parere valentiori; & quæ ſe regere non potuit, alterius imperio regi.

15. *Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate.* Nec propterea deſpondeant animum, nec de ſalute deſperent mulieres conjugatæ: Filiorum enim procreatione & moleſtiis ac doloribus illi adjunctis, ſi propter Deum illos ſuſtineant, optimaque filiorum educatione ſalutem æternam conſequentur, ſi, quantum in ipſis eſt, effecerint ut filii permaneant in fide, & dilectione Dei & proximi, pudicitia, & ſanctitate vitæ. Vel, ſi mulieres ipſæ, in his perſeveraverint, ut Theodoretus exponit. Vel, ſalvabuntur mulieres, etiamſi filios procreent, modo permaneant in fide, caritate, ſanctitate, & caſtitate conjugali, ut exponit S. Thomas Lect. 3.

Minus bene in Latinis codicibus, *ſobrietatem* legi, & legendum, *cum caſtitate*, Græce *σωφροσύνη*. S. Hieronymus monet *lib. 1. Adverſus Jovinianum.*

---

## C A P U T II.

### *Senſus Moralis.*

1. O*Bſecro igitur primum omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Quatuor orationum genera his verbis ab Apoſtolo commendari, auctor eſt S. Auguſtinus. 1. Orationes ad ſacrificium Altaris præparatorias, quæ fiunt antequam illud quod eſt in Domini Menſa, panis ſcilicet ac vinum, incipiat benedici: *Obſecrationes.* 2. „ Oratio ipſa Sacrificii; cum nempe dona propoſita benedicuntur, ſanctificantur, & ſumuntur, quam orationem omnis Eccleſia Dominica oratione concludit: *Orationes*, quo vocabulo ea proprie intelligenda eſt oratio, quam facimus ad votum. Voventur autem omnia quæ offeruntur Deo, maxime ſancti Altaris oblatio, quo Sacramento prædicatur noſtrum illud votum maximum, quo nos vovimus in Chriſto eſſe manſuros, utique in compage corporis Chriſti. Cujus rei Sacramentum eſt quod *Unus panis, unum corpus multi ſumus.* 3. Populus benedicitur: & tunc Antiſtites velut advocati ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem miſericordiſſimæ offerunt Poteſtati: *Poſtulationes.* 4. His peractis, & participato tanto Sacramento, gratiarum actio cuncta concludit: *Gratiarum actiones.* His precibus adſint peccatores in ſpiritu humilitatis & animo contrito, ut remiſſionem peccatorum impetrent: juſti in ſpiritu caritatis, Chriſtum Jeſum ſeque per ipſum & cum ipſo ut hoſtiam puram, ſanctam, immaculatam Deo offerentes: omnes Chriſtiani cum fiducia impetrandi quotidianum gratiæ adjutorium, cœleſtium donorum incrementa, & perſeverantiam in bono. Orent pro ſe, & pro omnibus, quia omnes Dei miſericordia indigent. Communis omnium miſeria urget ut pro omnibus Dei miſericordia communibus precibus imploretur. Pro bonis denique ſibi, ac omnibus aliis Eccleſiæ membris a Deo collatis gratias agant Patri per Jeſum Chriſtum Filium ejus Dominum noſtrum.

Orationes in ſancto Altaris Sacrificio Deo oblatæ.

*S. Aug. Epiſt. 149. Ad Paulinum, alias 59. n. 16.*

*1. Cor. 10. 17.*

2. 3. 4. *Pro Regibus & omnibus qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus, in omni pietate & caſtitate.* Religionis & juſtitiæ officium eſt pro Regibus, regiiſque familiis, pro Regiis Miniſtris, pro eorum exercitibus, & Magiſtratibus Deo preces offerre. Id exigit reverentia regiæ auctoritati debita, quæ divinæ poteſtatis participatio eſt. Id poſtulat utilitas, pax & tranquillitas Eccleſiæ, quæ in Republica eſt. Quæ igitur bona pro Rege a Deo poſtulantur & impetrantur, bona communia ſunt; quæ gratiæ obtinentur, gratiæ ſunt univerſales, & omnes qui ſub illius imperio vivunt, ſpectantes. Hinc Judæi in captivitate poſiti ad eos qui in Judæa relicti erant, hunc in modum ſcribebant: *Orate pro vita Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & pro vita Baltaſſar filii ejus, ut ſint dies eorum ſicut dies cœli ſuper terram: & ut det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros, ut vivamus ſub umbra Nabuchodonoſoris Regis Babylonis, & ſub umbra Baltaſſar filii ejus, & ſerviamus eis multis diebus, & inveniamus gratiam in conſpectu eorum.* Officium iſtud religionis ab Eccleſia primitiva ex Apoſtolorum inſtitutione frequentatum commendat Tertullianus. Ad cœlum, inquit, ſuſpicientes Chriſtiani *manibus expanſis, quia innocuis; capite nudo, quia non erubeſcimus; ſine monitore, quia de pectore; oramus*

Orare pro Regibus, religionis officium eſt.

*Baruch. 1. 1. & 12.*

*Tertull. Apologet. cap. 30.*

*pro omnibus Imperatoribus vitam illis prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcumque hominis & Cæſaris vota ſunt*. Orandum pro pace, non ignava & molli, qua mundus corruptus ad luxum, comeſſationes, & libidines ſæpe abutitur; ſed pro pace, quæ pietatem & omnem morum honeſtatem foveat, propaget, confirmet. *In omni pietate & caſtitate*. Procuranda & promovenda eſt orationibus publicis ac privatis, Regum, & ſublimium perſonarum ſalus, ad gloriam Dei Salvatoris noſtri, cui id pietatis officium gratiſſimum eſt, cum nullis finibus caritas ejus circumſcribatur. *Hoc enim bonum eſt & acceptum coram Salvatore noſtro Deo. Vult* quippe ſincere *omnes homines ſalvos fieri*. Veritas increata pro omnibus incarnata eſt; ut *ad ejus agnitionem venirent:* pro omnibus orando, honoramus Veritatem, illique cooperamur. Oremus pro Principibus, pro eorum Miniſtris, & omnibus in ſublimi dignitate conſtitutis, ut cognoſcant veritatem Evangelii, non ſpeculativa dumtaxat, ſed practica cognitione; ut humilitatem ſervent in faſtigio dignitatis & honorum, mortificationem interiorem, temperantiam, & continentiam, in medio deliciarum & illecebrarum ſæculi, moderationem & paupertatem ſpiritus in rerum temporalium abundantia: Quod etſi non impoſſibile, adeo tamen difficile eſt, ut id implere non valeant, niſi gratia illorum & totius Eccleſiæ aſſiduis precibus implorata in eos deſcendat, & quidem gratia fortiſſimam & invictiſſimam bene & juſte vivendi ac regendi voluntatem tribuens, & omnia impedimenta removens, quæ longe plura ſunt reſpectu Principum, quam privatorum. Orandum ut communia bella finiantur, & longe magis privata. Tria ſunt quippe bellorum genera. Unum commune, cum exercitus noſtri adverſus hoſtes regni militant. Secundum, cum pacis tempore nos invicem oppugnamus: Tertium, cum unuſquiſque adverſum ſe bella ſeditioneſque concitat: cum corpus adverſus animam diſſidens ſeditiones turbaſque commovet, moleſtaſque concupiſcentias armat, iræ, invidiæ, libidinis, &c. Hoc bellum longe periculoſius: quod ut finiatur interna pace, Deus ferventer & aſſidue orandus eſt. *Ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate*.

*S. Chryſoſt. Hom. 7.*

4. 5. 6. *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus*. Deus vult nos ſalvos fieri, & nolumus iis quas præſcribit conditionibus, ſervando ejus mandata! Chriſtus Jeſus noſter apud Deum Patrem ſuum Mediator & ſequeſter eſſe dignatur, & nos Deo per ipſum reconciliari, deponere inimicitias, oblatam pacem accipere renuimus! Dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus, & nos amantiſſimi Redemptoris munus aſpernamur, ſub captivitate diaboli manere maluimus! Sanguinem ſuum pro nobis fudit in pretium ſimul & lavacrum, & nos pretioſiſſimum ſanguinem conculcamus, & paſſionem ac mortem quam quo nobis obtulit Patri, irritam facimus. Si ergo ſalutem æternam non conſequamur, cauſſa in nobis eſt, non in Deo. *Perditio tua, Iſrael; tantummodo in me auxilium tuum... Numquid voluntatis meæ eſt mors impii*, ait Dominus per alterum Prophetam, *& non ut convertatur & vivat? Nolo mortem peccatoris, revertimini & vivite... Non vult aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti*. Omnibus hominibus auxilia gratiæ ſuæ ad ſalutem ſufficientia ſubminiſtrat vel offert Chriſtus Salvator noſter. Culpa noſtra eſt quod illa non recipiamus, quod illis fideliter non reſpondeamus, quod amplioribus & fortioribus auxiliis nos indignos reddamus. Nonne Chriſtus Servator „ æqualiter omnes vocat? An ab indulgentia principali quemquam repellit, aut deſpuit, qui ſublimibus, infimis, ſervis, feminis, pueris, uniformiter poteſtatem veniendi ad ſe facit? Pater, inquit, omnibus fons vitæ, neque ab jure potandi quiſquam prohibetur aut pellitur. Si tibi faſtidium tantum eſt, ut oblati reſpuas beneficium muneris: quid invitans in te peccat, cujus ſolæ ſunt hæ partes, ut ſub tui juris arbitrio fructum ſuæ benignitatis exponat? Voluntatis libertas in ipſius eſt poſita poteſtate, qui voluit. Numquid orandus es, ut beneficium ſalutis a Deo digneris accipere, & tibi aſpernanti, fugientique longiſſime, infundenda in gremium eſt divinæ benevolentie gratia? Vis ſumere quod offertur; atque in tuos uſus convertere? Conſulueris tu tibi. Aſpernaris, contemnis, & deſpicis? Tu te muneris commoditate privaveris. Nulli Deus infert neceſſitatem: imperioſa formidine nullum terret. Neque enim neceſſaria noſtra illi ſalus eſt, ut compendii aliquid diſpendiive patiatur, ſi aut Deos non fecerit, aut ad nihilum redigi corruptionis diſſolutione permiſerit. Immo, inquit, ſi Deus eſt potens, miſericors, conſervator, convertat nobis mentes, & invitos faciat ſuis pollicitationibus credere. Vis ergo eſt iſta, non gratia. Quid eſt enim tam injuſtum, quam repugnantibus, quam invitis extorquere in contrarium voluntates, inculcare quod nolunt, & quod refugiant animis? Prius nocere quam proſis? Nolo, inquit, & voluntatem non habeo; Qui ergo criminaris Deum, tamquam tibi deſit? Opem deſideras tibi ferre, cujus munera aſperneris & fugias? Tu qui te verti, & vim deſideras perpeti, ut id quod nolis efficias, atque accipias coactus: cur reſpuis aſſumere voluntate id, quod verſus deſideras atque immutatus efficere?... Deus vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Chriſtus Mediator dedit ſemetipſum redemptionem pro omnibus. Debent igitur Paſtores & Sacerdotes pro omnium æterna ſalute procuranda laborare, ut Miniſtri bonitatis Dei, qui omnes creavit, non ut pereant, ſed ut ſalutem conſequantur: ut cooperatores caritatis Jeſu Chriſti, qui omnium naturam aſſumſit, ut omnium unus Mediator eſſet: ut diſpenſatores ſanguinis ejus, quod pretium pro omnibus liberandis ſolutum eſt: ut Sacerdotes ſacrificii ejus, quod eorum offert quotidie Miniſterio Sacerdos ipſe ac victima.

Si ſalutem æternam non conſequamur, cauſa in nobis eſt, non in Deo.

*Oſee 13.*

*Ezechiel. 18.*

*2. Petri. 3. 9.*

*Arnobius lib. 2. Adverſus Gentes.*

Paſtores & Sacerdotes laborare debent pro ſalute omnium procuranda.

8. *Volo ergo viros orare in omni loco, levantes puras manus ſine ira & diſceptatione*. Deo benedicendum eſt in omni loco dominationis ejus, quia ſpes eſt omnium finium terræ, & in omni loco hoſtiam mundam nomini ſuo offerendam per Prophetam prædixit. Chriſtus Jeſus terram omnem adventu ſuo ſanctificans & ſanguine conſecrans, unum ex ea templum, domumque orationis effecit, in qua homines ſemper orent, ſi nihil non operentur niſi in ſpiritu orationis, Deo ſcilicet fide, ſpe, & caritate conjuncti, & continuo deſiderio ad beatam vitam tendentes. Templi anguſtiis vis divinæ Majeſtatis non includitur, quam totus hic mundus ejus opere fabricatus capere non poteſt. *Nonne melius in noſtra dedicandus eſt mente, in noſtro conſecrandus eſt pectore? Qui innocentiam colit, Domino ſupplicat: qui juſtitiam, Deo libat: qui fraudibus abſtinet, propitiat Deum: qui hominem periculo ſubripit, optimam victimam cædit. Hæc noſtra ſacrificia, hæc Dei ſacra ſunt*. Hac ratione locus omnis privatis precibus idoneus. Potes ubique orare, & in cubiculo tuo ſemper orare. Habes ubique cubiculum tuum. „ Etſi inter Gentes, inter Judæos poſitus ſis, habes tamen ubique tuum ſecretum. Cubiculum tuum mens tua eſt. In populo licet poſitus, tamen in interiore homine arcanum tuum ſecretumque conſervas. *Tu autem cum oras, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio, ora Patrem tuum*, ait Chriſtus. Elevatio manuum, erectionem mentis & cordis ad Deum per fidei ſpeique fiduciam, & caritatis fervorem, ſanctaque deſideria ſignificat; manuum munditia, ſanctitatem operum, & puritatem affectuum. *Levantes puras manus, ſine ira & diſceptatione*, id eſt, offerentes Deo gratiſſimam hoſtiam, *Orationem de carne pudica, de anima innocenti, de Spiritu ſancto profectam*. Peccati deponendus ſaltem affectus, ne oratio noſtra fiat in peccatum. *Levantes puras manus ſine ira & diſceptatione*. „ Quomodo enim placabit Patrem, iratus in fratrem, cum omnis ira ab initio interdicta ſit nobis? Nam & Joſeph dimittens fratres ſuos ad perducendum patrem: *Et ne*, inquit, *iraſcamini in via*. Nos ſcilicet monuit. Alias enim via cognominatur diſciplina noſtra. Tum ne in via orationis conſtituti, ad Patrem cum ira procedamus. Exinde Dominus aperte amplians legem, iram in fratrem homicidio ſuperponit; ne verbo quidem malo permittit expungi; etiamſi iraſcendum eſt, non ultra Solis receptum, ut Apoſtolus admonet. Quam autem temerarium eſt, aut diem ſine oratione tranſigere, dum ceſſas fratri ſatisfacere, aut orationem perſeverante iracundia perdere? *Nec ab ira ſolummodo, ſed omni omnino confuſione animi libera debet eſſe orationis intentio, de tali ſpiritu emiſſa, qualis eſt Spiritus ad quem mittitur. Neque enim agnoſci poterit, a Spiritu ſancto ſpiritus inquinatus, aut triſtis a læto, aut impeditus a libero. Nemo adverſarium recipit, nemo niſi comparem ſuum admittit*. „ Ceterum quæ ratio eſt, manibus quidem ablutis, ſpiritu vero ſordente orationem obire? Quando & ipſis manibus ſpirituales munditiæ ſint neceſſariæ, ut a falſo, a cæde, a ſævitia, a veneficiis, ab idololatria, ceteriſque maculis quæ Spiritu conceptæ manuum opera tranſiguntur, puræ alleventur. Hæ ſunt veræ munditiæ, non quas plerique ſuperſtitioſe curant, ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam ſumentes. Cum ſtatis ad orandum, *dimittite, & dimittetur vobis*. Hoc nempe eſt abſque ira & diſceptatione orare. Et quo pacto, inquies, credere poſſum me impetraturum quod peto? Si nihil ex eis poſtulaveris, quæ illius voluntati, tuæque ſaluti contraria ſunt; ſi Majeſtate tanta nihil indignum, ſi nihil omnino mundanum, ſi ſpiritualia omnia; ſi abſque ira acceſſeris ad orandum, ſi mundas extuleris manus, ſi ſanctas. Sanctæ quippe manus ſunt, quæ eleemoſynas faciunt. Si ita acceſſeris, voti omnino compos eris, & quicquid poſtulaveris, impetrabis. Caritas orationem exaudit: caritas igitur orationem fundere debet.

Locus omnis privatis precibus idoneus.

Quomodo orandum.

*Minutius Felix in Octavio.*

*S. Ambroſ. lib. 6. de Sacram. c. 3.*

*Tertullian. Apolog. c. 30.*

*Idem lib. De Oratione, cap. 10. & 11.*



*S. Chryſoſt. Hom. 8.*

9. 10. *Mulieres ſimiliter in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, & non in tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, vel veſte pretioſa: ſed quod decet mulieres promittentes pietatem per opera bona*. Vanitas, luxus, amor ſeculi, & pomparum ejus ſumptus inanes & immoderati, ſpiritum pietatis & orationis in mulieribus extinguunt. Humilitas, pœnitentia, compunctio, quæ ſunt orationis individuæ comites, cum tortis crinibus, auro, margaritis, & veſte pretioſa & nimio ſumptu ad luxum, oſtentationem & gloriam comparata non cohærent. Quod ſtatus & conditio poſtulant, ab eo diſtinguendum quod diſſolutio ſuadet, aut vanitas. Merum conſilium nemo dixerit, ab iis abſtinere quæ Apoſtolus honeſtati, modeſtiæ, caſtitati, & profeſſioni pietatis opponit. Eodem Spiritu afflatus Apoſtolorum Princeps modeſtiam in habitu mulieribus præcipit. *Similiter*, inquit, *& mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: ſi ut & ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram. Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus: ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples*. An leve præceptum putandum eſt, quod Apoſtoli principes tanta diligentia inculcarunt? In publicum procedunt mulieres, ad Eccleſiam accedunt, *circumornatæ ut ſimilitudo templi*. Deum precatura pergis; Chriſtiana ſoror, & ornamenta aurea circumfers, capilloſque artificioſe implexos, & tortos, ſericis vinculis illigatos? Numquid hic nuptias & laſciviæ oblectamenta conquiris? Num ut tui ſpectaculum præbeas adveniſti? An ſaltatura ad Eccleſiam pergis? Acceſiſti ut Deum pro peccatis tuis ſuppliciter depreceris, ut tuis in illum ſceleribus veniam cum gemitu & lacrymis petas; quid te ipſam improbo atque intempeſtivo ſtudio ornas? Non iſte ſupplicis habitus. Iſta ſcenicis, ſaltatricibus, impudicis, & Gentilibus mulieribus relinquenda ſunt. Magnificetur Deus in corpore veſtro, Sorores meæ; magnificetur, inquam, per pudicitiam, & per habitum pudicitiæ competentem. Pudicitiæ Chriſtianæ ſatis non eſt eſſe, verum & videri. Prodite vos medicamentis & ornamentis extructæ Prophetarum & Apoſtolorum, *Sumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundia, & os taciturnitate, inſerentes in aures ſermones Dei, adnectentes cervicibus jugum Chriſti, caput maritis ſubjicite, & ſatis ornatæ eritis; manus lanis occupate, pedes domi figite, & plus quam in auro placebitis. Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ, Deum habebitis amatorem*.

Muliebris habitus modeſtia.

*1. Petri 3. 1. 2. 3.*

*S. Chryſoſt. Hom. 8.*

*Tertull. lib. 2. De Cultu Femminarum, c. 13.*

11. 12. 13. 14. *Mulier in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione. Docere autem mulieri non permitto, neque dominari in virum; ſed eſſe in ſilentio*. Modeſtia feminei ſexus officium & ornamentum eſt, modeſtia veſtium, linguæ, mentis, & cordis. Modeſtiam linguæ, ſilentium; modeſtiam mentis, docilitas, qua divinæ inſtitutiones in Eccleſia audiuntur, ſuſcipiuntur, & retinentur; modeſtiam cordis, ſubjectio, obedientia, reverentia erga virum in omnibus, quæ œconomicum ſpectant regimen, demonſtrant. Lex hæc mulieribus a Deo poſita. *Gratia mulieris ſedulæ delectabit virum ſuum. Diſciplina illius, datum Dei eſt. Mulier ſenſata & tacita, non eſt immutatio eruditæ animæ*. Loquax, imperioſum, & vanum mulierum genus, ſilentio, humilitate, ſubjectione ſanctificatur, Voluntas Creatoris, ordo creationis, imbecillitas ſexus, primatus in peccato, tentatio viro illata, viri auctoritatem, mulieris ſubjectionem juſtam eſſe oſtendunt. *Adam enim primus formatus eſt, deinde Eva: Et Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in prævaricatione fuit*. „ Evam te eſſe neſcis, o mulier? Vivit ſententia Dei ſuper ſexum iſtum in hoc ſeculo; vivat & reatus neceſſe eſt. Tu es diaboli janua, tu es arboris illius reſignatrix, tu es divinæ legis prima deſertrix, tu es quæ eum perſuaſiſti, quem diabolus aggredi non valuit. Tu imaginem Dei, hominem, tam facile eliſiſti. Propter tuum meritum, id eſt mortem, etiam Filius Dei mori habuit: & tu dominationem & imperium in virum uſurpabis? De rebus Religionis diſſerere & pene judicare, præſumes? Diſce in ſilentio, domi quieta mane, Paſtori & Directori animæ tuæ auſculta, ſponſo tuo ſubdita eſto. Satis tibi eſt ſi exemplo ſanctæ vitæ doceas; pietatem, pudicitiam, modeſtiam, charitatem vel tacita prædices viris, feminis, adoleſcentulis; ſi domi loquaris opportune ad ſanctificationem & ædificationem viri, ad inſtitutionem filiorum. Hoc matris familias officium eſt.

Univerſalis Modeſtia feminei ſexus officium & ornamentum eſt.

*Eccli. 26.*

*Tertull. lib. 1. De Cultu Femmin. c. 1.*

15. *Salvabitur autem per filiorum generationem, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate*. „ Mulier ſalutem æternam non conſequetur, niſi filios ſancte educaverit & inſtituerit. Non parvi meriti eſt datos a Deo liberos ad ipſius exercere militiam, eique ab infantiæ pannis dedicare. Nam ſi ejuſce educationis fundamenta parentes jecerint, maximis afficiendi ſunt præmiis; ſi neglexerint, graviſſimis cruciatibus. Nempe & Heli propter filios periit: illos enim cum acrius coercere debuiſſet, verbis lenioribus admonuit. Quapropter cum illis moleſtus eſſe ſevera increpatione recuſat, & illos, & ſeipſum una perdidit. Audite hæc, matres, veſtroſque filios in diſciplina & correptione Domini erudite ſumma cum diligentia. Si a prima ætate ipſis leges optimas imponatis, minimum poſthac laborabitis, verum conſuetudo ipſa virtutis in legem tranſibit. „ Nihil illos agere permittite ex his quæ noxie jucunda ſunt, illis nimium non indulgete, illos ante omnia inſtituere curate in doctrina Chriſtiana, in timore & dilectione Dei, in vera pietate, in caſtitate, in temperantia & ſobrietate. Ne illos ſeculi moribus conformare curetis, ſed legi Dei. Ne ipſis honorum, divitiarum, & terrenarum voluptatum cupiditatem inſpiretis, ſed in fide illos erudite, quæ hujus mundi honores contemnit; ad caritatem illos excitate & aſſuefacite, quæ divitias in pauperes effundit; ad ſanctitatem illos formate, quæ voluptates fugit & carnales cupiditates comprimit; ad temperantiam & moderationem Chriſtianam, quæ utitur hoc mundo, tamquam non utatur. „ Magnum habetis pretioſumque depoſitum, filios, magna vigilantia ſervate, ne fur aſtutus illud vobis auferat. Quam damnabilis hac in re deſidia & negligentia veſtra eſt! Nam ut fundus quidem ſit optimus maxime curatis: & quod omnium vobis chariſſimum eſt negligitis. Nulla vobis poſſeſſio tam chara eſſe debet quam filii, quibus & villas, & agros, & domos, & reditus, & quæcumque bona temporalia quæritis. Exercete igitur ad pietatem, & virtutem molles filiorum animos: cetera omnia ſecundo loco quærite. Nam ſi improbi fuerint, nihil eis pecuniæ proderunt; ſi probi, nihil ex paupertate lædentur. Filiis non recte inſtitutis præſtat pauperes eſſe, quam divites. Paupertas enim vel invitos coercet, atque intra virtutis limites continet: opes vero pudice temperanterque vivere vix ſinunt. Matres, curam gerite diligentem inſtitutionis filiarum: ipſas ſi ſancte inſtitueritis, non modo illarum ſalutem procurabitis, ſed & virorum qui illas ducturi ſunt, & filiorum, & nepotum. Quippe ex radice optima ſurculi prodeunt firmiores, ac ſemper in meliora proficiunt, horumque omnium merces vobis reddenda eſt.

*S. Chryſoſt. Hom. 9.*

Educatio ſancta filiorum.



---

## CAPUT III.

*Senſus Litteralis.*

1. FIdelis *ſermo*: certiſſimum ac veriſſimum eſt quod jam dicturus ſum. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*. Si quis Epiſcopalem dignitatem & poteſtatem appetit, bonum opus, ſanctamque functionem deſiderat. Id referri ad tempus, quo quiſquis pluribus plebibus præerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur, S. Gregorius M. obſerv. l. P. *Paſtoralis Curæ*, *cap.* 8. Tunc ergo laudabile fuit Epiſcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad ſupplicia graviora & martyrium pervenire.

2. *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem*. Neceſſe eſt igitur ut Epiſcopus vitæ ſit inculpatæ, criminis purus, nullamque dans juſtæ reprehenſionis occaſionem. Qui ſi uxorem habeat, vel habuerit, non tamen plures duxerit, ſed unam dumtaxat. Quod propter paucitatem eorum qui cœlibes eſſent, & ad Epiſcopatum idonei, primis Eccleſiæ temporibus permiſſum eſt. Bigami autem ab Epiſcopatu & Sacerdotio repulſi, tum propter incontinentiæ ſuſpicionem, tum propter myſticam ſignificationem: quia bigami conjunctionem Chri-

ὀρέγεται *vehementer appetit*. ἐπιθυμεῖ, *deſiderat*. Priori vocabulo utitur Apoſtolus priori loco, quod res eadem nomine, & Epiſcopatus & ampliſſimæ dignitatis deſideretur ardentius, quam nomine operis.

Chriſti cum unica ſponſa, ſcilicet Eccleſia, perfecte non repræſentant. Epiſcopum & Presbyterum eligendum, qui plures ſimul non habeat, nec habuerit uxores, non autem neceſſario qui ſecundam priore defuncta non duxerit, ex Apoſtoli mente eſſe putarunt Theodoretus & Cajetanus noſter: ſed eorum expoſitio rejicienda eſt, S. Hieronymo duce. Cujus & omnium Interpretum Latinorum commentationem præponendam ſuadent verba Apoſtoli noſtri c. 5. hujus Epiſtolæ de Vidua eligenda dicentis: *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor.* Inferiorem vero continentiam in Epiſcopis, & Presbyteris Apoſtolum exegiſſe, ea quam in Viduis optavit, haud veriſimile eſt. Oportet inſuper Epiſcopum *ſobrium* ac vigilantem eſſe, *prudentem*, *ornatum*, ſeu gravem & modeſtum, in cultu, inceſſu, ſermone, totoque corporis habitu bene decenterque compoſitum, caſtum & *pudicum*. *Hoſpitalem*, in pauperes & peregrinos Chriſtianos benignum & liberalem, *doctorem*, in divinis litteris, in doctrina fidei, ac morum, in diſciplina & jure Eccleſiæ eruditum, idoneum, promptum & paratum ad alios inſtituendos & docendos.

* Ad linguæ verbera id minus proprie quidam ex antiquis & recentioribus referunt.

Regula hæc generalis, a qua tamen urgente Eccleſiæ neceſſitate, aut utilitate exigente, ob eximias Neophytorum dotes, ſummamque modeſtiam, aliquando diſceſſum eſt, ut in Ordinationibus S. Ambroſii, & Nectarii.

3. 4. *Non vinolentum, non * percuſſorem, ſed modeſtum; non litigioſum, non cupidum, ſed ſuæ domui bene præpoſitum, filios habentem ſubditos cum omni caſtitate.* Non vino deditum & compotationi, non violentum, ferocem, & ad percutiendum promptum, *ſed modeſtum*, id eſt æquum, moderatum, manſuetum, a litibus, rixis & jurgiis alienum, *non litigioſum*; avaritiæ expertem, pecuniæ non amantem; qui familiam ſuam bene regat; qui filios ſuos in obedientia, caſtitate, omnique morum honeſtate contineat.

5. *Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Si quis enim familiam ſuam bene regere non novit per negligentiam, vel imprudentiam, quomodo Eccleſiæ Dei, quæ tantam hominum ingenio, moribuſque diſſimilium multitudinem complectitur, curam diligentem habebit? Argumentum eſt a minori ad majus, ut ſi dixerimus, Rempublicam ei non eſſe committendam, qui privatas res ſuas male curaverit.

6. *Non neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* Non novitium in fide, recenſque baptizatum & Eccleſiæ inſitum, ne repentina dignitate infletur, & in eandem incidat damnationem, in quam incidit diabolus ſuperborum angelorum & hominum princeps.

Ab Epiſcopis ad Diaconos proxime tranſiit Apoſtolus, quod Presbyteris & Epiſcopis commune tunc nomen eſſet, licet ordinatio, dignitas & auctoritas diverſa: eaſdemque dotes utriſque neceſſarias judicaverit.

7. *Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt, ut non in opprobrium incidat, & in laqueum diaboli.* Neceſſe eſt præterea, ut Epiſcopus ſit bonæ famæ, ejuſque vita & converſatio probata ſit apud eos qui extra Eccleſiam ſunt, id eſt, apud Ethnicos & infideles, ne illi prioris vitæ vitia exprobrentur, & infamia notatus deſpondeat animum, & ab Eccleſia deficiat, aut certe ira, odio, vindicta, aliiſque peccatis, qui laquei ſunt diaboli, irretitus, æterna cum illo damnatione involvatur.

8. 9. 10. *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes.* Diaconos ſimiliter oportet pudicos, omnique morum honeſtate probatos eſſe ac venerabiles; non duplices in verbis, qui aliud in corde habeant; non temulentos & bibaces, non turpiter lucri cupidos, & ex artibus aut negotiis inhoneſtis, ſeu divina aut Eccleſiaſtica lege vetitis quæſtum facientes. *Habentes myſterium fidei in conſcientia pura.* Fidem Chriſtianam Catholicam ſincero conſtantique animo ſervantes, & ſanctis operibus, quæ conſcientiæ puræ fructus ſunt, confirmantes. *Et hi autem probentur primum: & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.* Hi etiam probentur quoad doctrinam & mores, prius quam ad ſacrum Miniſterium admittantur; & ſi nemo ullum ipſis crimen objicere poſſit, ordinentur & in ſacro Miniſterio conſtituantur. Qua de re S. Cyprianus Epiſt. 33. *In Ordinationibus Clerici*, inquit, *Fratres cariſſimi, ſolemus vos ante conſulere, & mores ac merita ſingulorum communi conſilio ponderare.* Hujus diſciplinæ teſtis eſt Lampridius in Vita Severi: *Ubi enim aliquos voluit vel Rectores Provinciis dare, vel Præpoſitos facere, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus: dicebatque, Grave eſſe non fieri in Provinciarum Rectoribus, cum id Chriſtiani & Judæi facerent in prædicandis Sacerdotibus qui ordinandi ſunt.*

De Diaconiſſis Eccleſiæ Miniſterio addictis S. Chryſ. Theodoret. aliique Græci Interpretes hunc locum exponunt.

11. *Mulieres ſimiliter pudicas, non detrahentes, ſobrias, fideles in omnibus.* Mulieres etiam, Diaconiſſas, vel Diaconorum, Presbyterorum, & Epiſcoporum uxores ante Ordinationem ductas, pudicas, omnique morum honeſtate & gravitate conſpicuas eſſe oportet, non calumniatrices & ad detractionem pronas, quod vitium eſt muliebri ſexui familiare, ſobrias, vigilantes & prudentes, fideles in omnibus, Deo, maritis, Eccleſiæ; juſtitiam in omni negotio ſibi commiſſo ſervantes, & neminem defraudantes; fideles in erogatione eleemoſynarum ipſis, vel eorum maritis concreditarum.

De uxoribus Epiſcoporum & Diaconorum S. Thomas Lect. 2.

12. 13. *Diaconi ſint unius uxoris viri: qui filiis ſuis bene præſint, & ſuis domibus.* Diaconos Monogamos eſſe neceſſe eſt, ſicut Epiſcopos & ſecundi ordinis Sacerdotes, ſancta filiorum inſtitutione, & optimo familiæ ſuæ regimine commendatos. *Qui enim bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Qui enim Diaconatus Miniſterio digne functi fuerint, ad ſuperiorem in Eccleſia gradum, ſcilicet ad Sacerdotium, vel etiam ad Epiſcopatum provehentur, & magnam fiduciam in fidei & religionis Chriſtianæ rebus promerebuntur: Vel, magnam ſibi parient auctoritatem ac libertatem admonendi, docendi, corripiendi in Eccleſia, ſecundum doctrinam fidei, qua in Chriſtum Jeſum credimus.

14. 15. *Hæc tibi ſcribo, ſperans me ad te venire cito.* Hæc ad te ſcribo, chariſſime fili Timothee, ſperans me cito ad te venturum Epheſum, ſi Deus dederit. *Si autem tardavero, ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi quæ eſt columna & firmamentum veritatis.* Si autem tardius venero, aut mea ad te profectio omnino impedita fuerit; ut ex hac Epiſtola noſcas quomodo eos oporteat ſe gerere quibus credita eſt cura animarum, & ſacrum Miniſterium commiſſum eſt: Vel, quomodo te gerere debeas in ordinandis & conſtituendis Epiſcopis, Presbyteris & Diaconis in Domo Dei, quæ eſt Eccleſia Dei viventis, non falſorum Numinum; quæ eſt columna & baſis ſuſtentans & conſervans veritatem fidei doctrinæque Chriſtianæ, illi a Chriſto & ab Apoſtolis traditæ & concreditæ. Apoſtolum Eccleſiam cum Templo Judaico conferre Theophylactus obſervat. Illud figuras & umbras habebat, veluti tintinnabula & mala punica, & Pontificem cum victimis. „ Eccleſia autem eſt cœtus veritatis: omnia enim quæ in ea peraguntur, vera ſunt, & nihil in ea eſt umbroſum, ut in Lege. Pro tintinnabulis enim clara prædicatio: pro malis punicis vita eſt coronata, intus fructum habens. Porro Pontifex eſt Filius Dei: magnumque ſacrificium, divinum ipſius Corpus.

Hic locus Eccleſiam viſibilem, indeficientem, & infallibilem eſſe demonſtrat.

16. *Et manifeſte magnum eſt pietatis ſacramentum, quod manifeſtatum in carne, juſtificatum eſt in Spiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumtum eſt in gloria.* Sine controverſia magnum eſt Myſterium Incarnatio Dominica, in cujus fide vera pietas, & religio, qua Deus colitur, potiſſimum fundata eſt. Quod *manifeſtatum eſt in carne*, ſeu natura humana, quam Dei Filius pro ſalute noſtra aſſumſit: *Juſtificatum in Spiritu*, id eſt, teſtimoniis Spiritus, quatenus Chriſtum eſſe verum Deum & Dei Filium innumera miracula virtute Spiritus ſancti edita demonſtrarunt. *Apparuit Angelis*, qui oculis mentis Deum carne indutum viderunt, admirati ſunt, glorificaverunt: *prædicatum eſt Gentibus*, quæ antea erant a Deo quaſi deſertæ, nunc autem ad ejus cognitionem & cultum, & regnum vocatæ: *creditum eſt in mundo*: per univerſum mundum non ſolum prædicatum, ſed creditum eſt, Chriſtum Jeſum Deum eſſe & hominem, & ut Deus ab iis qui crediderunt adoratur: *aſſumtum eſt in gloria*. Perfectum & conſummatum eſt in gloria, ad quam Chriſtus per admirabilem in cœlos Aſcenſionem ſuam eſt aſſumtus.

---

## C A P U T III.

*Senſus Moralis.*

In Epiſcopatu non honor, ſed labor amandus.

1. F*idelis ſermo: Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Tam divinam veritatem quam pauci comprehendunt! Quot Epiſcopatum quærunt ambitione cæca, aut miſerabili de talentis ſuis præſumptione? Quot ſine vocatione & talentis neceſſariis ad tantam dignitatem arrepunt, & onus ſuſcipiunt angelicis humeris formidandum? *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat:* „ Opus, non dignitatem; laborem, non delicias; opus per quod humilitate decreſcat, non intumeſcat faſtigio... In actione non amandus eſt honor in hac vita, ſive potentia, quoniam omnia vana ſub Sole: ſed opus ipſum, quod per eumdem honorem vel potentiam fit, ſi recte atque utiliter fit, id eſt, ut valeat ad eam ſalutem ſubditorum, quæ ſecundum Deum eſt. *Epiſcopatus nomen eſt operis, non honoris:* Non eſt dignus Chriſti Jeſu Sacerdotio, *qui præeſſe dilexerit, non prodeſſe... Locus ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, etſi ita teneatur atque admini-*

S. Hieron. Ep. 83. Ad Oceanum. S. Aug. lib. 10. De Civit. Dei, c. 19.

„ ſtre-



„ *ſtretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium ſanctum quærit caritas veritatis: negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas caritatis. Quam ſarcinam ſi nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum eſt veritati.*

S. Chryſoſtom. Hom. 10.

2. *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* Hoc unico verbo genus omne virtutis expreſſit. „ Itaque qui ſibi vel levis culpæ conſcius eſt, male profecto facit eam rem appetens, qua indignum ſe per opera facit. Non enim decet illum regere, ſed potius regi. Eum quippe qui regendos alios ſuſcipit, tanta decet gloria virtutis excellere, ut inſtar Solis ceteros veluti ſtellarum igniculos, ſuo fulgore obſcuret; Epiſcopus Sacerdotii Chriſti conſors, imo unus cum Chriſto Jeſu Sacerdos, unus animarum Epiſcopus, unus Eccleſiæ ſponſus eſt, ſanctus igitur eſſe debet, ſicut ille ſanctus eſt. Ad privatam ſalutem pœnitentia ſufficit: ad aliorum ſalutem ex officio procurandam innocentia deſideratur. Quomodo enim alios corripere poterit, qui reprehenſioni obnoxius ipſe eſt? Quomodo aliorum exemplar eſſe, qui imperfectus eſt? „ Ille igitur modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis paſſionibus moriens jam ſpiritaliter vivit, qui proſpera mundi poſtpoſuit, qui nulla adverſa pertimeſcit, qui ſola interna deſiderat. Cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per contumaciam repugnat ſpiritus. Qui ad aliena cupienda non ducitur, ſed propria largitur. Qui per pietatis viſcera citius ad ignoſcendum flectitur, ſed nunquam plus quam deceat ignoſcens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, ſed perpetrata ab aliis ut propria deplorat. Qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, ſicque in bonis proximi ſicut in ſuis profectibus lætatur. Qui ita ſe mirabilem in cunctis quæ agit inſinuat, ut inter eos non habeat quod ſaltem de tranſactis erubeſcat. Qui ſic ſtudet vivere, ut proximorum quoque corda arentiæ doctrinæ valeat fluentis irrigare. Qui orationis uſu & experimento jam didicit, quod obtinere a domino, quæ popoſcerit, poſſit. Qui ergo adhuc deſideriis terrenis adſtringitur, caveat ne diſtricti iram Judicis gravius accendens, dum loco delectatur gloriæ, fiat ſubditis auctor ruinæ. „ A Paſtorali Cura procul arcendi, qui vel minima incontinentiæ ſuſpicione laborant, cum nec ſecundo Matrimonio, etiam ante Baptiſmi ſuſceptionem implicatos, ad Sacerdotium adlegere & ordinare permiſerit Eccleſia ab Apoſtolo inſtituta. *Unius uxoris virum.* Paſtorem vigilantem eſſe neceſſe eſt, qui non tantum ſui, ſed totius Diœceſis curam habet; decet eum omnes ſolicitudine atque induſtria ſuperare, ut diu noctuque ſummi Regis exercitum & caſtra perluſtret, laboret aſſidue in muneris ſui functionibus, omnibus occurrat periculis, omnium ſpiritualibus neceſſitatibus provideat, Cleri, Populi, ſublimiorum, mediorum, infimorum. Quam difficilis vero ſine ſobrietate vigilantia! In eo enim qui ſobrius non eſt, inertia dominatur, cupiditates tumultuantur, caro adverſus ſpiritum rebellis luxuriatur. *Sobrium.* Quanta prudentia conſpicuum eſſe neceſſe eſt, qui Eccleſiam regere? Quanta modeſtia & omnium virtutum ornatu, qui alios ædificare? quanta pudicitia, qui caſtitatem prædicare, Chriſti corpus de Virgine natum offerre, animas fide deſponſatas uni viro virginem caſtam exhibere Chriſto? Quanto in pauperes amore, quanta beneficentia, qui pauperum pater, nutritius, & defenſor inauguratus eſt? Quanta doctrina, qui populum Legem Dei & ſcientiam ſalutis docere debet? *Prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem.* „ De prædicationis miniſterio ſemper cogitet Rector animarum, intentiſſimo timore conſiderans, quod receſſurus ad percipiendum regnum Dominus & talenta ſervis diſtribuens dicat, *Negotiamini, dum venio.* Quod profecto negotium tunc vere nos agimus, ſi vivendo & loquendo proximorum animas lucramur; ſi infirmos quoſque cœleſtis regni gaudia prædicando in ſuperno amore roboramus; ſi protervos ac tumidos gehennæ ſupplicia terribiliter inſonando flectimus; ſi nulli contra veritatem parcimus; ſi ſupernis amicitiis dediti, humanas inimicitias non timemus.

Epiſcopi ſanctitas.

S. Gregor. M. Paſtor. P. 1. cap. 10.

Paſtorum dotes.

S. Gregor. M. Epiſt. 39. lib. 2. Indict. 10. Luc. 19.

„ 3. *Non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum; non litigioſum, non cupidum.* Vinolentia ſcurrarum eſt & comeſſatorum: venterque mero æſtuans cito deſpumat in libidines. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia eſt. Qui luxuriatur, vivens mortuus eſt: ergo qui inebriatur, & mortuus, & ſepultus eſt. Noe ad unius horæ ebrietatem nudat femora ſua, quæ per ſexcentos annos ſobrietate contexerat. Loth per temulentiam, neſciens libidini miſcet inceſtum, & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. Tanta vinolentiæ & ebrietatis turpitudo eſt tum in Chriſtiano quolibet homine; tum maxime in Sacerdote, ut S. Chryſoſtomus perſuaſum habuerit, hæc Apoſtoli verba, *Non vinolentum*, in propria ſignificatione accipienda non eſſe, ſed vitia temulentiæ conjuncta, ferociam ſcilicet, animique elationem ad injurias & contumelias promptam, intelligi. Violentia vinolentiæ affinis non minus indigna eſt Sacerdotibus Chriſti, qui manſuetudinis ejus, modeſtiæ, & patientiæ ſpirantes imagines eſſe debent. Percuſſorem Sacerdotem ille condemnat, qui dorſum ſuum poſuit ad flagella, & maledictus non remaledixit. „ Nec manu, nec lingua ſæviat in ſubditos, ſed illatas ſibi injurias facile condonans, peccantes cum manſuetudine arguat & corripiat. *Non percuſſorem, ſed modeſtum.* Curandum eſt ut *Rectorem ſubditis & matrem pietas, & patrem exhibeat diſciplina.* „ Hinc docente Veritate per Samaritani ſtudium ſemivivus in ſtabulum ducitur, & vinum atque oleum vulneribus ejus adhibetur, ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Neceſſe quippe eſt ut qui ſanandis vulneribus præeſt, in vino morſum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: quatenus per vinum mundentur putrida, per oleum foveantur ſananda. Miſcenda eſt ergo lenitas cum ſeveritate, faciendum quoddam ex utraque temperamentum: ut neque multa aſperitate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſolvantur. Quod Arca Tabernaculi ſignificat, in qua cum tabulis virga ſimul & manna eſt, quia *Cum Scripturæ ſacræ ſcientia in boni Rectoris pectore ſi eſt virga diſtrictionis, ſit & manna dulcedinis.*

S. Hieron. Epiſt. 83. Ad Oceanum.

S. Chryſoſt. Hom. 10. Theophylact.

S. Hieronym.

S. Gregor. M. Paſtor. p. 3. c. 6. Luc. 10.

Paſtores arbitros, Mediatores & conciliatores pacis inter diſſidentes & litigantes intercedere oportet, ſubditos ab avaritia & rerum temporalium amore deterrere, hortari ut cor & theſaurum in cœlis habeant. Id vero qua ratione præſtabunt, ſi contentiones, lites & pecunias ament? *Non litigioſum, non cupidum.* Quam pudendum eſt, quod Paſtores aliique Eccleſiaſtici viri, ſæculares judices litibus inquieti avarique animi cupiditate ſuſceptis fatigent in Cleri dedecus, in populi ſcandalum, in pauperum detrimentum, quorum patrimonium, nempe Eccleſiaſtici reditus, in litibus annoſis & ſæpe renaſcentibus conſumitur! Paſtorale interim negligitur officium, Reſidentiæ lex, quæſito ſæpe litium prætextu, impune violatur. Cur juris veſtri tam rigidi exactores eſtis? *Quare non magis injuriam accipitis? Quare non magis fraudem patimini?* Cur non potius Collegarum veſtrorum, aut aliorum proborum virorum arbitrio controverſias veſtras de rebus temporalibus, ſi quæ oriuntur, committitis? Concilii Carthaginenſis quarti Canone 19. ſancitum eſt *Ut Epiſcopus pro rebus tranſitoriis non litiget provocatus.* Carthaginenſe tertium Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, ceteroſque Clericos, qui vel civiles cauſas ſuas ad ſecularia tribunalia, relicto judicio Eccleſiaſtico detulerint, etiam ſi pro ipſis lata fuerit ſententia, perdere decernit quod evicerunt, ſi gradum ſuum ſervare velint. „ Cui enim ad eligendos judices undique patet auctoritas, ipſe ſe indignum fraterno conſortio judicat, qui de univerſa Eccleſia male ſentiendo, de judicio ſeculari poſcit auxilium; cum privatorum Chriſtianorum cauſas Apoſtolus ad Eccleſiam deferri, atque ibi determinari præcipiat. Utinam tam ſancta, & Apoſtolicæ inſtitutioni tam conſentanea diſciplina nunc in Clero vigeret! Caveant Parochiarum ruralium Rectores, qui contentiones, jurgia, & lites cum Parochianis ſuis habent, ne illis merito hæc S. Hieronymi Sententia accommodetur: Nihil impudentius arrogantia ruſticorum, qui garrulitatem auctoritatem putant, & parati ſemper ad lites, in ſubjectum ſibi gregem tumidis ſermonibus tonant.

1. Cor. 6. 17.

S. Hier. Epiſt. 83. Ad Oceanum.

4. 5. *Sed ſuæ domui bene præpoſitum..... Si quis autem domui ſuæ præeſſe neſcit; quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Ordinis & diſciplinæ amantem Paſtorem, bonique regiminis peritum probat prudens & ſanctum familiæ regimen, ſi quod populo præcepturus eſt, prius a domeſticis exigat. Bernardum Abbatem ſanctiſſimum, Pontificum & Epiſcoporum Magiſtrum, hunc locum Apoſtoli exponentem audiant Eccleſiæ Paſtores. „ Non oportet, *inquit*, ut vitia domus tuæ ultimus ſcias: quod quam plurimis novimus contigiſſe. Quapropter alius alia diſpenſet, de diſciplina tu provide, illud nemini credas. Si inſolentior coram te vel ſermo ſonuerit, vel habitus apparuerit, manus tua ſuper ejuſmodi, tu ulciſcere injuriam tuam. Impunitas auſum parit, auſus exceſſum. Domum Epiſcopi decet ſanctitudo, decet modeſtia, decet honeſtas. Horum diſciplina cuſtos. Sacerdotis domeſtici aut ceteris honeſtiores, aut fabula omnibus ſunt. In vultu, in habitu, in inceſſu illorum qui circa te ſunt, nihil

Prudens & ſanctum familiæ regimen a Paſtore deſideratur.

S. Bernardus lib. 4. de Conſideratione, cap. 6.

„ reſi-

„ reſidere impudicum, nihil indecens patiaris..... „ Nec auſteritatem tamen ſuadeo tibi, ſed gravitatem. „ Illa infirmiores fugat, hæc reprimit leviores: illa ſi „ adſit, odibilem: hæc ſi deſit, contemptibilem red- „ dit: in omnibus tamen modus melior. Quid hac „ mediocritate gratius, aut nec de ſeveritate ſis one- „ ri, nec de familiaritate contemptui?" Diffidentiam & ſolicitam nimis ad rei familiaris minutias attentionem, ut indignam animarum Paſtore S. Bernardus merito reprehendit. „ Quid, *inquit*, Epiſcopo turpius, „ quam incumbere ſupellectili & ſubſtantiolæ ſuæ, „ ſcrutari omnia, *ſciſcitari de ſingulis*, morderi ſu- „ ſpicionibus, moveri ad quæque perdita vel negle- „ cta? Ad verecundiam dico quorumdam ejuſmodi „ ſcrutantium quotidie omnem ſubſtantiam ſuam, „ numerantiam ſingula, de minutis & quadrantibus „ exigentium rationem. Non ita ille Ægyptius, qui „ Joſeph omnibus traditis, ignorabat quid haberet in „ domo ſua. Erubeſcat Chriſtianus Chriſtiano ſua non „ credens. Satis ſuperque Epiſcopi ad manum ha- „ bent quibus animas credant: & cui ſuas committant „ facultates non inveniunt. Optimi videlicet æſtima- „ tores rerum, qui magnam de minimis, parvam aut „ nullam de maximis curam gerunt! Patientius ſe- „ rimus Chriſti jacturam, quam noſtram. Quotidia- „ nas expenſas quotidiano reciprocamus ſcrutinio, „ & continua dominici gregis detrimenta neſcimus. „ De pretio eſcarum & numero panum cum mini- „ ſtris quotidiana diſcuſſio eſt: rara admodum cum „ Presbyteris celebratur collatio de peccatis populo- „ rum.

6. *Non neophytum: ne in ſuperbiam elatus, in judicium incidat diaboli.* Qui vitam omnino ſecularem in Clero duxit, qui diuturna exercitatione virtutis probatus non eſt, qui in ſacra doctrina & Eccleſiaſtica diſciplina rudis, quomodo Chriſti populum docere poterit ac regere? Nemo dux optimus, qui prius miles non fuerit; nemo peritus Magiſter, qui non prius diſcipulus; nemo poteſt effundere, qui prius infuſus & plenus non ſit. Quanta prius infundenda ſunt iis qui ad Eccleſiaſticas Præfecturas promoventur, ut effundere poſſint de plenitudine, non de penuria largientis?

*S. Bernard. Ser. 18. in Cantica.*

*Primo quidem compunctio, deinde devotio, tertio pœnitentiæ labor, quarto pietatis opus, quinto orationis ſtudium, ſexto contemplationis otium, ſeptimo plenitudo dilectionis.* Enimvero *non eſt quo ſe immiſceat vanitas, ubi totam occupat caritas.*

Diaconorum dotes.

*S. Ignatius Martyr. Epiſt. Ad Trallian.*

8. 9. 10. *Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes.* Myſteriorum Chriſti Miniſtros, Sanguinis Chriſti diſpenſatores, quorum in manibus altarium vice oblatum aliquando legitur a ſanctis Epiſcopis Sacrificium, Virginum & Viduarum Curatores, caſtitas angelica decet: *Pudicos.* Evangelii præcones, Prædicatores veritatis, a mendacio, detractione, ſuſurratione, adulatione abhorrere oportet: *Non bilingues.* Simplicitas & ſinceritas probi Chriſtiani character eſt, multo magis Miniſtri Eccleſiaſtici. *Denotatio peſſima ſuper bilinguem; ſuſurratori autem odium, & inimicitia, & contumelia.* Uſu vini & potus omnis qui inebriare poteſt, veteris Teſtamenti Miniſtris quando Tabernaculum ingredi debebant; nec non omnibus qui erant Domino conſecrati, interdictum erat Lege veteri: quanto magis a ſacro Altaris Miniſterio arcendi ſunt homines bibaces & vino dediti?

*Eccli. 5. 17. Levit. 10. 9. Numer. 6. 3.*

*Concil. Illiber. S. Cyprian.*

Quibus baptiſmi ſolemnis Miniſterium, exomologeſis & reconciliatio publice Pœnitentium, directio & exhortatio Martyrum, primis Eccleſiæ ſæculis ab Epiſcopis commiſſa ſunt: Quibus Eccleſiæ negotia & arcana credita ſunt; qui *Epiſcoporum aures, oculi, & ora* vocantur, hos vino deditos vel aſſumi, vel in Miniſterio impune tolerari pudendum eſſet: *Non multo vino deditos.* Oblationes fidelium, & patrimonia pauperum illorum fidei credita non fuiſſent ab Eccleſia, quorum mores ab omni avaritia & turpi lucro omnino non fuiſſent alieni: *Non turpe lucrum ſectantes.*

*Conſtit. Apoſt. lib. 2. c. 44.*

*S. Hieron. Epiſt. 2. Ad Nepotian.*

„ Procuratores & diſpenſatores do- „ morum alienarum, atque villarum, quomodo poſ- „ ſunt eſſe Clerici, qui proprias jubentur contemne- „ re facultates? Amico quippiam rapere, furtum eſt: „ Eccleſiam fraudare, ſacrilegium eſt: accepiſſe quod „ pauperibus erogandum ſit, & eſurientibus pluri- „ mis, vel cautum eſſe velle, vel timidum, aut, „ quod apertiſſimi ſceleris eſt, aliquid inde ſubtrahe- „ re, omnium prædonum crudelitatem ſuperat. O- „ ptimus diſpenſator eſt, qui ſibi nihil reſervat. „ Turpe lucrum ſectantur Eccleſiæ Miniſtri, qui „ pauperibus paululum tribuunt, ut amplius acci- „ piant, & ſub prætextu eleemoſynæ quærunt di- „ vitias: quæ magis venario appellanda eſt, quam „ eleemoſynæ genus. Sic beſtiæ, ſic aves, ſic ca- „ piuntur & piſces. „ Modica in hamo eſca ponitur, ut matronarum in eo ſacculi protrahantur..... Miniſtrorum Eccleſiæ vita & converſatio fidei reſpondeat, ejuſque puritatem operibus bonis confirmet neceſſe eſt, ut ſint forma & exemplar populi Chriſtiani. *Habentes Myſterium fidei in conſcientia pura.* Probatos eſſe oportet, non quidem ſine defectu & peccato: quem enim inveniret Eccleſia dignum Miniſtrum? Sed, *ſine crimine.* Quemlibet valde juſtum diſcutias in hac vita, non eſt ſine peccato. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Sed plane multi juſti dicti ſunt ſine querela, quod intelligitur ſine crimine: nulla enim querela juſta eſt de his in rebus humanis, qui non habent crimen. *Crimen autem eſt peccatum grave, accuſatione & damnatione digniſſimum.* Criminis puros Miniſtros Altaris vult Apoſtolus ordinari, & ſui Ordinis ſacras obire functiones. *Et hi probentur primum: & ſic miniſtrent nullum crimen habentes.* Eligantur *viri boni teſtimonii, pleni Spiritu ſancto & ſapientia*, qui ſanctificationi ſuæ diligenter intendentes, ſtudeant ut ipſa quæ juſtorum dicuntur peccata, in iis quotidie minuantur. *Peccatum* autem *minuitur in vita proficientium, quod in vita conſumitur perfectorum.*

*1. Joann. 1. S. Auguſt. Tract. 41. in Joann.*

*Act. 6. 3.*

Qui ad dignitates Eccleſiaſticas nominandi?

*Concil. Trid. Seſſ. 24. cap. 1. De Reform. & cap. 17.*

13. *Qui enim bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Ad Ordines & dignitates Eccleſiaſticas ſolis virtutum & meritorum gradibus aſcendere debent Clerici. Boni miniſterii in inferiori gradu, merces eſt Miniſterium ſublimius. Qui ergo jus habent ad Eccleſiaſticas Dignitates & beneficia curam animarum annexam habentia nominandi, aut alioquin conſilium vel operam ſuam præſtant, imprimis meminerint nihil ſe ad Dei gloriam & populorum ſalutem utilius poſſe facere, quam ſi bonos Paſtores, & Eccleſiæ gubernandæ idoneos promovere ſtudeant: *Eoſque alienis peccatis communicantes graviter peccare, niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis utiles judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.* Verumtamen beneficiorum aut dignitatum Eccleſiaſticarum intuitu bene miniſtrare & laborare in Eccleſia, mercenarii eſſet: bene miniſtrare debent Eccleſiaſtici Viri ut Deo placeant, illumque promereantur. Id ſi fecerint, ſpiritualium donorum incrementa, & præſtantiſſimum gradum in futura vita accipient, etſi in hac vita minus habeant honoris, & aliis minus dignis poſtponantur. *Qui bene miniſtraverint, gradum bonum ſibi acquirent:* Qui autem gradibus meritorum ad Eccleſiæ Præfecturas & Curam Paſtoralem aſcenderint, ſibique conſcii non ſunt quod male miniſtraverint, ne propterea ſecuritatem habeant, ſed fiduciam divinæ miſericordiæ innixam, fiduciam (inquam) impetrandi a Deo auxilia gratiæ ad Miniſterium ſuum in finem uſque digne obeundum neceſſaria, & coronam quam fidelibus Miniſtris pro ſalute animarum ad ejus gloriam laborantibus ſe redditurum promiſit juſtus Judex. *Et multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto Jeſu.*

*Theodoret.*

Sola Eccleſia Catholica domus eſt Dei vivi.

14. 15. *Hæc tibi ſcribo ....... ut ſcias quomodo oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis.* Eccleſia domus Dei eſt: qui extra hanc domum agnum comedit, profanus eſt. Qui in numero Dei non eſt, e numero filiorum Dei non eſt, nec jus habet ad æternam in cœlis hereditatem. Eccleſia Catholica ſola eſt Eccleſia Dei vivi, qui eſt Unitas, Veritas, Caritas: quia ſola habet Cathedram unitatis, doctrinam veritatis, vitam caritatis. Idololatria deſtruit unitatem, hæreſis impugnat veritatem, ſchiſma extinguit caritatem. Huic columnæ qui non innititur, vento erroris dejicietur. Qui ſuper hoc fundamentum non ædificat, domum cito ruituram ſuper arenam elevat. Proteſtantium & Schiſmaticorum cœtus, domus Dei non eſt. *Domus Dei una eſt. Qui foras exeuntes partem facere voluerunt, parietem fecerunt, non domum: quia non eſt alius Deus, qui alteram domum inhabitet. Ideo parietem feciſſe dicuntur falſi Vates, in quo ſi janua fuerit collocata, quicumque intraverit, foris eſt. Nec lapidem habere angularem unus paries poteſt, qui lapis Chriſtus eſt.* Qui ab Eccleſia Catholica defecerunt, ſeipſos doctrina veritatis, & vita caritatis fraudaverunt. *In Eccleſia poſuit Deus Apoſtolos, Prophetas, Doctores, & univerſam reliquam operationem Spiritus, cujus non ſunt participes omnes qui non concurrunt ad Eccleſiam; ſed ſemetipſos fraudant a vita per ſententiam malam, & operationem peſſimam. Ubi enim Eccleſia, ibi & Spiritus Dei; & ubi Spiritus Dei, illic Eccleſia, & omnis gratia: Spiritus autem veritas. Quapropter qui non participant eum, neque a mamillis Matris nutriuntur ad vitam, neque percipiunt de corpore Chriſti procedentem nitidiſſimum fontem: ſed effodiunt ſibi lacus detritos de foſſis terrenis, & de cœno putridam bibunt aquam, effugientes fidem Eccleſiæ.... Alienati vero a veritate, digne in omni volutantur errore, fluctuati ab eo, aliter atque aliter per tempora*

*Optatus Milevit. lib. 3. contra Parmenian.*

*S. Irenæus lib. 3. cap. 40.*

de



*de eiſdem ſentientes, & numquam ſcientiam ſtabilem habentes, ſophiſtæ verborum magis volentes eſſe quam diſcipuli veritatis. Non enim ſunt fundati ſuper unam petram, ſed ſuper arenam habentem in ſe lapides multos.* Denique, *Non habent Dei Caritatem, qui Eccleſiæ non diligunt unitatem.*

*S. Auguſt. lib. 2. de Bptiſmo contra Donatiſt. cap. 16.*

Incarnati Verbi admirabile Myſterium

16. *Et manifeſte magnum eſt pietatis Sacramentum, quod manifeſtatum eſt in carne, juſtificatum eſt in Spiritu, apparuit angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria.* Magnum eſt revera Incarnati Verbi Myſterium, admirabile, hominibus & angelis incomprehenſum. Myſterium amoris & pietatis, quia *Deus ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret* pro ſervorum ſalute. Hoc myſterium manifeſtum eſt in carne, qua ſimilis nobis Dei Filius factus eſt, ut nos ad divinam ſimilitudinem reformaret. Myſterium ab æterno præfinitum, in Lege multis figuris adumbratum, quia *Paraturam deſiderabat ut credi poſſet*, in plenitudine temporis completum & revelatum eſt. Verbum ab æterno latens in corde Patris, manifeſtatum eſt in carne: ſicut Verbum in mente noſtra latens manifeſtatur in voce, nec tamen mutatum eſt in carnem, ſicut nec cogitatio noſtra mutatur in vocem, ſed manens in mentis luce, & aſſumta carnis voce pervenit ad audientem, & non deſerit cogitantem. Manifeſtatum, ut Verbum divinum homini per peccatum in corporalia lapſo ſe coaptaret & contemperaret, ejuſque amorem ſibi conciliaret. *Ego hanc arbitror præcipuam inviſibili Deo fuiſſe cauſam, quod voluit in carne videri, & cum hominibus homo converſari, ut carnalium qui niſi carnaliter amare non poterant, cunctas primo ad ſuæ carnis ſalutarem amorem affectiones retraheret, atque ita gradatim ad amorem perduceret ſpiritualem.* Hoc Myſterium juſtificatum eſt in Spiritu, Chriſtus enim de Spiritu ſancto conceptus; plenitudine Spiritus, quem non ad menſuram accepit, ſanctificatus; teſtimonio Spiritus ſancti miracula per ipſum, cum ipſo & in ipſo edentis, Deus comprobatus ac declaratus eſt. *Et teſtimonium perhibuit Joannes dicens: Quia vidi Spiritum deſcendentem quaſi columbam de cœlo, & manſit ſuper eum. Et ego neſciebam eum: ſed qui me miſit baptizare in acqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum deſcendentem & manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat in Spiritu ſancto. Et ego vidi & teſtimonium perhibui, quia hic eſt Filius Dei.* Et Chriſtus ipſe: *Si ego in Spiritu Dei ejicio dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei.* Filium Dei carne indutum viderunt Angeli, & adoraverunt. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Et cum Angelo Nativitatem ejus Paſtoribus nuntiante *facta eſt multitudo militiæ cœleſtis laudantium Deum & dicentium; Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Angeli, quorum naturam non aſſumſit Filius Dei, deſiderant in illum proſpicere, mangum iſtud pietatis myſterium contemplantur & adorant: homines vero propter quorum ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt; tanti beneficii obliviſcuntur, illum inhonorant ingrati, carnem ſuam maculant, fructum Incarnationis ejus in ſe ipſis evacuant & fruſtrantur. Deus cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus miſericordia, myſterium illud prædicari voluit gentibus, cum Judæi ſcientia Legis inflati Chriſtum in propria venientem recipere noluiſſent. Gentes Evangelii prædicationem obedienter exceperunt, & in Chriſtum hominem Deum, Mundi Redemptorem, Dei & hominum unicum Mediatorem: Dominum, Magiſtrum, ac Legiſlatorem crediderunt. *Prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo*, tot errorum præjudiciis præoccupato, inveteratæ & contrariæ conſuetudinis vinculis obligato. Vicerunt invictiſſima vi Veritatis Incarnatæ hujus Myſterii Prædicatores pauciſſimi multos, infirmi validos, inermes armatos, ineruditi doctiſſimos, infacundi diſertos, Piſcatores Philoſophos & Oratores, abjecti tyrannos & Imperatores. Vicerunt inauditi novitate dogmatis conſuetudinem inveteratam, & toto orbe receptiſſimam, & Sapientiam legibus, & omnium hominum moribus roboratam, Vicerunt ultro volentes & libentiſſimos; tametſi contumeliæ, exilia, proſcriptiones, ſupplicia crudeliſſima illos ſtatim exciperent. Vicerunt auſteriſſima vitæ diſciplina omni voluptatum genere a teneris unguiculis delibutos, adduxeruntque ut his repudiatis ad illam catervatim convolarent. Hæc eſt victoria quæ vicit Mundum, tanti Myſterii fides. Iſtud denique Myſterium perficitur & conſummatur in gloria adquam Chriſtus Jeſus aſſumtus eſt, & qua omnia ejus membra donabuntur, ut ſint conſummata in unum. Unus enim Chriſtus, caput & corpus. *Aſſumtus eſt in gloria.* De magno illo pietatis Sacramento gratias Deo agamus immortales per Filium ejus in Spiritu ſancto. Meminerimus cujus capitis, & cujus corporis ſumus membra: & adepti participationem generationis Chriſti, carnis renuntiemus operibus. Cum angelis reſpiciamus in Chriſtum, cum Gentibus Evangelio obedientibus illi auſcultemus. Mundum infidelem, reprobum, & Dei inimicum ne ſequamur, ſed mundum electum & credentem, & ex fide viventem. Hoc pietatis Myſterium ad Deum ferventius colendum & ardentius diligendum ſit nobis incitamento. *Si amare pigebat, ſaltem redamare non pigeat:* ut conſummatum ejuſdem ineffabilis Myſterii fructum percipere mereamur in gloria cœleſti.

*Tertullian.*

*S. Auguſt.*

*S. Bernard. Serm. 20. in Cantica.*

*Joan. 1. 32. 33. 34.*

*Matt. 12. 24.*

*Hebr. 1. Loc. 2.*

*Vide S. Chryſoſt. Hom. 7. in Epiſt. 1. ad Corinthios.*

*S. Auguſtin.*

---

## C A P U T IV.

### *Senſus Litteralis.*

1. 2. 3. *Spiritus autem manifeſte dicit, quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* Spiritus ſanctus expreſſe, aperte & ſine ænigmate denuntiat per me & alios ejus Numine inſpiratos, quod poſterioribus temporibus, ſeu ultima mundi ætate, tempore tam brevi inſtante, ut jam nunc tibi, Timothee, ſit adverſus hæc pericula vigilandum, quidam a fide Chriſtiana ante ſuſcepta deficient, ſeductoribus & falſis doctoribus errores & doctrinas a dæmonibus inſpiratas ſpargentibus & prædicantibus adherentes & credentes: *In hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam.* Impoſtoribus (inquam) ſimulata ſpecie ſanctitatis falſam doctrinam tradentibus & commendantibus, conſcientiam impuriſſimæ vitæ maculis contaminatam, & notis criminum inuſtam habentibus. *Prohibentium nubere, abſtinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem.* Qui nuptias prohibent velut illicitas, & alienos eſſe docent a ſalute eos qui conjugio ſunt obligati, & liberorum procreationi vacant: qui etiam præcipiunt abſtinentiam a certis generibus ciborum, quaſi per ſe malorum, & ex natura ſua immundorum, tametſi Deus eos creaverit ut ſumerentur cum gratiarum actione a fidelibus cognoſcentibus veritatem. Hac Apoſtoli ſententia notantur Encratitæ, quos ſecuti ſunt Marcionitæ & Manichæi. Unde contra leges Eccleſiæ de cœlibatu Sacerdotum, ſacrorum Miniſtrorum, & Monachorum; & de abſtinentia a carnibus Quadrageſimali tempore, aliiſque diebus, perperam a Proteſtantibus detorquentur, contra manifeſtam Apoſtoli mentem.

*Noviſſima tempora*, ultima mundi ætas ab Apoſtolorum tempore uſque ad finem mundi. Confer cum *Act. 20. Verſ. 29. & 30.*

Metaphora ſumpta a maleficis, qui ferro candenti notari ſolent, & ſtigmate inuri ad perpetuam infamiam.

Encratitæ, cum ſe ab Apoſtolo hoc loco denotatos viderent, Pauli Epiſtolas rejecerunt, teſte Origene.

4. 5. *Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur: Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Chriſtiani quippe hanc veritatem fide cognoverunt, bonum eſſe quicquid a Deo creatum eſt; *Vidit* enim *Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona:* Ideoque nullum cibum velut natura ſua malum & immundum rejiciendum eſſe, ſed cum gratiarum actione ſumendum, & per verbum Dei ac orationem ſanctificari, ut ſic ſalutaris ſumentibus.

*Geneſ. 1.*

6. *Hæc proponens fratribus, bonus eris Miniſter Chriſti Jeſu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam aſſecutus es.* Hæc documenta fidelibus, fratribus noſtris tradens, bonum te Miniſtrum Chriſti Jeſu in Officio tibi injuncto exhibebis; teque innutritum oſtendes veritatibus fidei & ſacræ doctrinæ, quam didiciſti, & hactenus ſectatus es.

7. 8. *Ineptas autem & aniles fabulas devita: exerce autem te ipſum ad pietatem.* Profanas & ineptas fabulas hæreticorum rejice, longe abſurdiores iis quibus puerulos lactant aniculæ: & exerce teipſum in actibus omnium virtutum, quibus colitur Deus. *Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt: pietas vero ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Nam corporis exercitatio, quæ fit in athleticis certaminibus vel ad ſanitatem confirmandam, & vires corroborandas, modicam & brevi duraturam utilitatem habet, parvi momenti eſt cum animæ ſalute comparata: pietas vero ad omnia tam ſpiritualia, quam temporalia utilis eſt: quia regnum Dei primum quærentibus per veræ pietatis exercitia, adjiciuntur ſubſidia temporalia, ipſo benigne providente: & promittente piis hominibus non modo multos annos præſentis vitæ (ut iis qui parentes honorant) ſed vitam immortalem & æternam. Simpliciter hunc locum exponit Theodoretus ad Apoſtoli mentem. „ Qui bonæ, *inquit*, corporis „ habitudinis curam gerunt, exiguo tempore ea „ fruuntur. Pietatis autem certamina, & in hac vita „ inſignes ac ſuſpiciendos certatores efficiunt, & in „ altera coronas comparant immortales. Pietatis au- „ tem exercitationem vitam vocavit laudabilem.

Græce *γυμνασία* quod proprie *athletarum exercitationem* ſignificat.

„ Vitæ

„ Vitæ enim recta inſtitutio habet cum certaminibus „ convenientiam.

Chriſtus Jeſus omnium hominum Salvator, maxime vero fidelium.

9. 10. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus, & maledicimur, quia ſperamus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Quod dixi de præmio pietati in futura vita a ſummo aganothete Deo retribuendo, certiſſimum eſt, & fide digniſſimum. Ad hoc enim obtinendum, quod piis promiſſum eſt, labores, incommoda, moleſtias, & contumelias forti & patienti animo ſuſtinemus, quia ſpem noſtram defixam habemus, velut anchoram animæ tutam, in Deo vivente, & vitæ præſentis ac futuræ largitore. Cur enim labores iſtos ſuſciperemus, & probra ſuſtineremus, ſi non eſſet aliqua laborum remuneratio? At certiſſime credimus piorum labore & patientiam remunerari a Deo, qui præmia proponit certantibus, & *qui eſt Salvator omnium*, quos *bonitate Cretatoris* ad ſalutem æternam condidit, non vero ut eos perderet. Et pro quibus ſanguinem ſuum Chriſtus Jeſus obtulit Deo Patri in pretium ſimul & lavacrum, ut redempti a miſerabili ſervitute, a peccatis omnibus mundarentur, & ſalvi fierent, *ſi vellent*: Maxime autem, & quod ad *redemptionis proprietatem*, pro fidelibus, de quibus princeps mundi miſſus eſt foras, & jam non vaſa diaboli, ſed membra ſunt Chriſti. In quibus Deus operatur ut ſalvi eſſe velint, & in fide per dilectionem operante, ac pietatis operibus in finem uſque perſeverent. Ceterum *Quod multi pereunt, pereuntium eſt meritum; quod multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum. Ut enim reus damnetur, inculpabilis Dei juſtitia eſt: ut autem reus juſtificetur, ineffabilis Dei gratia eſt.*

Eccleſia Lugdunenſis.

*S. Auguſtin. Enchirid c. 95. S. Proſper in Reſp. ad Objectiones Vincentianat. c. 1. & 2.*

11. 12. *Præcipe hæc, & doce.* Quæ dixi de vitandis hæreticis, qui doctrinas dæmoniorum docent, de ſana doctrina fideliter retinenda, de colenda pietate, de exſpectanda remuneratione, de agonotheta Deo in omnibus reſpiciendo, denuntia, & cum auctoritate trade fidelibus ut divina dogmata & Apoſtolica præcepta. *Nemo adoleſcentiam tuam contemnat.* Ita te gere, ut nemo te propter juventutem parviſaciat. Quod ætati deeſt, doctrinæ vi, innocentia vitæ, & morum ſanctitate compenſa, quibus tibi apud fideles conciliabis auctoritatem. *Sed exemplum eſto fidelium, in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate.* Exemplar & forma vitæ eſto fidelibus in colloquiis, ſive in verbo doctrinæ, veritatem ſincere docens; in vita & vivendi conſuetudine cum proximo, in caritate erga Deum & proximum & caritatis operibus; in ſincera profeſſione & libera confeſſione ac prædicatione fidei: in caſtitate integerrima, perfectaque & libidinis omnis victrice continentia.

In Codicibus Græcis additur, ἐν πνεύματι, in Spiritu, id eſt, in fervore Spiritus ſancti & zelo Dei, vel, in recto uſu chariſmatum Spiritus ſancti. Græca vox, ἁγνεία, non ſolam vitæ puritatem, ſed caſtitatem integerrimam ſignificat.

13. *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.* Donec veniam, diligenter incumbe lectioni ſacrarum litterarum; exhortationi aſſiduæ fidelium ad fugam vitiorum & ſtudium operaque virtutum, afflictorum conſolationi, & ignorantium ac rudium inſtitutioni; ſanæ doctrinæ expoſitioni & confirmationi, contrariorum errorum confutationi.

Gratia per Ordinationem Epiſcopalem collata.

*Confer cum 2. ad Timoth. 1. 6. S. Chryſoſt. Theodoret. Theophylact. Mem. 13.*

14. *Noli negligere gratiam quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii.* Ne gratiam negligas, quæ in te eſt, quæ tibi data eſt cum ordinatus fuiſti & conſecratus Epiſcopus per impoſitionem manuum Presbyterorum, id eſt *per impoſitionem manuum mearum*, toto Presbyterorum Senatu aſſiſtente, ſecundum revelationem propheticam de te præcedentem, qua Deus te ordinari juſſit, & te tantæ molis officio parem eſſe teſtatus eſt. Vel, Ne otioſum apud te remaneat chariſma, id eſt, donum & munus docendi & exhortandi, quod tibi ad Eccleſiæ utilitatem & animarum ſalutem collatum eſt a Spiritu ſancto, quando tibi impoſitæ ſunt manus, &c. Hæc verba, *cum impoſitione manuum Presbyterii*, non ſignificare impoſitionem manuum a ſimplicibus *Presbyteris* factam, ſed *ab Epiſcopis*, S. Chryſoſtomus obſervat. *Neque enim profecto*, inquit, *Presbyteri ipſum ordinaverant.*

15. 16. *Hæc meditare; in his eſto: ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus.* In hæc totus incumbe cum jugi vehementique ſtudio, in his te aſſidue exerce, ut tuus in pietate, doctrina, & procuratione ſalutis animarum profectus manifeſtus ſit omnibus ad publicam ædificationem. *Attende tibi, & doctrinæ, inſta in illis.* Attende ut recte vitam inſtituas tuam, atque alios recte doceas: in his duabus Epiſcopalis officii partibus perſevera. *Hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt.* Id ſi feceris, & tuam ſalutem in tuto collocabis, & eos ad ſalutem æternam perduces, qui doctrinæ ac præceptis evangelicis a te traditis obedient.

## C A P U T IV.

*Senſus Moralis.*

Bona ex hæreſibus a Deo elicita.

1. 2. *Spiritus autem manifeſte dicit, Quia in noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam.* Non ſolum ex prophetiis, ſed ex hæreſibus ipſis, quas Spiritus ſanctus futuras prædixit, Chriſtianæ Religionis veritas demonſtratur. *Non oportet* ergo *mirari ſuper hæreſes, ſive quia ſunt; futuræ enim prænuntiabantur: ſive quia fidem quorumdam ſubvertunt; ad hoc enim ſunt, ut fides habendo tentationem, haberet etiam probationem.* Deus optimus maximus tantum hæreſium malum non permitteret, niſi magnum bonum inde eliceret. Ejus enim omnipotentia & providentiſſima ſapientia, monſtra hæc in bonum electorum convertuntur. Veritas erroribus oppoſita magis ſplendeſcit, glorioſiuſque triumphat: Eccleſiæ zelus, vigilantia Paſtorum excitatur, fideles probantur, humiles ad gratiarum actionem, ſuperbi ad humilitatem provocantur; ſacrorum fidei dogmatum amor in cordibus piorum renovatur; ad gemendum ob pereuntium ruinam qui ſtant per Dei gratiam, moventur; ad ſeductores fugiendos proborum Chriſtianorum attentio vigilat. Fidem antiquam, Apoſtolicam, Catholicam, a qua deficiunt hæretici, ſolam eſſe veram, a Chriſto Domino traditam, a Spiritu veritatis inſpiratam, conſenſione omnium Eccleſiarum roboratam, continua Epiſcoporum ſucceſſione traductam, miraculis confirmatam, perſuaſum habent: hæreticorum doctrinam ex eorum arbitrio inductam, dæmonum ſuggeſtione inventam eſſe. *Diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* Hæreticos *adulteros* eſſe *veritatis* intelligunt veri Chriſti diſcipuli, a diabolo afflatos & immiſſos, *cujus partes ſunt intervertendi veritatem, qui ipſas quoque res Sacramentorum divinorum, idolorum Myſteriis æmulatur.* Speciem pietatis prætendere, ut erroribus ſuis fidem concilient, & plurimos ſeducant. *In hypocriſi loquentium mendacium.* In veſtimentis ovium venire, intrinſecus lupos rapaces eſſe. „ Quænam iſtæ ſunt pelles ovium, niſi „ nominis Chriſtiani extrinſecus ſuperficies? Lupi „ rapaces, niſi ſenſus & ſpiritus ſubdoli ad infeſtan„dum gregem Chriſti, intrinſecus deliteſcentes? Qui „ pſeudoprophetæ ſunt, niſi falſi prædicatores? Qui „ pſeudo-apoſtoli, niſi adulteri evangelizatores? Qui „ antichriſti interim & ſemper, niſi Chriſti rebelles? „ Nunc ſunt hæreſes non minus doctrinarum perver„ſitate Eccleſiam laceſſentes, quam tunc Antichri„ſtus perſecutionum atrocitate perſequetur: niſi „ quod perſecutio & Martyres facit, hæreſis apoſta„tas tantum." Error mentis ut plurimum oritur ex depravatione voluntatis. Occulta crimina hypocriſis pallio contecta, ſimulatarum virtutum fuco adornata, cæcitatem & obdurationem, ſtuporem, tandemque apoſtaſiam pariunt: *Cauteriatam habentium ſuam conſcientiam.* „ Quæ verba ſtuporem eorum extremum „ docent. Locus enim cauterri morte affectus prio„rem ſenſum amittit. Homines in religionis myſte„riis temere curioſi, injuſte ſibi placentes, & tranſ„punctæ mentis alienatione dementes, Dei præcepta „ contemnunt, medelam vulneris negligunt, agere „ pœnitentiam nolunt, ante admiſſum facinus im„providi, poſt facinus obſtinari. *Cauteriatam habentium conſcientiam*: ex qua errores & doctrinæ dæmoniorum, velut ſanies & putredo ex cauterio manant. Sic defectio a fide pœna eſt præcedentium peccatorum, graviſſimum ex ſe peccatum, & peccatorum cauſa multorum. Fugiamus homines impios; qui ſacratiſſima fidei dogmata ad examen revocare præſumunt; aures iis ne accommodemus, quorum ſermo ut cancer ſerpit; de ingenii noſtri imbecillitate, de fidei noſtræ infirmitate diffidamus, & ad Dominum ſupplices clamemus ut adaugeat nobis fidem. „ In „ pugna pugilum & gladiatorum, plerumque non quia „ fortis eſt vincit quis, aut quia non poteſt vinci, „ ſed quoniam ille qui victus eſt, nullis viribus fuit: „ adeo idem ille victor bene valenti poſtea compara„tus, etiam ſuperatus recedit. Non aliter hæreſes de „ quorumdam infirmitatibus habent quod valent, „ nihil valentes, ſi in bene valentem fidem incur„rant.

*Tertull. lib. de Præſcrip. Hæretic. c. 1.*

*Tertull. De Præſcript.*

Defectio a fide pœna eſt præcedentium a peccatorum.

*Theodoret.*

*S. Cyprian.*

*Tertullianus De Præſcript.*

Bonum Matrimonium laudabilior continentia.

3. *Prohibentium nubere, abſtinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem.* Omnis qui nuptias damnat, non amator, ſed inimicus eſt caſtitatis, dum & continentibus laudem tollit de melioris boni electione; & incontinentibus ſublato nuptiarum remedio frenum laxat ad libidines. Matrimonium bonum eſt, & honorabiles nuptiæ, ſed melius & excellentius bonum eſt virginitas & caſtitas Deo conſecrata, & continentia ex ſancto propoſito ſervata.



Eccleſia matrimonium non prohibet niſi illis qui caſtitatem Deo voverunt. Væ illis, ſi voti religionem violent, quibus melius fuiſſet nubere quam uri, & ſalvari in humili gradu fidelis populi, quam in Cleri ſublimitate, vel in Monaſticæ vitæ profeſſione & deterius vivere, & diſtrictius judicari. Væ illis qui libertatem in qua vocati ſunt dediſſe videntur in occaſionem carnis, renuntiantes remedio nuptiali, & in omne deinceps flagitium effluentes. Væ & illis qui cœlibatum ſervare videntur in ſeculo, matrimonii vinculis alligari refugientes ut liberius vivant, & libertate ad effrenem licentiam & luxuriam abutan„tur: qui ſalubrius nuberent, & effrenatæ libidi„nis malum non præcipitaretur in turpitudinem „ flagitiorum, cum exciperetur honeſtate nuptia„rum. Laudabilior ergo matrimonio continentia „ perpetua: ſed quia, ſicut ait Dominus, *Non omnes* „ *capiunt verbum hoc*, qui poteſt capere, capiat, & „ qui ſe non continet, nubat: qui non cœpit, deli„beret; qui aggreſſus eſt, perſeveret: nulla adver„ſario detur occaſio, nulla Chriſto ſubtrahatur ob„latio. Ad frænandam autem libidinem, & ſervandam continentiam, abſtinentia & jejunium plurimum conducunt. Abſtinere igitur a certis generibus ciborum ethnica ſuperſtitione, Judaica diſcretione, hæretica contumelia, aut illuſione fanatica, deploranda cæcitas eſt; ab iis temperare edomandi corporis cauſa, ne dum caro nimis nutritur, carnis vitia ſimul nutriantur; abſtinere pœnitentiæ, mortificationis, & obedientiæ ſtudio, pietas, ſapientia & religio eſt. Jejunia & feræ aridæque eſcæ *Sacrificia* ſunt *Deo grata*, quæ *caro de proprio ſuo incommodo inſtaurat*, ut loquitur Tertull.

*S. Bernard. Tract. de Converſione ad Clericos, c. 20.*

*S. Aug. lib. de bono Viduitatis. Matth. 19. 12.*

Abſtinentia Chriſtiana & Religioſa, *S. Aug. l. 30. contra Fauſtum, c. 5. & 6. S. Ber. Serm. 66. in Cantica. N. 6. Tertull. l. De Reſurrectione Carnis.*

4. 5. *Quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil rejiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Omnis creatura omnipotentiæ, bonitatis, & ſapientiæ Dei effuſio & ſignum eſt. Creaturarum uſus bonitate Creatoris hominibus conceſſus, ad eum ut ad principium & finem referendus eſt per gratiarum actionem. Donis Dei ſancte utitur, quia ea grato animo percipit, qui Dei verbis Deum laudat, qui oratione fidei poſtulat ne in cibi potuſque ſumptione irrepant intemperantia & voluptas; qui Deo ſupplicat ne dæmonis malitia & infeſtatione animæ ſuæ aut corpori noxius ſit ciborum uſus. Si quæ immunditia cibis adhæſiſſet ex malitia diaboli, *Habes medicinam; ſigna, gratias age, glorifica Deum, ac deficit immunditia. Nam gratiarum actio cuncta purgat: qui vero ingratus eſt, ipſe eſt immundus & pollutus.*

*Theophylact.*

Boni Paſtoris officium.

6. *Hæc proponens fratribus, bonus eris Miniſter Chriſti Jeſu, enutritus verbis fidei, & bonæ doctrinæ, quam aſſecutus es.* Præmunire fidelium animos contra graſſantium hæreſum venena, boni Miniſtri Chriſti Jeſu officium eſt: illos edocere modum omnes actiones ſuas, etiam quæ ad curam corporis, & communes vitæ functiones pertinent, ſanctificandi, & meritorias faciendi: illos Dei verbo nutrire, ne deficiant in via, & ut in caritate & pietate creſcant. Quomodo vero id præſtare poterit, niſi verbis fidei & bonæ doctrinæ ipſe ſit enutritus, id eſt, niſi continuo & ſedulo ea verſet animo, ruminantium inſtar animalium? *Enutritus.* Verbis fidei & ſanæ doctrinæ mentem Paſtoris, Doctoris, Concionatoris illuminari, memoriam ejus impleri non ſufficit, niſi cor ejus illis nutriatur & vivat, illa velut in ſubſtantiam animi ſui convertendo, & ad praxim revocando, idque quotidie? *Perinde enim ut corporis alimentum ſemper ſumimus: ſic fidei rationibus & ſermonibus ſemper nos oportet innutriri.* Hoc ovium, hoc Paſtorum alimentum eſt. *Non* enim *ex ſolo pane vivit homo, ſed ex omni verbo quod procedit de ore Dei.*

*Theophylact. Matth. 4. 4.*

Arbitrariæ devotiones, & ab Eccleſia non probatæ, introducendæ non ſunt, nec a paſtoribus tolerandæ. *S. Aug. lib. De vera Religione, c. 4. Idem, Enchirid. c. 1. S. Chryſoſt. Hom. 12. in hanc Epiſt.*

7. 8. *Ineptas autem & aniles fabulas devita; exerce autem te ipſum ad pietatem.* Vera pietas apocryphis hiſtoriis, falſis aut incertis revelationibus & viſionibus, reliquiis & miraculis ab Eccleſia non approbatis innixa, cum vanis obſervationibus ſtare non poteſt. Credulitate populorum abutuntur, qui devotiones arbitrarias & ab Eccleſia non probatas introducunt, aut tolerant, ut ſexui devoto, ſed ad ſuperſtitiones prono blandiantur. Religionem confirmant eique ſerviunt pro ſui miniſterii ratione Paſtores, Concionatores, & conſcientiarum Moderatores, cum ſuperſtitionibus eradicandis & eliminandis incumbunt. Crepundia, puerileſque nugæ religioni non conveniunt. *Non ſit nobis religio in phantaſmatis noſtris. Melius eſt enim qualecumque verum, quam omne quicquid pro arbitrio fingi poteſt.* Vera pietas ſincerus Dei cultus eſt. Deus autem fide, ſpe, & caritate colitur; in iſtarum, aliarumque virtutum, quæ Deo ſerviunt in hominibus; a quo dantur hominibus, continuo ſtudio & exercitio vera pietas conſiſtit. *Exerce te* „ *ipſum ad pietatem.* Pietas rectiſſima vitæ norma „ eſt, & converſationis optimæ diſciplina. Porro „ qui exercetur, etiamſi tempus luctaminis deeſt, „ ipſe tamen anxietate non vacat, & quaſi in pro„cinctu certaminis poſitus omnia gerit, ab omnibus „ abſtinet, totuſque in certamine eſt, & pulvere „ ſemper ſudoreque reſpergitur. „ Nuſquam otioſa pietas eſt. *Deus non colitur niſi amando* . . . Amor magna operatur, ſi eſt: ſi autem non operatur, amor non eſt. Exteriora quæ vocantur pietatis exercitia, longæ orationes, Confraternitates, jejunia, cilicia, flagellationes, humicubationes inutiles ſunt ad ſalutem, niſi a caritate animentur, & ad finem caritatis referantur. Pietas & caritas, quæ omnia religionis officia complectuntur, ad omnia utiles ſunt. Per illas quippe fit ut rebus omnibus creatis bene utatur Chriſtianus homo. *Nam corporalis exercitatio ad modicum utilis eſt: pietas autem ad omnia utilis eſt, promiſſionem habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.* Non ſolum in futura vita, ſed & in præſenti remuneratur, bonorum ſaltem ſpiritualium incrementis, & novorum acceſſione donorum. Verumtamen vera pietas nullam a Deo mercedem præter Deum quærit, licet alia Deus adjiciat, cum ipſi lubet. *Hæc eſt pietas, amare Deum gratis, nec ſibi extra illum ponere mercedem, quam exſpectet ex illo. Illo enim melius eſt nihil. Et quid carum petit a Deo, cui Deus ipſe vilis eſt? Terram dat, & gaudes, amator terræ, & factus terra. Si gaudes quando dat terram: quanto amplius gaudere debes, cum ſe ipſum tibi dat, qui fecit cœlum & terram?*

*S. Auguſtin.*

*S. Aug. Serm. 91. alias De Tempore 234.*

Bonitas Dei generalis erga omnes homines. Specialia beneficia erga electos.

9. 10. *Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus. In hoc enim laboramus & maledicimur, quia ſperamus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, maxime fidelium.* Pietas bonorum æternorum ſpe ſuſtentata, laborum, contumeliarum, omniſque generis perſecutionum patientiam propter Deum inſpirat. Infinitum lucrum eſt, momentaneos labores ſubire ut æternam felicitatem; opprobria & maledicta ab hominibus pati, ut gloriam æternam; mortem ſuſtinere, ut vitam immortalem a Deo vivente conſequaris. „ Sæpius contingit ut milites qui pro ter„reno Imperatore pericula ſubeunt, illo interim de„functo mercedem amittant: noſter autem Rex ſem„per vivit, ſemper ſuos milites remunerat, modo „ ſtrenue, fortiter, ac perſeveranter pro ejus gloria „ militent. Deus noſter Deus ſalvos faciendi, Filium „ ſuum nobis dedit Salvatorem, „ Fidemque & perſeverantem mandatis ſuis obedientiam iis donat, quos per ipſum prædeſtinavit ad ſalutem. „ Non ſolum „ in noviſſimis diebus, ſed in cunctis retro ſeculis „ gratia Dei omnibus hominibus adfuit, providentia „ quidem pari & bonitate generali, ſed multimodo „ opere diverſaque menſura, quoniam occulte, ſive „ manifeſte, *Ipſe eſt Salvator omnium hominum, ma*„*xime fidelium.* Dicendo, *Qui eſt Salvator omnium* „ *hominum*, confirmavit Apoſtolus bonitatem Dei „ ſuper univerſos homines eſſe generalem: adjicien„do autem, *maxime fidelium*, oſtendit eſſe partem „ generis humani, quæ merito fidei divinitus inſpi„ratæ, ad ſummam atque æternam ſalutem ſpe„cialibus beneficiis provehatur: quod utique nulla „ iniquitate agitur juſtiſſimi & miſericordiſſimi Dei, cujus judicium in his diſpenſationibus non cum arrogantia diſcutiendum, ſed cum tremore laudandum eſt... Ne igitur deficiamus, cum agonothetem habeamus Deum vivum, neque ab aliis auxilium imploremus in afflictionibus, ſed ſperemus in illum, fideliter ei ſerviamus, & ſpes noſtra non confundetur: vivit enim, & Servator noſter eſt.

*Theophylact.*

*Auctor librorum de Vocatione omnium Gentium, lib. 2. cap. 30.*

Quæ Paſtoribus & Sacerdotibus conciliant auctoritatem.

11. 12. *Præcipe hæc, & doce. Nemo adoleſcentiam tuam contemnat: ſed exemplum eſto fidelium in verbo, in converſatione, in caritate, in fide, in caſtitate.* Præcipere cum auctoritate, docere veritates ſalutis, Paſtorum gregis Chriſti functio eſt. Illis conciliant auctoritatem veritas & ſinceritas doctrinæ, gravitas, prudentia, & gratia in verbis; æquitas, manſuetudo, & modeſtia in conſuetudine vivendi, & modo agendi cum hominibus; & ordo diſciplinæ; latitudo caritatis, quæ omnes complectatur, omnibus benefaciat; firmitas fidei, vitæ puritas, & ita abhorrens ab omni voluptate animus, *ut nulla major voluptas* ipſi videatur, *quam faſtidium ipſius voluptatis.* Talis Paſtoris juventutem nemo contemnet: *Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata.* Parum eſt Paſtorem & Sacerdotem infidelibus exemplo eſſe, apud quos qui crimina graviora non perpetrat, laude dignus habetur: ſed talem ſe exhibere debet in omnibus, per quem etiam perfecti proficiant. *In verbo*, ut nihil aliud loquatur quam Dei verbum. *In converſatione*: Ut ſicut in ore tunicæ ſummi Sacerdotis tinna-

*Tertullian.*

*Sap. 4. 8.*

*Primaſius in hunc locum.*

*Exod. 28. 35.*

tinnabula aurea malis punicis intermixta Deus fieri juſſit, ut cum ingrederetur & egrederetur Sanctuarium, audiretur ſonitus, & non moreretur; ita *Vitæ viam ipſa quoque opera Sacerdotis clament*. Exemplo maxime caſtitatis & caritatis fidelibus præluceat Sacerdos. *In caſtitate*. „ Vas enim fragile quod portamus, „ in quo & crebro periclitamur, tenet caſtitas in „ ſanctificationem, & inſtar odoriferi balſami, quo „ condita cadavera incorrupta ſervantur, ſenſus ipſa „ & artus continet & conſtringit, ne diſſolvantur „ otiis, ne corrumpantur deſideriis, ne carnis vo„ luptatibus computreſcant: quemadmodum legitur „ de quibuſdam, *Computruerunt ut jumenta in ſterco„ re ſuo*. Hoc itaque tantæ pulchritudinis ornamen„ tum digne dixerim Sacerdotium honorare, quod „ dilectum Deo & hominibus faciat Sacerdotem, & „ Angelis ſimilem faciat in hac licet diſſimilitudinis „ regione conſtitutum. Verum quantalibet venuſtate, „ ſui caſtitas emineat, ſine caritate tamen nec pre„ tium habet, nec meritum. *In caritate, in caſtita„ te*. Caſtitas ſine caritate, lampas eſt ſine oleo: „ ſubtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle carita„ tem, caſtitas non placet.

*S. Gregor. M. l. 1. Epiſt. 24. Indict. 9.*

*S. Bernard. Tract. De Moribus & Officio Epiſco. cap. 3.*
*Joel. 1.*

Scripturæ Sacræ lectio Paſtoribus commendatur.

*S. Chryſoſt. Hom. 13.*

13. *Dum venio, attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*. Audiamus omnes, & diſcamus divinarum lectionem Scripturarum minime negligere, quam Timotheo tam ſancto Epiſcopo, & qui ab infantia in ſacris litteris fuerat inſtitutus, tantopere commendat Apoſtolus. Sanctum Evangelium, Apoſtolorum Epiſtolas, omnemque divinam Scripturam, non obiter curſimque legere, ſed diligenter perſcrutati debent Paſtores. *Noſtræ enim Hierarchiæ ſubſtantia ſunt eloquia divinitus tradita, divinarum ſcilicet Scripturarum vera ſcientia*. Paſtor & Sacerdos qui divinarum Scripturarum & ſacrorum Canonum ſtudium negligit, metuat Dei judicium a Propheta prænuntiatum: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi*. Verum ſtudere ad oſtentationem ſcientiæ, turpis vanitas eſt: ſacris ſtudiis incumbere & ſcientiam ſanctorum lectione aſſidua & oratione acquirere Sacerdotum oportet ut miniſterio ſuo recte fungatur, eamque effundat ad ſalutem animarum & ædificationem Eccleſiæ exhortando & docendo. *Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ*. In Rationali quod ſummus Sacerdos gerebat in pectore inſcriptum erat, *Doctrina & Veritas*, Hebraice *Urim & Tumim*, *Lumen & Perfectio*. Paſtores ac Sacerdotes novæ Legis, quorum typi erant veteris Legis Sacerdotes, ſcientiam & veritatem in animo reconditam gerere debent, ad illuminationem & perfectionem populi Dei.

*Concil. Octavum Oecumenicum, Can. 2.*

*Oſee 4. 6.*

*Exod. 28. 30.*

14. *Noli negligere gratiam, quæ eſt in te, quæ data eſt tibi per prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterii*. Gratiam meretur amittere, qui negligit. Ab illo talentum aufertur, qui defoſſum in terra, aut repoſitum ſervat in ſudario. Gratiæ Paſtorali & Sacerdotali fideliter reſpondendum, nulla functio tanti muneris negligenda eſt. Gratia negligitur a Paſtore, qui propter Dei gloriam, propter Eccleſiæ utilitatem, propter animarum ſalutem indefeſſo zelo non laborat. Si Miniſtro a Deo electo, qualis erat Timotheus, timendum eſt ne gratiam negligat, quæ in ipſo eſt; quanto magis illis timendum, qui ſuam ad paſtorale munus promotionem ambitioni ſuæ vel cupiditati, parentum petitionibus, hominum favori, non divinæ vocationi debent?

Gratiæ neglectus Sacerdotibus metuendus.
*Matth. 25. 28. Luc. 19. 24.*

15. 16. *Hæc meditare, in his eſto: ut profectus tuus manifeſtus ſit omnibus*. Paſtoralis Miniſterii ſui officia ob oculos ſemper habere debet bonus Paſtor: in his aſſidue ferventerque verſari; ita proficere in caritate, in pietate, in vigilantia, in zelo paſtorali, in omnibus virtutibus, ut profectus ejus omnibus innoteſcat, omnes ædificet, omnes ad Chriſtum trahat. *In his eſto*. In ſpiritualibus enim exerceri, divinorum donorum affert incrementum. *Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis. Hoc enim faciens, & te ipſum ſalvum facies, & eos qui te audiunt*. Bonus Paſtor ſibi primum attendere debet, deinde gregi; omnia boni Chriſtiani officia cum ſancti Paſtoris officiis conjungere, vigilare, laborare, in ſtudio, in meditatione, contemplatione, oratione, exhortatione, & Curæ Paſtoralis functionibus perſeverare; prius intra ſe ſtabilire regnum Dei, ut illud in aliis propaget ac promoveat doctrinæ ſinceritate, caritatis fervore, prædicationis efficacia. Gallo ſimilis ſit Paſtor, de quo Dominus ad ſanctum Job ait, *Quis dedit gallo intelligentiam?* Gallus cum jam edere cantus putat, prius alas excutit, & ſemetipſum feriens vigilantiorem reddit. „ Ita neceſſe eſt ut Pa„ ſtores & Prædicatores Evangelici prius ſtudio bo„ næ actionis evigilent, ne in ſemetipſis torpentes „ opere, alis excitent voce. Prius ſe per ſublimia „ facta excutiant, & tunc ad bene vivendum alios „ ſollicitos reddant: prius cogitationum alis ſemet„ ipſos feriant, quicquid in ſe inutiliter torpet ſolli„ cita inveſtigatione deprehendant, diſtricta animad„ verſione corrigant; & tunc demum aliorum vitam „ loquendo componant: prius punire propria fleti„ bus curent, & tunc quæ aliorum punienda ſunt, „ denuncient: & antequam verba exhortationis in„ ſonent, omne quod locuturi ſunt operibus cla„ ment.

Paſtorum officia.

*Job. 38. 36.*

*S. Gregor. M. Paſtoralis Curæ 3. P. c. 6.*

*Attende tibi*, &c. A te, o Paſtor, Doctor, Prædicator, tua conſideratio inchoet, ne fruſtra extendaris in alia te neglecto. „ *Quid tibi prodeſt, ſi uni„ verſum mundum lucreris, te unum perdens?* Et ſi „ ſapiens ſis, deeſt, tibi ad ſapientiam, ſi tibi non „ fueris. Quantum vero? Ut quidem ſenſerim ego, „ totum. Noveris licet omnia myſteria, noveris „ lata terræ, alta cœli, profunda maris: ſi te ne„ ſcieris, eris ſimilis ædificanti ſine fundamento, „ ruinam, non ſtructuram faciens. Quicquid exſtru„ xeris extra te, erit inſtar congeſti pulveris, ven„ tis obnoxium. Non ergo ſapiens, qui ſibi non eſt. „ Sapiens ſibi ſapiens erit, & bibet de fonte putei „ ſui primus ipſe. A te proinde incipiat tua conſi„ deratio; non ſolum autem, ſed & in te finiatur. „ Quocumque evagetur, ad te revocaveris eam cum „ ſalutis fructu. Tu primus tibi, tu ultimus. Sume „ exemplum de ſummo omnium Patre, Verbum ſuum „ & emittente & retinente. Verbum tuum, conſide„ ratio tua, Quæ ſi procedit, non recedat; ſic pro„ grediatur, ut non egrediatur; ſic exeat, ut non „ deſerat. In acquiſitione ſalutis nemo tibi germanior „ unico matris tuæ. Contra ſalutem propriam cogi„ tes nihil. Minus dixi, contra; Præter, dicere „ debueram. Quicquid ſe conſiderationi offerat, quod „ non quoquo modo ad tuam ipſius ſalutem per„ tineat, reſpuendum.

*S. Bernard. l. 2. de Conſideratione, c. 3.*
*Matth. 16.*

## C A P U T V.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. *SEniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem; juvenes, ut fratres: anus ut matres; juvenculas, ut ſorores, in omni caſtitate*. Ne durius increpes ſenes vulgarium culparum reos; ſenectus enim venerationem proprio quodam jure exigit; ſed tu junior illos corripe obſecrando & monendo ut patres, potius quam objurgando: juniores admone, adhortare, corripe humaniter quaſi fratres. Mulieres natu grandiores, ut matres; juvenculas ut ſorores, cum maxima cautione & diligenti cuſtodia omnimodæ caſtitatis.

Hoc præceptum ad viduam referunt Vulgata Verſio, S. Chryſoſt. Hom. 13. S. Ambroſ. lib. *De Viduis*, cap. 2. S. Auguſt. lib. 9. *Confeſſ.* cap. 9. Ad filios autem & nepotes referunt, Græcus Textus, μανθανέτωσαν πρῶτον, *diſcant primum*, Verſiones Syriaca, Arabica, Æthiopica, S. Hieron. Epiſt. *Ad Ageruchiam*. Theophyl. & Oecumen. in Commentar.

3. 4. *Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt*. Viduas quæ vere viduæ ſunt, id eſt, omni humano ſubſidio & ſolatio deſtitutæ, honora non ſolum reverentiæ exhibitione, ſed alimoniæ ſubminiſtratione, cura ut publico Eccleſiæ ſumptu ſuſtententur. *Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, diſcat primum domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum eſt coram Deo*. Si qua vidua filios aut filios filiorum habet, familiam ſuam pie regat & inſtituat, atque eo modo beneficium educationis, quod a majoribus accepit, in minores refundat. Sic enim merebitur Eccleſiæ matriculæ inſcribi, ejuſque ſumptibus ſuſtentari. Vel, diſcant filii ac nepotes matrem ſuam vel aviam alere, pietatem in familiam ſuam exercere, & parentibus reddere quod ab ipſis acceperunt, illis ſubveniendo in neceſſitate, ut non gravetur Eccleſia, & ceteris viduis ac pauperibus ſuccurrere poſſit. Opus enim illud pietatis filiorum erga parentes Deo gratiſſimum eſt.

5. 6. 7. *Quæ autem * vere vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus & orationibus nocte ac die*. Sed quæ vere vidua eſt, hoc eſt, non ſolum marito, ſed liberis ac nepotibus orbata, omnique ſubſidio humano deſtituta, ſpem ſuam in Deo collocet, & orationibus aſſidue inſtet, nullis ſcilicet familiæ curis impedita quo minus Deo tota vacet. *Nam quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt*. Nam quæ in deliciis & luxu vivit, ſecundum ſpiritum mortua eſt, tametſi vivere videatur. *Et hoc præcipe, ut irreprehenſibiles ſint*. Hæc illis præcepta ſignifica, ne illarum vita ſit obnoxia reprehenſioni, nec ullam dent ſcandali occaſionem.

* Secundum Græcum, ἤλπικε, *ſperat*, καὶ προσμένει, *& inſtat*.
*S. Hier. Epiſt. ad Salvinam.*

Ex hoc viduarum ordine eligebantur Diaconiſſæ, ut conſtat ex Tertull. lib. Ad Uxorem; S. Baſilio Epiſtol. Ad Amphiloch. Can. 24. conſtitut. Apoſt. Auctore paſſim, Codice Theodoſ. Tit. De Epiſ. & Cleric.

8. *Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. Si quis eorum qui aliquo ſanguinis aut propinquitatis jure ad ipſum pertinent, & maxime filiorum, nepotum, famulorum, qui in eadem domo habitant, curam non gerit, nec ipſis providet, ac ſubminiſtrat neceſſaria, fidem, ſin minus verbis, factis certe negat, & eſt infideli deterior: quia infideles



deles etſi alienos forte non curant, ſuos tamen non negligunt, ſed eis proſpiciunt & neceſſaria ſubminiſtrant naturali inſtinctu ac pietate ducti: hic vero naturæ Deique legem contemnit & conculcat.

9. 10. *Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor*. Quæ in numerum viduarum Eccleſiæ ſumptibus alendarum allegetur, non minor ſit annis ſexaginta, tum ut ſit extra periculum incontinentiæ, & nulla detur pravæ ſuſpicionis occaſio; tum quia hac ætate propriis manibus victum ſibi comparare vix poſſunt: quæ ſemel tantum nupſerit, quod muliebris caſtitatis decus eſt. *In operibus bonis teſtimonium habens, ſi filios educavit, ſi hoſpitio recepit, ſi ſanctorum pedes lavit, ſi tribulationem patientibus ſubminiſtravit, ſi omne opus bonum ſubſecuta eſt*. Cui plurimorum teſtimonium ſeu fama publica ſuffragetur, quod ſe in bonis operibus aſſidue exercuerit, quod filios honeſte educaverit, & ad pietatem inſtituerit; quod peregrinos hoſpitio receperit; quod fidelibus pedes laverit, ſeu viliora miniſteria prompto animo exhibuerit; quod afflictis opem tulerit eleemoſynis, miniſterio, ſolatio; quod omnibus pietatis actionibus dedita fuerit, & omnes boni operis occaſiones proſecuta fuerit, ſollicita ne quam benefaciendi opportunitatem perderet.

11. 12. *Adoleſcentiores autem viduas devita. Cum enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt: Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*. Juvenes viduas in hunc ordinem ac numerum ne admittas. Cum enim molli vitæ & carnalibus deliciis aſſuetæ, ad jugum Chriſti excutiendum, quem vidualis caſtitatis profeſſione ſponſum elegerunt, ferantur, ad ſecundas nuptias convolare volunt, & homini mortali copulari in Chriſti Domini injuriam. Eo ipſo graviſſimi criminis reæ, æternæque damnationi obnoxiæ, quod fidem Chriſto datam fefellerunt & irritam fecerunt, vidualem continentiam voti debito ipſi oblatam violantes. *Primam fidem irritam fecerunt, etſi non nubendo, tantum volendo: non quia ipſæ nuptiæ vel talium damnandæ judicantur, ſed damnatur propoſiti fraus, damnatur fracta voti fides, damnatur non ſuſceptio a bono inferiore, ſed ruina ex bono ſuperiore: poſtremo damnantur tales, non quia conjugalem fidem poſterius inierunt, ſed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt.*

*S. Chryſoſt. Theodoret. Theophylact.*

Votum continentiæ vidualis, ex Apoſtolica traditione.
S. *Aug. l. De Bono Viduit. cap. 8.*

13. *Simul autem & otioſæ diſcunt circuire domos. Non ſolum otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ non oportet*. Accedit quod juniores illæ viduæ non habentes domi quid agant, nec virum quem metuant, otio indulgent, & aſſueſcunt vagari per domos alienas; non ſolum otioſæ, ſed & garrulæ, rerum alienarum & ad ſe non pertinentium curioſæ indagatrices & percunctatrices, leviter ac temere loquentes quæ non oportet, multis modis Deum & proximum in colloquiis offendentes.

Nuptias Viduarum, quæ continentiam voverant, irritas non habuit Eccleſia primis Eccleſiæ ſeculis. Vide S. Aug. ibid. cap. 20. Innocent. I. Epiſt. 2. c. 13. Concil. Carthag. 4. Can. 104. &c.

14. 15. *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratia*. Malim igitur juvenes viduas, quæ continentiam non voverunt, nubere, filios legitime procreare & recte educare, familiam ſuam regere, nullam occaſionem dare inimicis Religionis Chriſtianæ nobis maledicendi, ſive, nobis aliquod malum exprobrandi. *Jam enim quædam converſæ ſunt retro ſatanam*. Jam enim quædam ſatanam ſecutæ ſunt, in ſcortationem lapſæ.

Secundum indulgentiam, non ſecundum imperium loquitur Apoſtolus.

16. *Si quis fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis, & non gravetur Eccleſia, ut iis quæ vere viduæ ſunt, ſufficiat*. Si quis vir, vel ſi quæ mulier fidelis viduas habet propinquitate ſanguinis vel affinitatis ad ſe pertinentes, illis alimenta ſubminiſtret, ne earum alimoniis gravetur Eccleſia; ut iis viduis, quæ omni humano ſubſidio deſtitutæ ſunt, ſuſtentandis ſufficiat.

17. 18. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo & doctrina*. Sacerdotes qui Eccleſiam bene regunt, ampliore honorario ſeu liberaliore rerum neceſſariarum ſubminiſtratione digni habeantur, ut primogeniti duplici portione in Lege veteri. (*Deuteron.* 21. 17.) Maxime qui laborant in prædicatione Evangelii, & inſtitutione populi in religione & pietate Chriſtiana. Dicit enim Scriptura: *Non alligabis os bovi trituranti*. (Quo typo Eccleſiæ Præfecti, & Evangelii Prædicatores ſignificantur.) *Et, Dignus eſt operarius mercede ſua*. Sicut operario debetur merces ex qua vivit: ita Paſtori & Prædicatori debetur honorarium ſubſidium unde ſuſtentetur.

Presbyteri, nomen Ordinis hoc in loco, non ætatis, Epiſcopos etiam ſua ſignificatione comprehendit; ut *Act.* 20.
*Deuter.* 25. 4.
1. *Cor.* 9. 9.
*Matth.* 10. 16. & *Luc.* 10. 17.

19. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus*. Accuſationem adverſus Presbyterum ne facile recipias, nec actores vel delatores admittas, niſi duo vel tres teſtes legitimi, & qui nulla ratione rejici poſſint, proferantur. Intereſt enim Eccleſiæ ne fama Sacerdotum facile in diſcrimen adducatur, plerumque ſubditi erga Rectores ſuos ſunt iniquiores; & multorum patent odiis qui aliorum crimina ex officio corripiunt. Adverſus igitur iniquitatem & malitiam inimicorum, famam Sacerdotum in tuto ponit Apoſtolus, præcipiendo non ſolum ut ſententia in Presbyterum non feratur, niſi ſufficientibus legitimiſque teſtimoniis convictus ſit, (quod Lex divina, ipſumque naturæ jus erga omnes ſervari jubent) ſed ut ne inquiſitio quidem inchoetur, niſi teſtium qualitate & numero prius examinatis.



20. *Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant*. Graviorum tamen peccatorum reos, manifeſte & cum ſcandalo peccantes, vel publico judicio convictos, non Laicos tantum, ſed & Presbyteros, palam & in publico Eccleſiæ conventu argue & ſevere increpa, ut ceteri timore ſaltem ſimilis objurgationis & confuſionis a peccatis abſterreantur, & contineantur in officio.

21. *Teſtor coram Deo & Chriſto Jeſu, & electis angelis, ut hæc cuſtodias ſine præjudicio, nihil faciens in alteram partem declinando*. Te obteſtor in conſpectu Dei, qui acta omnia & cogitata intuetur, & Chriſti Jeſu omnium Judicis, & ſanctorum Angelorum, qui omnium actionum noſtrarum ſpectatores ſunt & teſtes, ut has regulas in judiciis Eccleſiaſticis obſerves, ſine præcipitatione judicii, & præoccupatæ mentis affectu: ne ex præconcepta opinione, aut propenſione in alteram partem judices.

Græce, κατὰ πρόσκλισιν *juxta propenſionem in alteram partem*, vel κατὰ πρόσκλησιν *juxta advocationem*, id eſt, ſi te advocet ſive invitet importunis commendationibus & precibus altera pars, ut illi faveas, ne te ſinas inflecti, ſed æquam lancem tene.

22. *Manus cito nemini impoſueris, * neque communicaveris peccatis alienis. Teipſum caſtum cuſtodi*. Neminem ſine diligenti examine & maturo judicio ordines ad Miniſterium Eccleſiæ, Epiſcopum, Presbyterum, Diaconum, ne ſis particeps alienorum peccatorum, ſive quæ ante Ordinationem commiſerunt, propter quæ ab ea repelli merito debuerant; vel ſubſequentium, quæ in ſacro Miniſterio committent. Nec te conniventia, vel negligentia in emendandis aliorum peccatis manifeſtis & ſcandalum parientibus reum coram Deo coſtitue. Sollicite contine te ipſum, & cuſtodiæ caſtitatis vigilanter attende, ne te criminationi reddas obnoxium. Vel, Serva te ipſum purum a peccatis alienis. *Qui enim ſeipſum caſtum ſervat, non communicat peccatis alienis. Si enim communicat, conſentit: ſi conſentit, corrumpitur: ſi corrumpitur, caſtum ſe non ſervat.*

* χειροτονία *manuum impoſitio*, apud Græcos Patres, Ordinationem ſacram proprie ſignificat, ex S. Hieron. in Cap. 58. *Iſaiæ*.
*S. Aug. l. 2. contra Epiſt. Parmeniani, cap. 21.*

23. *Noli adhuc aquam bibere; ſed modico vino utere, propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates*. Ne deinceps meram aquam in potum ſumas, ſed ea modico vino tempera propter ſtomachi debilitatem, & frequentes infirmitates tuas, quibus curandis modicus vini uſus neceſſarius eſt. Conſulendum eſt enim valetudini tuæ, ut Deo & ejus Eccleſiæ ſervire valeas.

Stomacho laborantibus vinum ſumi Celſus commendat. Apoſtolus Timotheo ſuo medicum vini potum ſuadet, non corporis medicum agens, ſed animi, ut & corpus in Dei obſequio, & Eccleſiæ miniſterio, ſervire poſſit.

24. 25. *Quorumdam hominum peccata manifeſta ſunt, præcedentia ad judicium; quoſdam autem & ſubſequuntur*. Redit ad id quod de Ordinationibus dixerat, manus nemini cito imponendas. Quidam ſunt, inquit, quorum peccata publica ſunt, & manifeſta ante judicium examinis & diſcuſſionis, ſive ante inquiſitionem quæ de moribus illorum fieri poſſet. De his non loquor; optime enim noſti eos ab Ordinationibus eſſe repellendos. Alii ſunt quorum pravi mores & peccata in notitiam non veniunt niſi per inquiſitionem & examen. Quapropter nemo ordinandus eſt niſi prævio vitæ ac morum examine, & niſi diu probatus: vitia enim ejus, ſi quæ ſunt occulta, tractu temporis erumpent, & manifeſta fient, ſicque cum ab Ordinibus Eccleſiaſticis repelles: ſi autem lateant poſt accuratum examen, animam tuam liberabis. *Similiter & facta bona manifeſta ſunt: & quæ aliter ſe habent, abſcondi non poſſunt*. Similiter & quorumdam bona opera conſpicua ſunt & manifeſta ante inquiſitionem & examen, & hi ſine cunctatione admitti poſſunt: & ſi manifeſta non ſunt, quia latere amant viri ſancti, ſaltem poſt examinis & diſcuſſionis judicium nota erunt, & autores ſuos dignos oſtendent quibus manus imponantur.

De judicio Dei hunc locum exponunt *S. Baſil.* lib. *De vera Virginit.* & *S. Aug.* lib. 2. *de Serm. Dom. in Monte*, ut ſenſus ſit, quædam eſſe peccata hominibus manifeſta, quorum proinde rei in hac vita judicari poſſunt: quædam hominibus prorſus occulta, quæ futuro

## C A P U T V.

*Senſus Moralis.*

1. 2. *SEniorem ne increpaveris, ſed obſecra ut patrem: juvenes, ut fratres, anus ut matres, juvenculas ut ſorores, in omni caſtitate*. Grave ac moleſtum eſt argui, ſenem præſertim a juvene, quamobrem ſenes admonendi ſunt cum ſignificatione quadam reverentiæ, cum modeſtia & lenitate, obſecrando magis quam dure objurgando, niſi forte ſenex pravo exemplo juniores ad interitum traheret, aut perverteret, aut in malo obduratus eſſet. Unde ſcriptum eſt; *Laqueus juvenum omnes*. Et, *Peccator centum annorum* mate-

Dei Judicio reſervantur: Vel, quod multa hominum improborum peccata mortem eorum, & Judicium Dei, quod mortem immediate ſequitur, præcedant: Quorumdam autem peccata retro trahantur etiam poſt mortem; videlicet ea quæ per malam eorum doctrinam, inſtitutionem, & prava exempla ab aliis poſtea committuntur. Hunc ſenſum ex S. Baſilio referunt ſecundo loco Theophylact. & Oecumen.

Admonitiones pro perſonarum & ætatum diſcrimine temperandæ ſunt.

*maledictus eſt*. Aliter admonendi ſunt juvenes, aliter ſenes; quia illos plerumque ſeveritas admonitionis ad profectum dirigit; iſtos vero ad meliora opera deprecatio blanda componit. Juventus petulans ſæpe & laſciviens domanda & frangenda eſt ſeveriore objurgatione & correptione. Verumtamen fraterna caritate & manſuetudine temperanda ſeveritas eſt, quod fieri poteſt, ab omnique *ſævita* & amarulentia abſtinendum: Majori lenitate erga feminas agendum propter infirmitatem ſexus; ſed majori cautione & vigilantia, ne quis ex blanditiis amori pateat aditus, aut pravæ ſuſpicionis detur occaſio. *Juvenculas ut ſorores, in omni caſtitate*. Cor, oculos, aures, os, ſermones, habitum, geſtum, inceſſum, diligentiſſima caſtitas ſepiat, cuſtodiat, ſanctificet; cautio circa loca & tempora neceſſariorum etiam colloquiorum adhibeatur, omnis ſpecies mali devitetur. *In omni caſtitate*.

*S. Gregor. M. lib. 7. Epiſt. 1. Indict. 2. Idem in Paſtorali. Iſai. 42. 22. & c. 65. n. 20.*

Viduarum ſtatus honorabilis. *Iſai. 1. 17. 18. Tertullian. lib. 1. Ad Uxorem, c. ultim. S. Ambroſ. lib. de Viduis cap. 2.*

3. 4. *Viduas honora, quæ vere viduæ ſunt*. Viduarum ſtatus honorabilis, ſi continentia, ceteriſque virtutibus illi convenientibus ornetur & commendetur. „ De viduitatis honoribus apud Deum uno dicto ejus per Prophetam expeditum eſt (ait Tertullianus.) *Judicate pupillos, defendite viduam. Et venite & arguite, me*, ſive (ut legit Africanos ille Doctor) *& venite diſputemus, dicit Dominus*. Duo iſta nomina, pupillus & vidua, in quantum deſtituta auxilio humano, in tantum divinæ miſericordiæ expoſita ſuſcipit tueri Pater omnium, *Vide quam ex æquo habetur, qui viduæ benefecerit, quanti eſt vidua ipſa, cujus aſſertor cum Domino diſputabit. Non tantum virginibus datum opinor. Licet in illis integritas ſolida, & tota ſanctitas de proximo viſura ſit faciem Dei, tamen vidua habet aliquid operoſius: quia facile eſt non appetere quod neſcias, & averſari quod deſideraveris numquam. Glorioſior continentia quæ jus ſuum ſentit: quæ quid viderit, novit. Poterit virgo felicior haberi, at vidua laborioſior; illa quod bonum ſemper habuit, iſta quod bonum ſibi invenit. In illa gratia, in iſta virtus coronatur*. Quæcumque ſunt orbatæ viro, vere viduæ non ſunt, ſed quæ domum ſuam bene regunt, quæ filios in Chriſtiana pietate inſtituunt, quæ quod a parentibus acceperunt, bonam ſcilicet educationem, refundunt in liberos & nepotes. „ Utrumque pietatis affectum viduæ ineſſe debere ſignificat Apoſtolus, ut filios diligat, parentibus deferat. Ita dum obſequium parentibus rependit, magiſterium exercet in filios, ſuoque ſeipſa remuneratur officio, cum id quod aliis defert, ſibi proficit. Hæc pietatis officia viduarum ſtatum honorabilem faciunt. *Si qua autem vidua filios aut nepotes habet, diſcat primum domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus. Hoc enim acceptum eſt coram Deo*. Si cogitat vidua quæ Dei ſunt, non quæ ſeculi, debet id agere quod Deo placere didicerit. Magnum ad virtutem incitamentum, ſummumque ſolatium, certos eſſe Deo placere officia noſtra & opera. Hoc eſt Deum gratis colere ac diligere, bonum operari, non quia nobis utile, ſed quia ipſi gratum & acceptum eſt. Hoc eſt, *Patri non ſolum obſequi; ſed & adulari*, ut loquitur Tertullianus.

Viduarum officia.

5. 6. 7. *Quæ autem vere vidua eſt & deſolata, ſperet in Deum, & inſtet obſecrationibus & orationibus nocte ac die*. Felix deſolatio, quæ in unum Deum ſperare, & uni ejus providentiæ confidere compellit! Pia illa fiducia viduæ Chriſtianæ, humanis ſubſidiis deſtitutæ; major fundus eſt, quam agri, domus, prædia, villæ, ac reditus ampliſſimi. Quid enim illi deeſt, quæ Deum vice omnium habet? Spera in Domino, paupercula vidua, & ipſe te enutriet: poſtula ab eo, & dabit tibi petitiones cordis tui: confide illi, & paſceris in divitiis ejus. Orationibus aſſidue inſta, & Deum invenies, ut Anna, quæ non diſcedebat e templo, jejuniis & orationibus die ac nocte ſerviens. Eccleſiam imitare aſſidue gementem & orantem. *Tota Eccleſia una vidua eſt*, ſive in viris, ſive in feminis, ſive in conjugatis, ſive in maritatis feminis, ſive in adoleſcentibus, ſive in ſenibus, ſive in virginibus; omnis Eccleſia una vidua eſt, deſerta in hoc ſæculo, ſi ſentit illud, ſi novit viduitatem ſuam: tunc enim auxilium præſto eſt illi. Nonne agnoſcitis iſtam viduam in Evangelio, cum diceret Dominus, *Oportere ſemper orare, & non deficere. Erat quidam Judex in civitate*, dixit, *qui nec Deum timebat, nec hominem reverebatur, & interpellabat eum quædam vidua quotidie, & dicebat, Vindica me de adverſario meo. Et interpellando quotidie vidua fregit illum. Ait enim ipſe Judex apud ſe: Etſi Deum non timeo, nec hominem erubeſco, vel propter tædium quod mihi facit iſta vidua, vindicabo eam*. „ Si audivit Judex malus viduam, ne tædium pateretur; Deus non audit Eccleſiam, quam hortatur ut deprecetur? Quæ vere vidua eſt, ſeculi commerciis, vanitati, ac deliciis renuntiat, ſpectaculis, choræis, ludis, conviviis: ſi enim libertate ſua abuſa in delicias ſolvatur, & ſeculi carniſque voluptatibus indulgeat, mortua eſt, ſecum ipſa ſuum funus portat. *Nam quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt*. Mortua eſt Deo, quæ vivit mundo. Vivit carne, mortua eſt ſpiritu. *Anima* enim *quæ peccaverit, ipſa morietur*. Si „ igitur ubi & ætas & ſexus infirmus eſt, deliciæ ita prohibentur, ut quæ mortis auctores ſunt, & mortis æternæ, quid de viris dicendum qui ſe deliciis ſolvunt? Qui ſecundum Deum vivunt, quæ ſunt futuræ vitæ, quæ ſola vere vita eſt, gerunt... Viventes non eo tantum a mortuis differunt, quod Solem vident, & aerem ſpirant, ſed quod boni aliquid faciunt. Id quippe niſi adſit viventibus, nihilo defunctis meliores erunt.... Mortuus eſt quiſque cum in deliciis vivit. Quonam modo? Ventri ſolummodo vivit, ſenſibus ceteris mortuus eſt. Neque enim aſpicit quæ aſpicienda ſunt, neque audit quæ neceſſario audire convenit, neque ea loquitur quæ decet loqui, nihilque in ſe vivere præter ſolam ventris ingluviem indicat. Ceterum quemadmodum mortuus in lectulo jacens, comploſis palperis, clauſiſque luminibus nullum omnino ſenſum habet, ita & hic, imo longe deterius quam ille eſt affectus. Ille enim bona æque ac mala non ſentit: hic autem malorum tantum non amittit ſenſum, ſed nihil boni penitus ſentit. Nihil illum ex his quæ in futura vita ſervantur, movet, ſed ad omnia perſtat immobilis. Merito ait Apoſtolus, *Quæ in deliciis eſt, vivens mortua eſt*. Nihil enim vel loqui vel audire convenienter poteſt immerſa deliciis anima; efficitur namque mollis, ignava, imbecilla, illiberalis, timida; interdum vero audaciæ, aſſentationis, imperitiæ plena; indignationis, iracundiæ, malorumque omnium receptaculum, bonis, virtutibuſque omnibus deſtituta. *Et hoc præcipe, ut irreprehenſibiles ſint*. Vides uti hoc legis jure conſtituat, non proprio permittat arbitrio ut rem mediam & indifferentem? Præcipe, inquit, ut deliciis non indulgeant; quaſi pro confeſſo malum, pernicioſumque habeatur: quaſi nefas ſit eum, qui deliciis ſtudeat, Myſteriorum eſſe participem. Vides ut peccati ea res ſit? Nam quod arbitrarium eſt, etiamſi omittatur, non prohibet irreprehenſibilem eſſe. Et nos itaque Paulo obtemperantes, præcipimus deliciis viduas abſtinere, multo magis Sacerdotes. Nam ſi miles lavacris ac ſpectaculis vacans, intentuſque negotiis, veluti deſertor militiæ jure damnatur: multo magis viduæ, multo magis adhuc Sacerdotes qui deliciis ſtudent. Non ergo quæramus hic requiem, ut in futuro ſeculo illam invenire poſſimus. Fugiamus hujus vitæ delicias, ut veras æternæ vitæ delicias mereamur.

*Luc. 2.*

*S. Aug. Enarr. in Pſal. 131. n. 23. Luc. 18. 1.*

*S. Chryſoſt. Hom. 13. in hanc Epiſt.*

Cura domeſticorum in ſpiritualibus & temporalibus.

8. *Si quis autem ſuorum, & maxime domeſticorum curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*. Parentes, domini, Paſtores, in ſuorum & maxime domeſticorum oblivione & negligentia, tum ſpiritualium, cum temporalium neceſſitatum & miſeriarum reſpectu, dormientes, ſi verbis Apoſtolicis tam terribilibus quam veracibus non ſunt experrecti, vere non dormiunt, ſed mortui ſunt. Curæ nomine providentiam corporis animæque ſignificat Apoſtolus. *Carnem tuam ne deſpexeris*, ait Propheta; ſive, *Propinquos ſeminis tui ne deſpexeris*, ut vertunt LXX. Interpretes. Qui parentes, filios, conſanguineos, affines, domeſticos deſpicit, qui eorum neceſſitatibus pro viribus non ſubvenit, qui ſalutem illorum negligit, fidem negavit. Deum etſi verbis confitetur, factis negat: ſpecie tenus Chriſtianus, intus apoſtata & ethnicus eſt, animi duritie erga propria membra Chriſti Jeſu: *Fidem negavit, & eſt infideli deterior*. Chriſtianam religionem infidelium maledictis exponit, illis occaſionem præbens dicendi Chriſtianos ſine affectione eſſe, qui ſuos deſpiciant. Legem ipſam naturæ violat, qui ſuos negligit; quanto magis qui illis injuriam facit, qui viduam & pupillum opprimit, qui ſtipendia domeſticorum, qui mercedem operariorum retinet? *Fidem negavit, & eſt infideli deterior*. Ad hæc attendant, qui propinquorum ſuorum neceſſitatibus, ſive corporalibus, ſive ſpiritualibus, non ſubveniunt. Conſiderent quam immaniter Dei conſiliis & voluntati adverſentur. *Deus nempe idcirco vincula propinquitatis inſtituit, ut multiplex ſubeſſet occaſio nos mutuo diligendi beneficiiſque confovendi. Quando igitur quod infidelis facit, tu facere negligis, nonne fidem abnegaſti? Non ſola confeſſione, ſed multo magis operibus fides oſtenditur*.

*Iſai. 58.*

*S. Chryſoſtom. Homil. 14.*

Secundæ nuptiæ viduis permittuntur, continentia ſuadetur.

*Tertull. lib. 1. Ad Uxorem, cap. 4.*

9. 10. *Vidua eligatur .... unius viri uxor*. Licet quidem viduæ ſecundo nubere, ſecundas nuptias ſoli damnant hæretici: ſed incontinentia ſua indignam ſe præbet, cui Eccleſiæ miniſterium vel temporale deferatur, indignam ſe præſtat Eccleſiæ fiducia ve ſub-



ſidio, quæ ſecundis nuptiis ſe implicat. Secundas nuptias cum Apoſtolo viduis indulgemus, continentiam ſuademus.. „ Disjunctis a matrimonio duæ ſpecies imbecillitatis neceſſarias nuptias faciunt. Prima quidem potentiſſima, quæ venit de concupiſcentia carnis: ſequens de concupiſcentia ſeculi. Sed utraque repudianda eſt a ſervis Dei, qui & luxuriæ & ambitioni renunciamus. Carnis concupiſcentia ætatis officia defendit, decoris meſſem requirit, gaudet de contumelia ſua: dicit virum neceſſarium ſexui, ut auctoritatis & ſolatii cauſam, vel ut a malis rumoribus tuta ſit. Et tu, Vidua Chriſtiana, adverſus conſilia hæc ejus adhibe ſanctarum viduarum exempla, quæ nullam formæ vel ætatis occaſionem, præmiſſis maritis, ſanctitati anteponunt. „ Malunt enim Deo nubere. Deo ſpecioſæ, Deo ſunt puellæ: cum illo vivunt, cum illo ſermocinantur: illum diebus & noctibus tractant: orationes ſuas velut dotes Domino aſſignant: ab eodem dignationem velut munera dotalia, quotieſcumque deſiderant, conſequuntur. Sic æternum ſibi bonum donum Domini occupaverunt, ac jam in terris non nubendo, de familia angelica deputantur. Talium exemplis feminarum ad æmulationem te continentiæ exercens, ſpiritali affectione carnalem illam concupiſcentiam humabis, temporalia & volatica deſideria formæ vel ætatis immortalium bonorum compenſatione delendo. Ceterum hæc ſecularis concupiſcentia cauſas habet, gloriam, cupiditatem, ambitionem, inſufficientiam, per quas neceſſitatem nubendi ſubornat, videlicet repromittens, dominari in aliena familia, in alienis opibus incubare, cultum de alieno extorquere, ſumptum, quem non ſentias, edere. Hæc procul a Fidelibus, quibus nulla cura tolerandæ vitæ, niſi ſi diffidimus de promiſſis Dei, qui lilia agri tanta gratia veſtit, qui volatilia cœli ſine ipſorum labore paſcit, qui prohibet de craſtino victu veſtituque curare, ſpondens ſcire ſe quid cuique ſervorum ſuorum opus ſit. *Præſume, oro te, nihil tibi opus eſſe, ſi Domino appareas: imo omnia habere, ſi habeas Dominum, cujus omnia. Cœleſtia recogita, & terrena deſpicies. Nihil viduitati apud Deum ſubſignatæ neceſſarium eſt, quam perſeverare*. Si gloria quæritur, ſi divitiæ expetuntur, ſi ſolatium deſideratur; quid honorabilius, quid locupletius, quid lætius Vidua Chriſtiana, quæ *In operibus bonis teſtimonium habet* quæ *filios* pie *educavit*, quæ fide les peregrinos *hoſpitio ſuſcepit*, quæ ſanctorum *pedes lavit*, quæ *tribulationem patientibus ſubminiſtravit*, quæ *omne opus bonum ſubſecuta eſt*? Varia illa caritatis officia, monilia pretioſiſſima ſunt, veſtes magnificentiſſimæ, quibus ornata Deo placet. Caritas ejus fervens eſt pro regno Dei in filiis ſtabiliendo per ſanctam illorum educationem, liberalis erga peregrinos & pauperes, humilis erga Dei Miniſtros; compatiens erga afflictos, nullius operis boni occaſionem negligens; omnibus omnia fieri ſtudens. Felix vidua, quæ ut Sareptana illa, ad quam miſſus eſt Elias Propheta, de neceſſario etiam ſuo pauperibus ſubminiſtrat! Quæ ut Judith caput Holoferni, ita ſeculi voluptates & amorem in ſe ipſa detruncat! Quæ Paſtoribus in bello adverſus vitia ut Debora Barach Duci adverſus hoſtes populi Dei, auxiliatrix accedit, quæ ſanctiſſimam B. Auguſtini matrem Monicam imitatur ad Apoſtolicum Viduæ Chriſtianæ exemplar ex omni parte conformatam! De qua ſanctus ejus filius ſcribit: „ Quiſquis noverat eam, multum in ea laudabat, & honorabat, & diligebat te, quia ſentiebat, præſentiam tuam in corde ejus ſanctæ converſationis fructibus teſtibus. Fuerat enim unius viri uxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum ſuam pie tractaverat, in operibus bonis teſtimonium habebat. Nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties abs te deviare cernebat. Poſtremo nobis, Domine, omnibus, quia ex munere tuo ſinis loqui ſervis tuis, qui ante dormitionem ejus in te jam conſociati vivebamus percepta gratia baptiſmi tui, ita curam geſſit, quaſi omnes genuiſſet; ita ſervivit, quaſi ab omnibus genita fuiſſet. Ethnicis ipſis admirationi & honori fuit Chriſtianarum viduarum continentia. Narrat S. Chryſoſtomus, Præceptorem ſuum ethnicum hominem, aliquando quæſiviſſe cujus filius eſſet ipſe adoleſcens, cumque reſponſum eſſet illum viduæ mulieris eſſe filium, ab eo quæſiviſſe ætatem matris & viduitatis tempus. Cum primum vero audivit quadraginta annos natam eſſe, vigeſimum vero annum jam agi ex quo orbata eſſet marito, obſtupuiſſe, & ad eos, qui aderant, converſum exclamaſſe: *En quales mulieres apud Chriſtianos ſunt*.

*S. Auguſt. lib. 9. Confeſſ. c. 9.*

*S. Chryſoſt. Ad Viduam Juniorem. Tom. 4. Edit. Frontonis Duamel.*

Frequens cum mulieribus converſatio periculoſa,

11. *Adoleſcentiores autem viduas devita*. Clericorum cum mulieribus, juvenibus præſertim, contubernium, familiaritas, & frequens converſatio, quovis prætextu, etiam directionis & caritatis, illorum ſalutem ſummo periculo, Eccleſiam dedecori & opprobriis ſecularium hominum exponit. *Ne reſpicias mulierem multivolam* (ait Sapiens) *ne forte incidas in laqueos illius ... Virginem ne conſpicias, ne forte ſcandalizeris in decore illius Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit. ſpeciem mulieris alienæ multi admirati, reprobi facti ſunt. Colloquium enim illius quaſi ignis exardeſcit*. Quod ſi Sacerdotes cum mulieribus colloqui neceſſitas cogat, id ne fiat abſque arbitris, ne intempeſtivis horis, ne in locis ab hominum conſpectu remotis. Numquid tu Davide fortior, Salomone ſapientior? *Mulier longe, libido prope*. Illas alloquendo, quantumvis religioſæ, caſtæ, devotæ, videantur, *oculos humi dejectos habe*. „ Cumque pauca, quæ ipſarum animos illuſtrare, & conſolari poſſint, locutus fueris, *ſtatim avola*, ne forte diuturna conſuetudo vires tuas emolliat & infringat, atque velut horrendum quemdam & elatum leonem nacta, jubas illi amputet, quæ regiam inter feras dignitatem illi conſervant, dentes etiam illi evellat atque ungues, ac tandem deformatum, pueris etiam illudendum præbeat. Nihil tibi cum feminis commercii ſit, ac tum ab illis honorem conſequeris... Milites nos eſſe vult Chriſtus ſtrenuos & athletas. Non propter hoc nos armavit armis ſpiritualibus, ut puellarum miniſteria ſuſcipiamus, ut aſſideamus mulierculis nentibus & texentibus, verbiſque & moribus muliebribus animas imbuamus: ſed ut configamus inviſibiles virtutes quæ nobis adverſantur, ut diabolum percutiamus qui contra nos militat, ut rectores tenebrarum harum in ſervitutem ducamus, ut ad quotidianas mortes obeundas parati ſimus, ut regnum peccati in nobis & in aliis deſtruamus. Propter hoc induit nos Chriſtus thorace juſtitiæ, propter hoc cinxit nos zona veritatis, propter hoc impoſuit galeam ſalutis, propter hoc pedes noſtros calceavit præparatione evangelii pacis, & tradidit gladium Spiritus, propter hoc ignem accendit in noſtris animabus. Si igitur militem aliquem, poſtquam induerit galeam, thoracem, ocreas, poſtquam acceperit ſcutum, gladium, lanceam, pharetram, ſagittas, tuba jam inſonante, hoſtibus magno impetu irruentibus, & civitatem a fundamentis vertere molientibus, videres non in agmen foras currere, ſed domum ingredi, & mulieri aſſidere cum armis: nonne ipſum, ſi modo liceret, gladio transfoderes, ne ſermone quidem cum dignatus? Quomodo ergo putas Deum in eos affici, qui in ejus militia conſcripti ſunt, ſi cum feminis liberius converſentur, commorentur, epulentur, eludant in Eccleſiæ ſcandalum? Tanto enim turpiora & abſurdiora ſunt hæc quam illa, quanto & gravius bellum, & hoſtes truculentiores, & præmia pro quibus bellatur, majora; omnia denique tantum tranſcendunt, quantum umbram veritas. Itaque ne effeminemus robur noſtrum, ne ſuccidamus nervos noſtros hujuſmodi contuberniis, & familiaritate. Multam etenim & immenſam animabus noſtris inſtillant malitiam. Quid enim, etiamſi non ſentiamus amore ebrii? Iſtud ipſum omnium eſt graviſſimum, quod neſcimus quomodo enervemur, omnique ſpirituali robore deſtituamur, inſtar Samſonis ſuper Dalilæ genua obdormientis. Urit videndo femina, quanto magis familiariter converſando, & ſub eodem tecto commorando?

Clericis præſertim vitanda.

*Eccl. 9.*

*S. Auguſt.*

*S. Iſidorus Peluſiota Epiſt. 284.*

*S. Chryſoſt. Adverſus eos qui apud ſe ſuvent ſorores adoptimas, ſive ſubintroductas mulieres.*

11. 12. *Cum luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt: Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*. Qui poſt votum continentiæ nubere volunt, aut carnis voluptatem experiri, vel iterum deguſtare, viri vel feminæ, fidem violant Jeſu Chriſto datam. Damnandum certe deſiderium, æternaque excluſione a cœleſtis Sponſi nuptiis puniendum, etſi opere non compleatur, pudore & timore prohibentibus. Nemo in Catholica Religione bene inſtitutus negaverit, *Lapſus & ruinas a caſtitate ſanctiore, quæ vovetur Domino, adulteriis eſſe pejores. Si enim, quod nullo modo dubitandum eſt, ad offenſionem Chriſti pertinet, cum membrum ejus fidem non ſervat marito; quanto gravius offenditur, cum illi ipſi non ſervatur fides in eo quod exigit oblatum, quod non exegerat offerendum? Cum enim quiſque non reddit, quod non imperio compulſus, ſed conſilio commonitus vovit; tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vovendi neceſſitatem ... Bonum ergo continentiæ vidualis luculentius decet, cum pro illo vovendo & profitendo poſſunt contemnere feminæ quod & libet & licet. Sed poſt voti profeſſionem perſeveranter frenandum & vincendum eſt quod libet, quia jam non licet*.

Voti violatio damnabilis.

*S. Aug. lib. De Bono Viduitatis, cap. 11*

13. *Simul autem & otioſæ diſcunt circuire domos: non tantum otioſæ, ſed & verboſæ, & curioſæ, loquentes quæ non oportet*. Infelix ſuavitas libertatis junioribus viduis, & earum aſſeclis laqueus eſt. Otio-

Otium, loquacitas, curioſitas, viduis fugienda.

ſitas

ſitas primus eſt ad effrenem libertatem & diſſolutionem gradus: hæc viſitationes inutiles parit: hæ confabulationes nugaces, ſcurriles, maledicas. His paſcitur curioſitas novorum eventuum ad regnum cupiditatis, & ſeculi corrupti mores & amores pertinentium. Sic animus mundi concupiſcentiis intoxicatus ſeducitur, & ad peccatum trahitur. *Stude igitur*, Vidua Chriſtiana, *ad virtutem continentiæ, quæ pudori procurat; ſedulitati, quæ nugas non facit; frugalitati, quæ ſpeculum ſpernit. Convictus atque colloquia Deo digna ſectare, memor illius verſiculi ſanctificati per Apoſtolum*, Bonos corrumpunt mores congreſſus mali. *Loquaces, otioſæ, vinoſæ, curioſæ contubernales, vel maxime propoſito viduitatis officiunt. Per loquacitatem irrepunt verba pudoris inimica: per otium a ſeveritate deducunt: per vinolentiam quidvis mali inſinuant: per curioſitatem, æmulationem libidinis convehunt.*

*Tertull. lib. I. Ad Uxorem, cap. 8.*

14. 15. *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratia.* Minus bonum habita ratione infirmitatis ſubjecti, aliarumque circumſtantiarum, quandoque meliori bono præponendum eſt. Alterius matrimonii frænum conducibilius eſt ad ſalutem & publicam ædificationem, cœlibatu incontinente ac diſſoluto. Perfectioris ſtatus inconſideratum deſiderium & præceps electio, periculoſa infirmis tentatio eſt. Præſtat in valle ſalvari, quam in monte perire. In ſtatu imperfectiori bonum & irreprehenſibilem eſſe præſtat, quam officiorum ſuorum prævaricatorem eſſe in ſtatu perfectiori. Nihil magis provocat homines ſeculo deditos ad contemptum Sacerdotalis Ordinis, Religioſi Status & Cœlibatus; nihil illis majus ſcandalum parit, quam vita inordinata Sacerdotum, Religioſorum, Virginum, & Viduarum. *Nullam occaſionem dare adverſario maledicti gratia. Jam enim quædam converſæ ſunt retro ſatanam.* „ Ex quibus „ Apoſtoli verbis intelligimus, eas quas nubere vo„ luit, melius potuiſſe continere, quam nubere; ſed „ melius nubere, quam retro poſt ſatanam ire, id „ eſt, ab illo excellenti virginalis vel vidualis caſti„ tatis propoſito, in poſteriora reſpiciendo, cadere. „ Proinde quæ ſe non continent, nubant, antequam „ continentiam profiteantur, antequam voveant: „ quod niſi reddant, jure damnantur. Cum enim Chriſtum deſerunt, quem ſponſum elegere; cum datam illi fidem fallunt, Mundum & diabolum ipſi præponere ſe oſtendunt, & eum (quod dictum horrendum eſt) judicaſſe meliorem, quem ſequi maluerunt. *Converſæ ſunt retro poſt Satanam.*

*S. Aug. lib. de Bono Viduitatis, cap. 8.*

16. *Si quis fidelis habet viduas, ſubminiſtret illis, & non gravetur Eccleſia; ut iis quæ vere viduæ ſunt, ſufficiat.* Si fidelis habens viduas illis jubetur ſubminiſtrare, quantum ſatis eſt, non ſuperflua, ut iis, quæ omni humano ſubſidio deſtitutæ ſunt, alendis Eccleſia ſufficiat: quanto indignius Eccleſiaſtici Viri, unum Beneficium ad honeſtam ſuſtentationem ſufficiens habentes, plura Beneficia, aut Penſiones ex Beneficiis delibatas captant & coacervant, ut ex iis incraſſati, impinguati, dilatati, nepotum ſuorum fortunas augeant, & neptes ambitioſe collocent? Sic enim gravant Eccleſiam, quæ ex illis Beneficiis pluribus Miniſtris providere poſſet, per quos populi Chriſtiani ſalus promoveretur. Bona Eccleſiæ, *Si privatim quæ nobis ſufficiant, poſſidemus, non ſunt noſtra, ſed pauperum quorum procurationem quodammodo gerimus, non proprietatem nobis uſurpatione damnabili vindicamus.*

Conſanguineorum fortunæ ex Eccleſiæ bonis non augendæ.

*S. Aug. Epiſt. 185. alias 50. ad Bonifacium, cap. 9.*

17. 18. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habentur; maxime qui laborant in verbo & doctrina. Dicit enim Scriptura: Non alligabis os bovi trituranti. Et, Dignus eſt operarius mercede ſua.* Rectoribus Eccleſiarum, & omnibus Presbyteris, qui ſuo bene funguntur Miniſterio, ſubminiſtrari debent a fidelibus quæ ad eorum ſuſtentationem ſunt neceſſaria, ne deficiant, & minimis occupati, magnis ſeipſos alioſque privent, & rerum ſecularium curis diſtracti, minus expedite ſpiritualibus vacare poſſint. Sic Levitis in veteri Lege proviſum eſt, quibus reditus, decimæ, primitiæ, oblationes, carnes victimarum, ad victum aſſignatæ ſunt. Majore quidem honore, uberiore ſportula, ut (cum S. Cypriano loquar,) amplioribus ſubſidiis ad vitam honeſte tranſigendam digni ſunt qui bene præſunt: verumtamen paucis contenti eſſe debent. Audenter dixerim cum S. Joanne Chryſoſtomo, *Eccleſiæ Præſules nihil præter victum & veſtitum habere oportere, ne ad iſta trahantur deſiderio*, quod amplius habent, pauperum eſſe: quibus crudeliter ſubtrahunt quod de reditibus Eccleſiaſticis in luxum, in convivia, in ludos, in ædificia ſumptuoſa, minimeque neceſſaria expendunt. Magno certe digni ſunt honore qui bene præſunt. Quinam autem ſunt illi? *Bonus Paſtor*, ait Chriſtus, *animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Bene præeſt, qui reſidentiam amat, qui forma eſt gregis, qui non quærit quæ ſua ſunt; qui pauperes paſcit, afflictos conſolatur, infirmos ſublevat, peccatores corripit, juſtis ad proficiendum in via Dei animos addit, ſibi nulla in re parcens, ovium curæ ac regiminis cauſa. Præcipuo tandem honore digni habentur, *Qui laborant in verbo & doctrina.* Ad laborem continuum in Eccleſia Dei pro ſalute animarum, pro inſtitutione rudium, pro converſione peccatorum, pro reſtauratione & conſervatione Eccleſiaſticæ & Chriſtianæ diſciplinæ inaugurati ſunt Paſtores & Doctores. Boves ſunt myſtici in area Domini indeſeſſe triturantes ut paleam a frumento per divini verbi prædicationem, per ſanæ doctrinæ traditionem, & Sacramentorum adminiſtrationem ſeparent; panemque ſuum lucrentur in ſudore vultus ſui. *Non alligabis os bovi trituranti.* Et, *Dignus eſt operarius mercede ſua.* Qui aſſidue non operatur, ſed delicias & requiem quærit, non eſt mercede & alimentis dignus. *Qui bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni habentur, maxime qui laborant in verbo.* Non ſufficit Paſtori vitæ ſanctitas, ſed doctrina, & talentum verbi neceſſaria ſunt. Neque vero ſermonem Apoſtolus intelligit, qui faſtu tumidus, externæ peritiæ, & Academicæ eloquentiæ fucum, ac prurientem auribus ſuavitatem ſectatur, ſed *qui virtutis ac ſucci habeat plurimum, qui ſenſibus gravis ſit, & ſapientia plenus. Non ergo apparatu illi opus eſt, ac pompa dicendi, ſed intelligentia ac viribus, ad id quod ſentit eloquendum idoneis.*

*S. Chryſoſtom. Hom. 15.*

*Joan. 10.*

*Theophilact.*

*S. Chryſoſt. Hom. 15.*

19. *Adverſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi in duobus aut tribus teſtibus.* Famæ Paſtorem conſulendum eſt, nec adverſus illos facile admittendæ ſunt inferiorum accuſationes. Magna opus eſt in Judiciis, præſertim Eccleſiaſticis, prudentia & cautione. „ Accedit enim ſæpe ut qui Eccleſiæ Præ„ fecturam gerit, e peccantium numero aliquos of„ fendat, qui admonitiones & increpationes impa„ tienter ferunt, indeque infeſto in illum animo ca„ lumniam machinantur. Illorum igitur vindictæ „ non eſt permittendus. Quid ſi peccata quidem in„ dubitata ſint, ſed teſtibus careant, ſolaque ſuſpicio „ & opinio ſeu fama publica invaleſcant? Tunc ſervari convenit Apoſtoli regulam: *Oportet illum & teſtimonium habere bonum ab iis qui foris ſunt.* Legitur in Evangelio, quod villicus ille qui diffamatus erat apud dominum ſuum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius, audivit ab illo: *Quid hoc audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: jam enim non poteris villicare.* Et in Geneſi Dominus ait: *Deſcendam & videbo utrum clamorem opere compleverint.* Ex quibus manifeſte comprobatur, quod non ſolum cum ſubditus, verum etiam cum Prælatus excedit, ſi per clamorem & famam ad aures Superioris pervenerit, non quidem a malevolis & maledicis, ſed a providis & honeſtis, nec ſemel tantum, ſed ſæpe (quod clamor innuit, & diffamatio manifeſtat) debet coram Eccle„ ſiæ Senioribus veritatem diligentius perſcrutari: ut, „ ſi rei popoſcerit qualitas, Canonica diſtrictio culpam „ feriat delinquentis.... Licet autem hoc ſit obſer„ vandum in ſubditis, diligentius tamen obſervan„ dum eſt in Prælatis, qui quaſi ſignum ſunt poſiti ad „ ſagittam, & quia non poſſunt omnibus complace„ re, cum ex officio teneantur non ſolum arguere, „ ſed etiam increpare, quam etiam interdum ſuſpen„ dere, nonnumquam vero ligare: frequenter odium „ multorum incurrunt, & inſidias patiuntur. Ideo „ ſancti Patres provide ſtatuerunt, ut accuſatio Præ„ latorum non facile admittatur, ne concuſſis colu„ mnis corruat ædificium: niſi diligens adhibeatur „ cautela, per quam non ſolum falſæ ſed etiam ma„ lignæ criminationi janua præcludatur. Verum ita „ voluerunt providere Prælatis ne criminarentur in„ juſte, ut tamen caverent ne delinquerent inſolen„ ter.... Cum ſuper exceſſibus ſuis quiſquam fuerit „ infamatus, ita ut jam clamor aſcendat, qui diu„ tius ſine ſcandalo diſſimulari non poſſit, vel ſine „ periculo tolerari, abſque dubitationis ſcrupulo ad „ inquirendum & puniendum ejus exceſſus, non ex „ odii fomite, ſed caritatis procedatur affectu.

Paſtorum famæ conſulendum.

*Theodorel.*

*S. Chryſoſtom. Theophylact.*

*Luc. 16.*

*Geneſ. 16.*

*Concilium Oecum enic. Lateranenſe 4 ſub Innocent. 3. Can. 8.*

20. *Peccantes coram omnibus argue, ut & ceteri timorem habeant.* Pœnitentia publica pro peccatis publicis neceſſaria eſt ad exemplum. Unius pœna omnibus prodeſt. Qui plurimis ſcandali autor fuit publico peccato, illis ædificationem debet humillimæ pœnitentiæ exemplo. *Si peccatum in ſecreto eſt, in ſecreto corripe. Si peccatum publicum eſt & apertum, publice corripe: ut ille emendetur, & ceteri timeant.* Plures virtutem neceſſitate, non voluntate eligentes, magnum ex timore fructum percipiunt, dum ſuas cupiditates frænant. Idcirco de gehenna ſermo habetur, ut ea comminatione & timore coerceantur peccatores. „ Si enim traditurus æternis ignibus peccatores, „ ea incendia non intentaſſet, plures in illa incidiſ„ ſent.

Peccata publica palam arguenda & publica pœnitentia emendanda.

*Concilium Trid. ſeſſ. 14.*

*S. Aug. Serm. 83. alias 15. De Verbis Domini.*

*S. Chryſoſt. Hom. 15.*



„ ſent. Nam ſi modo quoque quando gehennæ hor„ ror noſtros concutit animos, non deſunt qui tam „ facile delinquant, ac ſi nulla ejus mentio fieret: „ ſi nulla præceſſiſſet comminatio, quo non erupiſ„ ſet effrenata væſania? Non ergo minus Dei provi„ dentiam gehenna commendat, quam promiſſio re„ gni. Quippe huic illa cooperatur, dum metu ad „ id compellit homines. Nec eſt quod eam rem im„ manitatis aut atrocitatis eſſe putemus, ſed miſeri„ cordiæ potius ineffabiliſque clementiæ, & ſingula„ ris in nos benevolentiæ ſignum. Niſi enim ſub „ Jona comminatio everſionis præceſſiſſet, proculdu„ bio ſecuta eſſet everſio: niſi dixiſſet ſubvertendam „ Ninivem, Ninive non ſtaret. Niſi gehenna inten„ tata eſſet, omnes in gehenam laberemur. Prædicit „ contraria iis quæ vult agere, ut quæ cupit, effi„ ciat. Non vult mortem peccatoris, & eam fore „ prædicit, ne præcipitemur in mortem. Dei ergo „ affectum Paſtores imitentur, publice peccantes, „ aut gravioris peccati convictos, coram omnibus „ arguant, ut ceteris timor incutiatur, per quem in „ corda compuncta caritatis introducatur.

*Tertull. Apolog. cap. 29. S. Cyprian. Epiſt. 55.*

21. *Teſtor coram Deo, & Chriſto Jeſu, & electis Angelis, ut hæc cuſtodias ſine præjudicio, nil faciens in alteram partem declinando.* Epiſcopi in Judiciis; & ſacris Ordinationibus, Sacerdotes in adminiſtratione Sacramenti Pænitentiæ, Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia conſecratos, Dei Legem, Eccleſiæ regulas ac diſciplinam obſervent, Deum præſentem reveriti, cujus vices gerunt, exercentque Judicium; Chriſtum, cujus Sanguinem diſpenſant; ſanctos Angelos, Protectores & zelatores Eccleſiæ, cujus bono per rectam Pœnitentiæ adminiſtrationem, per diſciplinæ ordinem, per accuratum Miniſtrorum delectum & Ordinationem conſulitur. In his nihil præjudiciis, & præconceptis opinionibus, nihil privatis affectibus, nihil commendationi & precibus, ſed totum æquitati tribuendum eſt. Una Dei gloria, una Pœnitentium & Ordinandorum ſalus, una Eccleſiæ utilitas ſpectanda eſt. Si a regulis diſcedatur, Dei Judicium, Chriſti vindictam, ſanctorum Angelorum indignationem timeant earum tranſgreſſores. Dent operam qui Eccleſiæ præſunt, ut de Eccleſiæ Præſulibus & Sacerdotibus tum vere nunc dicatur, quam primis ſeculis: *Nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu...... Sacerdos Dei Evangelium tenens, & Chriſti præcepta cuſtodiens, occidi poteſt, non poteſt vinci.* Non poteſt a divinis, Apoſtolicis, & Eccleſiaſticis regulis abduci.

In ſacris Ordinationibus & promotionibus ad Beneficia quanta cautio a Præſulibus adhibenda?

*S. Hieron. in cap. 58. Iſaiæ.*

*Tertullian.*

22. *Manus cito nemini impoſueris, neque communicaveris peccatis alienis.* Leves, præcipites, inconſideratæ Ordinationes, Epiſcopos, Vicarios generales, Examinatores, Seminariorum Præfectos, omnes qui his Ordinationibus cooperantur conſilio, teſtimonio, approbatione, precibus & commendatione, nominatione ad Beneficia, alienorum peccatorum, quæcumque ex his conſequuntur, conſcios & participes coram Deo conſtituunt, eidemque damnationi efficiunt obnoxios. „ Non leve ſane peccatum eſt mittere „ margaritas ante porcos, & dare ſanctum canibus, „ & Ordinationem Clericatus nequaquam ſanctis, & „ in Lege Dei doctiſſimis, ſed affectis ſuis tribuere. „ Quodque his dedecoroſius eſt, muliercularum pre„ cibus. Manus cito nemini impoſueris. *Quid eſt* „ *manus cito imponere, niſi* ante ætatem maturitatis, „ ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante „ experientiam diſciplinæ, Sacerdotalem honorem „ tribuere non probatis? Et quid eſt communicare „ peccatis alienis, niſi talem effici Ordinantem, qua„ lis eſt ille qui non meruit ordinari? Sicut enim „ boni operis ſibi comparat fructum, qui rectum te„ net in eligendo Sacerdote Judicium: ita gravi ſe„ metipſum afficit damno, qui ad ſuæ dignitatis „ collegium ſublimat indignum. Non enim in cujuſ„ quam perſona prætermittendum eſt quod inſtitutis „ generalibus continetur: nec putandus eſt honor ille „ legitimus, qui fuerit contra divinæ legis præcepta „ collatus. In domo quidem magna neceſſe eſt, ſicut Apoſtolus diſſerit, ut vaſa diverſa ſint, quædam aurea & argentea, quædam lignea & fictilia, ſed horum miniſterium pro materiæ qualitate diſcernitur, nec qui eſt pretioſorum, idem uſus eſt & vilium. Nam inordinata erunt omnia, ſi fictilia aureis, & lignea præferantur argenteis. Sicut autem in ligneis & fictilibus eorum hominum ſpecies figurantur, qui nullis adhuc virtutibus nitent; ita in aureis & argenteis hi ſine dubio declarantur, *Qui per longæ eruditionis ignem, & per fornacem diuturni laboris excocti, aurum probatum & argentum purum eſſe meruerunt. Quibus ſi merces pro devotione non redditur, omnis Eccleſiaſtica diſciplina reſolvitur, omnis ordo turbatur: dum in Eccleſia qui nullum ſubiere miniſterium, perverſo eligentium judicio indebitum obtinent Principatum.*

*S. Leo Epiſt. 1. alias 87. ad Epiſcopos Africanos, c. 2.*

23. *Te ipſum caſtum cuſtodi.* Quemadmodum Chriſtus Dominus caritatem omnibus Paſtoribus in perſona Petri interrogatione ter repetita commendavit: ita Apoſtolus vigilantiam in cuſtodia caſtitatis omnibus Sacerdotibus in perſona Timothei ter repetita admonitione & exhortatione hac in Epiſtola inculcavit. 1. Vigilantiam & attentionem ad verba, ne aliqua obſcœna, ſcurilia, blanda & adulatoria proferantur. *Argue.... juvenculas ut ſorores in omni caſtitate.* 2. Vigilantiam & cautionem circa familiaritatem & converſationem cum junioribus feminis, maxime cum & ipſe Sacerdos & Paſtor juvenis eſt: *Adoleſcentiores autem viduas devita.* 3. Vigilantiam circa cogitationes, motus, & opera ſecreta, ut cor & corpus caſtum & immaculatum ſervetur. *Te ipſum caſtum cuſtodi.* Cor & corpus templum Chriſti eſt. *Hujus templi antiſtes pudicitia nihil profanum & immundum inferri ſinat.* Angelica Sacerdotum caſtitas eſſe debet, in quorum manibus Filius Virginis quotidie (ut ita loquar) incarnatur; qui fideles animas deſpondent uni vero virginem caſtam exhibere Chriſto ſpiritualium conciliatores nuptiarum.

Vigilantia Miniſtrorum Chriſti in cuſtodia caſtitatis.

24. *Noli adhuc aquam bibere, ſed modico vino utere propter ſtomachum tuum, & frequentes tuas infirmitates.* Si Præſuli innocenti & laborioſo, Chriſti mortificationem in corpore circumferenti per jejunia & continuum aquæ potum, ac frequentes infirmitates, Apoſtolus vini uſum non permittit niſi modicum, *ad ſanitatem, non ad delicias;* Si Pauli ſuaſione Timotheo opus eſt ad auſteritatem vitæ tantiſper moderandam: quomodo tolerari poſſunt in Clero quædam intemperantiæ monſtra, homines vino, ſiceræ, cerviſiæ dediti, ebrioſi, Cleri dedecus, populi Chriſtiani ſcandalum? Vinum datum eſt ut corporis curemus valetudinem, non ut animæ proſternamus virtutem. Vinum concupiſcentiam accendit & fovet; abſtinentia reprimit, debilitat, extinguit. *Cogitavi in corde meo*, ait Sapiens, *abſtrahere a vino carnem meam, ut animam meam trasferrem ad ſapientiam, devitaremque ſtultitiam.* Quam temperantes igitur, quam ſobrii eſſe debent Incarnatæ Sapientiæ Miniſtri, quibus eam audire ut diſcipulis, & ejus præceptis Chriſtianam plebem informare incumbit ut Doctoribus & Prædicatoribus?

Sobrietas Miniſtrorum Eccleſiæ.

*Eccleſiaſt. 23.*

---

## CAPUT VI.

### *Senſus Litteralis.*

1. 2. Q*Uicumque ſunt ſub jugo ſervi, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur.* Quicumque ſunt ſub jugo ſervitutis, omnem honorem debitum, reverentiam, & obedientiam dominis ſuis, quamvis infidelibus, malis, & impiis exhibeant, ne Dei nomen, & doctrina Evangelii maledictis Ethnicorum impetratur quaſi Politici ordinis perturbatrix, & juſtitiæ contraria. *Qui autem fideles habent dominos, non contemnant, quia fratres ſunt: ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt & dilecti, qui beneficii participes ſunt.* Qui autem dominos Chriſtianos & pios habent, ne propterea illos minus honorent, quia fratres ſunt in Chriſto, per ipſum ad divinam adoptionem provecti, & ad ejuſdem hereditatis conſortium vocati: ſed libentius, promptius ac diligentius illis ſerviant, quia Chriſtiani ſunt, & eo nomine a Deo dilecti, eoque magis digni qui ab ipſis quoque diligantur, utpote ejuſdem gratiæ participes. *Hæc doce, & exhortare*: doce, ut ſciant: exhortare, ut faciant.

Græci Interpretes hæc verba referunt ad ſervos, qui majoribus beneficiis a dominis Chriſtianis afficiuntur.

3. 4. 5. *Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ: ſuperbus a eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum;* b *ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes* c *hominum mente corruptorum, & qui veritate privati ſunt, exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem.* Si quis contrariam ei quam prædicamus & docemus doctrinam tradit, & non aſſentitur fide ſimplici & humili ſanctis & ſalutaribus inſtitutionibus, quibus fides Domini noſtri Jeſu Chriſti explicatur, ſive ipſius Salvatoris ore, ſive Diſcipulorum ejus, ipſo per eos loquente, prolatis: & doctrinæ evangelicæ, quæ ad verum Dei cultum ſinceramque pietatem animas promovet: ſuperbia tamquam hydrope tumidus eſt & inflatus; vera & ſolida ſcientia eorum, quæ ſcire neceſſe eſt ad ſalutem, deſtitutus: animi ægritudine inſaniæ ſimili laborans, implicat ſe quæſtionibus curioſis, vanis, & inutilibus ad ſalutem, & certaminibus verborum: ex quibus naſcitur invidia in eos qui videntur doctrina & cauſæ meritis ſuperiores, oriuntur contentiones, maledicta, & convitia, ſuſpiciones malæ,

a Græce τετύφωται, *Inflatus eſt.*

b Græce, λογομαχίας, quæ vox & quærendi vanitatem, & diſputandi pugnacitatem ſignificat.

c Græce, παραδιατριβαί, *perverſæ & peſtiferæ diſputationes*, quæ audientibus contagionem afflant, ſicut ſcabioſæ oves dum affricant ſeſe, ſanas quoque morbo inficiunt.

*S. Chryſoſt. Theodoret. Theophylact.*

d Ea ſola hic nominat Apoſtolus, quæ omnibus & ſimpliciter neceſſaria ſunt ad vitam conſervandam, non quæ ad certos fines

dumtaxat ut arma militibus, libri ſtudentibus & Doctoribus inſtrumenta artificibus.

malæ, diſputationes pernicioſæ hominum, quorum mens ambitione, avaritia, aliiſve pravis affectibus occupata & corrupta eſt, qui veritate deſtituti ſunt, quam præ cæcitate non valent intueri: qui exiſtimant, aut ita ſe gerunt quaſi exiſtimarent, pietatis profeſſionem externam medium eſſe conveniens ad opes acquirendas. Addit Græcus Textus, *Recede ab iis qui ſunt hujuſmodi*; ſed Vulgata noſtra hoc additamentum non habet.

*Appetere cupiditatem*, ſeu *avaritiam*. Hebraiſmus eſt, quo affectos pro objecto uſurpatur, avaritia pro divitiis. Similis Hebraiſmus habetur Pſalm. 106. *Concupierunt concupiſcentiam in deſerto*. Et Job. 3. 25. *Timor quem timebam evenit mihi*.

6. 7. 8. *Eſt autem quæſtus magnus, pietas cum ſufficientia*. Imo vero pietas magnus quæſtus eſt, divitias ſpiritales & immortales pariens, omnibus theſauris temporalibus auri & argenti præponendas, ſi rebus ad vitam neceſſariis & ſufficientibus contenta ſit. *Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid poſſumus*. Nihil enim temporalium bonorum intulimus in hunc mundum; cum nati ſumus, de utero matris noſtræ nudi egreſſi ſumus; & certiſſimum eſt nos ex iiſdem bonis nihil nobiſcum auferre poſſe, cum moriemur. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur* d, *his contenti ſimus*. Habentes igitur alimenta ad corporis ſuſtentationem, & veſtimentum, ac tectum ad corporis munimen, his contenti eſſe debemus.

Id nomen, *homo Dei*. Prophetis in Scriptura ſacra attributum, a S. Paulo Timotheo tribuitur ob miniſterii dignitatem.

9. 10. *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem*. Illi autem quibus ardens eſt ſtudium & ſollicitudo diteſcendi, incidunt in varias tentationes & occaſiones peccandi, quibus tamquam laqueis implicantur & capiuntur a diabolo; & in deſideria multa ſupervacua, a ratione aliena, & pernicioſa, quæ demergunt homines in abyſſum perditionis & damnationis æternæ. *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes* [?] *erraverunt a fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis*. Radix enim & origo omnium vitiorum, omnium malorum tam culpæ, quam pœnæ, eſt avaritia & bonorum temporalium cupiditas, quam quidam ſecuti, a fide Chriſtiana Catholica defecerunt, & ſe ipſos implicuerunt innumeris anguſtiis & angoribus animi. Vel, (quæ vis eſt Græci Textus) *Confixeruntque ſe ipſos doloribus multis*.

Metaphora eſt ſumpta a certamine quo curſores in ſtadio de præmio propoſito contendebant, ut oſtendit, Græcum agonis nomen.

11. 12. *Tu autem, o homo Dei, hæc fuge: ſectare vero juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem*. Tu autem, qui in iis quæ Dei ſunt totus eſſe debes, avaritiam, & omnia vitia ex ea conſequentia, ſummo ſtudio, ſummaque diligentia fuge: virtutes vero ſectare his oppoſitas; ſcilicet juſtitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, manſuetudinem, & animi tranquillitatem. *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es & confeſſus bonam confeſſionem coram multis teſtibus*. His inſtructus virtutibus fortis & conſtans eſto in ſancto certamine fidei. In curſu miniſterii tui, quod pro fide Chriſti tuenda & propaganda ſuſcepiſti, ſumma animi contentione labora, ut præmium vitæ æternæ apprehendas & conſequaris, ad quam vocatus es ab agonotheta Chriſto Jeſu, cujus gratia tam præclaram edidiſti fidei confeſſionem coram multis teſtibus; in Baptiſmo ut Chriſtianus; ſive in Ordinatione, ut Epiſcopus, ſive in perſecutione, ut Confeſſor.

Voces Græcas ανεπιλη ἀνεπίληπτον quæ maſculini vel neutrius generis ſunt, ad Timotheum referunt Græci Interpretes, ut ſit ſenſus. *Neque quoad dogmata, neque quoad vitam labem aliquam tibi imprimas.*

*S. Chryſoſt. Theophylact.*

13. 14. 15. & 16. *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Chriſto Jeſu, qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato, bonam confeſſionem: Ut ſerves mandatum ſine macula, irreprehenſibile uſque in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Præcipio tibi in conſpectu Dei, qui dat vitam omnibus viventibus, & vitam æternam electis ſuis, & in conſpectu Chriſti Jeſu, qui cum ſæpe veritatem, cujus annuntiandæ cauſa miſſus erat a Patre, palam apud homines confeſſus fuiſſet, tandem Præſide ac Judice Pontio Pilato, ejuſdem veritatis confeſſionem teſtimonio ſuo ſive Martyrio conſignavit, pro ea crucem & mortem ſuſtinens: te, inquam, obteſtor ut ſerves mandata quæ tibi trado, te ipſum immaculatum & irreprehenſibilem exhibens uſque ad glorioſum adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens, Rex Regum, & Dominus dominantium*. Quem adventum temporibus a ſe conſtitutis exhibebit Deus, qui fons eſt beatitudinis, qui ſolus omnia poteſt, qui Regnum & dominium a nullo accepit, & a quo acceperunt, eique ſubditi ſunt quicumque regnant & dominantur: *Qui ſolus habet immortalitatem, & lucem inhabitat inacceſſibilem: quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt: cui honor, & imperium ſempiternum. Amen*. Cui ſoli perfecta immortalitas convenit, quæ nulli obnoxia eſt mutationi: nam omnis mutatio mors quædam eſt, ait Sanctus Auguſtinus: ſolus immortalis eſt per eſſentiam. Qui ſolus habitat lucem inacceſſam, quæ non alia quam ipſe eſt, ſolus ab æterno ſibi & mundus, & locus, & omnia: quem nullus hominum in hac mortali vita vidit, aut videbit umquam, ſed nec videre poteſt: Cui ſoli debetur ab omnibus ſummus honor tamquam bonorum omnium auctori: & qui ſolus habet imperium ſempiternum, abſolutum, univerſale, nullis circumſcriptum limitibus. Vere ita eſt.

Hæc ad Patrem referuntur, at vox *ſolus*, Filium & Spiritum ſanctum non excludit, ſed falſos Deos, ut Græci Interpretes obſervant, & S. *Aug. lib. 1. de Trinit. cap. 6*

17. 18. 19. *Divitibus hujus ſeculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis abunde ad fruendum.)* Iis qui in hoc ſeculo divitiis affluunt, præcipe ne elato ſint animo, nec ſpes ſuas in divitiis incertis & perituris collocent, ſed in Deo vivo, qui abunde nobis ſuppeditat quæ ad vitæ uſus neceſſaria ſunt. *Bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare*. Præcipe ut ceteris benefaciant, ut divites fieri ſtudeant virtutibus & operibus bonis, quæ ſunt veræ Chriſtianorum opes; faciles eſſe ad tribuendum, libenter bona ſua communicare cum pauperibus. *Theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam*. Sibi theſaurum meritorum acquirant per Dei gratiam, ſibique ſolidum fundamentum cœleſtis & æternæ manſionis ponant in futurum, ut veram vitam conſequantur.

*Communicare* ad vitæ converſationem, Græci referunt, quaſi Apoſtolus velit divites eſſe humanos, affabiles, benevolos, hominum vulgus erecto ſupercilio non deſpicientes: ſed ad piam largitionem & eleemoſinam magis pertinet hoc verbum, ut ex locis parallelis patet. *Rom.* 12. 2. *Cor.* 8. & 9. *Galat.* 6. *Philipp.* 4. *Hebr.* 13.

20. 21. *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ*. Doctrinam fidei tibi traditam, & inſtar depoſiti tibi creditam & commendatam, fideliter & diligenter cuſtodi, ut eam incorruptam ad ſucceſſores tranſmittas; devitans profanas vocum novitates, ad errores contra fidem ſerendos adinventas, & objectiones quas doctrinæ fidei opponunt ejus adverſarii, ſpecioſas quidem, ſed falſo ſcientiæ nomine adornatas. *Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt*. Quam falſi nominis ſcientiam quidam profeſſi, a fide aberraverunt. *Gratia tecum. Amen*. Gratia Dei tecum permaneat. Fiat quod adprecor.

Ad Judaizantes Hæreticos, vel ad Simonis Magi Scholam, Gnoſticorum ſeminarium, hæc referunt Interpretes.

---

## CAPUT VI.

### *Senſus Moralis.*

Servorum officia.

1. 2. *Quicumque ſunt ſub jugo ſervi, dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur, ne nomen Domini & doctrina blaſphemetur*. Religioni & Spiritui Chriſti contumeliam faciunt ſervi ſuperbi & contumaces, qui dominis ſuis debita reverentiæ, obedientiæ & fidelitatis officia non exhibent. Chriſtum ore confitentur, factis negant. Fides & Spiritus Dei dependentiam & ſubjectionem legitimam ſanctificant, non abolent; Reipublicæ & familiarum ordinem non perturbant, ſed juvant. Non Platonis, ſed Chriſti legibus conſtituta & ordinata Reſpublica omnium præſtantiſſima, florentiſſima, pacatiſſima, & diuturniſſima eſſet. „Qui doctrinam Chriſti adverſam dicunt eſſe Reipublicæ, dent exercitum talem quales doctrina Chriſti eſſe milites juſſit, dent tales Provinciales, tales maritos, tales conjuges, tales parentes, tales filios, tales dominos, tales ſervos, tales reges, tales judices, tales denique debitorum ipſius fiſci redditores & exactores, quales eſſe præcipit doctrina Chriſtiana, & audeant eam dicere adverſam eſſe Reipublicæ, immo vero non dubitent eam confiteri, magnam, ſi obtemperetur, ſalutem eſſe Reipublicæ. Servis præcipit Chriſtiana Religio, ut non ſolum reverentiam & obedientiam dominis ſuis exhibeant, ſed interiori affectu illos colant, ut vices Dei erga ipſos agentes, quod ſpectat domeſticam auctoritatem. *Dominos ſuos omni honore dignos arbitrentur*. Præcipit illos dominorum ſuorum utilitati pro viribus ſtudere & ſervire, ſubditos eſſe *non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſte*. Præcipit ut ſuam in eos reverentiam libenter & ex animo teſtentur in omnibus eis obediendo, *Non tam conditionis neceſſitate, quam officii delectatione*. Jubet tamen ne conſenſu aut quovis facto impietatem eorum honorare videantur, & ut Deo jus ſuum ſervent in omnibus; ut ſuum illis negent miniſterium in rebus malis, ut ab iis diſcedant, & alios eligant (ſi mancipia non ſint) cum apud eos expoſiti ſunt proximis occaſionibus peccati, & cum caſto Joſeph dicant: *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Qui vero pios dominos habent, manſuetos, beneficos, eos tanto magis colant, quanto majore gratia a Deo ſunt donati, eos magis diligant ut Dei amicos, illis ſerviant libentius ac promptius ut benefactoribus ſuis, illis adjumento ſint ad bona opera, illorum pietatem, humilitatem, modeſtiam, orandi ſtudium, manſuetudinem, temperantiam, fervorem in frequentandis Sacramentis, facilitatem in condonan-

*S. Auguſt. Epiſt.* 138. *ad Marcellinum, alias* 5. *cap.* 2. *num.* 15.

1. *Petri* 3.

*S. Auguſt. lib. de Moribus Eccl. Cathol. cap.* 30.

*Geneſ.* 39.



nandis injuriis, patientiam, ceteraſque virtutes imitentur, Deo gratias agentes quod dominos virtutis magiſtros illis dederit. *Qui autem fideles habent dominos, non contemnant; quia fratre ſunt: ſed magis ſerviant, quia fideles ſunt, & dilecti, qui beneficii participes ſunt* .... Si Apoſtolus tam diligenter ſervis imperat ut dominis obediant, quo nos animo erga Dominum noſtrum eſſe convenit, qui nos creavit, conſervat, alit, veſtit? Et ſi ergo non aliter, ſaltem ut famuli nobis noſtri, ita illi ſerviamus. Nonne illi quæ domini ſunt tota die curant, ſua vero diei vix exigua parte? Nos vero noſtra quidem ſemper, quæ vero ſunt Domini neque minima curamus temporis parte; Idque cum ille noſtris obſequiis non indigeat, ſicut domini obſequiis indigent famulorum, ſed hæc omnia in noſtrum bonum cedant. Bonum enim noſtrorum non eget. Quis umquam dominus pro ſervo filium ſuum tradidit? Deus vero proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, pro nobis ſervis contumacibus & inimicis. Servi, ſi gravia quædam illis imperentur, non indignantur, ſi grato ſint erga dominos animo: nos vero mandata Dei, etſi gravia non ſint, ſed ſuavia, graviter ferimus. Servis quid promittunt domini, quid donant, niſi tenuem & temporalem mercedem? Deus nobis promittit & donat æterna præmia, regnum cœlorum, ſe ipſum. Deo unice, ſemper, fideliter, ferventer, perſeveranter ſerviamus, cujus ſervi ſumus, cujus beneficiorum participes ſumus, cui, ſi recte ſerviamus, non jam nos ut ſervos habet, ſed amicos.

*S. Chryſoſtom. Hom.* 15. *in hanc Epiſt.*

Scientia ſalutaris.

3. 4. 5. *Si quis aliter docet, & non acquieſcit ſanis ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ; ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones & pugnas verborum*. Quæcumque doctrina Chriſtum auctorem non habet, Apoſtolos præceptores, fundamentum pietatem, humana eſt & vana. Quiſquis ſermonibus Sapientiæ, quæ Chriſtus eſt, non acquieſcit, deſipit. Scientia ſalutaris Scripturarum ſacrarum meditatione diſcitur, ſanctorum Patrum lectione nutritur, oratione perficitur. Qui ſe multa ſcire putat, & Scripturam ſacram Traditionemque neſcit, ſaniſque ſermonibus Domini noſtri Jeſu Chriſti ab Apoſtolis & Evangeliſtis ſcripto, ſeu viva voce Eccleſiæ traditis contradicit, nihil ſcit: *Superbus eſt*: Foris tumeſcit, intus tabeſcit. *Inflatio enim & tumor imitatur magnitudinem, ſed non habet ſanitatem*. Nihil ſcit, qui humilitatem neſcit. Ex ignorantia faſtus oritur. Chriſtus ſemetipſum exinanivit: qui hoc ſcit, quomodo ſuperbus eſſe poteſt? Ignorantia & ſuperbia, hæreſum & ſchimatum parentes. Hæ curioſitatem pariunt, curioſitas quæſtiones infert ad everſionem fidei. Hinc *verbum pugnæ, invidiæ, contentiones, blaſphemiæ*. *Languent circa quæſtiones & pugnas verborum*. „Languere, quærere eſt. Quando anima vanarum cogitationum uritur febre, quando ambiguitatis jactatur fluctu, tunc quærit: cum vero ſana eſt, non quærit, ſed fideliter credit. Nam ex queſtionibus curioſis & pugnaci contentione verborum inveniri nihil poteſt. Quæ enim fides profitetur ſola, ſuccedens queſtio neque oſtendit, neque permittit intelligi. Neque enim ſi quis clauſis oculis quærat, invenire quid poterit; neque ſi illis apertis ſe ipſum humo obruat, averſatuſque Solem ibi inquirat: invenire aliquid poterit. „*Regula fidei a Chriſto inſtituta, nullas habet apud nos quæſtiones, niſi quas hæreſes inferunt, & quæ hæreticos faciunt .... Fides in regula poſita eſt: habes legem, & ſalutem de obſervatione legis: exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio. Cedat curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti .... Adverſus regulam nihil ſcire, omnia ſcire eſt. Ut non inimici eſſent veritatis hæretici, ut de refugiendis eis non præmoneremur, quale eſt conferre cum hominibus, qui & ipſi ſe quærere adhuc profiteantur? Si enim adhuc vere quærunt, nihil adhuc certi repererunt: & ideo quæcumque videntur interim tenere, dubitationem ſuam oſtendunt quamdiu quærunt. Itaque tu qui perinde quæris, ſpectans ad eos qui & ipſi quærunt, dubius a dubiis, incertus ab incertis, cæcus a cœcis, in foveam deducaris neceſſe eſt*. Quam pernicioſæ concertationes *hominum mente corruptorum*! Mens enim eorum pravis affectibus obnubilata & corrupta veritatem invenire & intueri non poteſt; inſuper & aliis corruptionem afflant, illoſque a veritate avertunt. *Et qui veritate privati ſunt*. „Qui per fallaciam veniunt, qualem fidem diſputant? Cui veritati patrocinantur, qui eam a mendacio inducunt? Scripturas quidem obtendunt, & hac ſua audacia ſtatim quoſdam movent: in ipſo vero congreſſu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt. “ Verum cum quaſdam Scripturas non recipiunt; & quas recipiunt, non recipiant integras; & ſi aliquatenus integras admittant, nihilominus privato ſpiritu commententur, & in ſenſum trahant alienum a ſenſu Eccleſiæ Catholicæ, cui competit poſſeſſio & intelligentia Scripturarum, & auctoritas verum eorum ſenſum declarandi Spiritu ſancto docente & revelante, eos a veritate excidiſſe manifeſtum eſt. *Tantum enim veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtylus*. Denique ſervientes cupiditati, etiam agnitam veritatem, ut Judas Chriſtum, prodere & vendere parati ſunt, ut divitias, honores, dignitates conſequantur, & concupitis voluptatibus fruantur. *Exiſtimantium quæſtum eſſe pietatem*. Et utinam hæretici tantum, non vero plurimi Eccleſiæ Miniſtri, quæſtum exiſtimarent eſſe pietatem, Miſſarum celebrationem, Sacramentorum adminiſtrationem, conſcientiarum directionem, verbi divini prædicationem, Officiorum divinorum frequentationem ad temporalia lucra ordinantes; non propter Deum principaliter, ſed propter commoda terrena, ob pecunias, ob gloriam & honores, propter beneficia conſequenda, ſacra Miniſteria obeuntes, alias non obituri, & *cauſam ſine qua vertentes in cauſam propter quam*. Hoc eſt Deo ſervire velle & Mammonæ, hoc eſt terram ingredi duabus viis; hoc eſt claudicare in duas partes; hoc eſt quærere quæ ſunt ſuper terram, non quæ ſurſum; hoc eſt, dexteram in lævam commutare, de qua ſcriptum eſt, *Læva ejus ſub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*. Dextera eſt beatitudo æterna, & omnia quæ viam ad ipſam parant; læva, bona temporalia: hoc eſt denique ad vetus, non ad novum Teſtamentum pertinere. Illud enim temporalia, iſtud æterna promiſit. *Chriſti flagella, opprobria, ſputa, clavos, lanceam, crucem, & mortem in fornace avaritiæ conflant & profligant in acquiſitionem turpis quæſtus, & pretium univerſitatis ſuis marſupiis includere feſtinant*.

*S. Auguſt. in Pſal.* 38.

*S. Chryſoſtom. Hom.* 17.

Superbia & ignorantia parentes hæreſum

*Tertullia. lib. de Præſcript. Hæret. cap.* 14.

*Tertull. ibid. cap.* 15.

*Tertull. ibid. cap.* 17.

*Petrus Cant. Eccleſiæ Paris. In Verbo Abbrev. cap.* 27. & 28.

*Cant.* 2. 6.

6. 7. 8. *Eſt autem quæſtus magnus pietas cum ſufficientia. Nihil enim intulimus in hunc mundum: haud dubium quod nec auferre quid poſſumus*. „Audite pauperes, quæſtus eſt acquiſitio lucri. Communem habetis cum divitibus mundum: non communem habetis cum divitibus domum; ſed habetis commune cœlum, communem lucem, quod ſufficit, quærite, plus nolite. *Cetera gravant, non ſublevant; onerant, non honorant. Quæſtus magnus pietas cum ſufficientia. In primis pietas. Pietas eſt Dei cultus. Pietas cum ſufficientia*. Quam dives, qui nihil deſiderat præter unum bonum quo impleri anima poteſt! *Animam enim Dei capacem, quicquid Deo minus eſt non implebit*. Felix qui nec maledictioni quam trahit amor divitiarum, nec tentationibus quibus patet extrema paupertas, obnoxius eſt. *Mendicitatem & divitias ne dederis mihi; tribue tantum victui meo neceſſaria: ne forte ſatiatus illiciar ad negandum, & dicam, Quis eſt Dominus? aut egeſtate compulſus furer, & perjurem nomen Dei mei*. Pereat avaritia, & dives eſt natura. Fames morbus eſt, alimenta remedia. Quod morbo ſanando ſufficit ſumatur; quod irritandæ, inflammandæ, fovendæ cupiditati ſervit, non expetatur, & ſi adſit, ab eo temperetur. Tegendæ nuditati, cujus pudor pœna peccati eſt, Deus veſtimenta providit: illis ad nova peccata, ad vanitatem, ad faſtum, ad luxum, ne abutamur. Varias indumentorum formas primum tegendo homini neceſſitas invenit, deinde ornando, immo & inflando, ambitio promulgavit. Neceſſitati ſuccurrendum, ambitioni nihil a Chriſtianis indulgendum eſt. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſimus*. Præceptum ex ipſa naturæ lege profectum, adeoque ad omnes pertinens, hac Apoſtoli ſententia continetur. Superflua quærere, contra naturam eſt; a Deo petere, contra religionem; cum habentur, non ea dividere cum pauperibus, contra humanitatem & caritatem eſt. Id enim natura docet, poſtulatque caritas, ut membrum abundans re ſibi neceſſaria, tranſmittat eam ad alia membra, quæ indigent. Ideo Deus alios divites facit, alios pauperes, ut illi tribuendo, iſti patiendo, & pro tribuentibus orando, Deum promereantur: & hac inter membra corporis Chriſti communicatione conſtituatur æqualitas.

*S. Bernard. Serm.* 10. *in Cantic.*

Pietas magnus quæſtus.

*S. Aug. Serm.* 85. *alias de Tempore* 205 *cap.* 5.

*Proverb.* 30. 5. & 9.

Avaritia fugienda.

*Tertullian. de Pallio.*

9. *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem*. Non poſſeſſio divitiarum, ſed cupiditas & amor damnantur. Pauper ſpiritu eſſe poteſt, qui divitiis affluit, ſi cor eis non apponat: dives affectu & cupiditate eſſe poteſt, qui cenſu pauper eſt. Ille divitias poſſidendo ſanctificari poteſt bono earum uſu; ille in egeſtate damnari poteſt divitias concupiſcendo. *Qui volunt divites fieri*. Quantas & quam pericúloſas tentationes conjunctas habet divitiarum cupiditas? Quid non mortalia pectora cogit auri ſacra fames? Hinc furta, rapinæ, uſuræ, fraudes

Divitiarum cupiditas damnanda, non poſſeſſio.

Quantum periclitetur divitium ſalus, malo divitiarum uſu?

fraudes mercatorum, concuſſiones publicanorum, in quorum alatis fortunis ſanguis pauperum invenitur; hinc viduarum & pupillorum oppreſſiones a potentioribus; hinc proſtitutiones & adulteria: Cujus enim Danae pudicitiam imber aureus Jovis non expugnabit? Tentationibus exponi, omnium mortalium infelicitas eſt: tentationibus ſuccumbere plurimis, & diaboli laqueis implicari, a quibus ſe vix expedire valent, & a quo captivi ducuntur ad ejus voluntatem, illorum eſt quibus cupiditas & avaritia dominatur. *Incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli.* Divitiarum cupiditas & amor hydropiſi ſimilis. Quo plus potantur, plus ſitiuntur aquæ. Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Pravum illud deſiderium, multa alia deſideria parit; inutilia, quia ad veram felicitatem non tendunt; ſtulta & noxia, animæ quidem in primis, tum etiam corpori, ob ſollicitudines, labores, dolores, quos parit avaritia. Prava illa deſideria ex bonorum temporalium cupiditate ſcaturientia, mergunt homines in interitum & perditionem. Quod Philoſophus ille ſubolefecit, qui opes ſuas in mare projecit, dicens. *Ego vos mergam, ne a vobis mergar.* Miſeri divites avari, hoc ipſo quod incidunt in deſideria multa. Perfectio enim hominis eſt cordis ejus collectio in unum: quia quanto aliquid eſt magis unum, tanto Deo ſimilius eſt, qui vere unus eſt. Cor autem avari trahitur in diverſa. *Diviſum eſt cor eorum, nunc interibunt.* Illorum deſideria inutilia ſunt, & noxia. Nam *Qui amat divitias, fructum non capiet ex eis: & hoc ergo vanitas. Dulcis eſt ſomnus operanti, ſive parum, ſive multum comedat: ſaturitas autem divitis non ſinit eum dormire. Eſt & alia infirmitas peſſima quam vidi ſub Sole; divitiæ conſervatæ in malum domini ſui..... Quid prodeſt ei quod laboravit in ventum? Cunctis diebus vitæ ſuæ comedit in tenebris, & in curis multis, & in ærumna, atque triſtitia.* Coram Deo autem in hora mortis vacui apparebunt, qui divites eſſe voluerunt, & divitiis adhæſerunt. *Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus ſuis.* Et in interitum ac perditionem demerſi, ex qua nulla erit ſpes evadendi; æternum clamabunt: *Quid nobis profuit ſuperbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Non timetis, divites, non timetis mergi in interitum & perditionem?

*S. Thomas, Lect. 2. Oſeæ 10. 2. Eccleſiaſt. 4. 9. 10. Sap. 5.*

10. *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes, erraverunt a fide, & inſerverunt ſe doloribus multis.* Quid mali pecuniæ non faciunt, immo non pecuniæ quidem, ſed mala voluntas ipſis uti neſcientium? „Quæ in uſum pauperum, in noſtrorum remedia peccatorum, ad promerendam gratiam Dei collatæ ſunt nobis, eis nos contra inopum miſeriam, immo vero contra noſtras animas in offenſionem divinæ utimur Majeſtatis. Nam qui pecunias tulit, alteriuſque inopiæ eſt auctor, ſibi ipſi mortem conſcivit. Et illum quidem impræſentiarum vexat inopia, ſe ipſum vero ſupplicio exponit æterno. Cujus ergo mali illæ cauſæ non ſunt? Nonne harum gratia concupiſcimus, rapimus, inimicitias ſubimus, conſerimus rixas, contentiones & lites perpetuas teximus? Nonne illæ ad mortuos uſque impias extendere manus? Nonne fratres in ſe mutuo armaverunt? *Subſtantia rei familiaris* (ait Tertullianus) *dirimit penes vos fraternitatem.* Tolle itaque pecuniarum ſtudium & mala omnia ſublata ſunt. *Radix omnium malorum eſt cupiditas: quam quidam appetentes erraverunt a fide.* Qui viſibilia & terrena bona tam avide concupiſcit, bonorum cœleſtium, inviſibilium, & æternorum fidem difficile conſervat. Non times radicem omnium malorum? Non times fidei tuæ, nimium indulgens cupiditati tuæ? De agro tuo exſtirpas radicem ſpinarum, & non exſtirpas de corde tuo radicem malarum cupiditatum? Purgas agrum tuum, unde fructum capiat venter tuus; & non purgas cor tuum, ubi habitet Deus tuus? *Radix omnium malorum cupiditas.* Neſcio quo modo id agit avaritia in cordibus hominum, ut pene omnes verbis conſtituant ream, & factis velint habere ſuſceptam. Dixerunt in illam multi & multa & magna & gravia & vera, & Poetæ, & Hiſtorici, & Oratores, & Philoſophi, & omne Litterarum & profeſſionum genus. Magnum eſt autem non illam habere, & multo plus eſt non eam habere, quam de vitiis ejus non tacere. Multa congerere ex ſeculari litteratura contra divitiarum cupiditatem non eſt opus. Sufficit quod Paulus, immo per Paulum Chriſtus loquitur: *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide, & inſerverunt ſe doloribus multis.* Fugiamus ergo ſeminarium vitiorum, divitias ne concupiſcamus, quas qui habent, ſine labore non quærunt, ſine difficultate non inveniunt, ſine cura non ſervant, ſine noxia delectatione non poſſident, ſine dolore non perdunt. *Et inſerverunt ſe doloribus multis.* Sive, (ut haberi in Græco Textu obſervavimus) *Confixerunt ſe ipſos doloribus multis.* Spinarum enim inſtar ſunt divitiarum ſollicitudines, ut Dominus dixit. Unde ſi tetigerit has quiſquam ſeu ipſis animo adhæſerit, vulneratur, & doloribus configitur.

*S. Chryſoſt. Hom. 17.*

Cupiditas opum malorum omnium radix.

*S. Aug. Serm. 85. alias 205. De Tempore. Idem Serm. 17. alias 10. inter editos ex majoris carthuſiæ Miſſ.*

*Theophylact.*

*Matt. 13.*

11. 12. *Tu autem, o homo Dei, hæc fuge, ſectare vero juſtitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, manſuetudinem.* „Non ait Apoſtolus, Relinque, & deſere, ſed, *Fuge*, quaſi hoſtem. Quærebas fugere, cum auro, fuge aurum: cor tuum fugiat, & ſervus eſt tuus: Cupiditas non ſit, pietas tamen non deſit; eſt quod facias de auro, ſi dominus es auri, non ſervus. Si dominus auri es, facis de illo quod bonum eſt: ſi ſervus, facit de te quod malum eſt. Si dominus auri es, veſtitus de te dominum laudat: Si ſervus auri es, ſpoliatus de te blaſphemat. *Servum autem te facit cupiditas, liberum caritas. Inde ſervus, ſi non fugeris.* Tu autem o homo Dei, hæc fuge. *In hac cauſa ſi non vis eſſe ſervus, eſto fugitivus.* Audiſti quid fugias, habes & quod ſecteris. *Sectare vero juſtitiam, pietatem, fidem, caritatem, patientiam, manſuetudinem*, quæ virtutes opponuntur cupiditati. Cupiditas aliena rapit: *juſtitia* nihil alienum concupiſcit aut retinet. Cupiditas Religione ad quæſtum abutitur: pietas Deum gratis colit, non rerum temporalium intuitu. Cupiditas fidem extinguit: fides divitiarum contemptum inſpirat æternorum revelatione & promiſſione bonorum. Cupiditas quæ ſua ſunt quærit: *caritas* liberaliter ad pauperes ſublevandos effundit. Cupiditas in rerum temporalium amiſſione impatiens deſperat: *patientia* bonorum terrenorum damna propter Deum tolerat. Cupiditas nulli parcit violentiæ ut divitias acquirat, augeat, conſervet: *manſuetudo* contra raptores, fraudatores, & damnorum temporalium auctores non exacerbatur. *Sectare* ergo *juſtitiam, pietatem, fidem, caritatem, &c.* „Hæc te divitem faciant. Hæ divitiæ intus ſint: fur ad eas non accedit, niſi mala voluntas ei dederit locum. Muni arcam interiorem, hoc eſt, conſcientiam. Has divitias non tibi latro, non quilibet potentiſſimus inimicus, non irruens hoſtis aut barbarus, non denique naufragium poterit auferre, unde ſi nudus exeas, plenus exis. Neque enim vere inanis erat, quamvis forinſecus nihil habere videretur, qui dicebat, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictum.* „Laudabilis iſta plenitudo, ingentes divitiæ, *inanis auro, plenus Deo, inanis omni tranſitoria facultate, plenus ſui Domini voluntate.* „Quid quæritis aurum tantis laboribus & peregrinationibus? Amate has divitias, & modo implemini: *Fons earum non latet, ſi cor patet. Aperit cor clavis fidei, & mundat ubi ponas. Noli tibi anguſtus videri. Divitiæ tuæ, Deus tuus; quando intravit, ipſe dilatavit.* Omnes Chriſtianos hæc ſpectant, ſed Eccleſiaſticos in primis viros & Paſtores, qui ratione Miniſterii ſui ſingulari quadam ratione ſunt homines Dei. Homo Dei totus in Dei negotiis eſt; non in negotiis cupiditatis. *Tu autem, o homo Dei, &c.* „Si veri Dei cultus afferatur, quilibet amator avaritiæ reprobatur, Verumtamen incutere nobis debet majorem curam regula pietatis. Turpe eſt enim & nimis pudendum ac dolendum, ſi cultores idolorum inventi ſunt avaritiæ domitores, & cultor Dei unius ab avaritia ſubjugetur, & fiat avaritiæ mancipium, cujus Sanguis ſit pretium. Pugnemus igitur invitante Apoſtolo, ſpectante Chriſto. *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam æternam, in qua vocatus es.* Felix certamen, in quo fides militat, vincitur mundus, cupiditates expugnantur, vita æterna ut præmium reportatur!

*S. Aug. Serm. 177. De Verbis Apoſtoli.*

Veræ divitiæ.

*S. Auguſtin. ibid.*

*Job. 1. 22.*

13. 14. 15. *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia, & Chriſto Jeſu qui teſtimonium reddidit ſub Pontio Pilato bonam confeſſionem, Ut ſerves mandatum ſine macula, irreprehenſibile, uſque in adventum Domini noſtri Jeſu Chriſti: Quem ſuis temporibus oſtendet beatus & ſolus potens, Rex Regum, & Dominus dominantium.* Præcipitur nobis ut veſtem innocentiæ quam in Baptiſmo accepimus, immaculatam uſque ad horam mortis ſervemus, aut certe Pœnitentiæ lacrymis mundatam Chriſto repræſentemus. Vitam gratiæ accepimus a Deo qui vivificat omnia, qui nos perire non vult; & mori malumus morte peccati, quam vivere vita Dei! Promiſimus coram Chriſto in Baptiſmo, nos Dei mandata ſervaturos, & promiſſa violamus! Fidem confeſſi ſumus exemplo Jeſu Chriſti qui veritatem confeſſus eſt, & ſanguine ſuo obſignavit ſub Pontio Pilato: & fidem operibus negamus! Quas non meremur pœnas in Judicio Chriſti? „In Dei familiam adoptati ſumus; hujus filii non

Promiſſiones in Baptiſmo factæ.

*S. Auguſtin. Serm. 177. de Verb. Apoſt.*



non noſtris meritis, ſed ipſius gratia ſumus. Nimis grave eſt & nimis horrendum, ut avaritia nos teneat in terris; cum illi dicamus, *Pater noſter, qui es in cœlis*, cujus deſiderio viléſcunt omnia; nec nata nobis ſunt inter quæ nati ſumus, quia propter illum renati ſumus. „Sint hæc ad neceſſitatis uſum, non ad caritatis affectum: ſint tamquam ſtabulum viatoris, non tamquam prædium poſſeſſoris. Refice, & tranſi. Iter agis, attende ad quem veniſti; quia magnus eſt qui ad te venit. Diſcedendo de hac vita locum facis venienti; ſtabuli eſt iſta conditio: cedes, ut alius accedat. Sed ſi vis ad locum tutiſſimum pervenire, Deus a te non recedat, *cui dicimus*; Deduxiſti me per ſemitas juſtitiæ propter nomen tuum; *non propter meritum meum*.

*S. Auguſtin. ibid.*

17. 18. 19. *Divitibus hujus ſeculi præcipe non ſublime ſapere; neque ſperare in incerto divitiarum, ſed in Deo vivo (qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum) bene agere, divites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Hoc Evangelium divitum, quod omnia eorum officia erga Deum, erga ſeipſos, & erga proximum complectitur. *Præcipe.* Hæc mera conſilia non ſunt, ſed divina præcepta, ſub pœna damnationis æternæ ab omnibus divitibus ſervanda. *Divitibus hujus ſeculi*, quia ſunt & divites Dei, veri divites, quibus præcepto non eſt opus, cum illud ſcriptum in cordibus habeant digito Dei vivi, & per ejus gratiam exſequantur ſine externo Monitore. *Non ſublime ſapere.* „Vermis divitiarum ſuperbia. Cum divitiæ congregantur & amantur, nidus ſuperbiæ conſtruitur ubi nutriatur & creſcat; & quod pejus eſt, non volet, ſed maneat. Præcipe ergo diviti ante omnia, non ſublime ſapere: ut intelligat, ſapiat, cogitet ſe eſſe mortalem, & pauperes mortales pares. Ambos enim terra nudos excepit, ambos exſpectat mors, ambos non timet febris. Habet eam pauper ſtrato terreno, ſed nec dives eam venientem lecto terret argenteo. „Non ſuperbe ſapiant. Superbia & durities erga pauperes, characteres ſunt divitum hujus ſeculi: humilitas & caritas, characteres divitum ſeculi futuri. Diſcant *Non ſperare in incerto divitiarum.* Qui ſpem ſuam ponit in bonis incertis & perituris, cum illis peribit: qui ſperat in Deo vivo & immortali, vita Dei vivit, ejuſque immortalitatis particeps erit.... „Amas aureum; fac, ſi potes, certum, ut non timeas amittere. Congregaſti facultatem; da tibi, ſi potes, ſecuritatem. *Non ſperare in incerto divitiarum.* Tolle inde ſpem ubi fixiſti. *Sed in Deo vivo.* Ibi fige ſpem, ibi anchoram cordis tui, ut tempeſtas hujus ſeculi non te inde abrumpat. *Qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum.* Si omnia, quanto magis ſe? Et vere ad fruendum ipſe erit nobis omnia.... Iſta temporalia dedit ad utendum, ſe ad fruendum. Si ergo ſe, quare dictum eſt, *omnia*, niſi quia ſcriptum eſt, *Ut ſit Deus omnia in omnibus?* Ergo ibi cor ad fruendum, ut ſit ſurſum cor. Solve te hinc, ſed alliga ibi: Periculoſum eſt tibi in his tentationibus ſine vinculo remanere... Si avari ſumus, Deum amemus. Si opes deſideramus, ſolus nos ſatiare poterit, de quo ſcriptum eſt, *Qui replet in bonis deſiderium tuum.* Divitibus *Præcipe bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare.* Indigentibus benefaciant in hoc ſeculo, ut ipſi divites fiant in futuro. Divitiæ ſint illis inſtrumenta virtutum & facultates bonorum operum. Eleemoſynas pauperibus erogent prompto & hilari animo, quod poſtulat caritas; cum humilitate, ſuperflua ſua ut portionem pauperibus debitam ſpectantes, & cum eis velut commune patrimonium dividentes. *Facile tribuere, communicare.* Si uſus rerum aliquarum cuipiam homini alterius hominis beneficio ac largitate tribuatur, iſque immemor illius a quo fructum rerum adeptus eſt, avertere ab eo ipſo proprietatem præſtitæ rei, atque alienare conetur, nonne ingratiſſimus omnium atque infideliſſimus judicatur, qui oblitus ſcilicet hominis benefici ac liberaliſſimi, ſpoliare illum jure dominii ſui velit, qui eum ipſum uſus poſſeſſione ditaverit? „Et nos itaque uſum tantum earum rerum accepimus, quas tenemus. Commodatis enim a Deo facultatibus utimur, quaſi precarii poſſeſſores ſumus. Cum ergo cum poſſeſſores tantum uſufructuarii ſimus, quod nobiſcum auferre non poſſumus, avertere a proprietate domini, atque alienare tentamus? Cur non bona fide datis a Deo reſculis utimur? Tenuimus quoad licuit: tenuimus quoad permiſit ille qui præſtitit. Quid rectius, quid honeſtius, quam ut ubi res ab eo diſcedit, qui uſum habuit, revertatur ad eum poſſeſſio, qui utendam conceſſit? Denique ipſæ hoc Dei voces per linguas Litterarum ſacrarum habent, dicentes quotidie ad unumquemque noſtrum. *Honora Dominum de tua ſubſtantia.* Et alibi, *Redde debitum tuum.* Quam pius eſt & indulgens Dominus Deus noſter, invitans nos ad erogandam terrenæ ſubſtantiæ facultatem! Cum totum ſuum ſit quod ab eo accepimus, noſtrum eſſe dicit, ut demus: ideo noſtram appellans proprietatem poſſeſſionis, ut major ſit merces operantis: quia plus fructum neceſſe eſt largitor habeat, ubi de ſuo videtur eſſe largitio. Et tamen ne hoc ipſo humana mens inſoleſceret, quod ſubſtantiam hanc Dominus noſtram eſſe dixiſſet, adjecit, Redde debitum tuum: ut quem devotio non illiceret ad largiendum, neceſſitas cogeret ad exſolvendum... Si devotus es, da quaſi tuum: ſi indevotus, redde quaſi non tuum." Deus homines facit ſubſtantia locupletes, ut bona operatione ſint divites, id eſt, ut commutent divitias quas acceperunt, & Dei opes quas habent in hoc ſeculo temporarias, bene utendo faciant ſempiternas. Mirabili quodam modo Deus noſter mercatores nos eſſe vult, mutationem nobiſcum facit: quod hic abundat damus, quod ibi abundat accipimus: quemadmodum aliqui trajectitias merces faciunt; aliud dant alibi, & quo veniunt aliud accipiant. Talis eſt iſta mutatio, qualis noſtra mercatio. Quid damus? & quid accipimus? Hoc damus, quod nobiſcum auferre non poſſumus, etſi vellemus. Quare ergo perit? Id quod minus eſt detur, ut quod eſt majus ibi inveniatur. Damus terram, & accipimus cœlum. Damus temporalia, & accipimus æterna; damus putreſcentia, & accipimus immortalia; damus quod dedit Deus, & accipimus ipſum Deum. „*Theſaurizent ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.*

Divitum officia.

*1. Cor. 15. 28.*

*Pſ. 102. 5.*

*Salvian. lib. 1. ad Eccl. Cath.*

*Proverb. 3. Eccleſ. 4.*

*S. Auguſtin. Serm. 177. de Verb. Apoſt.*

20. 21. *O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Eccleſiæ doctrina depoſitum eſt, cujus Epiſcopi non ſunt auctores, non proprietarii ac domini, ſed cuſtodes, interpretes, ac defenſores. Nullam in ea mutationem fieri ab adulteris veritatis patiantur, ſicut nec in Scriptura ſacra & Traditione, ex quibus fontibus derivata eſt. „O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates. Quid eſt depoſitum? Id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod a te inventum; quod accepiſti, non quod excogitaſti; rem non ingenii, ſed doctrinæ; non uſurpationis privatæ, ſed publicæ traditionis; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor debes eſſe, ſed cuſtos; non inſtitutor, ſed ſectator; non ducens, ſed ſequens. *Depoſitum cuſtodi.* Catholicæ fidei talentum inviolatum illibatumque conſerva. Quod tibi creditum eſt, hoc penes te maneat, hoc a te tradatur. Aurum accepiſti, aurum redde: nolo pro auro impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta ſupponas: nolo auri ſpeciem, ſed naturam plane. O Timothee, o Sacerdos, o Doctor, ſi te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, eſto ſpiritualis Beſeleel, pretioſas divini dogmatis gemmas exſculpe, fideliter coapta, adorna ſapienter; adjice ſplendorem, gratiam, venuſtatem. Intelligatur te exponente illuſtrius, quod antea obſcurius credebatur. Per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas non intellectum venerabatur: eadem tamen quæ didiciſti, doce; ut cum dicas nove, non dicas nova. Devita profanas vocum novitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ. Vere falſum nomen apud doctrinas hæreticorum, ut ignorantia ſcientiæ, & caligo ſerenitatis, & tenebræ luminis appellatione fucentur. Quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Quid promittentes exciderunt, niſi novam neſcio quam ignoratamque doctrinam? „Hæreſes ſimiles ſunt illi meretrici, quæ in Proverbiis Salomonis vocat ad ſe prætereuntes: *Qui eſt parvulus*, inquit, inſipiens, imbecillis in fide, qui ſenſu carnis ſuæ ducitur, *veniat ad me, Aquæ furtivæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuavior.* At ille *ignoravit quod ibi ſint gigantes, & in profundis inferni convivæ ejus.*

Eccleſiæ doctrina depoſitum eſt Epiſcopis commendatum.

*Vincentius Lirinenſis, Commonitorii, cap. 26.*

*Idem, cap. 26.*

*Proverb. 9. 16.*

# IN EPISTOLAM II. S. PAULI APOSTOLI AD TIMOTHEUM, COMMENTARIUS LITTERALIS ET MORALIS,

## PRÆFATIO.

*Euſebius lib. 2. hiſtor. Eccleſ. cap. 22. S. Chryſoſtom. Hom. 1. Theodoret.*

EPiſtola ſecunda ad Timotheum Romæ a S. Paulo ſcripta eſt in ſecundis vinculis, paulo ante Martyrium, per Tychicum miſſa Epheſum, ubi erat Oneſiphori familia, quem laudat ob ſubſidia & obſequia ſibi in vinculis præſtita. Gratias Deo agit ob fidem Timothei, quam intrepida prædicatione exeri jubet. Illum hortatur ut ſanæ doctrinæ depoſitum ipſi commendatum cuſtodiat, & fidelibus hominibus commendet, qui ad alios docendos idonei ſint. Ut contentiones, & profana, & vaniloquia devitet, ſtultaſque Legis quæſtiones. Docet quibus virtutibus Epiſcopus ſive Paſtor animarum inſtructus eſſe debeat. Prædicit homines futuros variis involutos peccatis, qui mulierculas ſeducentes, veritati reſiſtant. Timotheum hortatur ut ſuo exemplo virtutes ſectetur, & patientiam in perſecutionibus imminentibus; ut in Scripturæ ſacræ lectione ac meditatione aſſidue verſetur. Illum denique per Chriſti judicium obteſtatur, ut adverſus falſos Doctores, & eorum ſectatores, conſtanter prædicet, vigilet, laboret, Miniſterium ſuum fideliter implendo. Mortem ſibi imminentem, & depoſitum ſibi præmium ſignificat.

---

### CAPUT I.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. P*Aulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei ſecundum promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Jeſu: Timotheo chariſſimo filio, gratia, miſericordia, pax a Deo Patre, & Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Paulus Apoſtolus Jeſu Chriſti, non meis meritis, ſed miſericordiſſima Dei voluntate electus, ut promiſſam ab illo vitam æternam hominibus prædicarem: Timotheo chariſſimo filio gratiam, miſericordiam, & pacem a Deo Patre & Chriſto Jeſu Domino noſtro adprecor.

Timotheum filium vocat, quia in fide inſtituerat: & Epiſcop. creaverat.

3. 4. 5. *Gratias ago Deo, cui ſervio a progenitoribus in conſcientia pura, quod ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis nocte ac die.* Gratias ago Deo, quem colo a prima ætate uſque nunc, ſincero animi affectu, religione a majoribus accepta & velut hereditario jure transfuſa, quod quoties ad eum præces fundo, toties memor ſum tui, & pro te oro nocturnis diurniſque horis, ut tibi Deus gratiarum ſuarum incrementum ac perſeverantiam largiatur. *Deſiderans te videre, memor lacrymarum tuarum, ut gaudio implear.* Et in memoriam revocans lacrymas, quas olim effudiſti cum Mileto diſcederem Hieroſolymam petiturus, deſidero te videre, ut præſentia tua in vinculis recreatus, gaudio ſpirituali & ſolatio implear. *Recordationem accipiens ejus fidei, quæ eſt in te non ficta, quæ & habitavit primum in avia tua Loide, & matre tua Eunice, certus ſum autem quod & in te.* Majus autem ac vehementius tui deſiderium in me excitat recordatio fidei tuæ, cujus mihi nota ſinceritas eſt; qua fide in Chriſtum Jeſum inſignes fuere Lois avia tua, & mater tua Eunice: perſuaſum autem habeo, quod & in te integra firmaque permaneat.

Pura conſcientia non modo ad tempus præſens, ſed ad tempus converſionem ejus præcedens refertur, quia & quando perſequebatur Eccleſiam, ſe obſequium præſtare Deo arbitrabatur, & ſine querela converſatus eſt ante Deum, *in conſcientia bona*. *Act. 23. 1. Act. 20. 37.* Mater & avia S. Timothei Chriſtianæ, Pater Gentilis.

6. *Propter quam cauſam admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Hæc cum mihi de te perſuaſa ſint, hortor te ut ignem gratiæ Dei, quam accepiſti in Ordinatione per manuum mearum impoſitionem, in te exſuſcites, nec extingui negligentia tua ſinas.

Vox Græca, ἀναζωπυρεῖν, ſignificat propria *ignem ſopitum excitare*. Spiritus pro affectu ſumitur.

7. *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis.* Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timiditatis, quo frigide & ignave Epiſcopale & Paſtorale munus obeamus, ſed ſpiritum fortitudinis, ut in miniſterio verbi, in fidei confeſſione ac defenſione; mediis in perſecutionibus intrepidi ſimus, virtute ex alto induti ac roborati; & Spiritum dilectionis, quo eum ardenter amemus, & oves nobis commiſſas; & ſpiritum moderationis, quo perturbationum animi noſtri motus inſolentes coerceamus & caſtigemus.

Vox Græca σωφρονισμοῦ, moderationem animi, prudentis, compoſiti, & tranquilli ſignificat.

8. 9. *Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum ejus: ſed collabora Evangelio ſecundum virtutem Dei.* Te igitur tali ſpiritu a Deo donatum non pudeat Profeſſionis fidei, & Prædicationis Evangelii, Paſſionis, crucis, & mortis Chriſti. Cave ne metu infamiæ a ſuſcepto munere deterrearis. Neque etiam te pudeat vinculorum meorum, quaſi tibi ſit dedecori diſcipulum haberi hominis captivi & ad mortem quæſiti: ſed mecum patere pro Evangelio, non propria virtute fretus, ſed Dei, qui te ad hoc certamen vocavit, & in illo gratiæ ſuæ efficacia ejuvabit. *Qui nos liberavit, & vocavit vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſecularia.* Qui nos, cum periiſſemus, ſalvos fecit, fidem, pœnitentiam, & remiſſionem peccatorum nobis donans, & a peccato ac morte æterna liberavit, & ad hanc ſalutem & ſanctificationem efficaciter nos vocavit, non ſecundum merita noſtra, quæ nulla præceſſerunt, ſed ſecundum decretum voluntatis ſuæ, & gratuitam miſericordiam, quæ intuitu meritorum Chriſti Jeſu nobis quoad effectus præparata eſt ante mundi conſtitutionem.

Græce συγκακοπάθησον compatere. Prædicatorum porro. Paſſionem *Evangelii Paſſionem* vocat Apoſtolus, quia propter illud perſecutiones & ſupplicia ſuſtinebant.

10. 11. *Manifeſtata eſt autem nunc per illuminationem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam & incorruptionem per Evangelium.* Hoc autem propoſitum voluntatis ſuæ tam diu latens & paucis ſub lege notum, nunc patefactum eſt per apparitionem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti in carne mortali, in qua natus & paſſus pro nobis, vires & potentiam mortis fregit, vitamque & immortalitatem nobis revelabit per Evangelium: cujus vitæ & immortalitatis participes eſſe poſſumus, ſi in eum credamus, & ſecundum ipſius Evangelium vivamus. *In quo poſitus ſum ego Prædicator & Apoſtolus, & Magiſter Gentium.* Ad cujus Evangelii & Myſteriorum Chriſti promulgationem & annuntiationem, conſtitutus ſum a Deo Prædicator & Apoſtolus, & Doctor Gentium, ut earum converſione per prædicationem meam Dei promiſſa impleantur.

12. *Ob quam cauſam etiam hoc patior, ſed non confundor.* Cujus Miniſterii functiones tot & tantas perſecutiones, vincula, pericula in me traxerunt: ſed horum non me pudet. *Scio enim cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem.* Scio enim cui concredidi & commendavi depoſitum meum, vitam meam, quam pro ipſius gloria immolare paratus ſum; vel afflictionum & bonorum operum theſaurum: & certo perſuaſum habeo, quod potens ſit ad promiſſa ſua adimplenda, & ad ſervandum depoſitum illud meum; illudque mihi reddendum in die Judicii: vitam quidem magno cum fœnore in beata reſurrectione: mercedem vero paſſionum & bonorum operum, æternum gloriæ pondus, in cœleſti beatitudine.

*Pſal. 31. 6. Luc. 23. 46. Act. 7. 59. Theophylact. S. Thomas, Lect. 4.*

13. *Formam habe ſanorum verborum, quæ a me accepiſti in Fide & in dilectione in Chriſto Jeſu.* Habe, retine memoria, & reſpice exemplar ſanæ doctrinæ ad fidem & caritatem Chriſtianam pertinentis, quam doctrinam tibi tradidi, Pictorum more imaginem tibi ſanæ doctrinæ & virtutis impreſſi, & omnium quæ Deo grata ſunt, veluti normam, privatamque formam tuæ indidi animæ. Hæc igitur habeto firmiter, & ſive de fide, ſive de caritate, ſive de caſtitate opus ſit aliquid loqui, ac definire, inde tibi exemplaria accipe.

*S. Chryſoſtom. Hom. 3.*



14. *Bonum depoſitum cuſtodi per Spiritum ſanctum, qui habitat in nobis.* Præclarum & bonum ſanæ doctrinæ depoſitum tibi creditum & commendatum, ſerva integrum & incorruptum, & quale a me accepiſti, aliis fidelibus Miniſtris quaſi de manu in manum trade. Sacri autem hujus depoſiti cuſtodiam ne viribus tuis adſcribas, ſed virtuti Spiritus ſancti, quem Deus Eccleſiæ ſuæ promiſit, & dedit, qui noſtro Miniſterio utitur ad divinum illud depoſitum inter tot humanarum opinionum varietates ac ſatanæ fraudes cuſtodiendum in ſua integritate ac puritate.

15. *Scis hoc quod averſi ſunt a me omnes, qui in Aſia ſunt, ex quibus eſt Phigellus & Hermogenes.* Scis pleroſque omnes ex Judæis in Aſia commorantibus ad Chriſti fidem olim converſos; ſive, omnes ex Aſia Romæ degentes, me deſerviſſe pudore vinculorum meorum, & metu periculi: e quorum numero ſunt Phigellus & Hermogenes. Hos duos non ſolum ab Apoſtolo, ſed a fide defeciſſe, Tertullianus lib. *De Præſcriptionibus Hæretic.* cap. 3. & lib. contra alterum Hermogenem ſibi coævum cenſere videtur.

*S. Chryſoſtom. Theodoret. Theophylact.*

16. 17. 18. *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui: quia ſæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit.* Chriſtum precor ut miſericordiam ſuam effundat ſuper familiam Oneſiphori, qui mihi ſæpe & ſubſidio fuit & ſolatio, nec illum puduit vinculorum meorum. *Sed cum Romam veniſſet ex Aſia, & me pro Chriſti nomine captivum teneri intellexiſſet, ſollicite me quæſivit, & invenit,* in domo ſcilicet conducta, in qua mihi manere permiſſum eſt cum cuſtodiente milite donec ſtarem ad tribunal Cæſaris. *Det illi Dominus invenire miſericordiam a Domino in illa die. Et quanta Epheſi miniſtravit mihi, tu melius noſti.* Faciat Dominus ut apud ipſum inveniat miſericordiam in die Judicii; & conſummatæ miſericordiæ conſequatur effectum, nempe vitæ æternæ retributionem. Et tu quidem melius ceteris noſti, quanta mihi & adjutoribus meis in evangelico munere ſubſidia Epheſi impenderit. Oneſiphorum ante obiiſſe veriſimile eſt, cum illi ſalutem non dicat S. Paulus: & tamen illi divinam miſericordiam adprecatur. Dei ergo miſericordiam pro defunctis implorari poſſe, Apoſtolica traditio eſt, ipſius Pauli verbis & exemplo confirmata.

S. Oneſiphorum celebrant Menæa Græcorum diebus 29. Aprilis, & 8. Decembris, Ado 6. Septemb. *Act. ult.* Hebraiſmus eſt in his verbis, *Det illi Dominus invenire miſericordiam a Domino*, ſicut in his Geneſ. 19. 24. *Pluit Dominus ſuper Sedomam ignem & ſulphuri Domino*

---

### CAPUT I.

*Senſus Moralis.*

1. P*Aulus Apoſtolus Jeſu Chriſti per voluntatem Dei, ſecundum promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Ad Clerum, ad ſacrum Miniſterium, ad Paſtorale munus qui ſine vocatione veniunt, non intrant per oſtium, quod eſt Chriſtus; fures ſunt & latrones, damnationi ſunt obnoxii. Vocationis principium & regula eſt voluntas Dei, non voluntas carnis, non voluntas parentum, non Magnatum favor, non ambitio vel cupiditas hominum qui Clericalem vitam eligunt ut pinguibus Beneficiis, conſanguineorum ſuorum reſignatione, vel aliorum præſentatione, nominatione, ſeu collatione donentur. De quibus Dominus per Prophetam queritur, *Ipſi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi.* Ex ſe namque & non ex arbitrio ſummi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus nequaquam divinitus vocati, ſed ſua cupidine accenſi, culmen regiminis rapiunt potius quam aſſequuntur. Quos tamen internus Judex & provehit, & non cognoſcit: quia quos permittendo tolerat, profecto per judicium reprobationis ignorat. Quibus aliquando dicet, *Recedite a me operarii iniquitatis, neſcio qui eſtis*: Paſtorali regimine indigni ſunt, qui gregem ſibi commiſſum ad vitæ novitatem; & ad beatitudinem æternam, quam Deus promiſit diligentibus ſe; & ad Chriſtum, qui eſt via, veritas, & vita, quantum in ipſis eſt, verbo & exemplo non perducunt. *Secundum promiſſionem vitæ, quæ eſt in Chriſto Jeſu.*

Vocatio Dei ad Sacrum Miniſterium. *Oſee 7. S. Greg. M. 1. P. Paſtoralis. cap. 1.*

*Concil. Carthag. 4. Can. 15. Epiſcopus vilem ſupellectilem, & menſam ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat.*

2. *Timotheo chariſſimo filio, gratia, miſericordia, & pax a Deo Patre, & Chriſto Jeſu Domino noſtro.* Non opes, non magnificas ædes, non pretioſam ſupellectilem, non currus & equos, non ſatellitium numeroſum, non magnatum favorem & amicitiam amantiſſimo diſcipulo & filio ſuo Timotheo adprecatur Apoſtolus, probe ſciens hæc Epiſcopo neceſſaria non eſſe, nec ab eo expetenda; hæc plerumque impedimenta eſſe, non adjumenta ad Paſtorale munus recte obeundum; Miniſtros Chriſti conciliare ſibi auctoritatem debere ſplendore virtutis, non ſecularis vanitatis. Solam ipſis optandam Chriſti gratiam, ut in animarum ſalute procuranda & promovenda fideliter & indefeſſe laborent: Dei miſericordiam pro ſe ipſis, & pro commiſſo grege: Paſtores enim Dei miſericordia maxime indigent, cum in tam perículoſo officio ſæpe non peccare ſit difficile; & magna etiam miſericordia erga infirmos ſubditos uti debeant, exemplo Chriſti ſupremi Paſtoris: Pax denique Spiritus ſancti illis optanda eſt, ut nec ſpe bonorum temporalium, nec timore malorum, a Miniſterii ſui functionibus deterreantur.

3. 4. *Gratias ago Deo, cui ſervio a progenitoribus in conſcientia pura, quod ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis nocte ac die.* Magna Dei gratia eſt, ex parentibus veri Dei cultoribus natum eſſe, & in vera Religione educatum. Præjudicia enim a majoribus accepta, & cum lacte (ut ita dicam) hauſta, magnam vim habent ad retinendum filios in avita & paterna ſuperſtitione, & domeſticis erroribus ac vitiis. Magnæ proinde gratiæ Dei agendæ ſunt, quod in Chriſtiana Catholica Religione a parentibus inſtituti ſimus. Hæc vera nobilitas, progenitores habere, qui Deo fideliter ſervierint ac militaverint, ſi tamen ab illorum fide ac pietate non ſimus degeneres. *Non enim omnes qui ex Iſrael ſunt, ii ſunt Iſraelitæ; neque qui ſemen ſunt Abrahæ, omnes filii; nec qui filii carnis, hi* propterea *ſunt filii Dei.* Serviendum ergo Deo *in conſcientia pura*, id eſt, peccato mortali non inquinata. Ut autem conſcientiæ puritas conſervetur, *ſine intermiſſione* orandum eſt. *Nocte ac die* orat Apoſtolus tot & tantis gratiarum donis a Deo cumulatus, tot meritis dives, tot miraculis inſignis, nihil ſibi conſcius, certus quod nihil ipſum a caritate Dei ſeparabit; & nos orationem negligimus, vix de Deo cogitamus; mentem & cor in rebus terrenis, non in illo, qui omnium noſtrorum operum, omnium affectionum noſtrarum, & totius vitæ finis eſt, defigimus. Nobis qui filii lucis ſumus, nocte vigilandum, & orandum eſt. *Sæpe,* inquit Clemens Alexandrinus, *etiam noctu e lecto ſurgendum eſt, Deuſque laudandus: Beati enim qui in ipſum vigilarunt, ſe ipſos aſſimilantes angelis, quos vigilantes vocamus.* Præ ceteris vero in oratione aſſidui eſſe debent Epiſcopi & Paſtores animarum, Deum pro ſuis & populi peccatis ſine intermiſſione precari, pro illis maxime Deum orare, quos ad ſacrum Miniſterium promoverunt, velut illorum apud Deum fidejuſſores. Denique cum gratia orationis & pro nobis; & pro Eccleſia Dei, ſinguliſque ejus ordinibus, & pro amicis noſtris, ſit magnum Dei donum, de illa gratiæ Deo omnium bonorum auctori agendæ ſunt in ara cordis. *Gratias ago Deo, quod ſine intermiſſione habeam tui memoriam in orationibus meis.* Oratio plus gemitibus agitur, quam vocibus; plus lacrymis, quam verbis. Timothei lacrymas, non affectu naturæ, ſed caritatis expreſſas commendat Apoſtolus. *Deſiderans te videre, memor lacrymarum tuarum.* Sint nobis lacrymæ noſtræ panes die ac nocte; effundamus lacrymas compunctionis, & devotionis. „ Juſti viri „ anima quatuor modis in compunctione vehementer „ afficitur, cum aut malorum ſuorum reminiſcitur, „ conſiderans *ubi fuit*: aut judiciorum Dei ſententiam „ metuens, & ſecum quærens, cogitat *ubi erit*: aut „ cum mala vitæ præſentis ſolerter attendens, mœrens „ conſiderat *ubi eſt*: aut cum bona ſupernæ patriæ „ contemplatur: quæ quia necdum adipiſcitur, lugens „ conſpicit *ubi non eſt*: & cum Davide ait: *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi per ſingulos dies: Ubi eſt Deus tuus?* Exigit planctum a nobis pœnitentia præteritæ converſationis: exigit fletum deſiderium futuræ beatitudinis. „ Parum ei placet vitæ ſpiritualis novitas, qui necdum „ vetera plangit, necdum plangit admiſſa peccata, „ necdum plangit tempus amiſſum. Si non plangis, „ plane non ſentis animæ vulnera, conſcientiæ læ„ ſionem. Sed nec futura ſatis gaudia concupiſcis, ſi „ non quotidie poſtulas ea cum lacrymis. Minus tibi „ nota ſunt, ſi non renuit conſolari anima tua donec „ veniant, dicens cum Propheta Rege: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: Quando veniam & apparebo ante faciem Dei?* Lacrymæ iſtæ gaudium ineffabile pariunt de viſione beata, amore conſummato, æternaque fruitione Dei. *Deſiderans te videre, ut gaudio implear.*

Inſtitutio in vera Religione magna Dei gratia.

*Rom. 9. 6.*

Orationis aſſiduitas.

*Lib. 2. Stromat. c. 9.*

Lacrymæ compunctionis & devotionis.

*S. Greg. lib. 23. Moral. c. 13.*

*S. Bernard. Serm. 2. in capite Jejunij*

*Pſal. 41. 2.*

6. 7. *Admoneo te ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum.* Timet Apoſtolus pro Timotheo ne gratia Ordinationis & ſacri Miniſterii, quam recepit, in ipſo extinguatur; & ideo monet ut eam reſuſcitet, fervoremque ſuum in dies augeat; & non timent Paſtores & Miniſtri Eccleſiæ,

Paſtores & Sacerdotes gratiam vocationis & ordinationis ſuæ in ſe ipſis exſuſcitare

cleſiæ, ne Spiritus in ipſis extinguatur? Timeant ne ipſis a Chriſto dicatur: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*. Gratiam igitur vocationis & ordinationis ſuæ in ſe exſuſcitent aſſidua meditatione & oratione, ſacro ſeceſſu & ſpiritualibus Exercitiis, indefeſſo labore in ſalute animarum promovenda. Spiritum extinguere vel ſuſcitare, in nobis eſt. Extinguimus negligentia, ſuſcitamus vigilantia & animi alacritate in ſacris Miniſterii noſtri functionibus obeundis. Quemadmodum enim oleum lampadis flammam efficit vehementiorem: ita animi alacritas attrahit gratiam Spiritus uberiorem. Meminerint Paſtores & Eccleſiæ Miniſtri, timidos eſſe non debere qui Eccelſiam regunt, ſed fortes, ut virtute irrumpere valeant iniquitatem, ut ſe murum opponant pro domo Iſrael, ut mundi erroribus & pravis moribus ſe opponant, nec ejus terroribus frangantur, aut promiſſis corrumpantur, ac deterreantur a ſana doctrina propugnanda, a tuenda juſtitia, a diſciplina cuſtodienda: Caritate flagrantes eſſe debere, ut ſolam Dei gloriam, Eccleſiæ ſanctæ utilitatem, & ſalutem animarum in ſacro Miniſterio quærant: ſobrietatem denique & moderationem ſectari, tum in cupiditatibus ſuis coercendis, tum in juribus ſuis temporalibus proſequendis & exigendis, tum in ſumptibus domeſticis, tum in ſubditis corripiendis. *Non enim dedit nobis Deus ſpiritum timoris, ſed virtutis, & dilectionis, & ſobrietatis.*

*S. Chryſoſt. Hom. 4. in hanc Epiſt. Theodoret.*

8. 9. *Noli itaque erubeſcere teſtimonium Domini noſtri, neque me vinctum ejus: ſed collabora Evangelio ſecundum virtutem Dei*. Sanctus Paſtor, bonus Chriſti Miniſter numquam de veritate ſive fidem, ſive Moralis Chriſtianæ puritatem, ſive Diſciplinæ Eccleſiaſticæ ordinem ſpectante, numquam de juſtitia erubeſcit. Et hanc & illam invicto & intrepido animo tuebitur, quamvis a pluribus deſertam & impugnatam. Etſi ejus impugnatores potentia terribiles ſint, & ad nocendum parati, conſtanter & ſine pudore defendenda eſt & prædicanda. *Noli erubeſcere teſtimonium Domini noſtri*. Etſi inde offendantur plurimi, melius eſt ut ſcandalum Phariſæorum oriatur, quam ut veritas deſeratur. Veruntamen ne quis ſibi de veritatis defenſione blandiatur, qui privatarum opinionum figmenta, aut periculoſas novitates, vel proſcriptas ab Eccleſia doctrinas, ſeu damnatos libros & Auctores, ſtudio partium, & contumaci diſputandi pruritu propugnat, qui Sedis Apoſtolicæ & Epiſcoporum, qui Apoſtolorum locum tenent, Judicio reſiſtit. Quin immo, is erubeſcit *teſtimonium Domini noſtri*, qui ſanctæ Romani Pontificis & Epiſcoporum unanimitati non aſſentitur, non obedit, non acquieſcit. Ceterum qui ad veritatis & Chriſtianæ pietatis ac diſciplinæ aſſertionem, defenſionem, inſtaurationem, propagationem, confirmationem laborat & patitur, non ſolum Apoſtolis, ſed Chriſto Jeſu collaborat & compatitur, non propriis viribus, ſed gratia quam Spiritus Dei ſubminiſtrat. *Collabora Evangelio ſecundum virtutem Dei*. Infirmitati quidem noſtræ diffidendum, quia nihil ex nobis agere aut pati propter Deum poſſumus: ſed in virtute Dei confidendum eſt, quæ ſe exeruit in vocatione ſancta, qua nos miſericorditer prævenit, liberavit, ſanctificavit, filios ſuos effecit, & Chriſti membra, ex ejus meritis, non ex operibus noſtris; ſecundum æternum, arcanum, inſcrutabile, adorandum propoſitum voluntatis ſuæ. *Qui nos liberavit, & vocavit vocatione ſua ſancta; non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum, & gratiam, quæ data eſt nobis in Chriſto Jeſu ante tempora ſecularia*. Agnoſcamus gratiam Dei; virtutem ejus confiteamur; illi fideliter reſpondeamus; per eam diligamus Deum, qui prior nos dilexit, ei ſerviamus qui nos liberavit; qui nos ad Eccleſiam ſuam vocavit, & per Evangelium ſuum illuminavit, qui per paſſionem mortemque ſuam peccatum ac mortem vicit, qui nos gloriæ ac immortalitatis ſuæ participes & conſortes efficiet, ſi ſecundum legem vitæ & gratiæ Evangelicæ vixerimus. *Manifeſtata eſt autem nunc per illuminationem Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, qui deſtruxit quidem mortem, illuminavit autem vitam, & incorruptionem per Evangelium*. Et cur in tenebris, in morte, & corruptione peccati perſeverant, qui ſe in Salvatorem noſtrum Jeſum Chriſtum credere profitentur, niſi quia tenebras luci, mortem vitæ, peccatum gratiæ, corruptionem immortalitati, inſipientes & cæci anteponunt? *Venit lux in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quam lucem: erant enim eorum mala opera. Omnis enim qui male agit, odit lucem.*

Bonus Chriſti Miniſter numquam de veritate aut juſtitia erubeſcit.

*S. Auguſtin.*

*Joan. 3. 19. 20.*

11. 12. *In quo poſitus ſum ego Prædicator & Apoſtolus, & Magiſter Gentium. Ob quam cauſam etiam hæc patior, ſed non confundor. Scio enim cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illum diem*. Pro Chriſti nomine, pro veritate, pro juſtitia, pro Chriſtiana pietate, pro Eccleſia pati, quam præclarum, quam glorioſum eſt! Vitam a Deo accepimus ut depoſitum, non ut cenſum. Qui Dei cauſa illam amittit, depoſitum illi credit & commendat, in noviſſimo die ab illo glorioſam & immortalem recepturus. O admirabile fidei Chriſtianæ ingenium, qua certo cognoſcitur quod comprehendi non poteſt, qua poſſidetur quod nondum eſt, qua delectabile invenitur quod ſecundum mundi opinionem accerbiſſimum eſt! *Plane volumus pati, verum eo more, quo & bellum nemo libens quidem patitur, cum trepidare & periclitari ſit neceſſe: tamen & præliatur omnibus viribus, & vincens in prælio gaudet, quia & gloriam conſequitur & prædam. Prælium eſt nobis quod provocamur ad tribunalia, ut illic ſub diſcrimine capitis pro veritate certemus. Victoria eſt autem, pro quo certaveris, obtinere. Ea res habet gloriam placendi Deo, & prædam vivendi in æternum.*

Pro Chriſto pati, glorioſum.

*Tertull. Apologet. cap. ultimo.*

13. 14. *Formam habe ſanorum verborum, quæ a me audiſti in fide & in dilectione in Chriſto Jeſu*. Vita noſtra conformanda eſt doctrinæ quam Chriſtus Apoſtolis tradidit, quam Eccleſia ab Apoſtolis accepit, & per continuam Epiſcoporum ſucceſſionem ad nos uſque propagavit. Evangelium, & Apoſtolorum Epiſtolæ, regula noſtra ſunt. Omnis earum doctrina ad fidem & caritatem revocatur. Omnium Inſtitutionum Chriſtianarum fundamentum & principium fides, finis caritas eſt. Chriſti Jeſu diſcipulus non eſt qui nec fidem integram, nec vitam puram ex caritate formatam habet. Paſtorum & Prædicatorum Sermones de fide & caritate, hoc eſt, de doctrina & vita eſſe debent: & ſi quid docere, dicere, vel agere oportet quod virtutem ſpiret, totum illinc petendum eſt. Eccleſiæ doctrina depoſitum eſt Epiſcopis commendatum a Spiritu ſancto in eorum conſecratione. Divinum illum theſaurum ſine illius gratia conſervare non poſſunt. *Aderit* autem *Spiritus ſanctus, niſi gratiam repellamus*. Hic nobis murus eſt, hoc refugium adverſus latrones imminentes, adverſus diabolum undique inſidiantem. Ne igitur Spiritum ſanctum malis actibus effugemus. Quæ de fide, quæ de vita tradita ſunt præcepta a Chriſto & Apoſtolis, ſunt ſacro-ſanctum depoſitum. Id cuſtodiant Paſtores ſtudio Scripturæ ſacræ & Traditionis, oratione, vitæ puritate. Gratia depoſitum eſt Chriſtianis omnibus in Baptiſmo concreditum. Quomodo vero cuſtoditur? Non humanis viribus, ſed per Spiritum ſanctum in nobis inhabitantem. Quem ſi ſervaverimus, & non per prava opera pepulerimus, Ipſe omnia quæ a Deo habemus nobis ſervabit. Da igitur operam ut cuſtodias Spiritum, & ipſe ſervabit tibi depoſitum. *Niſi* enim *Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.*

Omnis Apoſtolorum doctrina ad fidem & caritatem revocatur.

*S. Chryſoſtom. Hom. 3. Theophylact.*

*Pſalm. 122. 1.*

16. 17. 18. *Det miſericordiam Dominus Oneſiphori domui: quia ſæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit. Sed cum Romam veniſſet, ſollicite me quæſivit, & invenit. Det illi Dominus invenire miſericordiam a Domino in illa die*. Pauperes & captivi non ſolum ſublevandi ſunt, ſed pia ſollicitudine quærendi, viſitandi, & ſpirituali ſolatio recreandi. In illis invenitur Chriſtus pauper & captivus. *Eſurivi*, inquit, *& dediſtis mihi manducare. In carcere eram, & veniſtis ad me..... Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*. Fidei veritas eſt. Tam verum eſt Chriſtum Jeſum in pauperibus & captivis Chriſtianis moraliter reſidere, ſibique præſtitum imputare omne quod illis exhibetur ſolatium & ſubſidium, quam certum eſt Chriſtum realiter in Euchariſtiæ Sacramento eſſe præſentem. Pauper & captivus, maxime ob Chriſti cauſam, quodammodo Sacramenta ſunt. Pannoſæ veſtes, ſqualor & fœtor carceris, vincula, egeſtas, captivitas, ſpecies ſunt infirmæ quibus Chriſtus obvelatur. Sub his illum invenit & intuetur oculata fides, & prompta caritas. Miſericordiam in die Judicii & generalis retributionis invenient, qui in hac mortali vita miſericordiæ opera fecerint. *Beati* enim *miſericordes, quoniam miſericordiam conſequentur*. „ Qui „ ſecundum præceptum Dei eleemoſynas facit, Deo „ credit, & *Qui habet fidei veritatem, ſervat Dei* „ *timorem; qui autem Dei timorem ſervat, in miſe-* „ *rationibus pauperum Deum cogitat. Operatur enim* „ *ideo quia credit, quia ſcit vera eſſe quæ prædicuntur verbo Dei, nec Scripturam ſanctam poſſe mentiri: arbores infructuoſas, id eſt, ſteriles homines excidi, & in ignem mitti, miſericordes autem ad regnum vocari*. Qui erga pauperes & captivos durus eſt & immiſericors, magis ipſe egenus & captivus eſt ſecundum animam. *Obſederunt animum tuum ſterilitatis tenebræ, & recedente inde lumine veritatis, carnale pectus alta & profunda avaritiæ caligo cæcavit: pecuniæ tuæ captivus & ſervus es: catenis cupiditatis & vinculis alligatus es; & quem jam ſolverat Chriſtus, denuo vinctus es: ſervas pecuniam, quæ te ſervata non ſervat; patrimonium cumulas, quod te pondere*

Chriſtus in pauperibus & captivis quæritur & invenitur.

*Matth. 25.*

*Matth. 5.*

*S. Cyprian. De Opere & Eleemoſynis.*



*dere ſuo gravius onerat ... Quid divitiis tuis ſolus incubas? Quid in pœnam tuam patrimonii pondus exaggeras, ut quo locupletior ſeculo fueris, pauperior Deo fias? Reditus tuos cum Domino Deo tuo divide, fructus tuos partire cum Chriſto; fac tibi poſſeſſionum terreſtrium Chriſtum participem, ut & ille te ſibi faciat regnorum cœleſtium coheredem*. Familiam numeroſam ne obtendas; filiis tuis melius providere non potes, quam Dei miſericordiam bonis operibus illis impetrando. Sic Oneſiphorus domui ſuæ, ſibique providit: „ Si vere filios tuos diligis, ſi eis exhibes plenam & „ paternam dulcedinem caritatis; operari magis de- „ bes ut filios tuos Deo juſta operatione commendes. „ Nec eum liberis tuis cogites patrem, qui & tem- „ porarius & infirmus eſt; ſed illum Patrem pares, „ qui æternus & firmus filiorum ſpiritualium pater „ eſt. Illi aſſigna facultates tuas, quas heredibus ſer- „ vas: ille ſit liberis tuis tutor, ille curator, ille „ contra omnes injurias ſeculares divina majeſtate „ protector. Patrimonium Deo creditum nec reſpu- „ blica eripit, nec fiſcus invadit, nec calumnia ali- „ qua forenſis evertit. In tuto hereditas ponitur, quæ „ Deo cuſtode ſervatur. Hoc eſt charis pignoribus „ in poſterum providere, hoc eſt futuris heredibus „ paterna pietate conſulere, ſecundum fidem Scri- „ pturæ ſanctæ dicentis: Junior fui, etenim ſenui; „ & non vidi juſtum derelictum, & ſemen ejus quæ- „ rens panem. „ Tota die miſeretur & commodat; & ſemen illius in benedictione erit. *Qui ſtudes terreno magis, quam cœleſti patrimonio, filios tuos diabolo magis commendare quam Chriſto, bis delinquis, & geminum ac duplex crimen admittis: & quod non præparas filiis tuis Dei patris auxilium, & quod docis filios patrimonium plus amare quam Chriſtum.*

*Pſalm. 36. 25. & 26.*

## CAPUT II.

### *Senſus Litteralis.*

1. 2. **T***U ergo, fili mi, confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Jeſu*. Abjecto omni pudore & timore, fortiter perſiſtas in ſuſcepto miniſterio fidei prædicandæ & propugnandæ, non tuis viribus, ſed gratiæ Dei, quæ datur per Chriſtum Jeſum innixus. *Et quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere*. Doctrinam, quam in præſentia multorum teſtium me tradente audiviſti, aliis commenda, ſacrum hoc depoſitum pari fide ſervaturis, qui & alios docere valeant; Epiſcopis nempe & Presbyteris in fide & religione eruditis, ut ad poſteros quaſi per traducem tranſmittatur.

Secundum Græci Textus fidem, vox, *Deo*, redundat. Sententia generalis eſt. *Nemo militans implicat ſe negotiis ſecularibus*. Similitudo a militia ſeculari ad Miniſterium Eccleſiaſticum ducitur, a minori ad majus. *Vide L. Milites, C. de re militari, & L. Nemo Miles, ibid.*

3. 4. *Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu*. Quicquid laborum, moleſtiarum ac periculorum ocurret Evangelii cauſa, id forti animo tolera ut bonus ac ſtrenuus miles Chriſti Jeſu, qui te caſtris ſuis præfecit. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus: ut ei placeat, cui ſe probavit*. Nemo a Deo in ſacram militiam adlectus, ad Eccleſiaſticum Miniſterium aſſumtus, implicat ſe negotiis ſeculi, quæ illum a Miniſterii ſui functionibus impedirent ac diſtraherent: ſicut qui militiæ nomen dederunt, omnes alias occupationes abjiciunt, mercaturam, agriculturam, Magiſtratus, &c. uni bello, armiſque intenti: ita Chriſti Miniſter totum ſe impendere debet Miniſterio ſuo, ut placeat duci a quo delectus eſt. Nota Africanæ Eccleſiæ diſciplina, cujus Sanctus Cyprianus rigidus exactor & diligens obſervator fuit, ſacrificium pro Victore Furnitato ad Altare Domini prohibens offerri, qui Fauſtinum Presbyterum tutorem filiorum ſuorum nominaverat. *Neque enim*, inquit, *apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab Altari Sacerdotes & Miniſtros voluit avocare*. (Epiſt. 68.) Vide Concilium Chalcedonenſe Canone 3. Pariſienſe ſextum lib. 1. cap. 28. Caput, *Sed nec procurationes*, & cap. *Secundum*, Ext. *Ne Clerici vel Monachi ſecularibus negotiis ſe immiſceant*, & Concil. Trident. Seſſ. 22. cap. 1. *De Reformatione*.

5. *Nan & qui certat in agone, non coronatur niſi legitime certaverit*. Qui certat, ſeu curſu, ſeu cœſtu, ſeu quovis alio certamine in ludis publicis, præmium & coronam non obtinet, niſi certaverit ſecundum leges athletis præſcriptas. Et tu ergo Epiſcopatum gere ſecundum leges a Deo latas, & a me dudum tibi propoſitas, ſi coronam immortalitatis vis adipiſci.

*Tὸ in Agone* edundare videtur ſecundum Græcum Textum, & Syriacam Verſionem.

6. 7. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere*. Agricolæ in cultura terræ aſſidue ac ſtrenue laboranti primi fructus agri ſui lege quadam naturæ cedunt: ſic Epiſcopus in cultura agri dominici diligenter laborans, in præmio percipiendo primus erit, & quaſdam fructuum laboris ſui primitias a Deo tempore meſſis & beatæ retributionis recipiet. *Intellige quæ dico: dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum*. Attende his quæ dico: nec dubito quin tibi Deus det intelligentiam omnium quæ te noſſe oportet, ut Miniſterio tuo recte fungaris: divinumque lumen ad hoc tibi neceſſarium adprecor.

8. 9. *Memor eſto Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis ex ſemine David, ſecundum Evangelium meum*. Hanc imprimis veritatem memoria revolve & fidelibus inculca? Dominum noſtrum Jeſu Chriſtum ex progenie David hominem factum, vere a mortuis reſurrexiſſe, ſecundum Evangelium quod prædico. *In quo laboro uſque ad vincula, quaſi male operans: ſed verbum Dei non eſt alligatum*. Cujus Evangelii cauſa multas afflictiones patior, vincula etiam & carceres, ut ſceleratus quiſpiam: ſed verbum Dei non eſt vinctum, nec Evangelium propagare deſino tum viva voce, tum Epiſtolis.

Hac Apoſtoli ſententia refelluntur hæretici qui veram corporum reſurrectionem negabant, & veritatem humanæ in Chriſto naturæ impugnabant, & Jeſum ex progenie David genitum inficiabantur, ac proinde verum eſſe Meſſiam.

10. *Ideo omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum gloria cœleſti*. Ideo nullos labores, nullas afflictiones refugio, ſed dura quæque ſuſtineo propter eos qui ab æterno ſunt a Deo prædeſtinati, præſertim qui noſtra prædicatione & laboribus ad Chriſtum ſunt adducendi, ut ipſi quoque per eadem incedendo veſtigia, ſalutem quæ per Jeſum Chriſtum parta eſt, & cum æterna gloria conjuncta, conſequantur.

11. 12. 13. *Fidelis ſermo: Nam ſi commortui ſumus, & convivemus*. Certiſſimum eſt quod dico: Si commortui ſumus Chriſto in hoc ſeculo, tum per Baptiſma, tum per afflictiones & paſſiones, adverſa quæque & triſtitia, vincula, tormenta, mortem ipſam, ſi opus ſit, pro ejus nomine perferentes, cum illo etiam vivemus in futuro ſeculo, non ſpiritu tantum ſed redivivo copore in beatitudine cœleſti. *Si ſuſtinebimus, & conregnabimus*. Si cum illo conſtanter & perſeveranter in hac vita patimur, cum illo in æternum regnabimus. *Si negaverimus, & ille negabit nos*. Si metu mortis aut terrore perſecutionis ipſum negaverimus, & ipſe negabit nos, pro ſuis non agnoſcet, abjiciet, damnabit. *Si non credimus, ille fidelis permanet, negare ſeipſum non poteſt*. Si infideles fuerimus, ipſe nihilominus verax & conſtans permanet non minus in comminationibus quam in promiſſis. Repugnare enim ſibi ipſi non poteſt, & ſententiam mutare. Et hæc laus eſt omnipotentiæ divinæ, quod falli aut fallere non poſſit.

Etſi omnia ſacri Miniſterii officia reprobis non minus quam electis impendantur, pro quibus etiam Chriſtus mortem ſuam ſufficienter obtulit Patri, hæc tamen propter electos, non propter reprobos fiunt.

14. *Hæc commone, teſtificans coram Domino*. De his frequenter admone fideles tibi commiſſos, & maxime Evangelii Miniſtros, cum obteſtatione coram Domino, qua & te officio functum, & illum vindicem admonitionis contemptæ futurum denunties. *Noli contendere verbis: ad nihil enim utile eſt niſi ad ſubverſionem audientium*. Contentioſas diſputationes & pugnas verborum devita, fugiendaſque mone, cum nullam utilitatem pariant, immo plurimum noceant auditoribus, in quorum animis perturbationem, hæſitationem, & ſubverſionem fidei vel caritatis ſæpe pariunt, illos trahendo in ſtudia partium; & diſſidia, jurgia, invidias, detractiones in ipſis excitando.

Secundum Textum Græcum, *Teſtificans coram Domino, non contendere verbis ad nullam utilitatem, ad ſubverſionem audientium.*

15. *Sollicite cura te ipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis*. Stude te ipſum exhibere Deo Miniſtrum ejus approbatione dignum, nihil facientem de quo erubeſcendum ſit; vel, quem nihil pudeat eorum quæ ad Evangelium, quæ ad crucem, quæ ad pietatem pertinent: recte diſpenſantem verbum veritatis Græce ὀρθοτομοῦντα, *dividentem* verbum veritatis. Metaphora eſt vel a patrefamilias ſumpta, qui filiis & domeſticis cibos dividit prout cuique convenit: vel ab agricola qui rectos ſulcos proſcindit. Ita Prædicator & Doctor laude dignus eſt, *Qui ſequitur regulam divinorum eloquiorum*, ait Theodoretus.

Græcum vocabulum quod Vulgatus Interpres vertit *inconfuſibilem*, ambiguum eſt. Quidam vertunt *non erubeſcentem*. Sic Græci Interpretes intelligunt, Sic S. Aug. legit lib. 1. *contra Creſconium cap. 2.* Alii vertunt, *Non erubeſcendum*, id eſt, cujus dominum ſuum non pudeat, ſed in eo ſibi placeat.

16. 17. 18. *Profana autem, & vaniloquia devita: multum enim proficient ad impietatem*: Ne toleres homines docentes profana de rebus divinis commenta per inanem & clamoſam loquacitatem, ſed ipſos abjice & fuge: magis enim ac magis impietate proficient, quam & auditoribus ſuis afflabunt. *Et ſermo eorum ut cancer ſerpit, ex quibus eſt Himenæus & Philetus*. Eorum doctrina ut cancer, ſive ut gangrena ſerpit, viruſque ſuum inter fideles longe lateque diffundet, donec univerſum gregem contagio pervaſerit, ſicut cancer quod in corpore ſanum eſt inficit, carneſque circumſtantes depaſcitur. Ex eo numero ſunt Himenæus & Philetus: *Qui a veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem eſſe jam factam, & ſubverterunt quorumdam fidem*. Qui a fidei Chriſtianæ veritate aberraverunt, dicentes reſurrectionem mortuorum jam factam eſſe in baptiſmo, & quotidie fieri in renovatione ſpirituali & regeneratione animarum a morte peccati ad vitam juſtitiæ; nec

*Tertull. De Reſurr. carnis, cap. 19. & S. Auguſt. Ep. 55. alias 119. ad Jan. cap. 3. Num. 16. 5. & 26.*

Fundamentorum lapidibus

ſolebant figuræ quædam vel ſententiæ inſcribi boni hominis cauſa. Hinc ſumpta metaphora eſt; vel a pactis, quæ ſigillo muniuntur, ut rata maneant nec cuiquam fas ſit illa violare.

nec reſurrectionem corporum in fine ſeculi futuram; & ſic quorumdam fidem concuſſo & diruto fundamento ſubverterunt.

19. *Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc; Cognovit Dominus qui ſunt ejus, & diſcedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini.* Sed firmum ac ſolidum perpetuo conſiſtit fundamentum Dei, ſcilicet electorum fides, hoc velut impreſſum ſignaculum habens, quo ejus firmitas & immobilitas declaratur: Novit Dominus infallibili præſcientia ſua, in decreto immobili voluntatis ſuæ, electos ſuos, quorum proinde fides numquam deficiet, quia in fide quam dedit, perſeveraturos prædeſtinavit. Æternæ autem illius prædeſtinationis effectus eſt, & velut alterum ex parte hominis ſignaculum, ut quicumque vere Chriſti eſt, & ſe Chriſtianum profitetur, diſcedat ab iniquitate. Qui enim perſeveranter fugit peccatum, ſive peccati pœnitens in gratia moritur, e felici numero electorum eſt.

*S. Cyprianus paſſim, & S. Auguſt. libris de Baptiſmo contra Donatiſtas.*

20. *In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea & fictilia: & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam.* In magna domo, qualis eſt Eccleſia, non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea, & fictilia, & ex utroque genere alia ad uſus honeſtos, alia ad uſus ſordidos adhibentur. Sic in Eccleſia quidam ſunt homines inſtar vaſorum aureorum & argenteorum, ingenio, eloquentia doctrina, variis etiam chariſmatibus ſive Spiritus ſancti donis inſtructi, ſunt Epiſcopi, Preſbyteri, Diaconi, &c. vaſa certe pretioſa, ſi dignitas & ordo ſpectetur: ſunt & homines inferioris ordinis & gradus, hujuſmodi donis minime conſpicui, ut Chriſtianorum vulgus, vaſa certe lignea & fictilia ob imperfectionem & fragilitatem. Ex quolibet autem ordine alii ſunt vaſa in honorem, id eſt, electi ad gloriam, alii vaſa in contumeliam, id eſt, repobati ad pœnam & opprobrium ſempiternum.

*S. Thom. Lect. 3.*

21. *Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* Si quis ergo purum ſe præſtiterit ab hæreticorum erroribus, aliiſque vitiis, aſſumetur ad uſum honorificum, ſcilicet ad gloriam cœleſtem, tamquam vas ſanctificatum per Chriſti gratiam, Deo conſecratum, & uſibus Domini accommodum, ac præparatum ad omne opus bonum per æternam prædeſtinationem, ſecundum illud ejuſdem Apoſtoli, *Creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.*

*Epheſ. 2.*

22. 23. *Juvenilia autem deſideria fuge: ſectare vero juſtitiam, fidem, caritatem, & pacem cum iis qui invocant Dominum de corde puro.* Juveniles cupiditates comprime, ſuperbiam, inanem gloriam, curioſitatem, delicias, temeritatem, contentionem. Sectare vero juſtitiam, fidem, caritatem, & pacem cum ſinceris Dei cultoribus. *Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones devita, ſciens quia generant lites.* Ineptas, frivolas, & ad fidei morumque ædificationem nihil conferentes quæſtiones rejice ac fuge, ſciens quod contentiones pariunt & jurgia.

24. 25. 26. *Servum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati, nequando Deus det illis pœnitentiam ad cognoſcendum veritatem, Et reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* Chriſti autem Miniſtrum verbis pugnare & contendere non decet, ſed lenem, placidum, humanum erga omnes eſſe, idoneum ac promptum ad docendum, non imperioſum, ſed qui docere malit, quam cogere; patienter ferre contradictiones hominum, non eos verbis acerbis exaſperare, non deſperare de eorum converſione: modeſte corripere eos qui reſiſtunt veritati, ut paterno affectu ad amorem doctrinæ ſalutaris attrahantur. Ut vero erga eos ita ſe gerat, movere debet ſpes converſionis illorum, tametſi nondum proxime affulgens. Forte enim correptione forinſecus inſonante, Deus in illis intrinſecus operabitur & velle, ut cognitam veritatem amplectantur, & pœnitentiam agant, & ſic liberentur & expediantur a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur Deo permittente, & juſto judicio ordinante. Vel, a quo captivi tenentur, ut ejus voluntati obſequantur, eoque inſtigante in nova peccata labantur, ſeque magis ac magis implicent funeſtis, quibus irretiti ſunt, laqueis.

Græce, διδακτικὸν, unde τὸ *docibilem*, paſſive non eſt accipiendum.
τὸ *veritati*, ex Græco Textu non habetur, nec in antiqua Verſione Itala, ut conſtat ex SS. Ambroſio lib. 21. *De Abram*, c. 6. & Auguſtino lib. *De Corrept. & Grat.* cap. 5. *Gelaſius I. Papa in Epiſtola ad Epiſcopos Piceni. Theophylact.*

C A P U T II.

*Senſus Moralis.*

1. *Tu ergo, fili mi, confortare in gratia quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Ut in cognitione & amore Dei creſcamus & roboremur, quantum in nobis eſt, ſatagere & eniti debemus. Fortitudo autem noſtra non eſt in nobis quaſi ex nobis, ſed a Chriſto Jeſu. Illius auxilium perpetuo invocare, illi nos conjungere ut membra capiti toto affectu debemus, ut fortitudinis illius participes ſimus. *Deus Dominus fortitudo mea... Fortitudinem meam ad te cuſtodiam, quia Deus ſuſceptor meus es.* ,, Quia ergo fortitudine opus eſt, im- ,, ploranda ab illo eſt qui juſſit ut fortes ſimus, & ,, niſi fortes ipſe fecerit, non erimus quod juſſit; ab ,, illo qui dixit, *Qui perſeveraverit uſque in finem,* ,, *hic ſalvus erit.* Ne ſibi ipſa anima arrogando for- ,, titudinem debilitetur, ait Propheta, *Tu es Deus* ,, *fortitudo mea.* Omnis fortitudo Chriſtiani in humilitate poſita eſt, qua viribus ſuis diffidit, ſuamque infirmitatem agnoſcit & confitetur, in ſola Chriſti gratia confidens. *Nemo cadit, niſi qui ſua ſibi vult eſſe fortitudo.* Unde Pſalmiſta ait, *Impulſus everſus ſum ut caderem, & Dominus ſuſcepit me: Fortitudo mea & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem.* ,, Nec de ipſa perſeverantia boni voluit Deus ,, ſanctos ſuos in viribus ſuis, ſed in ipſo gloriari: ,, qui eis non ſolum dat adjutorium quale primo ho- ,, mini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi ve- ,, lint; ſed in eis etiam operatur & velle: ut quo- ,, niam non perſeverabunt niſi & poſſint & velint, ,, perſeverandi eis & poſſibilitas & voluntas divinæ ,, gratiæ largitate donetur. Tantum quippe Spiritu ,, ſancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint ,, quia ſic volunt; ideo ſic velint, quia Deus operatur ,, ut velint. Nam ſi in tanta infirmitate vitæ hujus ,, ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ,, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vel- ,, lent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter ,, tot & tantas tentationes infirmitate ſua voluntas ,, ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent, ,, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ,, ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent. ,, *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter & inſuperabiliter agere-* ,, *tur; & ideo quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliqua vinceretur. Ita factum eſt ut voluntas hominis invalida & imbecilla in bono adhuc parvo perſeveraret, habens virtutem liberi arbitrii; quamvis non defuturo adjutorio Dei ſine quo non poſſet perſeverare ſi vellet, non tamen tali quo in illo Deus operaretur ut vellet. Fortiſſimo quippe dimiſit atque permiſit facere quod vellet: infirmis ſervavit, ut ipſo donante inviĉtiſſime quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſime nollent.* Merito ergo cuilibet etiam ſanctiſſimo dicitur; *Confortare in gratia, quæ eſt in Chriſto Jeſu.*

Omnis fortitudo Chriſtiani in humilitate poſita eſt, qua ſibi ipſi diffidit.
*S. Auguſt. in Pſalm. 42. n. 3.*
*Matth. 10. 22.*
*S. Auguſt. in Pſalm. 117.*
*S. Aug. lib. de Corrept. & Grat. cap. 12.*
Soli virtuti gratiæ Dei confidendum.

2. *Et quæ audiſti a me per multos teſtes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt, & alios docere.* Sacrum Traditionis depoſitum Eccleſiarum Apoſtolicarum, Patrum, & Doctorum, qui illud ab Apoſtolis acceptum ad nos tranſmiſerunt, teſtimonio confirmandum eſt in totius Eccleſiæ luce, ut Catholicæ fidei adverſarii convincantur. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos, & dicent tibi.* ,, Quis integræ mentis dixerit Apoſtolos aliquid ,, ignoraſſe, quos Magiſtros Dominus dedit, indivi- ,, duos habens in comitatu, in diſcipulatu, in con- ,, victu, quibus obſcura quæque ſeorſum diſſerebat, ,, illis dicens datum eſſe cognoſcere arcana, quæ ,, populo intelligere non liceret. Quis dixerit Apo- ,, ſtolos aliquid tacuiſſe & diſſimulaſſe eorum quæ a ,, Chriſto didicerant? Ipſe præceperat, ſi quid in te- ,, nebris & abſcondito audiſſent, in luce & in tectis ,, prædicarent. Ipſe per ſimilitudinem præfigurave- ,, rat, ne unam, id eſt, unum verbum ejus, ſine ,, fructu in abdito reſervarent. Ipſe docebat lucer- ,, nam non ſub modium abſcondi debere, ſed in can- ,, delabrum conſtitui, ut luceat omnibus qui in domo ,, ſunt. Hæc Apoſtoli aut neglexerunt, aut mi- ,, nime intellexerunt, ſi non adimpleverunt abſcon- ,, dentes aliquid de lumine, id eſt de Dei verbo & ,, Chriſti Sacramento. Neminem verebantur, non ,, Judæorum vim, non Ethnicorum: quo magis uti- ,, que in Eccleſia libere prædicabant, qui in Syna- ,, gogis & in locis publicis non tacebant: immo ne- ,, que Judæos convertere, neque Ethnicos inducere ,, potuiſſent, niſi quod credi ab eis volebant ordine exponerent. Multo magis jam credentibus Eccleſiis nihil ſubtraxiſſent, quod aliis paucis ſeorſum demandarent: *Et quæ audiſti a me per multos teſtes.* 2. Sacrum illud depoſitum in cordis & memoriæ arca

Sacrum Traditionis Apoſtolicæ depoſitum.
*Deuteron. 32.*
*Tertull. lib. de Præſcript.*

con-



conſervandum eſt, & ex eo theſauro nova & vetera proferre debent Paſtores & Rectores ad Eccleſiæ ædificationem. 3. Operarios Evangelicos formare debent ſcientia Scripturarum & Traditionis in Scholis, in Seminariis, in Collationibus Eccleſiaſticis. Doctrina & fidelitas duæ ſunt dotes neceſſariæ Miniſtris, quibus depoſitum fidei & ſanæ Morum diſciplinæ commendatur ad alios tranſmittendum. *Commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Hominibus, inquit, *fidelibus* commenda, *non quæſtiones, ratiocinationeſque* in Scripturis & Traditione minime fundatas, ſed Philoſophicis argutiis innixas *ſequentibus, & qui prædicationis non prodant gratiam. Quæ audiſti, non quæ diſcuſſiſti. Nam fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti.* Commenda ut theſaurum regium, *qui tuto loco deponitur. Commenda ei cui fidelis ſit, & poſſit docere alios.* Duo itaque Doctori ineſſe debent. 1. *Ut fidelis ſit,* 2. *Ut alios docere poſſit.*

*S. Chryſoſt. Hom. 13. in hanc Epiſt.*

3. 4. *Labora ſicut bonus miles Chriſti Jeſu.* Militia eſt vita hominis Chriſtiani ſuper terram, præſertim vero Miniſtri Chriſti Jeſu. Ad labores, ad quævis adverſa toleranda, ad certamen, ad mortem ſemper paratus eſſe debet, ad Chriſtum ducem ubique ſequendum promptus. *Nemo miles ad bellum cum deliciis venit; nec cubiculo ad aciem procedit; ſed de papilionibus expeditis & ſubſtrictis, ubi omnis duritia & imbonitas & inſuavitas conſiſtit. Etiam in pace, labore, & incommodis bellum pati ediſcunt: in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo, teſtudinem denſando. Sudore omnia conſtant, ne corpora atque animi expaveſcant: de umbra ad ſolem, de ſole ad cœlum, de tunica ad loricam, de ſilentio ad clamorem, de quiete ad tumultum. Proinde vos, benedicti, quodcumque hoc durum eſt, ad exercitationem virtutum animi & corporis deputate.* ,, Quanta dignitas eſt eſſe militem Chriſti! Conſidera ,, terrenos Reges, ut magnum quiddam putent qui ,, ſub eis militant. Si ergo laborare regii militis eſt; ,, non laborare, militis non eſt. Non itaque graviter ,, aut moleſte ferre militem labores decet, ſed grate ,, ac lubenter, ac tum magis dolere cum non labo- ,, rat. De negotiis gerendis ſeſe mancipatunt Eccle- ,, ſiæ Miniſtri, Chriſti Jeſu milites. Civilis igitur vitæ negotiis & ſollicitudinibus, omnique adminiſtrationi ſeculari, quantum licet, renuntiare debent, nec ſe iis implicare curis, quibus ſola avaritia, vel ambitio Clericos ut plurimum immergunt. Hæc Evangelii Miniſtro, qui pro regno celeſti & æterno militat, indigna ſunt. Miles nihil curare debet niſi militiam, & ut ei placeat a quo delectus eſt. Chriſti Miniſter nulli negotio implicare ſe debet quo Miniſterium ejus impediatur. *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus, ut ei placeat cui ſe probavit.* ,, Etenim ſi is qui Imperatori militat, a ſuſceptioni- ,, bus litium, actu negotiorum forenſium, venditio- ,, ne mercium prohibetur humanis legibus, quanto ,, magis qui fidei exercet militiam, ab omni uſu ne- ,, gotiationis abſtinere debet, agelluli ſui contentus ,, fructibus, ſi habet: ſi non habet, ſtipendiorum ,, ſuorum fructu. Si hi qui ad militiam hortantur ,, aliquos hæc præcepta dant ut ſuo duci obſequi & ,, placere in omnibus ſtudeant: quanto magis nos ,, qui ad officium Eccleſiæ vocamur, talia debemus ,, agere quæ placeant Deo, ut prætendat in nobis ,, virtus Chriſti, & ita ſimus noſtro probati Impera- ,, tori, ut membra noſtra arma juſtitiæ ſint, arma ,, non carnalia, in quibus peccatum regnet, ſed ar- ,, ma fortia Deo, quibus peccatum deſtruatur: mo- ,, riatur caro noſtra, ut in ea omnis culpa moria- ,, tur, & quaſi ex mortuis viventes, novis reſurga- ,, mus operibus ac moribus. ,, Paulum Epiſcopum ſecularibus curis ac negotiis ſeſe implicantem ſalubri ſeveritate caritatis Sanctus Auguſtinus objurgat, & familiare cum illo commercium ſe merito ſuſpendiſſe ſcribit, quod ſecularibus ſollicitudinibus offenſionem Eccleſiæ crearet. ,, Nec ita gaudeo, *inquit*, multos ,, in Eccleſiam Catholicam adjuvante Domino per te ,, eſſe collectos, ut non debeam plangere plures inde ,, diſpergi. Sic enim vulneraſti Eccleſiam Hipponen- ,, ſem, ut niſi te Dominus omnibus curis & ſarcinis ,, ſecularibus expeditum, ad veram Epiſcopalem vi- ,, tam victumque revocaverit, tale vulnus ſanari ,, non poſſit. Cum autem tu magis magiſque impli- ,, care te non ceſſes, ut etiam rebus quibus renun- ,, tiaſti, te poſt renuntiationem inſerviris, quod nec ,, apud ipſas humanas leges ullo modo defendi poteſt: ,, & in ea profeſſione vivere dicaris, cui frugalitas ,, Eccleſiæ tuæ ſufficere non poſſit: ut quid quæris ,, communionem meam, cum audire numquam vo- ,, lueris admonitionem meam?

Militia Eccleſiaſtica.
*Tertull. l. ad Martyres, c. 3.*
*S. Chryſoſt. Hom. 4.*
Eccleſiæ Miniſtri ſæcularibus negotiis implicare ſe non debent.
*S. Ambr. lib. 1. de Officiis Miniſt. cap. 36. & 37.*
*S. Aug. Epiſt. 85. alias 216.*

5. 6. *Nam & qui certat in agone, non coronatur niſi legitime certaverit.* In certamen deſcendere non ſufficit, ſed ſecundum Dei ordinem, ſecundum regulas Spiritus ſancti pugnandum eſt adverſus mundum & ejus leges moreſque corruptos. Sobrietas, continentia, patientia, conſtantia, perſeverantia in ſtadio & certamine ſervandæ ſunt, ut corona obtineatur. *Epiſtates veſter Chriſtus Jeſus, qui vos Spiritu unxit, & ad hoc ſcamma produxit, voluit vos ante diem agonis ad duriorem tractationem a liberiore conditione ſeponere, ut vires corroborarentur in vobis. Nempe enim & athletæ ſegregantur ad ſtrictiorem diſciplinam, ut ædificando robori vacent: continentur a luxuria, a cibis lætioribus, a potu jucundiore: coguntur, cruciantur, fatigantur; quanto plus in exercitationibus laboraverint, tanto plus de victoria ſperant.* In ſtadio Chriſtiano pati, pugnare eſt; mori, triumphare, & coronam incorruptam conſequi. *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* Militis & athletæ ſimilitudines Rectoribus & ſubditis, Magiſtris & diſcipulis communes ſunt. Agricolæ vero ſimilitudo Paſtores & Doctores præcipue ſpectat. Hi colendis animabus continuo adlaborare debent, donec tempore meſſis cum exultatione manipulos ſuos Domino offerant. Tempus hujus vitæ, tempus eſt certaminis, laborum, afflictionum: Quies, corona, merces & fructus laboris in futuro ſeculo ſervantur. Ne quis vero ob mercedis dilationem inquieto, triſti & impatienti ſit animo. Jam nunc præmium non mediocre percipitur. *In ipſo labore retributio eſt, ſi nihil aliud, ſaltem animarum utilitas magno lucro Paſtoribus cedit.* Sed non ſufficit laborare utcumque, pati etiam oportet pro ſalute animarum, ut Apoſtoli & Paſtores ab illis inſtituti: *Agricolam laborantem*, hoc eſt, *Qui affligitur, non qui ſimpliciter operatur.* Nunc ſeminandum cum lacrymis, ut cum exultatione metant.

Chriſtiana militia.
*Epiſtates*, id eſt, athletarum magiſter. *Scamma*, locus foſſis undique circumvallatus, in quo athletæ pugnabant.
*Tertull. lib. ad Martyres.*
*S. Chryſ. Hom. 3. Theophyl.*

8. 9. 10. *Memor eſto Dominum Jeſum Chriſtum reſurrexiſſe a mortuis ex ſemine David, ſecundum Evangelium meum, in quo laboro uſque ad vincula, quaſi male operans; ſed verbum Dei non eſt alligatum.* Memoria reſurrectionis Chriſti Jeſu capitis noſtri, quæ membrorum ejus reſurrectionem operabitur in die noviſſimo, & quæ doctrinæ ejus ac promiſſionum ſigillum eſt, fons eſt ſpiritualium conſolationum, quibus Paſtor fidelis in laboribus & afflictionibus recreatur: ſimulque incitamentum eſt efficaciſſimum ad laborandum & patiendum ad mortem uſque, Chriſti Domini exemplo. *Chriſtus reſurrexit in exemplum ſpei noſtræ.* Vincula, carceres, omne tormentorum genus propter Evangelii veritatem & propter juſtitiam pati, ut ſceleratum damnari, Apoſtoli benedictio eſt, conformitas cum Chriſto Jeſu, qui vinctus, paſſus, crucifixus & cum iniquis reputatus eſt pro veritate & juſtitia, pro gloria Patris, & ſalute noſtra. *In quo laboro uſque ad vincula, quaſi male operans, ſed verbum Dei non eſt alligatum.* Zelus veri Paſtoris numquam captivus eſt. Non opprimitur, quem gratia Chriſti ſuſtentat, & confirmat: non conſtringitur, quia ſpiritus ejus libertate fruitur. Etſi caro detinetur, omnia ſpiritui patent. *Nihil crus ſentit in nervo, cum animus in cœlo eſt. Totum hominem animus circumfert, & quo vult transfert.* ,, Quantalibet quis injiciat vincula, præ- ,, dicationis vox alligata non eſt. Si quis agricolam ,, vinciat, ſementem impedit: manu enim ſeminat. ,, Paſtorem vero & Doctorem ſi vinxeris, verbum ,, Dei alligare non vales: lingua quippe, non manu ,, verbum Dei ſeminatur. *Verbum Dei non eſt alligatum;* Paſtoralis caritatis ſacrificium eſt, non ſolum corporis libertatem, ſed vitam ipſam pro ſalute proximi devovere; Jeſu Chriſto, cujus miniſter eſt, ad electorum ſalutem laboribus ſuis cooperari; ſudores ſuos, & ſanguinem etiam, ſi detur occaſio, propter illos profundere, propter quos præſertim ſuum profudit Chriſtus, ut per illam vitam conſequerentur æternam, propter quos denique omnia in Eccleſia fiunt. *Ideo omnia ſuſtineo propter electos, ut & ipſi ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum gloria cœleſti.* Pro electorum ſalute promovenda labores quoſvis & afflictiones ſuſtinere, Paſtorum & Miniſtrorum Evangelii officium eſt. Sicut propter nos paſſus eſt Deus, ita & nos pro illis pati convenit. ,, Ea res non gratia, ſed retributio. In Deo quidem ,, gratia eſt: nullis enim præcedentibus meritis no- ,, ſtris in eum, ſed ſola gratia nos redemit; in nobis ,, vero retributio eſt, præventi enim divinis benefi- ,, ciis pro fratribus patimur, ut & ipſi ſalutem con- ,, ſequantur. Quam vero ſalutem dicis, magne Apo- ,, ſtole? An vero qui tibi ipſi non ſalutis, ſed peri- ,, culorum auctor es, ceteris cauſa ſalutis eſſe potes? ,, Non hujus, inquit, ſalutis momentaneæ, fluxæ, ,, mundanæ; ſed ejus quæ in Chriſto eſt veræ ſalu- ,, tis cum gloria æterna, illis autor ſum. *Ut & ipſi* ,, *ſalutem conſequantur, quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum* ,, *gloria cœleſti.* Angunt vitæ hujus adverſa, ſed tem- ,, poralia ſunt; doloris afflictioniſque ſunt plena, ſed

Reſurrectio Chriſti, fons eſt conſolationum ſpiritualium.
*Tertull. l. de Carne Chriſti, cap. 15.*
*Tertull. ad Martyres.*
*S. Chryſoſtom. Hom. 4.*
Caritatis Paſtoralis ſacrificium.
*S. Chryſoſt. ibid.*





,, bre-

„ brevis eorum duratio: non ſunt talia veræ ſalutis „ munera, ſed æterna & cœleſtia. Porro ſi quis „ gloriam cupit, humiliationes & ignominiam diligat: ſi quis requiem appetit, labores & preſſuras „ amet: ſi quis æternis deliciis frui deſiderat, reſpuat „ tota animi intentione temporalia omnia. Paulum, „ quæſo, cum Nerone comparate. Tota ſæculi gloria Nero radiabat: tota ſeculi ignominia ſquallebat Paulus: quanta vero nunc gloria Pauli? Quanta ignominia Neronis? Sic verſæ vices juſta Dei ordinatione.

Chriſtiani omnes Chriſto commori debent,

11. 12. 13. *Fidelis ſermo: Nam ſi commortui ſumus, & convivemus. Si ſuſtinebimus, & conregnabimus.* Vitam temporalem & miſeram exponere, & beatam ac immortalem per Chriſtum conſequi, non jactura, ſed negotiatio & lucrum eſt. Martyres morte naſcuntur, occiſione vivunt. Fidei veritas eſt: ſed non minus certum eſt. Chriſtianos omnes commori Chriſto debere per mortificationem ſenſuum & cupiditatum; laborare continuo debere in hoc ſeculo, *Ut deſtruatur* in ipſis *corpus peccati* per martyrium Pœnitentiæ. *Fidelis ſermo: Si commortui ſumus, & convivemus*. Hanc obligationem in baptiſmo contraximus, in quo Chriſto commortui & conſepulti ſumus. Tota vita Chriſtiani, ſi ſecundum Evangelium vivat, Crux eſt & Martyrium. Chriſtianus exul eſt mundi, cœli civis, homo peccato & ſeculo mortuus. *Caro regenerati ſit corpus Crucifixi* ... „ Pia vita ſanctorum numquam aliena eſt Crucis Chriſti, dum „ continentiæ clavis deſideria carnis configit, & corporeas cupiditates virtute Spiritus in ſe habitantis „ interficit. Quotidie moriendum eſt, ut æternum vivamus. Tolerantia afflictionum, pretium eſt regni cœlorum, ſi Chriſtiano animo, & ex caritate tolerentur. *Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum æternum gloriæ pondus operatur in nobis, non contemplantibus ea quæ videntur, ſed quæ non videntur. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna*. Nos igitur felices, ſi nobis detur ut pro Chriſto adverſa æquo animo patiamur! Hoc enim beatæ prædeſtinationis ſignum, hoc æternæ felicitatis pignus. *Si ſuſtinemus, & conregnabimus*. „ Mirum certe eſt quod volumus regnare cum ſanctis, & tribulationem mundi nolumus ſuſtinere cum ipſis. Recuſat eſſe de corpore, qui odium non vult ſuſtinere cum Capite: non regnabunt cum Chriſto, qui cum ipſo tribulationes patienter non ſuſtinent. Habet pax Eccleſiæ Martyres ſuos. Martyrii enim incruenti genus eſt pauperem eſſe inter divitias, humilem inter honores, continentem & carne ac ſpiritu mortificatum inter voluptates quas oſtentat mundus, quas offert Malignus, quas noſter deſiderat carnalis & corruptus appetitus. Qui ſeculi pompas, vanitates, delicias, quibus in Baptiſmo renuntiavit, poſt baptiſmum ſectatur, Chriſtum negat. Qui Dei mandata & Legem evangelicam, cujus obſervantiam in baptiſmo vovit, tranſgredi non metuit, Chriſtum negat. Qui fidem Chriſti quam profeſſus eſt, pravis operibus dedecorat, Chriſtum negat. Juſta autem pœna eſt ſic negantium Chriſtum, ut ab eo quoque negentur, rejiciantur, damnentur. *Si negaverimus, & ipſe negabit nos*. Ipſe namque Dominus in Evangelio ait: *Qui autem me negaverit coram hominibus, negabo & ego ipſum coram Patre meo qui eſt in cœlis*. Sicut autem nulla fit ipſi felicitatis acceſſio ex fide & perſeverantia noſtra; ita nihil ipſi decedit ex noſtra infidelitate, ceteriſque peccatis. Si nos reddamus indignos gratia qua conſiliis ejus cooperemur, & bonitatis ejus opera faciamus, ille nihilominus conſilia ſua ſine nobis adimplebit, & bonum gloriæ ſuæ ex noſtris peccatis ac juſta damnatione eliciet. *Si non credimus, ille fidelis permanet, ſeipſum negare non poteſt*. Voluntas ejus ſemper implebitur, aut a nobis, aut de nobis; a nobis, ſi credimus & mandata ejus ſervemus; in nobis, ſi non credimus, aut fidem factis negemus.

*S. Leo M.*

*2. Cor. 4. 17.*

Pia tolerantia afflictionum, pretium eſt regni cœlorum.

*S. Cæſarius Serm. 50. in Append. Ser. S. Aug. 225.*

*Matth. 10.*

*Jac. 12. 21.*

A contentioſis diſputationibus in rebus præſertim religionis, abſtinendum eſt.

14. *Noli contendere verbis: ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium*. Contentioſe diſputare & verbis digladiari in rebus religionis, a ſpiritu apoſtolico alienum eſt. Quiſquis contendere & litigare magis amat quam docere, opus Dei deſtruit magis quam promovet. In ſanctuarium veritatis intrandum eſt per viam caritatis. Non ergo caritas propugnandæ veritatis ſpecie extinguatur, vel fides labefactetur in animis aliorum. Quod ergo ait Apoſtolus. *Noli verbis contendere*, &c. non ideo dictum eſt ut adverſariis oppugnantibus veritatem, nihil nos pro veritate dicamus. *Verbis enim contendere, eſt non curare quomodo error veritate vincatur, ſed quomodo tua dictio*, ſeu opinio, *dictioni*, ſeu opinioni *præferatur alterius. Porro qui non verbis contendit, id agit verbis ut veritas pateat, veritas placeat, veritas moveat: Quoniam nec ipſa quæ præcepti finis & plenitudo Legis eſt caritas, ullo modo recta eſſe poteſt, ſi ea quæ diliguntur non vera, ſed falſa ſunt*. „ Proinde nobis curæ eſſe debet, ut quemadmodum pueros in primis moribus & prima inſtitutione fingimus, ut inſequentis ætatis improbitatem fugiant, „ ita nos quoque ne in levibus quidem parvique momenti diſputationibus, audaciæ atque ineptiæ ſignificationem præbeamus, ne ea tandem diuturna „ conſuetudine in majoribus abutamur. Minoris enim „ laboris eſt primum improbitati non cedere, ſed eam „ accedentem fugere, quam progredientem altiuſque „ graſſantem reprimere atque ſuperare: ſicut facilius „ eſt petram initio firmare & retinere, quam ruentem ſurſum retrahere. Sin autem tam immodico & „ inexplebili diſputandi ſtudio flagras, nec morbum „ ſiſtere & reprimere potes, ambitionem iſtam in iis „ rebus, in quibus periculi nihil ſubeſt, effunde.

*S. Aug. lib. 4. de Doctrina Chriſtiana, cap. 28.*

*S. Greg. Nazianz. Orat. 26. De Moderatione in diſputationibus ſervanda.*

Verbum veritatis tractandum eſt ſecundum regulas a Spiritu veritatis præſcriptas.

15. *Sollicite cura teipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum veritatis*. In ſacri Miniſterii functionibus maximo ſtudio & ſollicitudine curandum eſt ut uni Deo placeamus, cujus Miniſtri & Sacerdotes ſumus. Verbum veritatis ſecundum regulas a Spiritu veritatis præſcriptas tractandum ac diſpenſandum eſt. Verbum veritatis non recte tractant, qui illi immiſcent noxia & adulterina germina, qui academicum ſtylum in Eccleſiam invehunt, Apoſtolicum repudiantes vel negligentes; qui vitia deſcribere magis ſtudent, quam eorum horrorem incutere & odium inſpirare; qui hominum applauſus captant, de animarum converſione parum ſolliciti; qui res ſuas agunt, non Dei. Verbum veritatis non recte tractant, qui ad captum & ſpiritales neceſſitates auditorum illud non accommodant, lac parvulis in Chriſto, ſeu rudibus adhuc & imperfectis; ſolidiorem cibum grandioribus, peritioribus, & perfectioribus diſpenſantes. Denique non recte tractat verbum veritatis, nec probabilem operarium & inconfuſibilem Miniſtrum Deo ſe exhibet, qui præclara dicit, & nequiter vivit, cui divina illa convenit exprobratio, *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu vero odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum*. Sacrum Paſtoris, Doctoris, Prædicatoris Miniſterium apoſtolicam exigit vocem & vitam. *Qui enim loci ſui neceſſitate exigitur ſumma dicere, hac eadem neceſſitate compellitur ſumma monſtrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo imperat, oſtendendo adjuvat ut fiat. Hinc per Prophetam dicitur:* „ Super montem excelſum aſcende tu qui evan„ gelizas Sion. *Ut videlicet qui cœleſti prædicatione utitur, ima jam terrenorum operum deſerens, in rerum culmine ſtare videatur: tantoque facilius ſubditos ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de ſupernis clamat*.

*Pſ. 49. 16. 17.*

*S. Greg. M. P. 2. Paſtoral. c. 3.*

*Iſai. 40.*

Paſtorum vigilantia contra Novatorum & impiorum hominum colloquia & ſcripta.

16. 17. *Profana autem & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem: Et ſermo eorum ut cancer ſerpit*. Ab ore Paſtoris, Prædicatoris, & Miniſtri Eccleſiaſtici non ſolum procul eſſe debent quæ veritati & ſanctitati Evangelii adverſantur, profana, ſcurrilia, inania colloquia: ſed modis omnibus fideles avertere debet ab illorum hominum familiaritate & audita, qui maleſanam quidvis ſentiendi ac temere loquendi libertatem in materia Religionis affectantes, ad ingenii & falſi nominis ſcientiæ oſtentationem, fidem & pietatem per cuniculos evertunt. Sic errores Indifferentium, & Socinianorum, aliæque doctrinæ impiæ ſerpunt & proficiunt, & canceris, ſeu gangrenæ inſtar graſſantur, in Eccleſia. Vigilent igitur Paſtores ab Apoſtolo commoniti, erroribus & corruptioni ſeſe viriliter opponant, ſalutarium documentorum antidotis & pharmacis contagionem a grege ſibi commiſſo avertant; ne, qui ſunt infirmi in fide, ſubvertantur, & excidant a veritate. Omnis profanæ vocum novitati præcludatur aditus, Novatores coerceantur, refellantur, corripiantur, damnentur, devitentur, quia *ſermo eorum ut cancer ſerpit*. Cancer malum immedicabile, niſi ei ſtatim fuerit ſubventum, ad cor ſerpendo pervenit, & mortem affert: ita Novatorum & impiorum colloquia & ſcripta. Novatorum dico tum in doctrina fidei, tum in doctrina Morum. *Ejuſmodi homines, quantum poteſtis, effugite, pernicioſis contactibus adhærentes ſalubri cautione vitate. Sermo eorum ſicut cancer ſerpit, colloquium velut contagium tranſilit, noxia & venenata perſuaſio perſecutione ipſa pejus interficit*.

*S. Cyprian. De Lapſis.*

Recedere ab iniquitate, & bonum operari, ſignaculum prædeſtinationis eſt.

19. *Sed firmum fundamentum Dei ſtat, habens ſignaculum hoc: Cognovit Dominus qui ſunt ejus, & diſcedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini*. Inanes erunt Satanæ & membrorum ejus conatus, artes, tentationes adverſus electos Dei. Æternum ædificium, cujus ipſi ſunt lapides vivi, ſtabit inconcuſſum, utpote fundatum in decreto immutabili divinæ electionis, mediiſque efficaciſſimis & indeficientibus, quibus filii Adam ab iniquitate ſeparantur, & ad Chriſtum Jeſum adducuntur ut ejus nomen invocent, id eſt, ut eum fide, ſpe, & caritate colendo intra ſe vocent. Hoc Myſterium curioſe ſcrutari, temeritas eſt; adorare, religionis officium; in Dei miſericordia confidere, & cum timore ac tremore nihilominus ſalutem noſtram operari, Chriſtianæ ſollicitudinis meritum eſt. Fides per dilectionem operans perſeveranter tenenda, electionis divinæ ſignaculum caute ſervandum eſt. „ Stant fixæ „ atque immobiles electæ Animæ. Unde vero illæ „ noſcuntur? Eo quod hujuſmodi teſtimonium in „ ſuis operibus præferunt, quod a Deo noſcuntur, „ quod non ſimul pereunt cum impiis, quod ab ini„ quitate diſcedunt. Hæc indicia fundamenti ſunt, „ quæ non ſecus ac fundamentum firma perdurant, „ atque velut lapidi ſunt incidenda, ut ſint nobis „ litterarum vice. Porro hæ litteræ operibus oſtenduntur. *Habens ſignaculum hoc, Diſcedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini*. Si quis igitur ſit injuſtus, alienus a fundamento eſt, cum hoc proprium ſit fundamenti ſignaculum, iniqua non generere. „ Caveamus itaque ne ſignaculum regium per„ damus, ne ſalutis deponamus indicium, ne non „ ſignati ſimus. Ab iniquitate diſcedamus, ſi vere „ Dei ſimus. *Novit Dominus qui ſunt ejus, nemo ſibi de vocabulo blandiatur. Si quis vult ſibi prodeſſe nomen Domini, recedat ab iniquitate qui invocat nomen Domini*.

*S. Chryſoſt. Hom. 5.*

*S. Aug. Serm. 71. alias 11. De verbis Domini.*

In noſtra poteſtate eſt cum auxilio gratiæ Dei ut vaſa in honorem ſanctificata ſimus.

20. 21. *In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & lignea, & fictilia; & quædam quidem in honorem, quædam vero in contumeliam*, Juſti & peccatores, electi & reprobi, perfecti & imperfecti, in Eccleſia præſentis temporis permixti ſunt. Vaſa ſunt aurea & argentea, qui ſcientia & caritate radiant: vaſa lignea & fictilia, rudiores, imperfectiores, fragiliores, qui terrenis cupiditatibus facilius abripiuntur, incenduntur, aut tentationibus facilius franguntur. Utriuſque generis vaſa probat fornax tribulationis, Juſti afflictionum & tentationum igne purgantur aut aurum & argentum, tanquam vaſa auri ſolida, ornata omni lapide pretioſo. Improbi ut vaſa lignea, vel fictilia confringuntur aut conſumuntur. *Cor fatui quaſi vas confractum, & omnem ſapientiam non tenebit*. Non a natura, aut carnali neceſſitate eſt diverſa vaſorum conditio, ſed a libera voluntatis electione. Nonne vas fictile erat Paulus ante converſionem ſuam, & evaſit in aureum? Nonne vas aureum fuit Judas cum ad Apoſtolatum vocatus a Chriſto eſt, & in fictile converſum eſt? *Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino, ad omne opus bonum paratum*. In noſtra poteſtate eſt, cum auxilio gratiæ Dei ſervare munditiam & innocentiam in Baptiſmo acceptam, & ſordes poſtea contractas per Pœnitentiam abſtergere, rubiginem igne caritatis conſumere, ut evadamus vaſa puriſſima, ſanctificata, & Domino utilia ad quos voluerit uſus, ad omne opus bonum parata. *Nos operam demus, & quantum poſſumus laboremus, ut vas aureum vel argenteum ſimus*. Studia omnia, conatus omnes ad ſanctificationem noſtram, quæ Dei voluntas eſt, conferamus. *Omnis* enim *qui habet hanc ſpem in Domino, ſanctificat ſe ipſum, ſicut & ille ſanctus eſt*. Cor noſtrum rerum terrenarum amore evacuemus per caritatem, ut ſit vas pretioſum, Dei plenitudini in cœlis capiendæ adornatum. Interim in manibus Domini eſſe amemus ut inſtrumenta, illique utiles eſſe ſtudeamus in omni, cui nos deſtinaverit Miniſterio, etſi hominum oculis vile videatur. Non ad unum aut alterum, ſed ad omne boni operis genus parati ſemper & prompti ſimus; & ſi deſit aliquorum bonorum operum facultas, vel opportunitas, numquam deſit voluntas, *Ad omnes opus bonum paratum*.

*Eccli. 50. 10.*

*Eccli. 21. 17.*

*Eccli. 21. 17.*

*S. Chryſoſt. Hom. 5.*

*S. Cyprian. Epiſt. 51.*

*S. Joann. Ep. 1. cap. 3.*

Juvenilia deſideria a Miniſtris Eccleſiæ comprimenda.

22. *Juvenilia autem deſideria fuge, ſectare vero juſtitiam, fidem, caritatem, & pacem cum his qui invocant Dominum de corde puro*. In Paſtoribus & Miniſtris Eccleſiæ, licet ætate juvenibus, nihil juvenile eſſe debet. Juvenilia deſideria comprimere & extinguere in ſe debent, non ea modo quæ ad libidinem pertinent, ſed quæcumque Chriſtianæ perfectioni repugnant. „ Sive enim quis injurioſus ſit, „ ſive potentiæ ſtudeat, ac dignitatum, honorum, „ humanæ gloriæ, ſive pecuniarum, ſive voluptatum aut quarumvis rerum terrenarum amore teneatur, juvenile deſiderium eſt ac ſtolidum, cordiſque necdum ſatis conſtantis, ſenſuque parum „ firmi, & qui non altis radicibus fixus ſit, ſed levis „ & vagi, certum documentum. Propenſio ad venationem, ad compotationes, ad diſcurſus, ad ludos, ad facetias, ad ſeculares converſationes, ad nugas quæ Chriſtianam & Eccleſiaſticam dedecent gravitatem, juvenile deſiderium eſt. Senes ſint Eccleſiæ Rectores & Miniſtri gravitate morum, vitæ innocentia. *Senectus enim venerabilis eſt, non diuturna, neque annorum numero computata: cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata*. Sana, Domine, Miniſtros tuos a morbis deſideriorum noxiorum. Da Eccleſiæ tuæ Rectoribus ſenilem maturitatem & prudentiam, qua gregem tuum regant in *Juſtitia*: da zelum cum ſcientia conjunctum, ut *Fidem* & Moralis Chriſtianæ puritatem conſervent; da ſapientiam & vigilantiam, ut *caritatem* foveant: da manſuetudinem, humilitatem, moderationem, ut *pacem* habeant cum his qui te invocant de corde puro, immo & cum omnibus hominibus, quantum poſſibile eſt. *Sectare vero juſtitiam, fidem, caritatem, & pacem, cum his qui invocant Dominum de corde puro*. Sectare *juſtitiam*, qua jus unicuique ſuum ſerves in ſubditorum negotiis componendis, & in cauſis, quarum ad te defertur arbitrium, aut quarum cognitio ratione dignitatis & officii tui ad te pertinet, judicandis. *Fidem*, ut ſine curioſa diſquiſitione veritatibus a Deo revelatis, & ab Eccleſia definitis ac propoſitis acquieſcas, & humiliter ac ſimpliciter acquieſcendum doceas. *Caritatem*, quæ non æmulatur, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt. *Pacem*, ſine qua Paſtores & Eccleſiaſtici Viri nihil in negotio ſalutis animarum promovere poſſunt. *Non in commotione Dominus*. Qui pacis ſequeſtres inter ſubditos ſuos a Deo ſunt conſtituti, qui pacis inter Deum & homines mediatores ſunt, qui Prædicatores pacis, quam indignum eſt, quam ſcandaloſum ut diſſenſionibus, contentionibus, litibus, pacis bonum adeo deſiderandum, Miniſterio ſuo adeo neceſſarium amittant. Caritatem ergo & pacem ſectentur, ſtudiis omnibus retineant, præſertim cum ſuis Conſacerdotibus, & piis & Chriſti cultoribus, exemplo Abrahami diligenter caventis ne pax inter illum & nepotem Loth ullo modo turbaretur. *Ne quæſo*, inquit, *ſit jurgium inter me, & te, & inter Paſtores meos, & Paſtores tuos, fratres enim ſumus*.

*Sap. 4. 8. 9.*

*3. Reg. 19. 11.*

*Geneſ. 13. 8*

Quæſtiones inutiles quæ rixas & contentiones in Eccleſia pariunt, devitandæ.

23. 24. *Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones devita: ſciens quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem*. Quæſtiones omnes quæ ad veram ſapientiam, & Chriſtianam fidem morumque diſciplinam illuſtrandam nihil conducunt, & quæ nihilominus ab inquietis hominibus excitatæ, magna contentione diſceptantur, duplici nomine reſcindendæ ſunt; Primo quod inutiles ſint & ineruditæ: Secundo, quod rixas & contentiones pariant, cum gravi diſpendio caritatis & pacis. Quamobrem Epiſcopi divinæ legis Interpretes; traditionis depoſitarii & cuſtodes, Miniſtri Pacis, Vicarii caritatis Jeſu Chriſti, hujuſmodi quæſtiones merito prohibent, ut contentionum radices abſcindant, & pacem ac unitatem ſervent in grege, quem Dominus eorum fidei & vigilantiæ commiſit. *Stultas & ſine diſciplina quæſtiones devita*. Sunt autem aliæ perutiles quæſtiones de Scripturis ſacris, de Eccleſiaſticis dogmatibus, de Morali Chriſtiana, de veteri & nova Diſciplina, a quibus nos minime prohibet Apoſtolus: ſed ita ut in iis expendendis ceſſent lites, jurgia, rixæ: unoque veritatis & caritatis firmandæ ſtudio diſſeratur; qui finis eſt ipſarum Scripturarum divinarum. *Servum autem Domini non oportet litigare*, Contentiones, rixæ, injuriæ, maledicta procul ſint ab iis qui Dei pacis Miniſtri ſunt. Manſuetudinem erga omnes ſervare debent in præparatione animi, ita ut compellente neceſſitate ad vehementem ac duram increpationem a manſuetudine non diſcedatur, ſemperque lenitate ſit temperata correptio, *Sed manſuetum eſſe ad omnes*. Licet enim profecto acrius cum manſuetudine carpere, quam cum audacia & feritate confundere. Ad fideles docendos omnem veritatem ad ſalutem neceſſariam, omniaque divinæ legis præcepta, omnia Chriſtianæ vitæ officia, prompti & parati eſſe debent Paſtores, ut cum S. Paulo dicere poſſint: *Conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum a ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quo minus annunciarem omne conſilium Dei vobis*, Sed & diſcere parati ſint Paſtores in quæſtionibus difficilibus, & ad Scripturæ ſacræ lectionem, divinæque traditionis caput & originem recurrant, ut humanos deſtruant errores, & inveniant atque eruant veritatem. *Oportet Epiſcopum non tantum docere, & diſcere; quia & ille melius docet, qui quotidie creſcit & proficit diſcendo meliora*. Sic intellexit S. Cyprianus quod Apoſtolus ait, Epiſcopum *docibilem* eſſe debere. Malos denique tolerare debent Paſtores & Rectores animarum, non ita quidem ut eorum vitia diſſimulent, ſed ut eos, quamvis a veritate & pietate averſos, manſuetudine & patientia cum adhortatione, oratione, & ſalubri correptione conjunctis, revocare nitantur ad officium; nec de illorum converſione deſperent. *Patientem* id quippe prorſus neceſſarium eſt, alio-

*S. Chryſoſtom. Hom. 5.*

*Act. 20. 26. 21.*

*S. Cyprian. Epiſt. 74. Ad Pompejum.*

*S. Chryſoſtom. Hom.* 5.

alioqui cetera fruſtra & inaniter fiunt. „ Si enim Piſcatores, cum ſæpe die tota fruſtra jactaverint retia, non tamen deſiſtunt neque deſperant: multo magis nos id facere convenit. Ita ſæpe fit ut dum aſſiduæ doctrinæ fructus illabitur animo, vitium excidat, & peccator hamo divini verbi captus Pœnitentiam agat. Interdum vero is cui perſuadere patienter & leniter adhortando poteramus, impatientia noſtra & deſperatione perditur. Non ſecus, quam ſi quis imperitus agricola, ubi vineam plantavit, priore quidem anno illam diligenter colat, repaſtinet, ſtercoret, ſecundo vero ac tertio fructum ſe percepturum ſperet: idque niſi obvenerit, deſperans, quarto jam anno, quo laborum ſuorum fructus percipere poterat, culturam vitis omittat.

Caritas & manſuetudo in inſtructione errantium, & correptione peccatorum adhibenda.

26. 27. *Cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt veritati, nequando Deus det illis Pœnitentiam ad cognoſcendum veritatem, & reſipiſcant a diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* A defenſione veritatis & errantium inſtructione omnis contentio & verborum aſperitas; a peccatorum correptione omnis acerbitas abſit. Vix enim ſperari poteſt ejus converſio, qui erga Paſtorem & Doctorem non bene fuerit affectus. Ne igitur cum errantibus & peccatoribus velut cum inimicis, ſed velut cum fratribus agatur; auctoritas ſine ſupercilio & acerbitate, doctrina ſine contentione, ſine convitiis; errori & peccato ad eorum deſtructionem opponatur; modeſtia, manſuetudo, caritas ad curationem errantis & peccatoris a Paſtore & Doctore velut a perito Medico adhibeatur. Quis Medicus inſultet ægroto, & non potius illum conſoletur, bene ſperare jubeat, vimque morbi congruis & ſalutiferis remediis & curandi patientia vincere conetur? Illuſiones, arteſque diaboli, educationis præjudicia, mundi illecebræ, vis cupiditatum, pravæ conſuetudinis vincula, dura & infelix peccati captivitas, commiſerationem noſtram erga errantes & peccatores excitare, non iracundiam & odium movere debent. Errores & vitia perſequamur, homines diligamus; ſicut Medicus febrem perſequitur; ægrotum diligit. In Paſtore peccatores corripiente *Sit ſed amor non emolliens; ſit rigor, ſed non exaſperans; ſit zelus, ſed non immoderate ſæviens; ſit pietas, ſed non plus quam expediat, parcens: ut dum ſe in arce regiminis juſtitia clementiaque permiſcet, is qui præeſt, corda ſubditorum & terrendo demulceat, & tamen ad terroris reverentiam demulcendo conſtringat.* Fides & Pœnitentia Dei dona ſunt. Nihil ergo ſibi tribuant Paſtores, Concionatores, Directores. Laborent, orent, totum laboris ſucceſſum a Dei gratia ſperent, totum ad eum referant. Plantamus, & rigamus exterius doctrina, adhortatione, correptione: Deus interius ſeminat in corde, fructus parere facit, & ad incrementum perducit. Dei miſericordiam erga nos grato animo adoremus, pro peccatoribus maximis ſperemus. Oremus pro illis, timeamus pro nobis. Reſipiſcere poſſunt, & ſalutem conſequi. *Nequando Deus det illis Pœnitentiam.* In laqueos & captivitatem diaboli cadere poſſumus, & damnari. *A quo captivi tenentur ad ipſius voluntatem.* In laqueos enim diaboli non modo falſis dogmatibus & erroribus contra fidei veritatem, ſed & pravis moribus inciditur. „ Nam voluntatem Dei non facere, laqueus profecto diaboli eſt. Quemadmodum enim avis, etſi non toto corpore, ſed uno tantum pede capta teneatur, in poteſtate ejus eſt qui laqueum tetendit: ita & nos, cum fidei & vitæ perverſitate capi poſſimus, ſi vita ſolum aberraverimus, in jus diaboli labimur. *Non* enim, inquit, *omnis qui dicit mihi, Domine, Domine intrabit in regnum cœlorum:* & rurſum: *Neſcio vos: diſcedite a me omnes qui operamini iniquitatem.* Itaque cum voluntatem Dei non facimus, in laqueo diaboli ſumus. Neque modo ex vita tota, verum ex uno dumtaxat defectu in gehennam mittitur peccator. *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus.* Quippe & virginibus fatuis, non inceſtus, non adulterii, non invidiæ, non ebrietatis, non infidelitatis, aut perverſæ fidei crimen inuritur, ſed olei tantum, id eſt, miſericordiæ defectus. Solius eleemoſynæ omiſſio damnationis cauſa eſt. Virginitas, oratio, jejunium, ſine miſericordiæ operibus nihil proſunt ad ſalutem.

*S. Gregor. M. 2. P. Paſtor. cap.* 6.

*Jac.* 2. 10.

---

C A P U T III.

*Senſus Litteralis.*

Hebraiſmus *Noviſſimis diebus*, id eſt *poſt hæc uſque ad finem mundi*, ſimilis locutio *Geneſ.* 49. 1. & *Daniel.* 2. 28. Dicuntur vero *tempora periculoſa*, propter ea quæ in tempore contingunt, maxime vero propter mores depravatos hominum. Simonis Magi diſcipulos & Gnoſticos hæc ſpectant.

1. 2. 3. 4. 5. HOc *autem ſcito, quod in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa.* Ne inopinata quorumdam, qui Chriſtianam Religionem exterius profiteri videbuntur nequitia perturberis & ſcandalum patiare, te præmonitum velim: hac extrema, in qua vivimus mundi ætate, imminere tempora periculoſa, difficilia, permoleſta. *Erunt homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus non obedientes, ingrati, ſceleſti.* Erunt homines ſeipſos perverſo & inordinato amore diligentes, & privatis ſtudentes commodis, poſthabita ſalute & utilitate aliorum; avari, faſtuoſi & arrogantes, ſuperbi, maledici ſeu contumelioſi, parentibus inobedientes & immorigeri, qui nihil ſe cuiquam debere exiſtimant; impii. *Sine affectione, ſine pace, criminatores, incontinentes, immites, ſine benignitate.* Nullo amoris ſenſu, quem natura ipſa erga conjunctiſſimos, videlicet parentes, uxorem, liberos, fratres, cognatos inſpirat, affecti; fidei, pactorumque violatores, pacem cum nemine ſervantes; calumniatores, intemperantes & luxurioſi, inhumani & feroces; bonis & piis inimici. *Proditores, protervi, tumidi, & voluptatum amatores magis quam Dei.* Qui amiciſſimos produnt; qui cito in verborum inſolentiam aut amaritudinem erumpunt, præcipites, inſtabiles, leves, procaces; præ ſuperbia & vana de ſe opinione inflati; Voluptates ſuas & earum inſtrumenta & objecta præ Deo amantes. *Habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hoc devita.* Qui fucatam ſpeciem & imaginem pietatis præſeferent, ab ejus autem veritate uſque adeo erunt alieni, ut eam abnegaſſe & abjuraſſe videantur. Hos averſare, poſt unam & alteram correptionem, ut conſtat ex Collatione cum *Tit.* 3. 10.

Græce, μόρφωσιν *informationem*, id eſt, qui cum alios ad pietatem inſtituere & informare videantur, veram pietatem deſtruunt.

6. 7. *Ex his enim ſunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis: Semper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* Ex eo ſunt numero; qui ſe in familias alienas inſinuant, & mulierculas multitudine peccatorum gravatas, & variis cupiditatibus abreptas, ſuis ſeductas erroribus, ſuiſque partibus adſtrictas, velut captivas poſt ſe trahunt. Quæ quidem diſcendi nova ſemper cupidæ, numquam ad veritatis cognitionem pervenient, ad quam perduci non poſſunt a magiſtris erroris & impietatis, quibus aures & animos accommodant.

8. 9. *Quemadmodum autem Jannes & Mambres reſtiterunt Moyſi: ita & hi reſiſtunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem.* Sicut vero Jannes & Mambres Princeps Magorum Pharaonis reſtiterunt Moyſi in Ægypto, cum eo in Miraculis edendis certare auſi: ita & hi reſiſtunt evangelicæ veritati. Hi mentis judicium vitioſis affectibus depravatum & corruptum habentes, in fide perverſi, in erroribus obſtinati ſunt. *Sed ultra non proficient: inſipientia enim eorum manifeſta erit omnibus, ſicut & illorum fuit.* Sed eorum progreſſus metas ſuas habebit: eorum enim inſania & commentorum abſurditas in lucem proferetur, & omnibus innoteſcet, ſicut & illorum Magorum præſtigiæ & impotentia.

*Exod.* 7. 21. *& ſeq.* Horum Magorum nomina ex Judæorum traditione noverat Apoſtolus. Horum meminit Numenius Pythagoricus ab Ariſtobulo citatus in libro inſcripto Ptolomæo Philometori, apud *Euſebium. lib* 9. *Præparat. Evang. cap.* 8. *Vide & Origi. lib.* 4. *contra Celſum.*

10. 11. *Tu autem aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam.* Tu vero longe aliud habes exemplar, ad quod te formes, me ſcilicet Præceptorem tuum. Noſti enim, & quidem ab initio, quæ fuerit mea doctrina; quæ vivendi ratio; quem finem in Apoſtolico meo munere & in omni actione ſpectaverim; noſti meam in fide conſtantiam, ſinceritatem, ac fiduciam in rebus agendis; lenitatem erga perſecutores & fidei adverſarios, nec non infirmorum fratrum & peccatorum tolerantiam; caritatem erga omnes, patientiam in adverſis ſuſtinendis. *Perſecutiones, paſſiones, qualia mihi facta ſunt Antiochiæ, Iconii & Lyſtris: quales perſecutiones ſuſtinui, & ex omnibus eripuit me Dominus.* Perſpectas habes perſecutiones & afflictiones, quas Evangelii cauſa paſſus ſum, præſertim, quæ mihi acciderunt Antiochiæ, Iconii, & Lyſtris, quam graves illæ fuerint quæ a Judæis mihi illatæ ſunt; ex quibus omnibus me potenti manu ſua Dominus Jeſus eripuit & ſervavit.

*Act.* 13. 45. 50. *& cap.* 14. 2. 4. 5. 19.

Antiochiam Piſidiæ, non Syriæ intellige.

12. *Et omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.* Sed & omnes qui Deo ſervire & pie vivere volunt in fide Chriſti Jeſu, perſecutionem vel manifeſtam vel occultam a malis patientur, quod ſuis eventurum Chriſtus ipſe prædixit.

*Matt.* 10. 17. 18. *& cap.* 23. 34. *Joan.* 16. 33. *& cap.* 17. 14.

13. *Mali autem homines & ſeductores proficient in pejus, errantes & in errorem mittentes.* Nec vero ſperandum eſt perſecutiones piorum in hac vita ceſſaturas. Pravi enim homines in ſua impietate magis ac magis proficient & roborabuntur, alios ſeducentes, ipſique juſto Dei judicio in erroribus obfirmati & obdurati.

14. 15. *Tu vero permane in iis quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens a quo didiceris.* Tu vero imperturbabilis eſto in iis quæ didiciſti, & quæ tibi concredita ſunt & commendata, Chriſtianæ Religionis dogmatibus & præceptis, nec te ab iis tradendis & prædicandis tentationes ullæ ac perſecutiones prohibeant, ſciens a quo didiceris, a me ſcilicet Chriſti Apoſtolo, quod perinde tibi eſſe debet ac ſi a Chriſto ipſo didiciſſes. Ego enim non ab hominibus, neque per hominem, ſed ab ipſo Chriſto & Spiritu ſancto accepi doctrinam Evangelii quam prædico & trado. *Et quia ab infantia ſacras litteras noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem, per fidem, quæ eſt in Chriſto Jeſu.* In iis autem firmiter & conſtanter retinendis ideo ſtudioſior eſſe debes, quod a prima ætate imbutus es ſcientia Scripturarum divinarum, quæ te poſſunt erudire & ſapientem reddere ad ſalutem æternam conſequendam, non beneficio & virtute Legis, ſed fidei qua creditur in Chriſtum Jeſum.



Græce σοφίσαι εἰς σωτηρίαν *ſapientia ad ſalutem neceſſaria inſtruere.*

16. 17. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia: Ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Tota Scriptura ſacra & Canonica a Deo inſpirata eſt, & Spiritu ſancto dictante conſcripta, non ſolum quoad ſententias, ſed quoad verba ſingula, & verborum ordinem a diſpoſitionem: & utilis eſt ad docendum fidei veritates, ad refellendos errores, ad Morum correctionem, & ad directionem fidelium in viam pietatis & juſtitiæ, ſeu omnis virtutis: ut perfectus ſit homo, qui Dei nomine populo Chriſtiano præeſt in his quæ Dei ſunt, ad omnem ſacri Miniſterii partem comparatus & inſtructus.

Græce, πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος, καὶ ὠφέλιμος *Omni Scriptura divinitus inſpirata eſt & utilis.* Porro Scripturam ad hæc omnia ſolam ſufficere non ait Apoſtolos, ſed utilem eſſe. Unde nullum eſt quod hinc eruunt argumentum proteſtantes contra neceſſitatem Traditionum Apoſtolicarum alioqui, ſolas veteris Teſtamenti Scripturas ad ſalutem ſufficere ſequeretur. Novi enim Teſtamenti, Scriptura nondum erat canoni ſacrorum librorum inſerta, immo necdum erat omni ex parte conſcripta: & de iis Scripturis S. Paulus loquitur, quas Timotheus ab infantia noverat.

---

C A P U T III.

*Senſus Moralis.*

1. 2. 3. 4. IN *noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa: Erunt homines ſe ipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, &c.* „ Recta voluntas bonus amor; & voluntas perverſa malus amor. Amor ergo inhians habere quod amatur, cupiditas eſt; id autem habens, eoque fruens, lætitia eſt; fugiens quod ei adverſatur, timor eſt; idque ſi acciderit ſentiens, triſtitia eſt. Proinde mala ſunt iſta, ſi malus eſt amor; bona, ſi bonus. Fecerunt civitates duas amores duo, terrenam ſcilicet amor ſui uſque ad contemptum Dei, cœleſtem vero amor Dei uſque ad contemptum ſui. Prima hominis perditio, fuit amor ſui. Si enim ſe non amaret, & Deum ſibi præponeret, Deo eſſe ſemper ſubditus vellet: non autem converteretur ad negligendam voluntatem illius, & faciendam voluntatem ſuam. Hoc eſt enim amare ſe, velle facere voluntatem ſuam. Præpone his voluntatem Dei: diſce amare te, non amando te. Amorem proprium vitium eſſe Apoſtolus docet. Qui amat ſe, fidit in ſe. Incipit enim deſerto Deo amare ſe, & ad ea diligenda quæ ſunt extra ſe, pellitur a ſe: uſque adeo ut cum dixiſſet Apoſtolus, *Erunt homines ſe ipſos amantes*, continuo ſubjecerit, amatores pecuniæ, *Cupidi*. Jam vides quia foris es. Amare te cœpiſti: ſta in te, ſi potes. Quid is foras? Cepiſti diligere quod eſt extra te, perdidiſti te. Ex amore proprio omnium vitiorum oritur colluvies. 1. Deſiderium divitiarum, quæ omnium cupiditatum inſtrumenta ſunt, & media quibus utitur carnalis homo ad temporalem felicitatem ſibi conſtituendam. *Cupidi.* Hinc elatio animi & ſuperbia in faſtum exteriorem effuſa, ad gloriam hominum captandam. *Elati, ſuperbi.* Hæc invidiæ radix, quæ ceteros deprimit detractionibus & maledictis. *Blaſphemi.* Hinc & dominandi libido, quæ dependentiam odit, obedientiæ jugum excutit, primum erga parentes, tum erga Eccleſiæ Prælatos & Rectores, nec non erga ſeculi Principes, & qui eorum vice Rempublicam moderantur. *Parentibus non obedientes.* Hinc ingrati animi vitium. Nihil ſe cuiquam debere facile in animum inducit, qui nihil reddere voluerit. Superbus omnia ſe meruiſſe exiſtimat, nec ſatis ſuo pretio æſtimatum ſe putat. Ingratus qui diſſimulat aut non agnoſcit beneficium, ejuſque auctorem vel magnitudinem; ingratus, qui non reddit; omnium maxime ingratus, qui intus eſt. Non leve vitium, quod noviſſimorum temporum periculis annumerat Apoſtolus. *Ingrati.* Inobedientiæ & ingrati animi vitia in creaturis non ſiſtunt, adverſus Deum ipſum progrediuntur, legem ejus conculcant, beneficia parvipendunt. Hinc naſcitur impietas & irreligioſitas. *Sceleſti*, qui recti & ſancti nullam habent rationem: quo minus audeant quælibet mala perpetrare. Inordinatus & perverſus amor ſui indifferentiam erga æquales & inferiores parit, caritatem extinguit, veram amicitiam neſcit. Qui ſe ipſos amant, neminem amant niſi ſibi utilem, nullo humanitatis & compaſſionis tanguntur affectu, legem ipſam naturæ cordibus impreſſam ſpernentes, uxorem, liberos, cognatos, affines non curant, non juvant in neceſſitatibus, non conſolantur in afflictionibus, ex periculis eripere non ſatagunt, non ſolum infidelibus deteriores, ſed Hyrcanis tigribus ferociores. *Sine affectione.* Amor proprius fidelitatem in pactis, in contractibus, in promiſſis evertit. Homines ſe ipſos amantes, alienæ quietis & pacis perturbatores, in inimicitiis irreconciliabiles ſunt. *Sine pace.* Quin etiam mendaciis & confictis criminibus aliorum innocentium vexant, & opprimere nituntur, diabolum fratrum noſtrorum accuſatorem imitando. Qui enim nullius boni ſibi conſcius eſt, omnes alios criminatur, omnibus maledicit, ſibi ipſi hoc modo conſolationem quamdam acquirere viſus. *Criminatores.* Ex amore proprio vermium inſtar gignuntur gula, luxuria, incontinentiæ & intemperantiæ genus omne, humanitatis & benignitatis abjectio, veritatis & juſtitiæ neglectus, bonorum piorumque contemptus & odium, amicorum proditio, temeritas in conſiliis, in rebus aggrediendis præcipitatio, inſolentia verborum, protervia & obſtinatio, quæ nec conſilium, nec correctionem admittit, ceterorum omnium deſpicientia præ vana de ſe opinione. *Incontinentes, immites, ſine benignitate, proditores, protervi, tumidi.* Denique homines quibus amor proprius dominatur, veritatem, juſtitiam, Dei legem, Eccleſiæ utilitates, ambitioni ſuæ, avaritiæ, fœdis voluptatibus ſacrificare non dubitant. *Voluptatum amatores magis quam Dei.* Amor proprius monſtrum horrendum, immane, ingens, ab Apoſtolo vivis coloribus hoc loco depictum ſumma ſollicitudine & vigilantia in nobis impugnandus, comprimendus, extinguendus eſt, prava ejus germina præfocanda & eradicanda. Sola caritas hunc hoſtem expugnare poteſt. Væ nobis, ſi terrenas voluptates Dei amori præponamus. Non ſolum ab illicitis, ſed etiam a conceſſis deliciis abſtineamus, corpora noſtra caſtigantes & in ſervitutem redigentes. *Proficit enim ſpirituali ſaluti, quidquid corporali minuitur voluptati.*

Ex amore proprio omnium vitiorum colluvies oritur.

*S. Aug. lib.* 14. *De Civit. Dei c.* 7. *& c.* 28.

*Idem Ser.* 86. *alias De Diverſis* 47.

*Apocal.* 12. 10.

*S. Aug. Serm.* 208. *alias De Diverſis* 72.

5. *Habentes ſpeciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita.* Heu quam ſæpe ſub pallio ſcientiæ & externa ſpecie pietatis, quam verbis & cultu præferunt hypocritæ, gravia crimina deliteſcunt! Hic periculoſior laqueus dæmonis eſt, hæc acerbior Eccleſiæ plaga, Nulla exitialior peſtis, quam ad religionis everſionem ſpecie religionis graſſari. Sacerdotes, Rectores animarum, Moderatores conſcientiarum, doctrina vel moribus corrupti tanto magis nocent fidelibus, quanto minus ab iis cavetur, dum ſpeciem pietatis exterius prætendunt: quemadmodum Iſraelitæ ab impio Alcimo, quem Demetrius Rex Sacerdotem ad eos decipiendos & prodendos conſtituerat, non caverunt; dicentes, *Homo Sacerdos de ſemine Aaron venit, non decipiet nos.* „ Magis nocent mentientes ſanctitatem, quam ſi palam profiterentur iniquitatem, ſub veſtimentis ovium lupi rapaces. Conſiderate quid de gregibus agatur, quando Paſtores lupi fiunt. Hi enim cuſtodiam gregis ſuſcipiunt, qui inſidiati gregi dominico non metuunt, contra quos Dei greges cuſtodiri debuerant. Non prædicant veritatem, ſed prophetant mendacium: virtutes non plantant, ſe evellunt: non ædificant, ſed deſtruunt; non ducunt oves in paſcua ſalutaria, ſed in præcipitia; non cuſtodiunt & ſervant, ſed mactant & perdunt, errorem inſpirantes; aut corruptionem afflantes incautis animabus; palam ſe legatione fungi pro Chriſto ſimulantes, clam diabolo infelices animas addicentes. Hi vitandi ſunt, ſi cognoſcantur, & Epiſcopis denunciandi. *Et hos devita.* Populus vero Chriſtianus in veritate fidei & ſinceræ pietatis ſtudio inſtituendus & confirmandus eſt. Ipſi perſuadendum religionis ſpeciem, fidemque ſine caritate, humilitate, juſtitia, patientia, caſtitate, mortificatione ſenſuum, moderatione, ceteriſque pietatis operibus, ſimilem eſſe picturæ, formam habere, non vitam; ſimilitudinem, non veritatem. *Habentes quidem ſpeciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes.* „ Sit igitur quiſpiam vitiis ab Apoſtolo mox enumeratis inquinatus, recte credat ac ſentiat, quid ex fide vera lucrabitur, ſi nihil habet ex his quæ habere debet Chriſtianus, ſi nihil agat quod exprimat pietatem, Gentileſque potius impietate tranſcendat, ſi ad intuentium, ſociorumque perniciem, ſi ad Dei blaſphemiam vivat, ſi operibus religionem inhonoret ac fidem contaminet. Quid de hujuſmodi hominibus agendum? *Peſtis inſtar* fugiendi ſunt. Illorum familiaritas & ſocietas, quantum licet, vitanda eſt. *Et hos devita.* Cum perverſo enim perverteris. *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Et, *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.*

Hypocriſis quam exitialis Eccleſiæ.

*1. Machab.* 7. 14.

*S. Gregor. M. Hom.* 7. *in Evang.*

*S. Chryſoſt. Hom.* 8.

6. 7.

Hæreticorum ingenium.

6. 7. 8. 9. *Ex his enim ſunt, qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, quæ ducuntur variis deſideriis: ſemper diſcentes, & numquam ad ſcientiam veritatis pervenientes.* Hæretici & Pſeudo-apoſtoli demonem imitantur, qui ut genus humanum in ruinam impelleret, mulierem ſeduxit, illamque ad peccatum pellexit. Seſe in domos inſinuant, familiarum arcana penetrant & negotia, mulierum ſibi conciliant animos blanditiis & malis artibus; pravis illarum deſideriis obſecundant & ſerviunt, curioſitati, luxui, vanæ gloriæ, cupiditati, laſciviæ; novis denique peccatis oneratas, ſuis partibus addicunt, errorum laquei implicatas, & in captivitatem redactas tanto infeliciorem, quanto ſexus iſtius levitati gratiorem. Quo magis curioſæ ſunt, eo magis illuſioni obnoxiæ: ſemper diſcere volunt, & veritatem non inveniunt, imo ab ea quam tenebant excidunt juſto Dei judicio, pluentis ſuper peccatores laqueos, & *ſpargentis pœnales cæcitates ſuper illicitas cupiditates.* Vix ulla fuit hæreſis cui propagandæ non ſervierint mulieres ab Hæreſiarchis ſeductæ. „ Simon Magus hæreſim condidit Hebenæ „ meretricis adjutus auxilio. Marcion Romam præ„ miſit mulierem, quæ decipiendos ſibi animos præ„ pararet. Apelles Philomenem ſuarum habuit co„ mitem doctrinam. Montanus immundi ſpiritus prædicator, multas Eccleſias per Priſcam & Maximillam nobiles & opulentas feminas, primum auro corrupit, deinde hæreſi polluit. Paulus Samoſatenus ſubintroductas habebat mulieres ætate florentes & forma conſpicuas, & quocumque proficiſcebatur, circumducebat. Quin etiam die Paſchatis Pſalmos ad ſui ipſis laudem in Eccleſia cani a mulieribus inſtituit. „ Arius ut orbem deciperet, ſororem Con„ ſtantini Imperatoris ante decepit. Donatus per „ Africam, ut infelices quoſque fœtentibus pollue„ ret aquis, Lucillæ opibus adjutus eſt. In Hiſpania „ Agape Elpidium, mulier virum, cæcum cæca du„ xit in foveam, ſucceſſoremque ſui Priſcillianum „ habuit Zoroaſtris magi ſtudioſiſſimum, & ex mago „ Epiſcopum, cui juncta Galla, non gente, ſed no„ mine, germanam huc illucque currentem, alterius „ & vicinæ hæreſeos reliquit heredem. Pelagiana „ hæreſis feminas propagatrices & protectrices ha„ buit. Et ut vetera præteream, nonne noſtris temporibus Myſterium iniquitatis in hæreſi Quietiſtarum operatum eſt ſeductis mulieribus, quas peccatis non ſolvebant corrupti Directores, ſed magis onerabant, errorum, vanæ gloriæ, ambitionis, curioſitatis, pertinaciæ, & libidinum infamium captivas efficientes? Sed hi confuſi ſunt & damnati, ſicut Jannes & Mambres, qui Moyſi reſtiterunt. Apud omnes vere Catholicos ſunt in execratione ut *homines corrupti mente, reprobi circa fidem, quorum inſipientia manifeſta eſt omnibus.* Regnum erroris & malitiæ hominum breve erit: regnum veritatis & caritatis æternum erit. Magiſtri mendaces multos ſeducere valebunt, ſed adverſus Eccleſiam & electos Dei non prævalebunt; prement, ſed non opprimENT: oppugnabunt, ſed non expugnabunt. *Sed ultra non proficient.* Portæ inferi non prævalebunt adverſus Eccleſiam ſuper petram voce Domini fundatam. Quos Pater æternus Chriſto dedit, nemo rapiet de manu ejus.

Pſal. 10.
S. Aug. lib. 1. Confeſſ. c. 8.
S. Hieron. Ep. ad Creſiphontem contra Pelagianos.
Epiſt. Synodi Antioch. apud Euſeb. lib. 7. cap. 10.

Apoſtolici hominis dotes.

10. *Tu autem aſſecutus es meam doctrinam, inſtitutionem, propoſitum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam.* Hæ Apoſtolici hominis dotes. 1. Doctrina ſana. 2. Vita innocens ſimul & pœnitens. 3. Intentio pura, ut non quærat quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti. 4. Fides invicta, & incorruptus in Dominum affectus. 5. Infirmorum tolerantia. 6. Charitas indefeſſa, qua bene vult omnibus, omniumque ſpirituales utilitates procurat cum diſpendio quietis ſuæ, & omnium commodorum temporalium, vitam ipſam pro eorum æterna ſalute devovere paratiſſimus. 7. Patientia in malis, in perſecutionibus, in contradictionibus, & difficultatibus. Qui his virtutibus inſtructus eſt Doctor & Prædicator veritatis, *totus de Apoſtolo armatus*, de mundo, ejuſque *erroribus, amoribus, terroribus*, ac de principe hujus Mundi glorioſe triumphabit.

Tertullian.
S. Auguſt.
Perſecutio, piis omnibus ſuſtinenda.
S. Auguſt.

12. 13. *Et omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur.* Quod a Spiritu ſancto prædicatum eſt, impleri quotidie quis miretur? Quid eſt Chriſtiani hominis vita, niſi participatio & adimpletio Myſteriorum Chriſti in terris patientis, & in cruce morientis, in fidelibus ejus? *Tota vita Chriſtiani, ſi ſecundum Evangelium vivat, crux eſt & Martyrium.* Pugna continua carnis adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, perpetua colluctatio adverſus dœmones ſalutis noſtræ hoſtes, improborum ſocietas inter quos non ſine dolore & moleſtia converſari juſti coguntur; odia, criminationes, calumniæ, detractiones, lites injuſtæ, & id genus injuriæ, quas boni a malis patiuntur; moleſtiæ quas interdum boni etiam exhibent ex infirmitate, ignorantia, & indolis contrarietate, ad perſecutionem pertinent piis omnibus ſuſtinendam. His adde calamitates publicas, Eccleſiæ, & Reipublicæ mala, quibus pii non poſſunt non affici, ob eaque vehementer affligi. Denique abnegatio perpetua ſui ipſius, violentia quam ſibi quiſque debet inferre ut regnum cœlorum rapiat; Pœnitentia quæ toto mortalis vitæ tempore nobis agenda eſt ut in nobis corpus peccati deſtruatur, piorum omnium vitam continuam eſſe paſſionum ſeriem demonſtrant. *Omnes qui pie volunt vivere in Chriſto Jeſu, perſecutionem patientur*: „ Et „ ideo numquam deeſt tribulatio perſecutionis, ſi „ numquam deſit obſervantia pietatis. Dominus ipſe „ in ſuis exhortationibus dicit, *Qui non accipit cru„ cem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.* Nec „ dubitare debemus hanc vocem non ſolum ad Diſci„ pulos Chriſti, ſed ad cunctos fideles, totamque Ec„ cleſiam pertinere, quæ ſalutare ſuum in his qui „ aderant, univerſaliter audiebat. Sicut ergo totius „ eſt temporis pie vivere: ita totius eſt temporis „ crucem ferre, quæ merito cujuſque ſua dicitur, „ quia propriis modis atque menſuris ab unoquoque „ toleratur. Unum nomen eſt perſecutionis, ſed non „ una eſt cauſſa certaminis, & plus quandoque pe„ riculi eſt in inſidiatore occulto, quam in hoſte ma„ nifeſto. Beatus Job alternantibus vitæ hujus malis „ ac bonis eruditus pie veraciterque dicebat; *Nonne „ tentatio eſt vita hominis ſuper terram?* Quoniam „ non ſolis doloribus corporis atque ſuppliciis anima „ fidelis impetitur, verum etiam ſalva incolumitate „ membrorum gravi morbo urgetur, ſi carnis vo„ luptate mollitur. Sed cum caro concupiſcit adver„ ſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem, præſidio „ crucis mens rationalis inſtruitur: nec cupiditatibus „ noxiis illecta conſentit, quoniam continentiæ cla„ vis, & Dei timore transfigitur. In bono igitur „ propoſito conſtitutis inimicitiæ diſſimilium diabolo „ inſtigante non deſunt, ut facile in odia prorum„ pant, quorum improbi mores deteſtabiliores fiunt „ comparatione juſtorum. Iniquitas cum juſtitia non „ habet pacem, temperantiam odit ebrietas, falſitati „ nulla eſt cum veritate concordia: non amat ſuper„ bia manſuetudinem, petulantia verecundiam, ava„ ritia largitatem: & tam pertinaces habet diverſi„ tas illa conflictus, ut etiamſi exterius conquieſcat, „ ipſa tamen piorum cordium penetralia inquietare „ non deſinat: ut verum ſit quod *Qui voluerint in „ Chriſto pie vivere, perſecutionem patientur*: & ve„ rum ſit quod omnis hæc vita tentatio eſt. Ipſis „ experimentis ſuis unuſquiſque fidelis edoctus, Chri„ ſti cruce armetur, ut Chriſto dignus habeatur. „ Numquam deerunt in Eccleſia mali ad exercita„ tionem bonorum. Zizania cum frumento creſcent uſque ad meſſem. Suos hoſtes ſemper habebunt veritas & pietas. Religio quæ invidiam ſortita eſt ex quo Deus coli cœpit, perſecutores manifeſtos & occultos ſemper habebit. Eccleſiæ mala finem non habebunt, quandiu militabit in terris. Unicum Juſtorum ſolatium gratia Chriſti eſt, qua in adverſis ſuſtentantur & roborantur, & beatæ ſpes æternitatis, quæ ipſis promiſſa eſt. *Mali autem homines & ſeductores proficient in pejus, errantes, & in errorem mittentes.* Nos vero proficiamus in fide, ſpe, & caritate, euntes de virtute in virtutem, donec videamus Deum in Sion. Ne reverti velimus in Ægyptum ut Iſraelitæ in deſerto murmurantes contra Deum, & Manna faſtidientes; ne reſpiciamus retro ut uxor Loth conflagrante Sodoma: ne Mundo adhæreamus, quia totus mundus in maligno poſitus eſt. Si ante nos Deus, poſt nos ſumus. *Vanitas* enim *vanitatum, & omnia vanitas.* Hæc poſt dorſum noſtrum ſint: æternitas vero ante oculos noſtros; ad eam tendant omnes affectus noſtri, omnes curæ.

S. Leo M. Serm. 46. De Quadrageſ. 9. c. 1.

Sanæ doctrinæ fontes.

14. 15. *Tu vero permane in iis quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens a quo didiceris.* Fidei & ſanæ Morum doctrinæ, quam ex ſacris Scripturis, & ex Apoſtolica Traditione hauſimus, & ab Eccleſia Catholica Apoſtolica diſcimus, in qua ſemper ſervata eſt, ſemperque ſervabitur Scripturarum & Traditionum Apoſtolicarum veritas & integritas, & cui creditus eſt a Chriſto & revelatus a Spiritu ſancto ſenſus Scripturæ ſacræ, cujus explicatio *propria interpretatione non fit*, immobiliter adhærendum eſt. Salutaris doctrinæ in his fontibus contentæ, Scriptura ſcilicet ac Traditione Apoſtolica, & Eccleſiæ Catholicæ creditæ, quæ deficere non poteſt, & adverſus quam inferi portæ numquam prævalebunt, Magiſter eſt Spiritus ſanctus, quo inſpirante locuti ſunt ſancti Dei homines, & qui loquitur per os Eccleſiæ & Paſtorum ejus, præſertim Romani Pontificis. *Sciens a quo didiceris.* In lectione vero & meditatione Scripturæ ſacræ aſſidui eſſe debent Epiſcopi & Sacerdotes, quamvis doctrina & ſanctimonia Timothei eſſent.

2. Petri 2. 20.

Lectio & Meditatio Scripturæ Sacræ Sacerdotibus commendatur.

Et



Et utinam a tenera ætate in ea inſtituerentur, non ſolum qui ad Clerum a Deo vocati ſunt, ſed Chriſtiani omnes, parentum & præceptorum pia cura, Paſtoribus dirigentibus! *Et quia ab infantia ſacras Litteras noſti.* Legenda porro eſt ut in ea Chriſtianæ vitæ, & vocationis noſtræ officia diſcamus, mediaque ad ſalutem æternam conſequendam hominibus a Deo tradita. *Quæ te poſſint inſtruere.* Legenda eſt cum fide, cum humilitate, cum puritate cordis. *Per fidem.* Legenda ut ejus lectione nutriamur & creſcamus in Chriſto. *Quæ eſt in Chriſto Jeſu.* Legenda, non ob finem gloriæ ſecularis, aut vanæ curioſitatis, aut quorumvis temporalium commodorum, ſed *Ad ſalutem.* Pudendum eſt quod Clerici, & Chriſtiani omnes legere negligant verba Creatoris, Redemptoris, Regis & Dei ſui. *Quid eſt autem Scriptura ſacra, niſi quædam Epiſtola Dei ad creaturam ſuam?* „ Si ſcripta „ terreni Imperatoris acciperes, non ceſſares, non „ ſomnum oculis dares, niſi prius quid tibi Impera„ tor terrenus ſcripſiſſet agnoviſſes. Imperator cœli, „ Dominus hominum & Angelorum pro vita tua tibi „ ſuas Epiſtolas tranſmiſit; & tamen eaſdem Epiſtolas „ ardenter legere negligis. Stude ergo, quæſo, & „ quotidie Creatoris tui verba meditare. “ *Diſce cor Dei in verbis Dei ut ardentius ad æterna ſuſpires, ut mens tua ad cœleſtia gaudia majoribus deſideriis extendatur. Tanto enim major ei erit requies, quanto modo ab amore Conditoris ſui requies nulla fuerit.*

S. Gregor. M. Epiſt. 40. libri 4. Ad Theodorum Medicum.

Scripturæ ſacræ excellentia & utilitas.

16. 17. *Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia: Ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Eodem Spiritu inſpirante verbum Dei in ſacrarum Scripturarum ſinu conceptum eſt, quo operante in Virginis immaculatæ utero Verbum æternum incarnatum eſt. Adoranda ſunt igitur verba Scripturæ ſacræ; non minori cum venerationis, fidei, dilectionis, humilitatis & obedientiæ affectu, legenda, audienda, & in cordibus conſervanda ſunt ut ex eis nutriamur, quam ſi Chriſtum ipſum nobis loquentem ſenſibiliter audiremus. Hæc omnia Paſtorum & ovium officia complectitur. Hic theſaurus eſt, ex quo Paſtores proferunt nova & vetera ad Eccleſiæ Chriſti ſponſæ, & fidelium animarum ornamentum. Hoc Eccleſiæ armamentarium, ex quo arma victricia contra veritatis hoſtes depromuntur. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium, & gladius ſpiritus, quod eſt verbum Dei.* Hic animarum cibus, & caſtæ cordium deliciæ. Per hanc Paſtores & Doctores religionis noſtræ veritates & dogmata ſive fidem ſive morum diſciplinam ſpectantia, tradunt & explicant fidelibus. *Utilis eſt ad docendum.* Per hanc hæreſes & errores ſalutiferis illis veritatibus oppoſitos impugnant, refellunt, convincunt. *Ad arguendum.* Per hanc Concionatores corripiunt iniquos, & ad pœnitentiam convertunt. *Ad corripiendum.* Per hanc Moralis Theologiæ Interpretes omnium ordinum, ſtatuum, conditionumque Chriſtianos ad juſtitiam & pietatem erudiunt & dirigunt in viam ſalutis. *Ad erudiendum in juſtitia.* Hæc autem omnia perfectionem præſtant. *Non ergo ſine illa perfici poteſt homo Dei. Pro me Scripturas habes*, ait Paulus diſcipulo ſuo; *ſi quid addiſcere cupis, hinc poteris. Si autem Timotheo iſta ſcribit ſancti Spiritus pleno; quanto magis nobis dicta putare debemus?* Væ Sacerdotibus qui ex lutulentis rivulis fœtidiſve ciſternis mortuas & corruptas aquas hauriunt, quibus animas inquinent, non emundent, neglectis fontibus aquæ vivæ, in vitam æternam ſalientis. Ad lectionem Scripturæ ſacræ, jugemque meditationem ſibi ſubditos fideles adhortentur Paſtores, eoſque dirigant in hac ſancta lectione, docentes qua diſpoſitione, quo animi affectu in ea verſari, & ex ea debeant proficere. Nam „ Modus ipſe dicendi quo Scriptura „ ſancta contexitur, quam omnibus acceſſibilis, „ quamvis pauciſſimis penetrabilis. Ea quæ aperta „ continet, quaſi amicus familiaris ſine fuco ad cor „ loquitur indoctorum atque doctorum. Ea vero quæ „ in myſteriis occultat, nec ipſa eloquio ſuperbo „ erigit quo non audeat accedere mens tardiuſcula „ & inerudita, quaſi pauper ad divitem; ſed invitat „ omnes humili ſermone, quos non ſolum manifeſta „ paſcat, ſed etiam ſecreta exerceat veritate, hoc „ in promtis quod in reconditis habens. Sed ne a„ perta faſtidirentur, eadem rurſus operta deſideran„ tur, deſiderata quodammodo renovantur, renova„ ta ſuaviter intimantur. His ſalubriter & prava „ corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oble„ ctantur ingenia. Ille huic doctrinæ inimicus eſt „ animus, qui vel errando eam neſcit eſſe ſaluber„ rimam, vel odit ægrotando medicinam. “ Denique Scripturæ ſacræ lectio aſſiduam meditationem, meditatio dilectionem, dilectio ſanctam operationem parere debet. Unde Rex Propheta ait. *Et meditabar in mandatis tuis, quæ dilexi. Et levavi manus meas ad mandata tua quæ dilexi, & exercebar in juſtificationibus tuis.* „ Neque tamen meditatio utilis eſt, „ niſi lex ipſa quæ in meditatione eſt, diligatur: neque „ diligere communi dilectione ſufficiet, niſi etiam „ vehementer id quod diligitur deligatur. Sed neque „ meditatio legis, neque ipſa dilectio impenſa ſufficiet, niſi fructum operum & voluntatis efficientia „ conſequatur... Operis vero officium ſemper oportet eſſe intentum, & nulla interdum negligentiori „ diſſimulatione ceſſare. *Et exercebor in juſtificationibus tuis.* Exercitatio aſſiduitatem operationis „ oſtendit.

Cantic. 4. 4.
Epheſ. 6. 17.
S. Chryſoſt. Hom. 9.
S. Aug. Epiſt. 137. alias. 3. Ad Voluſianum, cap. 5.
S. Hilarius Tract. in Pſal. 118. Litt. 6.

---

## C A P U T IV.

### *Senſus Litteralis.*

1. 2. *Teſtificor coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, per adventum ipſius, & regnum ejus: Prædica verbum, inſta opportune, importune, argue, obſecra, increpa, in omni patientia, & doctrina.* Te obteſtor coram Deo Patre, & Filio ejus Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt homines univerſos, tum eos quos Judicii dies vivos invenerit, & quos ultimæ conflagrationis ignis conſumet, mox cum aliis reſurrecturos, tum ante diem illum mortuos, quando manifeſte ad Judicium veniet, palam & glorioſe regnaturus omnibus ei ſubjectis: Prædica Evangelium, inſtanter incumbe operi, urge homines tempeſtive, intempeſtive, omni tempore, privatim, publice, tempore pacis, & perſecutionis; argue & refelle errantes & falſos doctores, corrige malos mores & increpa peccatores; obſecra & exhortare ut juſte vivant: & moribus ſint incorruptis. Hæc autem omnia præſta cum lenitate & patientia docens, ut convicti veritatem amplectantur, & ad meliorem frugem redeant.

3. 4. *Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus: Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Nam (quantum divino lumine proſpicio & auguror) brevi futurum eſt ut multi ex his qui Chriſtiano cenſentur nomine, a ſinceritate fidei deficiant, imo ſanam doctrinam audire non ſuſtineant. Sed ſecundum ſuas cupiditates & pravos carnaleſque affectus, ſibi temere & ſine ullo delectu Magiſtros magno numero adſciſcent, qui eos grata & placentia doceant, eorum aures & animos demulcentes & quaſi titillantes. Et a veritate quidem ſanæ doctrinæ, ſeu ab Evangelio, quod nemini adulatur, aures avertent, falſarum autem doctrinarum figmentis ultro aures & fidem accommodabunt.

Elegans metaphora, prurientes aures habere dicuntur, qui nova, curioſa ſibique placentia audire amant.

5. *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple. Sobrius eſto.* Tu vero aſſidue vigila, & gregem tibi commiſſum adverſus falſas doctrinas & imminentia mala præmuni; virtutis labores amplectere, & afflictiones omnes conſtanti animo tolera; Evangeliſtæ officio indefeſſe fungere, inter adverſa, evellendo & impugnando errores, prædicando & inſerendo veritatem. Miniſterium tuum omni ex parte imple, ut nihil omittas eorum quæ te verum & fidelem eſſe Chriſti Jeſu Miniſtrum comprobare poſſunt. In omnibus modum ſerva. Hæc verba, *Sobrius eſto*, ſecundum Textum Græcum & Syriacam Verſionem ſuperflua videntur viris quibuſdam eruditis, quod enim Haymo, Primaſius, immo & Auctor Commentarii ſub nomine S. Ambroſii olim editi, nunc in Appendicem rejecti, confirmant. Veriſimile videtur, quoſdam Interpretes νῆφε vertiſſe, *Sobrius eſto*; alios vero, *Vigila.* Unde factum eſt, ut quod uno verbo Græco apte ſignificatur, duobus in Vulgatæ noſtræ Codicibus exprimeretur. Et certe ſi proprie ſumatur ſobrietas, quid neceſſe erat Timotheum aquæ potatorem ad ſobrietatem hortari? Nihilominus tamen retinenda hæc verba, & ut ſacra habenda ſunt, cum S. Hieronymus, & Vulgata noſtra Eccleſiæ auctoritate probata & uſu conſecrata illa habeant.

Fabulas judaicas & hæreticas intellige, ut Simonis Magi, Gnoſticorum &c.

6. *Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat.* Ne mireris quod tam inſtanter te moneam. Nam intra breve tempus ſanguis meus tanquam libamen ſuper victimam Deo immolatam per martyrium effundetur, & tempus ſolutionis meæ ex corporis vinculis, ſeu migrationis ex hoc mundo ad Chriſtum imminet.

Voces agoniſticæ.

7. 8. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi.* Bene certavi in ſtadio Evangelico a tempore converſionis meæ per omne genus bonorum operum, laborum Apoſtolicorum, & afflictionum pro Chriſti nomine toleratarum ad coronam contendens: curſum confeci, prope abſum a meta: munus mihi

com-

commiſſum evangelici miniſterii fideliter & perſeveranter obii. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex: non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus*. Quod reliquum eſt, coronam vitæ immortalis & cœleſtis, coronam juſtam, & bonis operibus a Deo promiſſam exſpecto, quam reddet mihi Chriſtus Dominus juſtus judex in die illa magna univerſalis Judicii & retributionis: non ſolum autem mihi, ſed & iis omnibus qui adventum ejus ex amore exoptaverint, & ad ejus præſcriptum vitam inſtituerint.

Merita bonorum operum. Confer cum *Jacobi* 1. 12. 1. *Petri* 4. *Apocal.* 2. 10. & 6. 2.

8. 9. *Feſtina ad me venire cito*. Da operam ut, quamprimum fieri poterit, ad me venias, ut mihi aliis adjutoribus pene deſtituto in Chriſti rebus promovendis opem feras. *Demas enim me reliquit, diligens hoc ſeculum, & abiit Theſſalonicam*. Demas ſecuritati & quieti ſuæ conſulens, & Evangeliſtæ munus, cativique Apoſtoli familiaritatem & conſortium hujus vitæ commodis poponens, me deſeruit, & Theſſalonicam profectus eſt. Demam ad Paulum rediiſſe, non probatur ex Epiſtolis ad Coloſſenſes & ad Philemonem, cum ante hanc ad Timotheum Epiſtolam ſcriptæ ſint, ut in Prologo probavimus.

10. 11. 12. *Creſcens in Galatiam* profectus eſt, vel Evangelii cauſa, vel ob aliam juſtam neceſſitatem Pro *Galatia*, *Galliam* legit *S. Epiphanius Hæreſi* 51. cui nulla modo ſuffragantur Exemplaria. Galatiæ nomine Galliam intellexit *Theodoretus* in Commentar, *Euſeb. lib.* 3. *Hiſtor. Eccleſ. cap.* 3. Creſcentem a S. Paulo in Gallias miſſum ſcribit, quod *Sophronius* lib. *De Scriptor. Eccleſ.* Ado Viennenſis, Uſuardus, & Romanum Marthyrologium confirmant. *Titus in Dalmatiam*, Illyrici regionem. *Lucas* (Evangeliſta) peregrinationum mearum individuus comes, *eſt mecum ſolus*. *Marcum* (Joannem) conſobrinum Barnabæ, *aſſume, & adhunc tecum*, Romam; *Eſt enim mihi utilis in Miniſterium* Evangelii. *Tychicum autem miſi Epheſum*, illi Eccleſiæ conſulens, ut vices tui abſentis in ea ſuppleat.

13. *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem membranas*. Pallium, quod reliqui Troade apud Carpum hoſpitem meum, affer tecum; & libros, maxime autem membranas, in quibus multa manu mea ſcripſi & annotavi. Penulæ nomine pallium viatorium intelligunt S. Chryſoſtomus & Theophylactus, quod veſtis genus aptum imbribus ac frigori depellendo, tametſi Romæ comparare poſſet, repetere maluit ne fidelibus Romanis eſſet oneri. Alii ſcriniolum ſeu arculam intelligunt libris chartiſque refertam, ut Syriacæ Verſionis Auctor, quam expoſitionem etiam indicant S. Chryſoſtomus & Theophylactus. Genus fuiſſe veſtimenti, colligitur ex Tertulliano lib. *De Oratione*, capit. 12. *S.* Hieronymus Epiſtol. 125. ad *Damaſum* Quæſtion. 2. penulam *Volumen Hæbreum* interpretatur, veteris Teſtamenti libros continens. Penulam tamen ac lacernam pro eodem ſumit *Dialogo III. Adverſus Pelagianos*, quem ſequitur Sedulius in hujus loci Commentario.

*Penulam* genus veſtis fuiſſe, corpori ab imbribus tuendo deſtinatum, ex Quintiliano, lib. 6. cap. 5. Horatio lib. 1. Epiſt. 11. Juvenali Satyr. 15. & Lampridio in Alexandri Severi Vita, confirmatur. Veſtem, quam Gallice *Surtout* appellant, Latine *Penulam*, ſeu *lacernam*, apte dixerimus.

Secundum Græcum Textum, & pleroſque Codices Latinos Miſſ. *Reddat illi Dominus* &c. quæ tamen verba *non imprecantis* ſunt, *ſed prænunciantis*. Ex S. Aug. lib. 16. contra Fauſtum, c. 22. & lib. 1. De Sermone Domini in Monte, c. 21. N. 71. Nam *Prophetæ maxime ſolent figura imprecantis futura prædicere*.

14. 15. *Alexander ærarius multa mala mihi oſtendit: reddat illi Dominus ſecundum opera ejus*. Alexander faber ærarius multa mala mihi intulit. Reddet illi Dominus quod meretur. *Quem & tu devita: valde enim reſtitit verbis noſtris*. Ab eo cave: valde enim reſtitit prædicationi noſtræ & evangelicæ doctrinæ, idem tibi facturus, qualibet nocendi occaſione data. De hoc artifice vide *Act.* 19. 33. & 1. *Tim.* 1. 20. Non eſt autem mirum fabrum ærarium tumultus & pericula in Apoſtolum excitaſſe: proprium enim eſt eorum, qui ſibi manibus victum parant, populum commovere. Ita Demetrius argentarius univerſam Epheſum in eum concitavit. Obſervatio eſt Theodoreti.

16. *In prima mea defenſione nemo mihi adfuit, ſed omnes me dereliquerunt: Non illis imputetur*. Cum primum comparui coram Nerone ut cauſam dicerem, nemo mihi patrocinium vel auxilium impendit, ſed omnes me dereliquerunt periculi metu, qui mihi prodeſſe potuiſſent qua valebant gratia apud Aulicos Cæſaris. Deum rogo ne illis hanc timiditatem & ignaviam imputet.

17. *Dominus autem mihi adfuit, & confortavit me, ut per me prædicatio impleatur, & audiant omnes gentes, & liberatus ſum de ore Leonis*. Dominus autem mihi auxilio fuit, mihique vires dedit ſecundum promiſſum ſuum, ut prædicatio Evangelii mihi concredita impleretur, & illud audirent omnes Gentes, quas ex ore meo fidei doctrinam audituras Deus decrevit. „ Quando ſcilicet appellatione uſus Romam „ a Feſto miſſus eſt, defenſione audita fuit abſolu- „ tus, & in Hiſpaniam profectus eſt, & ad alias „ gentes excurrens, eis evangelicæ doctrinæ lucem „ attulit. „ Primam ergo vocavit defenſionem qua in illa profectione uſus eſt. *Et liberatus ſum de ore Leonis*. Neronem appellavit leonem, tum ob imperatoriam dignitatem, tum ob crudelitatem.

S. Chryſoſt. Theodoret.

18. *Liberavit me Dominus ab omni opere malo: & ſalvum faciet in regnum ſuum cœleſte, cui gloria in ſecula ſeculorum. Amen*. Eripuit me Dominus non ſolum a faucibus mortis, ſed ab omni peccato, ne quid indignum Apoſtolo committerem: & confido quod me ab omni peccato deinceps eripiet, mihique perſeverantiæ donum tribuet, ac æterna ſalute, regnoque cœleſti me donabit: cui, nempe Domino Jeſu Chriſto ſit laus & gloria in omnem æternitatem. Non ait. Liberabit me rurſus a Leone, ſed ab omni opere malo. Sciebat enim ſe hac vice mortem non evaſurum, ut obſervat Theodoretus.

Secundum Græcum, & Syriacam Verſionem *Liberavit me*, & ſic legendum oſtendit verbum ſubſequens futuri temporis & *Salvum faciet*

19. *Saluta Priſcam & Aquilam, & Oneſiphori domum*. Nomine meo ſalutes Priſcam ſeu Priſcillam, & Aquilam maritum ejus, & Oneſiphori familiam. Hunc Romæ tunc apud Paulum fuiſſe Theodoretus conjicit: ſed veriſimilius eſt obiiſſe, idque conjicitur ex Apoſtoli ſilentio, nec non ex his ipſius verbis; *Lucas mecum eſt ſolus*.

Gloria perinde Filio tribuitur ac Patri.

20. *Eraſtus remanſit Corinthi. Trophimum autem reliqui infirmum Mileti*. Eraſtus in Macedoniam miſſus fuerat a Paulo, ut conſtat ex *Act.* 19. 22. deinde Corinthum redierat, ibique manſerat ratione officii ſui. Erat enim *Arcarius civitatis*, ut conſtat ex *Rom.* 16. 23. Trophimus Epheſius fuit unus ex comitibus Pauli, ut conſtat ex *Act.* 20. & 21. 9. Hic Apoſtolum Jeroſolymam uſque ſecutus erat, ubi Templum ingreſſus occaſionem dedit Judæis commovendi tumultum adverſus Paulum. Poſtea vero Miletum non rediit Apoſtolus, ſed ex Hieroſolymis captivus Romam perductus eſt. Quomodo igitur Trophymum reliquit infirmum Mileti? Quidam pro *Mileti*, legendum *Melite* inaniter conjiciunt, nullis ſuffragantibus Exemplaribus. Alii de Mileto Cretæ urbe hunc locum intelligunt: ſed hanc jam dirutam fuiſſe teſtis eſt Strabo, qui ſub Auguſto & Tiberio Imperatoribus vixit. Probabilius eſt id contigiſſe cum Paulus vinculis prioribus ſolutus in Orientem rediit, ut quas fundaverat in Græcia & Aſia Eccleſias iterum perluſtraret. Eo ſcilicet tempore Miletum rurſus veniſſe, ibique Trophimum infirmum reliquiſſe.

De Priſcilla & Aquila videſis *Act.* 18. 3. 24. & 26.

21. *Feſtina ante hyemem venire*. Profectionem tuam matura, iter accelera, ut ante hyemem Romam advenias. *Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes*. Pudens vir Senatorius, & Claudia ejus uxor, ſanctarum Virginum Praxedis & Pudentianæ parentes feruntur. Linus S. Petri in Romano Epiſcopatu Succeſſor. *Fratres omnes*, ideſt, omnes Chriſtiani, qui tunc Romæ degebant, e quibus clariores nominatim deſignat.

22. *Dominus Jeſus Chriſtus cum Spiritu tuo. Gratia vobiſcum, Amen*. Conſueta Pauli benedictio. Nihil Chriſto majus, nihil Chriſti gratia pretioſius Timotheo ſuo, aliiſque fidelibus optare poterat.

---

C A P U T IV.

*Senſus Moralis*.

1. 2. *Teſtificor coram Deo, & Jeſu Chriſto, qui judicaturus eſt vivos & mortuos, per adventum ipſius, & regnum ejus: Prædica verbum, inſta opportune, importune: argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina*. Paſtores & Rectores animarum propriam ſalutem operari non poſſunt, niſi ovium ſibi commiſſarum ſaluti procurandæ totis viribus incumbant. Illorum zelum & vigilantiam excitare debent Dei majeſtas & ſanctitas, quæ animarum ſalute glorificatur; *Coram Deo*: 2. Pretium quod pro illis Chriſtus Jeſus dedit, ſanguinem ſuum; *& Jeſu Chriſto*. 3. Metus judicii ejus in quo terribiles pœnas de Paſtoribus negligentibus ſumet, animarum perditarum per eorum incuriam ſanguinem de illorum manu requirens: *Qui judicaturus eſt vivos & mortuos*. 4. Exſpectatio glorioſi ejus adventus, in quo animas ſibi commiſſas, & eorum miniſterio ſalutem conſecutas, illi exhibebunt ſeu virginem caſtam illi deſponſatam: *Per adventum ipſius*. 5. Spes gloriæ illis promiſſæ qui regno ipſius propagando & in animabus ſtabiliendo fuerint cooperati: *Et regnum ejus*. Id vero præſtant prædicando verbum Dei, quod præcipuum Epiſcoporum munus eſt, redarguendo & refellendo falſam doctrinam, falſoſque Doctores, corrigendo pravos mores, & pios exhortando ad profectum ac perſeverantiam. *Prædica verbum, argue, obſecra, increpa*. Animarum Medici peritos corporum Medicos imitentur, qui putrido vulneri ſectionem primum adhibent, & acerbioribus utuntur medicamentis, deinde lenia applicant. Eſt itaque *redargutio* ſimilis

Paſtorum officia. Zelus ſalutis animarum.

*Concil. Trid. Seſſ.* 24. *De Reform. c.* 4.

*S. Chryſoſt. Hom.* 9. *Theodoret.*



ſimilis ſectioni, *increpatio* autem medicamentis auſterioribus, lenibus autem *obſecratio* & exhortatio. Nullum medium negligendum eſt ut animarum vulnera curentur, nec exſpectandum tempus eſt quo veritas peccatoribus placeat, omni modo urgendi ſunt, monendi, docendi, increpandi, obſecrandi, *opportune, importune*, operi converſionis illorum inſtandum eſt. Opportune volentibus, importune nolentibus & repugnantibus adhibenda eſt ſalutaris doctrinæ correptioniſque medicina. Nec longanimitas & patientia Miniſtrorum defatigari debet curando vulnera peccatorum, quos cœleſtis & omnipotentis Medici miſericordia expectat ad Pœnitentiam. *In omni patientia & doctrina*. Inſta cum omni longanimitate ad ſuſtinendam eorum indignationem quos arguis & increpas, & doctrina ad inſtruenda eorum ſtudia quos ædificas; & ad perſuadendum ipſis quod verum, rectum, juſtum & ſalutare eſt. Inſta opportune; quod ſi hoc modo non proficis, importune. Officio tuo fungere, etiamſi illi videaris importunus qui non libenter audit: hoc illi ſcias eſſe opportunum, dummodo aptis ad perſuadendum verbis utaris, & ſpes ſit aliqua proficiendi; & dilectionem curamque ſanitatis ejus animo teneas manſueto, & modeſto, & fraterno. „ Multi enim „ poſtea cogitantes quæ audierint, & quam juſta „ audierint, ipſi ſe gravius & ſeverius arguerunt; „ & quamvis perturbatiores a Medico viderentur ab- „ ſcedere, paulatim verbi vigore in medullas pe- „ netrante, ſanati ſunt. Quod non fieret, ſi ſemper „ exſpectaremus periclitantem putreſcentibus mem- „ bris, quando eum liberet aut uri aut ſecari. Quod „ nec ipſi corporis Medici attendunt, qui terrenæ „ mercedis intuitu curant. Quotus enim quiſque re- „ peritur, qui ferrum eorum aut ignem non ligatus „ expertus ſit? Cum & illi rariores ſint, qui volen- „ tes ligati fuerint. Plures enim reſiſtentes, & mori „ ſe malle clamantes, quam illo curari modo, vix „ lingua ipſa eorum relicta libera omnibus membris „ conſtrinxerunt; neque ad ſuum, neque ad relu- „ ctantis, ſed ad ipſius artis arbitrium: quorum ta- „ men vocibus convitiiſque dolentium, nec commo- „ vetur curantis animus nec quieſcit manus. Ita „ ſe gerant cœleſtis medicinæ Miniſtri Paſtores ani- „ marum. Inſtent *opportune, importune*, dicant erranti, dicant peccatori: *Tu vis errare, tu vis perire: ego nolo. Si me pati non vis, noli errare, noli perire*. Paſtores & Rectores Eccleſiæ, inſtare opportune, importune ſaluti animarum vobis commiſſarum, ſive ſit eis opportunum & commodum, ſive ſit importunum, intempeſtivum & incommodum habita hominis exterioris & carnalis affectus ratione. Tempus etiam ſomni, & refectionis intermittite, cetera negotia dimittite, ut ſaluti proximorum conſulatis. Sic Tobias tempeſtive & intempeſtive pio ſepulturæ operi vacabat, alias nocte interrupto ſomno, alias diu relicto prandio currens ad ſepeliendos mortuos. Simili fervore pietatis properate ad eos qui mortui ſunt morte peccati, quantum Miniſterio veſtro per Dei gratiam, per verbum Dei, per Chriſti Sacramenta poteſtis, ad vitam revocandos. Ita Chriſtus cum Diſcipulis ſuis importune prædicavit, & beneficia ſanitatum impendit turbis ad ſe concurrentibus, neglecto cibo. *Argue, obſecra, increpa, in omni patientia & doctrina*. Non vulgari patientia opus eſt in regimine animarum, ſed *omni*, hoc eſt, quæ modis omnibus demonſtretur, *operibus, verbis, habitu*. Unde Rex Propheta ait: *Bene patientes erunt ut annuntient*. Et Sapiens: *Doctrina viri per patientiam noſcitur*.

*S. Auguſt. in Expoſit. Epiſt. ad Galatas N.* 56. *Pag.* 975.

*Idem Serm.* 46. *De Paſtoribus, cap.* 7.

*Theophylact. Pſal.* 91. 15. *Proverb.* 11. 11.

3. 4. *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros, prurientes auribus*. Nonne in hæc infelicia tempora incidimus? Quam pauci veritatem amant, & ſanam doctrinam ſuſtinent! Ut enim Ethnicos, Judæos, Hæreticos, Schiſmaticos prætereram qui partem orbis longe majorem occupant, quam pauci ſunt inter Chriſtianos Catholicos qui ſanam doctrinam diligant & ſectentur, qui ſecundum Evangelium vitam inſtituere, qui per arctam viam quæ ducit ad vitam, incedere velint? Ex numero Doctorum de doctrina judicant, cum de Doctoribus ex doctrinæ puritate ſit judicandum; certoque tenendum ſit eam veram & ſanam non eſſe, quæ Scripturæ ſacræ, Traditioni, Eccleſiæ Decretis contraria eſt, quæ a ſancta Evangelii ſeveritate recedit, quæ pravis hominum deſideriis & cupiditatibus favet, adulatur; condeſcendit. De hujuſmodi hominibus veritatem & legem Dei non exquirentibus ſed ſuarum fomenta cupiditatum, & excuſationes in peccatis, jure merito dici poteſt quod de Judæis Iſaias ait: *Populus ad iracundiam provocans eſt, filii mendaces, filii nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: Nolite videre; & aſpicientibus; Nolite aſpicere nobis ea quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores. Auferte a me viam, declinate a me ſemitam, ceſſet a facie noſtra Sanctus Iſrael*. Hi ſanioris Moralis Doctores audire nolunt, quorum characterem Spiritus ſanctus Salomonis calamo expreſſit, dicens: *Verba Sapientium ſicut ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per Magiſtrorum conſilium data ſunt a Paſtore uno. His amplius, fili mi, ne requiras*. Verba ſapientium & Doctorum ac Prædicatorum veritatis, corda pungunt, non palpant, nec molli manu attrahunt laſciviam, ſed peccatoribus Pœnitentiæ dolores & vulnus infligunt. *Si cujus igitur ſermo non pungit, ſed oblectationem facit audientibus, iſte non eſt ſermo Sapientis. Verba quippe Sapientum ut ſtimuli. Quæ quoniam ad converſionem provocant delinquentes, & firma ſunt, & a concilio ſanctorum data, & ab uno Paſtore conceſſa, & ſolida radice fundata ſunt*. Hæc audire non ſuſtinent homines ſeculo dediti, praviſque deſideriis & cupiditatibus implicati, *ſed ad ſua deſideria coacervant ſibi Magiſtros*, qui conſentanea ſuis deſideriis doceant, *Qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas*. Prophetas inſipientes quærunt, *Qui vident vana, & divinant mendacium, dicentes, Ait Dominus, cum Dominus non miſerit eos*. Sed juſto Dei judicio evenit, ut qui veritatem faſtidiunt & contemnunt, figmentis, commentis, mendaciis, erroribus aſſenſum præbeant, fabuloſis hiſtoriis delectentur. *Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*.

*Iſaiæ* 30. 9. 10. & *ſeq.*

*Eccleſiaſt.* 12. *S. Hieronym. Commentar. in Eccleſiaſt.* 12.

*Ezechiel.* 13.

*Ezechiel.* 13.

5. *Tu vero vigila, in omnibus labora, opus fac Evangeliſtæ, miniſterium tuum imple*. Ex ore Apoſtoli officia ſua diſcant Epiſcopi & Paſtores 1. Exigitur ab eis vigilantia ſuper gregem Domini, ne a lupis rapacibus palam vel occulte graſſantibus, ovium fides, vel morum integritas corrumpatur variis & peregrinis doctrinis. Vigilent, ne dormientibus inimicus homo in agro Domini ſuperſeminet zizania. *Vigila*. 2. Labor continuus, & afflictionum quarumvis tolerantia poſtulatur a Paſtoribus. Reſidendo in cuſtodia, paſſione, & defenſione gregis laborent, omniaque mala patiantur potius quam oves deſerant. *Nullis periculis, nullis perſecutionibus, nullis injuriis hominum improborum avellantur a grege, ab officio revocentur*. *In omnibus labora*. 3. Veritatem evangelicam conſtanter, indeſeſſe prædicare debent, non humanarum opiniorum commenta. *Opus fac Evangeliſtæ*. S. Paulum, ceteroſque Apoſtolos imitentur, „ Qui ad inventionem miſſi errantium, & ad viſio- „ nem eorum qui non videbant, & ad medicinam „ languentium, non ſecundum præſentem opinio- „ nem colloquebantur eis, ſed ſecundum veritatis „ manifeſtationem. Nec enim quilibet homines recte „ facient, ſi cœcos, jamjamque per præcipitium „ ferri incipientes; adhortentur inſiſtere illi pericu- „ loſiſſimæ viæ, quaſi vere rectæ, & quaſi bene per- „ venturi ſint. Quis autem Medicus volens curare „ ægrotum, faciet ſecundum concupiſcentias ægro- „ tantis, & non ſecundum quod aptum eſt medicinæ? 4. A Paſtoribus exigit Deus ut omnes officii ſui ac Miniſterii partes fideliter impleant. Qui enim neceſſariam aliquam & indiſpenſabilem Paſtoralis muneris functionem prætermittunt, damnationis æternæ periculum incurrunt. Qui peccat in uno, factus eſt omnium reus. Et quid prodeſt ab hominibus adulatoribus laudari, quod parte aliqua Officii ſui præclare functi ſint, dum a Chriſto Paſtorum Principe ſummoque judice reprobantur & damnantur, quod alteri parti defuerint? *Miniſterium tuum imple*. Ita ſe gerant ne ipſis dicatur in ſupremo Judicii die: *Non invenio opera tua plena*.

Paſtorum officia.

*S. Irenæus lib.* 3. *cap.* 5.

*Apocal.* 3.

6. 7. *Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat*. Qui ſudores ſuos Domino libarunt, cum ſanguinem non poſſent; qui ſe velut hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem totius vitæ tempore devoverunt; qui Chriſti mortificationem in corpore ſuo mortis ejus imitatione pertulerunt; qui vitam, & omnia vitæ commoda in ſacro Miniſterio pro animarum ſalute exponere non dubitarunt; mortem ut ſacrificii ſui conſummationem læti aſpiciunt. Unde Rex Propheta ait: *Dirupiſti vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*, Et, *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum ejus*. „ Et ideo prævidens ſe „ cum ſanctis, & qui pro devotione animas ſuas in „ Chriſto depoſuerunt, futurum, lætatur; quia & „ ipſe obtulit ſe fideliter pro Dei populo adverſus „ Goliam, cum ſingulari certamine dimicaret; vel „ cum ſe morti pro Domini placanda offenſione „ promtus objiceret; vel cum ſe pro ſalute populi „ laborantis divinæ ultioni paratus offerret. Sciebat „ enim glorioſius eſſe pro Chriſto mori, quam re- „ gnare in hoc ſeculo. Quid enim præſtantius quam „ fieri Chriſti hoſtiam! Itaque cum frequenter ab eo „ lega-

Boni Chriſtiani mortem ſuam in ſacrificium convertunt.

*S. Ambroſ. lib. De Bono Mortis, cap.* 3.

„ legamus Domino oblata eſſe ſacrificia, hoc tamen „ loco addit: *Tibi ſacrificabo hoſtiam laudis*. Non ait, Sacrifico, ſed *ſacrificabo*, ſignificans illud eſſe perfectum ſacrificium, quando unuſquiſque Domino, corporis hujus vinculis abſolutus adſiſteret, & offerret ſe hoſtiam laudis; quia ante mortem nulla eſt perfecta laudatio. Eodem Spiritu animatus Apoſtolus, ſuæque vitæ ſacrificium Martyrio proxime futuro conſummandum prævidens, ait: *Ego enim jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat*. Securus ſum', habeo ſurſum Sacerdotem, qui me offerat Deo. Ipſum habeo Sacerdotem; qui pro me prior victima fuit. Eodem Spiritu bonus quiſque Chriſtianus mortem, quæ pœna peccati eſt, per caritatem in ſacrificium convertit, eamque lætus aſpicit ut ſolutionem captivitatis, & revocationem ab exilio in cœleſtem patriam, ubi cum Chriſto ſit æternum regnaturus. *Ego autem jam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat*. Mortem intuetur ut victoriam, qui toto vitæ hujus tempore contra mundum, carnem, diabolum, & peccatum egregie certavit. Mortem ut quietem, & præmii conſecutionem lætus exſpectat, qui in via mandatorum Dei ſine intermiſſione cucurrit. Chriſto Regi ſuo ac Sponſo cum fiducia & exultatione obviam exit, qui fidelis illi in omnibus extitit. *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi*. Deus fidelis eſt in promiſſis, fideles ſimus in præceptis ejus ſervandis. Bonæ conſcientiæ fiduciam ac ſolatium in hora mortis habebimus ut S. Paulus, ſi conſcientiam bonam & puram toto vitæ mortalis decurſu habere & ſervare ſtuduerimus. *Eſto fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*, ait Dominus'.... *Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno ejus*.

*Apoca. 2. 10. & cap. 3. 21.*

8. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex: non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus*. Corona juſtitiæ eſt, ſiquidem meritis laboris & certaminis ex Dei promiſſione debetur: nihilominus corona gratiæ & miſericordiæ eſt, quia gratia merita creantur; miſericordia peccata condonantur. Apoſtolus martyrio proximus merita ſua bona commemorat, ut poſt bona merita conſequatur coronam, qui poſt merita mala conſecutus eſt gratiam. *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ*, &c. Verum *Cui redderet coronam juſtus Judex, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater? Et quomodo eſſet iſta corona juſtitiæ, niſi præceſſiſſet gratia, quæ juſtificat impium? Quomodo iſta debita redderetur, niſi prius illa gratuita donaretur?* „ Cum ergo Deus coronat merita noſtra, quid aliud „ coronat niſi dona ſua? Id in ipſo Paulo perſpicuum „ eſt. *Bonum*, inquit, *certamen certavi*. Quæro qua „ virtute certaverit, utrum quæ illi ex ſemetipſo „ fuerit, an quæ deſuper data ſit? Sed abſit ut tantus „ Doctor ignoraverit Legem Dei, cujus vox eſt in „ Deuteronomio: „ *Poſtquam afflixit & probavit, ad extremum miſertus eſt tui, ne diceres in corde tuo: Fortitudo mea & robur manus meæ hæc omnia mihi præſtiterunt. Sed recorderis Domini Dei tui, quod ipſe vires tibi præſtiterit*. Quid autem prodeſt homini certamen, niſi ſequatur victoria? Et quis dat victoriam, niſi ille de quo ipſe Apoſtolus dicit; *Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum?* „ Deinde dixit, *Curſum con-* „ *ſummavi*, ſed ille dixit, qui alio loco ait: *Igitur* „ *non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt* „ *Dei*. Poſtremo dicit, *Fidem ſervavi*: Sed hoc di„ xit, qui alibi ait: *Miſericordiam conſecutus ſum* „ *ut ſim fidelis*. Ipſa igitur merita & bona opera, „ quibus æterna redditur vita, ad gratiam & miſeri„ cordiam Dei pertinent. *In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die juſtus Judex*. Certandum, laborandum, patiendum eſt ad mortem uſque, viæ duræ cuſtodiendæ ſunt, voluptatibus ſeculi, carnis deſideriis renunciandum, ut felicem illam æternæ vitæ coronam conſequamur. „ Nam ſicut in hoc ſeculo, cum eſt pro„ poſitum cum hoſte certamen, prius laborandum eſt „ ut ſis poſtmodum in otio; eſuriendum, ſitiendum, „ æſtus, frigora perferenda, humi quieſcendum, vi„ gilandum, periclitandum eſt, ut ſalvis pignoribus, „ & domo, & re familiari, & omnibus pacis ac vi„ ctoriæ bonis perfrui poſſis: ſin autem præſens „ otium malueris quam laborem, malum tibi maxi„ mum facias neceſſe eſt. Præoccupabit enim adver„ ſarius non reſiſtentem, vaſtabuntur agri, diripietur „ domus, in prædam uxor ac liberi venient, & tu „ ipſe interficiere aut capiere: quæ omnia ne acci„ dant, præſens commodum differendum eſt, ut ma„ jus longiuſque pariatur. Sic in omni hac vita, „ quia nobis adverſarium Deus reſervavit, ut poſſe„ mus capere virtutem, amittenda eſt præſens volu„ ptas, ne hoſtis opprimat, vigilandum, ſtationes „ agendæ, militares expeditiones obeundæ, funden„ dus ad ultimum cruor, omnia denique amara & „ graviora patienter ferenda, eo quidem promtius, „ quo nobis Imperator noſter Deus præmia pro labo„ ribus æterna conſtituit. Et cum in hac terrena „ militia tantum homines laboris exhauriant, ut ea „ ſibi pariant quæ poſſunt eodem modo perire, quo „ parta ſunt: certe nobis nullo modo poſſit amitti „ corona juſtitiæ, quam reddet nobis in illa die ju„ ſtus Judex." Hæc autem Corona non ſolum heroicis & apoſtolicis virtutibus repoſita eſt, ſed omnibus qui Deo fideles uſque ad mortem fuerint; omnibus Deum timentibus timore caſto, & adventum ejus glorioſum diligentibus, hoc eſt, cum fiducia exſpectantibus, & ita viventibus ut illum deſiderare poſſint. *Non ſolum autem mihi, ſed & iis qui diligunt adventum ejus*. Ille diligit adventum ejus, *qui cum ſinceritate fidei, firmitate ſpei, ardore caritatis ipſum exſpectat*; qui pie vivendo ad diem vitæ ſuæ noviſſimum ſe præparat: *Quoniam qualis in die iſto quiſque moritur, talis in illo die judicabitur*.

Corona juſtitiæ eadem eſt corona gratiæ & miſericordiæ.

*S. Aug. lib. de Gratia & libero arbitrio cap. 6.*

*Deuter. 8. 16. 17.*

1. *Cor. 15. 57.*

1. *Cor. 7. 25.*

*Lactantius lib. 6. Inſtit. divin. cap. 4.*

*S. Auguſt. Epiſt. 199. alias 80.*





# IN EPISTOLAM II. S. PAULI APOSTOLI AD TITUM, COMMENTARIUS LITTERALIS ET MORALIS,

## *PRÆFATIO.*

*Philipp. 1. 2. 12. S. Hieron. in Procemio.* Hæc Epiſtola inter prima & ſecunda vincula Romana ſcripta videtur a Paulo in Orientem reverſo, ut Philippenſibus promiſerat.

HÆC Epiſtola eodem anno & loco data videtur, quo prior ad Timotheum. Nicopoli tamen ſcriptam S. Hieronymus exiſtimat. Eſt autem hæc Epiri civitas. Titus origine Corinthius erat, a S. Paulo ex Gentilitate ad Chriſti fidem converſus, quem Cretæ maximæ Inſulæ Epiſcopum, & fundatæ a ſe Eccleſiæ Rectorem ordinaverat & conſtituerat. Hæc Epiſtola ejuſdem pene argumenti eſt ac duæ ad Timotheum. De Epiſcopis ordinandis, deque dotibus ad ſacrum illud munus neceſſariis Titum admonet; Judaizantes increpari præcipit: ad obedientiam Principibus & Poteſtatibus præſtandam Chriſtianos excitari jubet, & ad manſuetudinem erga omnes exhibendam. Gratiæ Dei præclaram admiſcet mentionem, qua, nullo noſtro merito, per Chriſtum redempti ſumus. Hæreticos poſt unam & alteram correptionem devitari mandat. Rogat denique Titum, ut cum ad eum Artemam vel Tychicum miſerit, veniat ad eum Nicopolim, ubi hybernare conſtituerat.

---

### C A P U T I.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. 3. 4. P*Aulus ſervus Dei, Apoſtolus autem Jeſu Chriſti, ſecundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt*. Paulus Dei Miniſter, Apoſtolus autem & Legatus a Jeſu Chriſto miſſus, ut iis qui a Deo ſunt electi, fidem, qua ſalventur, annunticm, qua veritatem rerum ad pietatem & ſalutem æternam pertinentium agnoſcant: *In ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur. Deus ante tempora ſecularia*: Utque ſpem accipiant vitæ æternæ, quam Deus, qui mentiri non poteſt, nec fallere, electis ſuis dare conſtituit ante omnia ſecula: *Manifeſtavit autem temporibus ſuis verbum * ſuum in prædicatione, quæ credita eſt mihi ſecundum præceptum Salvatoris noſtri Deo*. Manifeſtavit autem & adimplere cœpit promiſſionem ſuam tempore præſtituto, per Evangelii prædicationem, cujus officium mihi commiſſum eſt Dei Salvatoris noſtri ordinatione & imperio. *Tito dilecto filio ſecundum communem fidem, gratia & pax a Deo Patre, & Chriſto Jeſu Salvatore noſtro*. Hanc Epiſtolam ſcribo Tito dilecto filio in fide nobis communi: gratiamque & pacem a Deo Patre, & Chriſto Jeſu Salvatore noſtro illi adprecor.

Cum ſine diſcrimine aliquando ſe Dei aliquando Chriſti ſervum nominet, unum eſſe Dei Chriſtique dominium, ac proinde Chriſtum, verum eſſe Deum ſignificat.

* Verbum Incarnatum Dei Filium hominem factum S. Gieron. intelligit.

5. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*. Propterea te reliqui in Creta Inſula, ut Eccleſiam a me fundatam, rudem adhuc atque informem perficias, & ſi quæ ſuperſunt Chriſtianæ religioni ac pietati minus conſentanea, corrigas: ut denique per ſingulas civitates majores & inſigniores conſtituas Epiſcopos, ſecundum formam Eccleſiaſticæ diſciplinæ quam tibi delineavi & tradidi. Epiſcopi & Presbyteri nomina primi & ſecundi ordinis Sacerdotibus communia fuiſſe Apoſtolicis temporibus certum eſt, quamvis ſemper & ab Eccleſiæ exordio, qui proprie vocantur Epiſcopi, jure divino ſimplicibus Præsbyteris tum ordine, tum Juriſdictione fuerint ſuperiores. Quod fidei Catholicæ dogma vindicatum a nobis contra Blondellum Calviniſtam habes Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Seculo Quarto, in Panoplia adverſus Hæreſes, Diſſertatione 44. Ceterum Sanctum Paulum Presbyterorum nomine hic Epiſcopos proprie dictos intelligere, conſtat ex Verſu 7. & ex doctrina Traditionis.

*Creta*, vulgo *Candia*, Maris Mediterranei Inſula.

Græce, ἐπιδιορθώσῃς, *Supercorrigeres*, id eſt, quæ a me corrigi cœpta ſunt, ad perfectionem perduceres.

6. *Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos*. Hunc autem elige & conſtitue Epiſcopum, qui tam integræ ſit vitæ, ut nullum ei crimen juſte exprobrari poſſit, qui ſit ab omni gravioris delicti ſuſpicione alienus; qui ſi nupſerit, ad ſecundas tamen nuptias non tranſierit, quæ incontinentiæ nota eſt; qui liberos habeat, fidei Chriſtianæ Catholicæ Profeſſores, nullius prorſus intemperantiæ & incontinentiæ labe aſperſos, non immorigeros & contumaces, ſed dociles & obedientes.

7. 8. 9. *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem: non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, non turpis lucri cupidum*. Epiſcopum enim criminis purum eſſe neceſſe eſt, vitæque tam probatæ, ut nulli criminationi vel ſuſpicioni pateat, vitamque agere dignam Dei Miniſtro & diſpenſatore Evangelii ac Sacramentorum ejus; non ſuperbum, arrogantem, protervum, ſuique ſenſus ac privati judicii adeo tenacem, ut ab eo nulla ratione dimoveri poſſit: non iræ impotentem, qui facile & cito iraſcatur & quibus non oportet, & de quibus non oportet, & magis quam oportet: non vini potatorem; non violentum & promptum ad verbera; non turpis lucri ſtudioſum, & divitiarum cupidum. *Sed hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem*. Sed contra, hoſpitalitatis ſtudioſum, affabilem & proborum amatorem; in rerum etiam neceſſariarum uſu temperantem; inter homines innocenter converſantem, & unicuique reddentem quod ſuum eſt; Deum pure colentem; libidinem & gulam continentiæ fræno coercentem, *Amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem: ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*. Firmiter adhærentem veritatibus conſentaneis fidei quam edoctus eſt in Eccleſia: ut capax ſit & idoneus ad exhortandum fideles ad pietatem & ad omne genus virtutis per ſanam & incorruptam Evangelii doctrinam; & ad refellendum eos qui ſanæ doctrinæ, ſive fidei, ſive morum contradicunt & reſiſtunt.

10. 11. *Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & ſeductores: maxime qui de Circumciſione ſunt*. Sunt enim Cretenſes inter plurimi, maxime ex Judæis, intractabiles, diſciplinæ Chriſtianæ impatientes, adverſus Eccleſiæ Præpoſitos contumaces, qui fabulis auditores paſcunt, illorumque mentes pravis opinionibus inficiunt, ac in errorem abducunt. *Quos oportet redargui*: quos Epiſcopi doctrina atque auctoritate ita refelli & convinci oportet, ut os ipſis obſtruatur. *Qui univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia*. Qui familias integras ſubvertunt, diruto ſpiritualis ædificii fundamento, ſcilicet fide, falſas & noxias doctrinas ſerentes quæſtus gratia, ut nempe ab eis pecunias & munera expiſcentur, quorum cupiditatibus conſentanea docent.

12. 13. 14. *Dixit quidam ex illis, proprius ipſorum Propheta: Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*. Quidam qui eos bene noverat, ex eadem ſcilicet Inſula oriundus, quem ut Prophetam habuerunt, de ipſis dixit: Cretenſes mendaciis aſſueti, ad nocendum prompti more beſtiarum, ventri & otio indulgentes. *Teſtimonium hoc verum eſt*. Tametſi vera non ſint omnia quæ Cretenſis ille Poeta ſcripſit, hoc tamen de popularibus ſuis teſtimonium verum eſt. *Quam ob cauſam increpa illos dure, ut ſani ſint in fide*. Quamobrem acriter & ſevere illos corripe, ut doctrinam Chriſtianam, ſanam, integram

Epimenides Poeta fatidicus, lib. *De Oraculis*.

*Cum manſuetudine* quidem corripiendi ſunt,

qui nondum crediderunt, 1. *Tim.* 2. 25. eos autem qui ſe credere profitentur, & fidei repugnantia faciunt, aſperioribus pharmacis medicari convenit. Ita Theodoret.
*Matth.* 15. 3.

& incorruptam, abſque ullius erroris aut judaici fermenti admixtione conſervent. *Non intendentes judaicis fabulis, & mandatis hominum, averſantium ſe a veritate*. Non præbentes aures & animum applicantes fabuloſis hiſtoriis a Rabbinis Judæorum ſine Scripturæ ſacræ auctoritate & ſine ratione aniliter confictis, & mandatis inutilibus aut etiam noxiis hominum averſantium Evangelicam veritatem. Mandata hominum non Legem ipſam a Deo datam, ſed pravam Legis interpretationem intelligit, quæ a Judæis afferebatur. De quibus Dominus ait; *Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Quamquam & mandata hominum dici poſſunt legalium ceremoniarum obſervantiæ, ubi Gentibus imponuntur, quibus Lex data non fuerat, imo etiam cum a Judæis poſt Chriſti mortem & reſurrectionem exiguntur, ut ad ſalutem neceſſariæ. Ab humano enim ſenſu ac ſpiritu, non a Deo, mandatum de illis ceremoniis poſt Evangelii promulgationem obſervandis profectum eſt.

*S. Aug. lib.* 31. *contra Fauſtum, cap.* 4.

15. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia*. De illis hominum mandatis & traditionibus ſe loqui ſignificat Apoſtolus, quibus multarum rerum tamquam immundarum vel eſus vel contactus prohibebatur. Hæ autem res natura non ſunt immundæ, ſed ſignificatione, propter quam illarum eſus aut contactus Judæis prohibitus erat Moſaica Lege, tamquam figurativo populo, non autem Gentilibus. Ceterum Lege per Evangelii promulgationem abrogata & antiquata, omnia munda ſunt iis, qui bene & ſancte iis utuntur, pura fide, recta intentione: iis autem qui per immunditiam cordis, aut per infidelitatem, Dei Creaturis abutuntur, nihil eſt mundum; ſed prava conſcientia, & infidelitas ex qua agunt, eorum animas inquinat.

Secundum textum Græcum *Execrabiles & imperſuaſibiles*.

16. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant; cum ſint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi*. Deum unum verum, mundi Creatorem, conditorem Legis, Inſpiratorem Prophetarum profitentur Judæi, evangelicæ veritatis hoſtes; ſed quem ore confitentur, factis negant; quia eorum opera contraria ſunt Dei mandatis, de cujus notitia cultuque gloriantur: cum ſint omnium execratione digni ob vitæ morumque impuritatem, & ita pervicaces, ut nullum admittant argumentum, quo poſſit eis veritas perſuaderi: & ad omne veræ pietatis opus inutiles, ac merito ſuæ obſtinationis a Deo derelicti & rejecti.

---

## C A P U T I.

### *Senſus Moralis.*

1. 2. 3. P*Aulus ſervus Dei, Apoſtolus autem Jeſu Chriſti ſecundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt*. Sacerdotale Miniſterium glorioſa ſervitus eſt, qua homo Dei & proximi obſequiis conſecratur & mancipatur. Sacerdotalis & Paſtoralis dignitatis baſis, humilitas. Proinde Paſtores & Præpoſiti Eccleſiarum *non ſe exiſtiment poteſtate dominante*, ſed *caritate ſerviente fœlices*. Servitus iſta nobilis, ſervitus caritatis. *Paulus ſervus Dei*. 2. Paſtores & Epiſcopi vocati ſunt a Chriſto in conſortium Apoſtolatus ipſius, & Miſſionis quam accepit a Patre, ut electos ejus colligant, doceant, eoſque juvent Miniſterio ſuo ad æternam ſalutem conſequendam. *Apoſtolus Jeſu Chriſti, ſecundum fidem electorum Dei*. 3. Paſtores in id præſertim incumbere debent, ut ſubditos ad agnitionem veritatis perducant, non cujuſcumque, ſed ejus quæ eſt ad ſalutem neceſſaria: cujus fundamentum fides eſt, regula pietas, finis bonorum æternorum poſſeſſio. *Et agnitionem veritatis, quæ ſecundum pietatem eſt, in ſpem vitæ æternæ*. Infelix homo, qui ſpes fallaces ſæculi, & promiſſa hominum mendacium præponit promiſſis Dei, qui nec fallere poteſt, nec falli, cum ſit ſumma & immutabilis veritas. 4. Tempora & momenta Deus ab æterno conſtituit, quibus ſuas veritates manifeſtet mentes illuminando, ſuaque opera impleat gratiam omnipotentiſſimam largiendo: quæ tempora & momenta non ſunt in hominis, tametſi libera ad bonum & malum, voluntate, ſed in Dei ſolius poteſtate. *Manifeſtavit autem temporibus ſuis verbum ſuum in prædicatione*. 5. Prædicatio verbi Dei credita eſt a Deo Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus. Apoſtolicum illud munus per ſe ipſos, ſi legitime non fuerint impediti, obire ac implere tenentur. Non conſilii, ſed officii neceſſarii & præcepti res eſt. *In prædicatione quæ credita eſt mihi, ſecundum præceptum Salvatoris noſtri Dei*. Sacræ huic functioni qui ſe ingerit ſine illorum Miſſione, uſurpator eſt. 6. Paſtorum & Concionatorum finis in Evangelii prædicatione eſſe debet filios Deo parere ſecundum Spiritum, & fidem Evangelii. Quod ſi illi obedienter audiant, & ſecundum illud vitam inſtituant, Chriſti præcepta omni ex parte implentes, filii erunt germani & legitimi, bonorum ſpiritualium heredes, gratiæ in præſenti, pacis conſummatæ & æternæ in futuro. Si autem fidem integram non ſervaverint, aut Evangelica præcepta omni ex parte non impleverint, ut filii legitimi a Deo non agnoſcentur, nec ad hereditatem admittentur. *Tito dilecto filio ſecundum communem fidem, gratia & pax a Deo Patre, & Chriſto Jeſu Salvatore noſtro*.

*Concil. Trid.*

Epiſcoporum officia.

5. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per civitates Presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi*. Præcipua Epiſcoporum officia in Eccleſia Dei, cujus regimen ipſis a Chriſto commiſſum eſt, ſunt. 1. Ejus diſciplinam conſtituere, & conſervare in Sacramentorum adminiſtratione, in Hierarchiæ ordine, in reformatione & emendatione morum Cleri, Populique Chriſtiani. *Ut ea quæ deſunt corrigas*. Quod Synodorum celebratione, Diœceſis Viſitatione, frequentibus Miſſionibus, Litteris & Ordinationibus Paſtoralibus obtinetur. 2. Dignos Sacerdotes & Rectores Eccleſiis præficere, ſufficientis ſanæque doctrinæ vitæ integritate conſpicuos, dotibus omnibus ad regimen animarum neceſſariis inſtructos. *Et conſtituas per civitates Presbyteros*. 3. Secundum traditionem & Apoſtolicum ſpiritum in omnibus ſe gerere. *Sicut & ego diſpoſui tibi*. Eccleſia enim arbitrio non regitur, ſed Canone. Hæc audiant, ad hæc attendant Antiſtites, & Patroni quilibet ſive Eccleſiaſtici, ſive Laici, Principes & eorum Conſiliarii in Nominationibus & Præſentationibus ad Beneficia Eccleſiaſtica. „ Sub quali „ lege Eccleſiaſticæ conſtitutionis ordo teneatur; nec „ putent Apoſtoli verba eſſe, ſed Chriſti, qui ad „ *Diſcipulos ait*: Qui vos ſpernit, me ſpernit: qui „ autem me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit, Sic „ & qui vos audit: qui autem me audit, audit eum „ qui me miſit, *Ex quo* manifeſtum eſt, eos qui „ Apoſtoli lege contempta, Eccleſiaſticum gradum „ non merito voluerint alicui deferre, ſed gratia, „ contra Chriſtum facere, qui qualis in Eccleſia Pres„ byter conſtituendus ſit, per Apoſtolum ſuum in „ ſequentibus executus eſt. Moyſes amicus Dei, cui „ facie ad faciem Deus locutus eſt, protuit utique „ ſucceſſores Principatus filios ſuos facere, & poſteris „ propriam relinquere dignitatem: ſed extraneus de „ alia tribu eligitur Jeſus, ut ſciremus principatum „ in populos, non ſanguini deferendum eſſe, ſed vi„ tæ. At nunc cernimus plurimos hanc rem bene„ ficium facere, ut non quærant eos in Eccleſia „ erigere, quos plus cognoſcant Eccleſiæ prodeſſe: „ ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſe„ quiis deliniti, vel pro quibus Majorum quiſpiam „ rogaverit: & (ut deteriora taceam) qui ut Clerici „ fierent, muneribus impetrarunt.

Quinam ad animarum curam promovendi?

*Luc.* 10.
*S. Hieron. in Comm. in hujus Epiſtolæ.*

Paſtorum & Miniſtrorum Eccleſiæ neceſſariæ dotes.
*S. Hieron.*

6. 7. *Si quis ſine crimine eſt, unius uxoris vir filios habens fideles, non in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos*. Paſtorum & Miniſtrorum Eccleſiaſticorum neceſſarias dotes Apoſtolus deſcribit. Primo in eis deſideratur innocentia vitæ, omnis criminis puræ. „ Quod non ita intelligendum, quaſi eo tantum tem„ pore quo quis ordinandus eſt, ſine ullo ſit crimi„ ne, & præteritas maculas nova converſatione di„ luerit: *Sed ex eo tempore quo in Chriſto renatus eſt, nulla peccati* (gravioris) *conſcientia remordeatur. Quomodo enim poteſt Præſes Eccleſiæ auferre malum de medio ejus, qui in delicto ſimili corruerit? aut qua libertate corripere peccantem, cum tacitus ſibi ipſe reſpondeat, eadem admiſiſſe quæ corripit?* 1. Caſtitas in Epiſcopo & Presbytero requiritur ab omni ſuſpicione incontinentiæ immunis, qualis ex ſecundis nuptiis oritur. *Unius uxoris vir*. Chriſti & Eccleſiæ unitas, & ſanctitas vinculi quo in unum corpus myſticum uniuntur, in omnem æternitatem, non patitur ut Chriſti vicem in Eccleſia gerant, qui divini illius connubii unitatem repræſentare non poſſunt. Continentiæ exemplo aliis prælucere neceſſe eſt, qui illos ad continentiam debeat cohortari. 3. In familiæ ſuæ regimine & ſancta educatione filiorum, Eccleſiaſtici regiminis tyrocinium poſuiſſe oportet eos qui ad Eccleſiæ Miniſterium ordinantur, & filios habent ex uno, quod olim contraxerunt, matrimonio. Qua enim fiducia illi commendari poteſt inſtitutio filiorum Dei, qui filios ſuos ſancte inſtituere non curavit? Cui defuit zelus quo propriam familiam ad fidem converteret, vigilantia qua filios & domeſticos a ſeculi corruptione ſervaret; animi robur & vigor, quo illos in officio & obedientia contineret: quomodo Dei familiam, quæ Eccleſia eſt, regere poterit? „ Qua enim libertate „ poſ-

*S. Hieron.*



„ ſunt alienos filios corripere, & docere quæ re„ cta ſunt, quibus ſtatim poſſit qui fuerit correptus „ ingerere: Ante doce filios tuos? Aut qua fronte „ extraneum corripit fornicantem, cui conſcientia „ reſponderit: Exhereda ergo fornicantem filium; „ abiice filios tuos vitiis ſervientes. Cum autem „ nequam filius in una tecum convivat domo, tu „ audes de alterius oculo feſtucam detrahere, in „ tuo trabem non videns? *Filios habens fideles, non* „ *in accuſatione luxuriæ, aut non ſubditos*. Si autem „ peccata filiorum juſtum etiam, & qui in filiorum „ inſtitutione nihil neglexerit, ab Epiſcopatu prohi„ bent: quanto magis unuſquiſque ſe conſiderans, & „ ſciens quia potentes potenter tormenta patientur, „ retrahet ſe ab hoc non tam honore quam onere, & „ aliorum locum, qui magis digni ſunt, non ambiet „ occupare? 4. Epiſcopus & quilibet Sacerdos vitæ probitate & morum integritate ſpectabilis eſſe debet: iiſque ornatus virtutibus, quæ Dei diſpenſatorem & œconomum decent. Nemo bona ſua hominis flagitioſi adminiſtrationi vel diſpenſationi committeret: & Myſteria Dei, pauperumque bona, hominum vitiis multiplicibus deditorum fidei ac diſpenſationi commendantur. O cæcitatem! *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem*. 5. An vero ſine crimine eſt ſuperbus, cum ſuperbia ſit initium omnis peccati, idque crimen ſit dæmonum? Qui in Epiſcopatu & Paſtorali munere honorem, gloriam, faſtum, divitias quærit ac diligit, ſuperbiæ tumorem non vitabit. Qui Paſtoralem curam reſpicit ac ſubit ut onus angelicis humeris formidandum, cum timore & humilitate illud ſuſcipit ac gerit. *Non ſuperbum*. Paſtores animarum ſcire debent populum fidelem ſibi conſervum eſſe, non ſervum. Epiſcopus qui conſilio proprio omnia facit, quaſi nemini rationem redditurus; qui Clero dominari amat, non conſulere ſtudet ac prodeſſe: Paſtor Subalternus & ſecundi ordinis Sacerdos, qui Epiſcopi ſui, aut generalium ejus Vicariorum conſilium in rebus difficilibus non quærit, non ſequitur, humilitatem Chriſti non imitatur. Eccleſiæ Prælatos præ ceteris decet humilitas. Eorum officium non eſt imperium, ſed miniſterium. Quanto majores ſunt, tanto debent ſe humiliare in omnibus. *Reges Gentium dominantur eorum*, ait Paſtorum Princeps Chriſtus Jeſus, *& qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur. Vos autem non ſic: ſed qui major eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Nam quis major eſt, qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrum ſum ſicut qui miniſtrat*. 6. Patientia & moderatio dotes ſunt „ Epiſcopo & Paſtori cuilibet neceſſariæ. *Non ira*„ *cundum*. Et revera nihil eſt fœdius Paſtore furio„ ſo, qui torvo vultu, trementibus labiis, rugata „ fronte, effrenatis convitiis, facie inter pallorem „ ruboremque variata, clamore perſtrepat, & er„ rantes non tam ad bonum retrahat, quam ad ma„ lum ſua ſævitia præcipitet. Inde eſt quod & Sa„ lomon ait: *Ira perdit etiam ſapientes*. Et, *Ira viri* „ *juſtitiam Dei non operatur*. Neque vero qui ali„ quando iraſcitur, iracundus eſt: ſed qui crebro „ hac paſſione ſuperatur. 7. Procul ſit a Paſtoribus „ intemperantia iracundiæ fomes, violentiæ parens. „ *Non vinolentum, non percuſſorem*. Nec mirum „ quod Apoſtolus in Sacerdotibus vinolentiam damnet, „ cum in veteri quoque Lege præceptum ſit, ut Sa„ cerdotes cum ingrediuntur templum, Deo mini„ ſtraturi, vinum omnino non bibant, & ut Naza„ ræi, quamdiu ſanctam nutriunt comam, a vino „ abſtineant, & ab uva paſſa, & a delicatiori quæ „ ſolet fieri ex vinaceis potione, omnique ſicera, „ quæ mentem ab integra ſanitate pervertit. Dicat quiſque quod volet. *Scio* (inquit ſanctus Presbyter & Doctor Hieronymus) *Scio mihi abſtinentiam & nocuiſſe intermiſſam, & profuiſſe repetitam*. 8. Ab omni avaritiæ labe, & opum cupiditate alienum eſſe oportet Paſtorem & Sacerdotem. Qui paratus eſſe debet ad vitam pro ſalute ovium devovendam, quomodo ad pecunias pro ipſis profundendas, & amittendas paratus non eſſet? *Non turpis lucri cupidum*. „ Pa„ ſtor qui Apoſtoli imitator eſſe cupit, habens victum & veſtitum, his tantum debet eſſe contentus. Qui „ altari ſervierint, de altari vivant. Vivant, in„ quit, non divites fiant. Turpis lucri appetitio, eſt „ plus quam de præſentibus cogitare.

*S. Hieron.*
*S. Chryſoſtom. Hom.* 2.
*Luc.* 22. 25. 26.
*S. Hieron.*
*Proverb.* 14. *ſecundum Septuaginta.*
*Jacobi* 1.
1. *Timoth.* 6.
1. *Cor.* 9.
*Matth.* 10.

8. 9. Paſtorum caritas omnes complecti debet; peregrinos, maxime vero Eccleſiaſticos ac Religioſos viros hoſpitio recipere. Si enim omnes illud de Evangelio audire deſiderant: *Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis* „ *me*: quanto magis *Epiſcopus, cujus domus omnium* „ *commune debet eſſe hoſpitium*? Laicus enim unum, „ aut duos aut paucos recipiens, implebit hoſpitali„ tatis officium: Epiſcopus, niſi omnes receperit, „ inhumanus eſt. *Sed hoſpitalem*. 10. Paſtor & Sacerdos probitatis & virorum proborum & piorum amator & fautor eſſe debet. *Benignum*. Qui cum Davide vere dicere poſſit: *Non proponebam ante oculos meos rem injuſtam, facientes prævaricationes odivi. Non adhæſit mihi cor pravum, declinantem a me malignum non cognoſcebam. Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar. Superbo oculo, & inſatiabili corde, cum hoc non edebam. Oculi mei ad fideles terræ, ut ſedeant mecum: ambulans in via immaculata hic mihi miniſtrabat*. 11. Paſtor & Sacerdos in rerum ſibi neceſſariarum uſu moderatus cumprimis eſſe debet ac temperans. *Sobrium*. 12. Juſtitiam & æquitatem colere, nec perſonas in judicio reſpicere, ſed ſola merita. *Juſtum*. 13. Religione ac pietate erga Deum eminere & prælucere populis debent Paſtores & Sacerdotes. *Sanctum*. Nihil agere quod ad Dei gloriam non referatur, quod ad proximorum ædificationem & ſanctificationem non tendat. Vacare conſiderationi, quæ ſanctitatis & pietatis radix eſt. Unde Dominus ait: *Vacate & videte quoniam ego ſum Deus*. „ Nam primum quidem ipſum fontem „ ſuum, id eſt, mentem de qua oritur, perficit con„ ſideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, cor„ rigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat & „ ordinat, poſtremo divinarum pariter & humana„ rum rerum ſcientiam confert. Hæc eſt quæ con„ fuſa diſterminat, hiantia cogit, ſparſa colligit, ſe„ creta rimatur, vera veſtigat, veriſimilia exami„ nat, ficta & fucata explorat. Hæc eſt quæ agenda „ præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente „ reſideat aut incorrectum, aut correctione egens. „ Hæc eſt quæ in proſperis adverſa præſentit, in ad„ verſis quaſi non ſentit. 14. Paſtores & Sacerdotes continentia conſpicuos eſſe neceſſe eſt. *Continentem*. Vera autem, quæ Dei donum eſt, *continentia omnibus prorſus delectationibus concupiſcentiæ, quæ adverſatur delectationi ſapientiæ, coercendis atque ſanandis invigilat*: præſertim vero carnalibus concupiſcentiis. „ Nam ſi Laicis imperatur ut propter „ orationem ab uſu Matrimonii abſtineant: quid de „ Sacerdote ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis, „ populique peccatis illibatas Deo oblaturus eſt vi„ ctimas? Relegamus Regum libros, & inveniemus „ Sacerdotem Abimelech de panibus propoſitionis „ noluiſſe prius dare David & pueris ejus, niſi in„ terrogaret utrum mundi eſſent pueri a muliere, „ non quidem aliena, ſed conjuge. Et niſi eos au„ diſſet ab heri & nudius tertius vacaſſe ab opere „ conjugali, nequaquam panes, quos prius negave„ rat, conceſſiſſet. Tantum intereſt inter propoſitio„ nis panes & Corpus Chriſti, quantum inter um„ bram & corpora, inter imaginem & veritatem, „ inter exemplaria futurorum & ea ipſa quæ per „ exemplaria præfigurabantur. „ Caſtitas itaque & pudicitia eminens in Sacerdote eſſe debet, *Ut non ſolum ab opere ſe immundo abſtineat, ſed etiam a jactu oculi, & cogitationis errore mens Chriſti Corpus confectura ſit libera*. „ Nec tamen a libidine carnali „ ſolum, ſed ab omnibus animi perturbationibus, „ continens eſſe debet Sacerdos (ut diximus) ne ad „ iracundiam concitetur, ne illum triſtitia dejiciat, „ ne terror exagitet, ne lætitia immoderata ſuſtol„ lat. Continentia autem in fructibus Spiritus ſancti „ ab Apoſtolo numerata eſt. Et ſi exigitur ab omni„ bus, quanto magis a Sacerdote & Paſtore, qui „ patiens & manſuetus debet vitia ferre peccantium, „ conſolari puſillanimes, ſuſtentare infirmos, nulli „ malum pro malo reddere, ſed vincere in bono „ malum! 15. Paſtor & Sacerdos Eccleſiæ doctrinæ firmiter adhærere debet, Scripturas ſacras & ſanctos Patres aſſidue legere, in lege Domini nocte dieque meditari, proprium ſenſum non ſequi, ſed ſenſum Eccleſiæ, cui interpretatio Scripturarum a Chriſto concredita eſt, & Spiritus ſanctus ad hoc datus: in doctrina ſequi *univerſitatem, antiquitatem, conſenſionem*; a novitate abhorrere, talem ſe præbere, ut omne quod loquitur fide dignum exiſtimetur, & verba ipſius ſint regula veritatis. *Amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem*. 16. Paſtor dono verbi ſeu prædicationis talento præditus eſſe debet ad inſtitutionem fidelium curæ ſuæ commiſſorum: ſcientia etiam ſacra inſignis, ut hæreticos & impios refellere & convincere valeat, qui niſi refutati fuerint atque convicti, facile ſimplicium corda pervertunt. *Ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere*. Pietas fidelium languida eſt, niſi frequentibus & ferventibus Paſtorum adhortationibus excitetur; cæca eſt, niſi doctrina Paſtorum illuminetur; fides Chriſtianæ plebis ab hæreticis & impiis exagitata vacillat, niſi potenti contradicentium confutatione ac convictione a Paſtoribus confirmetur. *Qui igitur ignorat rectam ſanamque doctrinam, ut oportuerit tradere, longe a ſede Epiſcopali arceatur*. Ceteræ dotes in Laicis inveni-

*S. Hieron.*
*Pſalm.* 100.
*Pſalm.* 45.
*S. Bernard. l.* 1. *De Conſider. cap.* 7.
*S. Aug. l. De Continentia c.* 13. *S. Hier. in Comment. hujus Epiſt.*
*Galat.* 5.
*Vincentius Lirin. S. Hieron.*

veniri poſſunt; juſti, ſancti, continentes, benigni, ſobrii, hoſpitales, criminis puri quidam inter eos inveniuntur: hæc vero propria dos eſt Epiſcopi, *Ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos qui contradicunt, arguere.*

*S. Chryſoſt. Hom. 2.*

10. 11. *Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui, & ſeductores, maxime qui ex Circumciſione ſunt.* Scientiæ ſuperbæ fructus ſunt indocilitas cordis, protervia, & inobedientia, vanitas & intemperantia ſermonis, falſus zelus, & illuſio mentis ad alios ſeducendos & pervertendos nihil prætermittens. *Et quidem ſine Scripturarum auctoritate garrulitas non haberet fidem, niſi videretur perverſam doctrinam etiam divinis teſtimoniis roborare.* Sed cum nova dogmata Scripturæ ſacræ verbis adſtruere nituntur, imperitos & infirmos in fide facile in errorem inducunt, „ inſpirante diabolo, cujus partes ſunt intervertendi „ veritatem: qui & ipſas quoque res Sacramentorum „ divinorum, idolorum myſteriis æmulatur, ita & „ Scripturæ ſacræ teſtimonia, ſenſum de ſenſibus, „ verba de verbis, parabolas de parabolis, profanæ & æmulæ fidei geſtit attemperare. Falſos illos Doctores, qui non ſolum domos privatas ſubvertunt, ſed & Eccleſiam perturbant, quæ domus eſt Dei vivi; qui animarum ſalutem, utilitatem Eccleſiæ, veritatem ipſam, ſuæ cupiditati, & turpi lucro immolare non dubitant, redarguere, refellere, humiliare, coercere debent Epiſcopi; nihil permittere novitati, quia nihil licet detrahi vetuſtati. *Quos oportet redargui: qui univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratia.*

Scientiæ ſuperbæ mali fructus.

*S. Hieron.*

*Tertull. l. De præſcript. cap. 40.*

13. *Quam ob cauſam increpa illos dure, ut ſani ſint in fide.* Verborum aſperitas a Paſtore prudenter adhibetur, cum ad ſanandum cordis tumorem & duritiem opportuna videtur. Obſtinatis veritatis inimicis minime parcendum eſt, cum nimia erga illos lenitas & indulgentia ipſi officit veritati. Severitas caritatis ſalutaris eſt, cum dormientem excitat peccatorem, ut eum Chriſtus illuminet. Ignava mollisque benignitas qua Medicus palpat ægrotum, morbum auget, mortem infert. *Et virga caritatem habet. Sed aliud eſt caritas ſeveritatis, aliud caritas manſuetudinis: Una quidem caritas eſt, ſed diverſa in diverſis operatur.* „ Caritas cædit, blanditur iniqui- „ tas. Habent & ſpinæ flores. Quædam videntur „ aſpera, videntur truculenta, ſed fiunt ad diſcipli- „ nam dictante caritate. „ *Corripiet me juſtus in miſericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Melius eſt argui miſericorditer, quam laudari fallaciter. Salutaris eſt increpatio, quæ fidei procurat ſanitatem. *Increpa illos dure, ut ſani ſint in fide.*

Severitas caritatis erga obſtinatos veritatis hoſtes.

*S. Aug. l. 3. contra Epiſt. Parmen. c. 1. & alibi.*

*Pſalm. 140. 5.*

15. *Omnia munda mundis: coinquinatis autem & infidelibus nihil eſt mundum, ſed inquinatæ ſunt eorum & mens, & conſcientia.* Fides & caritas uſum rerum mediarum & indifferentium ſanctificant: infidelitas & cupiditas rerum ex ſe bonarum uſum pervertunt, eoque cor hominis corrumpunt & inquinant. Omnis fructus bonus eſt, qui de radice caritatis: omnis fructus malus, qui de radice cupiditatis oritur. Regnat carnalis cupiditas in iis, in quibus non eſt Dei caritas; ac proinde eorum mens & conſcientia inquinatæ ſunt. Omne ciborum genus mundis & fidelibus mundum eſt, cum iis ſecundum Dei legem, & rectæ fideliſque conſcientiæ dictamen utuntur: ſed eis immundi fiunt, qui contra Dei legem, contra Eccleſiæ præceptum, contra temperantiæ regulas, contra conſcientiæ, tametſi erroneæ, dictamen utuntur. Et quid mirum? Si quidem infideles quouſque ac pollutos etiam Panis benedictionis, & Calix domi- „ nicus non juvat, propter eorum indiſpoſitionem, „ pravamque conſcientiam. Ita qui ex infidelitate, aut ſuperſtitione, vel etiam ex avaritia, aut ex hypocriſi jejunat, vel a certis cibis abſtinet, abſtinentia & jejunio non purgatur, ſed polluitur; non quod ſancta non ſint abſtinentia & jejunium; ſed quod infidelitas, ſuperſtitio, avaritia, hypocriſis, ſic abſtinentem & jejunantem inquinent, & polluant. *Sed inquinatæ ſunt eorum & mens & conſcientia.*

Fides & caritas uſum rerum indifferentium ſanctificat. Infidelitas & cupiditas rerum ex ſe bonarum uſum pervertit.

*S. Hieron.*

16. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant; cum ſint abominati, & incredibiles, & ad omne opus bonum reprobi.* Quam multi externa dumtaxat profeſſione religionis, Sacramentorum uſu, Eccleſiarum frequentatione, certarum precum recitatione Chriſtiani ſunt; moribus autem & vita Pagani? Non enim tunc ſolum Chriſtus negatur, cum quis in perſecutione ab infidelibus comprehenſus, ſe negaverit eſſe Chriſtianum; ſed omnibus pravis operibus Deus negatur. „ Chriſtus ſapientia eſt, juſtitia, veritas, „ ſanctitas, fortitudo. Negatur per inſipientiam ſa- „ pientia, per iniquitatem juſtitia, per mendacium „ veritas, per turpitudinem ſanctitas, per imbecillita- „ tem animi fortitudo. Et quotieſcumque vincimur „ vitiis atque peccatis, toties Deum negamus: & e „ contrario, quoties bene agimus, Deum confitemur. „ Nec arbitrandum eſt in die judicii illos tantum a „ Dei Filio abnegandos, qui in Martyrio Chriſtum „ negaverint: ſed per omnia opera, ſermones, co- „ gitationes Chriſtus vel negatus negat, vel confeſſus „ confitetur. „ Terribilem illam Domini comminationem timeamus: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis eſt.* Chriſtum negat, qui ejus Evangelio vitam moreſque ſuos non conformat.

Omnibus pravis operibus Chriſtus negatur.

*S. Hieron.*

*Matth. 10. 33.*

## C A P U T II.

### *Senſus Litteralis.*

1. 2. *Tu autem loquere quæ decent ſanam doctrinam.* Tu autem doce & trade fidelibus, quæ conſentanea ſunt ſanæ & incorruptæ doctrinæ, ſive fidei, ſive morum, oppoſitæ judaicis fabulis & mandatis hominum, quæ a falſis doctoribus traduntur. *Senes ut ſobrii ſint, pudici, prudentes, ſani in fide, in dilectione, in patientia.* Senes adhortare, ut ſobrii ſint, ne per temulentiam minus apti ſint dandis conſiliis, & rebus gerendis: ut ſint graves, honeſti, & ab omni laſcivia alieni: ut in omni actione prudentiam ac moderationem præſeferant: ut ſint ſinceri, integri, firmi in fide, in caritate, in patientia.

S. Hieron. legit, *ſenes, ſobrios eſſe, honeſtos, pudicos, &c.* Eandem porro vocem νηφάλιοι, *ſobrios & vigilantes* ſignificare.

S. Hieron. legit, *Non incentrices.*

S. Hieron. legit, *Ut ad caſtitatem erudiant adoleſcentulas.*

Alterutrum vocabulum, *prudentes, ſobrias*, in Verſione noſtra redundare videtur. In Græco Textu unum tantum legitur: σωφρονας, quod alius *prudentes*, alius *ſobrias* tranſtulit.

S. Hier. legit, *pudicas, caſtas: prudentes, & ſobrias* non legit.

3. 4. 5. *Anus ſimiliter in habitu ſancto, non criminatrices, non multo vino ſervientes, bene docentes.* Provectæ ætatis matronas doce ut in ornatu, inceſſu, ſermone, ſtatu, omnibuſque moribus ſuis modeſtiam ſervent, quæ & talem ætatem, & Chriſtianæ religionis ſanctimoniam decet: ut ſint criminatrices ac maledicæ, vinoque deditæ; ut bona ſanctaque documenta tradant juvenculis, ut eſas ad omnem honeſtatem modeſtiam & prudentiam inſtituant: *Ut prudentiam doceant adoleſcentulas: ut viros ſuos ament*, amore caſto & conjugali; *filios ſuos diligant*; amore ordinato & Chriſtiano. *Prudentes, caſtas, ſobrias, domus curam habentes, benignas, ſubditas viris ſuis, ut non blaſphemetur verbum Dei:* Ut prudentes ſint, ac in omni converſatione ſua modeſtæ, caſtæ ſaltem caſtitate conjugali: ut domi ſint aſſiduæ, remque familiarem curent: ut ſint bonæ & morigeræ erga maritos, placidæ & mites erga domeſticos, ne doctrina & religio Chriſtiana calumniis & maledictis infidelium exponatur: quaſi doceat feminas Chriſtianas rebellare maritis ſuis, cum feminæ infideles ſuis ſerviant communi lege naturæ.

6. *Juvenes ſimiliter hortare ut ſobrii ſint*; id eſt, ut modeſte, pudice, temperanter in omnibus ſe gerant; & juveniles cupiditates refrenent.

S. Hieronym. legit, *Servi dominis ſuis ſubditi ſint in omnibus, ſint placentes, non contradicentes non furantes.*

7. 8. *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate.* In omnibus, quæ ab aliis exigis, te ipſum præbe bonorum operum exemplar, in docendi modo, in morum integritate, in gravitate converſationis. *Verbum ſanum, irreprehenſibile: ut is qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis:* Verba docentis ſanæ fidei morumque diſciplinæ conveniant, ac ita librata ſint, ut nulli pateant reprehenſioni, vel contemptui: ut adverſarii noſtri erubeſcant, dum nihil inveniunt in nobis quod merito criminari poſſint, ſive quoad doctrinam, ſive quoad mores.

Quæ verſio Græco Textui magis convenit. εὐάρεστον εἶν *Complacentes ſibi*, in ſua conditione.

9. 10. *Servos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes non contradicentes, non fraudantes, ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes: ut doctrinam Salvatoris noſtri Dei ornent in omnibus.* Servos etiam adhortare ut dominis ſuis, etiam infidelibus ſubditi ſint, nec ſervitutis jugum excutiant cum ſcandalo religionis, quæ libertatem ſpiritus, non corporis & conditionis tribuit: ut illis placere ſtudeant & obſequi in omnibus quæ legi Dei non repugnant: non obſtrepentes & obloquentes adverſus imperia, ſi quid jubeatur quod minus allubeſcat: de rebus dominorum nihil furtim ſubtrahentes, ſed integram & ſinceram in omnibus fidelitatem oſtendentes: ut doctrinam Chriſtianam apud heros ſuos, & quoſcumque alios quibuſcum verſantur, commendatam reddant.

Jeſus Chriſtus *magnus Deus.* Ex hoc loco Ariani, Sociniani, aliique Hæretici refelluntur, qui Chriſtum Jeſum verum Deum Patri coæqualem eſſe negarunt, aut negant.

11. 12. 13. *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſeculo.* Amor Dei miſericors & beneficus in Filii ejus Incarnatione, omni hominum generi, ne ſervis quidem exceptis, illuxit, per Chriſtum erudiens nos, ut non voce tantum, ſed re ipſa abnegantes impietatem, ſeu doctrinæ, ſeu morum, & cupiditates carnis, opum, honoris & gloriæ, quas mundus corruptus ſequitur, temperanter, juſte, & pie vivamus in præſenti ſæculo; *Exſpe-*



*ſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.* Quotidie exſpectantes promiſſam beatitudinem, quæ eſt objectum ſpei noſtræ, & glorioſum adventum magni Dei, & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti.

Græce, περιούσιον, ideſt, *peculiarem*, ſive *domeſticum* metaphora ſumta a famulis, qui circa ſubſtantiam & facultates domini ſui verſantur quaſi dicat; *electum, excellentem, nihil habentem commune cum reliquis.*

Græce, ζηλωτὴν *Zelotem*,

Græce, παρακάλει quod S. Hieronymus vertit, *Conſolare.*

14. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum.* Qui ſemetipſum in carne aſſumta pro nobis omnibus morti devovit, ut nos pretio ſanguinis ſui redimeret a peccati ſervitute, ejus affectum ne reatum pariter abolens: & a vitiis purgatos adlegeret in populum egregium ſibique peculiariter conſecratum ac dilectum, bonorum operum zelatorem, ſeu fervidum æmulatorem.

15. *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio. Nemo te contemnat.* Hæc doce, ad hæc exhortare, & contradicentes argue plena cum auctoritate; ita ut nemo te contemnat.

## C A P U T II.

### *Senſus Moralis.*

Paſtores docere debent & exhortari Chriſtianam plebem verbo & exemplo.

1. *Tu autem loquere quæ decent ſanam doctrinam.* Epiſcopi officium eſt per ſe ipſum, & per alios docere & exhortari. Paſtorum etiam ſecundi Ordinis munus eſt ſub Epiſcoporum directione & moderamine populum fidelem inſtituere in ſana doctrina fidei, ac Moralis Chriſtianæ; quæ ſcilicet Scripturæ ſacræ, traditioni, ſanctorum Patrum, Conſtitutionibus ac Decretis ſummorum Pontificum, Canonibus Spiritu Dei conditis, & totius mundi reverentia conſecratis conformis ſit: quæ ad vitam Jeſu Chriſti imitandam Chriſtianos erudiat. Verum non ſufficit ſanam doctrinam tradere, ſed eo modo docere neceſſe eſt, qui ſanam doctrinam deceat. *Qui ſolverit unum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in regno Cœlorum*, ait Dominus, præcipiens diſcipulis, ut non ſolum Scripturas meditentur, & in memoriæ theſauro recondant, ſed prius faciant quæ præcepta ſunt. *Quicumque fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno Cœlorum.* „ Niſi enim ſupergreſſa fuerit noſtra „ juſtitia Scribarum juſtitiam & Phariſæorum, non „ poſſumus ingredi regnum cœlorum. Qui ſuper „ Cathedram Moyſi ſedentes dicunt & non faciunt, „ & onera importabilia cervicibus hominum impo- „ nunt, quæ digito nolunt contingere, non docent „ ut convenit ſanæ doctrinæ: *Quia tunc doctrinæ ſanitas eſt, cum Doctoris doctrina & vita conſentiunt.* Paſtores animarum peccatorum morbis laborantium ſanitatem non ſolum verbis, ſed exemplis procurare debent: non ſolum cum pro concione loquuntur, ſed in privatis etiam colloquiis & converſationibus. *Lingua ſapientium ſanitas eſt.*

*Matt. 5.*

*S. Hieron.*

*Proverb. 12. 18.*

Documenta ſenibus tradenda.

2. *Senes ut ſobrii ſint, pudici, prudentes; ſani in fide, in dilectione, in patientia.* Nihil magis dedecet ſenectutem quam morum levitas, intemperantia, & impudicitia. Qui in illa ſaltem ætate, intemperantiam, impudicitiam, violentiam, levitatem, Dei oblivionem, aliaque juventutis peccata per pœnitentiam expiare non curant, æternæ damnationi proximi ſunt. Pænitentiam ad ſenectutem uſque differre periculoſum; tunc ſaltem non agere, reprobationis ſigillum eſt. Prudentia longo rerum uſu comparata, virtus ſenum propria. Frigus ætatis continentiam & temperantiam faciliorem reddit. Exempli juvenibus præbendi neceſſitas; mors imminens, & rationes totius vitæ anteactæ mox a Deo exigendæ, illis incitamento eſſe debent ad gravitatem ætatis morum honeſtate ornandam. *Senem fatuum & inſenſatum* Deus abominatur. Quantis digni ſunt ſuppliciis, qui pravis exemplis juvenes pertrahunt ad ruinam, & vitiis illorum ſenili auctoritate patrocinantur? *Puer centum annorum morietur*; a vita æterna & regno cælorum æternum exulabit. Fide, caritate, patientia, Deum ſtudeant promereri: Fide incorrupta, nec præjudicatis opinionibus adulterata; fide inconcuſſa, nec ullis tentationibus convulſa, ulliſve dubitationibus vacillante. *Sani in fide.* Dilectione ſeu caritate ſincera, qua proximos omnes propter Deum diligant, non propter temporalem utilitatem, quod vitium eſt ſenectutis. Senes enim plerumque diligunt propter privatam utilitatem dumtaxat, juvenes propter delectationem. *In dilectione.* Sana dilectio non eſt, quæ in Deum non dirigitur. Non eſt ſana dilectio, qua homo propter aliud quam propter Deum diligitur. Non eſt ſana, qua aliud in ſe quam Deum diligit, aut quia habet, aut ut habeat. *In dilectione.* Patientia, qua incommoda ſenectutis, juvenum errores, derelictionem, contemptum propter Deum tolerent, ad expianda junioris ætatis peccata, & ut ad bona a Deo promiſſa eo miſerente perveniant. *In patientia*, „ Patientiæ ſanitas eſt bonus uſus malorum tem- „ poralium Patientia hominis, quæ recta eſt atque „ laudabilis & vocabulo digna virtutis, ea perhibetur „ qua æquo animo mala toleramus, ne animo iniquo „ bona deſeramus, per quæ ad meliora perveniamus. „ Quapropter impatientes dum mala pati nolunt, non „ efficiunt ut a malis eruantur, ſed ut mala gra- „ viora patiantur. Patientes autem qui mala malunt „ non committendo ferre, quam non ferendo com- „ mittere, & leviora faciunt quæ per patientiam „ patiuntur, & pejora evadunt quibus per impa- „ tientiam mergerentur. Bona vero æterna & magna non perdunt, dum malis temporalibus brevibuſque non cedunt: Quoniam *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis*, ſicut Apoſtolus alibi dicit, *ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Multi ſunt patientes, qui non ſunt in patientia ſani, quia propter Deum non patiuntur, & eorum patientia famula eſt concupiſcentiæ, non comes ſapientiæ & bonæ conſcientiæ.

*Eccli. 65. 4.*

*Iſai. 65. 20.*

*S. Auguſt. lib. De Patientia cap. 2.*

*Rom. 8. 28.*

Documenta Matronis Chriſtianis tradenda.

3. 4. 5. *Anus ſimiliter in habitu ſancto, non criminatrices, non multo vino ſervientes, bene docentes, Ut prudentiam doceant adoleſcentulas, &c.* Matronæ Chriſtianæ puellis magiſtræ virtutis eſſe debent, modeſtiæ ac omnis decoris: veſte, geſtu, inceſſu, vultu, ſermone, ſilentio. In omnibus quæ externam illarum compoſitionem & converſationem ſpectant, modeſtia & ſanctitas eluceſcat, quæ ancillas Dei decet. Quia vero garrulum eſt mulierum genus, linguam moderentur, nec tales ſint, quæ ut aliis placeant, de aliis detrahant, ad quod vitium proniores ſunt provectæ jam ætatis feminæ. Illa, inquiunt, ſic ornatur, ſic comitur, ſic illa procedit: amat illum, amatur ab illo: quæ tametſi vera ſint, non tam apud ceteros debent accuſare, quam ſecreto ex Chriſti caritate corripere, magiſque docere ne faciant, quam publice accuſare quod fecerint. *Non criminatrices.* Meminerint Matronæ, vinum neceſſitati, & infirmitati dumtaxat a Deo conceſſum, non voluptati: mulierem interperantem & vino deditam monſtrum eſſe. Apud ethnicos id probroſum fuiſſe mulieribus: quanto magis apud Chriſtianos? *Non multo vino ſervientes.* Illarum domus ſcholæ ſint ſapientiæ; prudentiæ, caſtitatis. Adoleſcentulas doceant, non aniles fabulas, non artes amatorias, non ſuperſtitioſas obſervationes, ſed pietatem, caritatem, ſobrietatem, amorem fidelem & pudicum erga maritos, amorem ſine zelotypia, ſine rixis; amorem virorum ſaluti conſulentem; amorem ſollicitum erga filios, quos magis diligant quia Dei ſunt, quam quia ſui, & eos in Dei diſciplina erudiant. Ceterum nolle eos contriſtare docendo quæ bona ſunt, & libertatem tribuere peccandi, non eſt amare filios, ſed odiſſe. Adoleſcentulas denique doceant vigilantiam & diligentiam in cura rei familiaris, benignitatem ergo domeſticos; obedientiam marito ut ſuo capiti ac rectori familiæ, ad imitationem Saræ quæ obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans. *Subditas viris ſuis, ut non blaſphemetur verbum Dei.* Ne divitiis, aut nobilitate, aut formæ elegantia, aut ingenio inflatæ, ſint divinæ ſententiæ immemores, *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* „ Etenim cum caput „ mulieris vir ſit, caput autem viri Chriſtus; quæ- „ cumque uxor non ſubjicitur viro ſuo, hoc eſt „ capiti ſuo, ejuſdem criminis rea eſt, cujus & vir „ ſi non ſubjiciatur Chriſto capiti ſuo. Verbum „ autem Domini blaſphematur, vel cum contemni- „ tur prima Dei ſententia & pro nihilo ducitur; vel „ cum Chriſti infamatur Evangelium, dum contra legem fidemque naturæ, mulier Chriſtiana & ex Dei lege ſubjecta, viro imperare deſiderat: cum etiam Gentiles feminæ viris ſuis ſerviant, lege naturæ edoctæ, illoſque offendere metuant, illis placere in omnibus ſtudeant, quæ rationi conſentanea ſunt. Ideo Chriſtianas mulieres in die noviſſimo judicabunt.

*S. Hieronym.*

6. *Juvenes ſimiliter hortare, ut ſobrii ſint.* Mulieres docendas mulieribus commiſit Apoſtolus, anus adoleſcentularum magiſtras conſtituit: virilis autem ſexus inſtruendi curam omnem Paſtoribus demandavit: innuens ipſis periculoſam eſſe frequentem ac diuturnam cum mulieribus converſationem, etiam prætextu pietatis, inſtructionis, & directionis. *Nonnumquam enim evenit, ut primum a nobis in virginem, ſive in quamlibet feminam ſit ſancta dilectio, & cum mollita mens fuerit in affectus, paulatim ſanitas caritatis languore palleſcat, & infirmari incipiat, & ad extremam mortem diligentem ferat.* Unde idem Apoſtolus Timotheo caute & prudenter præcipit ut exhortetur adoleſcentulas in omni caſtitate. *Omnis autem caſtitas in carne & ſpiritu & anima eſt: ne ſcandalizetur oculus, ne in pulcritudine vultus feminæ hærentes pendeamus, ne blanda nos audire ver-*

Frequens ex diuturna cum mulieribus converſatio, etiam ſpecie pietatis & directionis, periculoſa.

*S. Chryſoſtom. Hom. 4.*

*S. Hieronym. in Comment. hujus Epiſtolæ.*

*2. Timoth. 5.*

*verba delectet, ne ad ſimulatos ſermones mens prius dura marceſcat. Caveant ergo tam juvenes quam ſenes, tam adoleſcentulæ, quam vetulæ*, tam Paſtores quam ſubditi, tam Directores quam filiæ ſpirituales, tam Concionatores quam auditrices, & *omni diligentia cuſtodiant cor ſuum, ne ſanitatem dilectionis morbus caritatis introeat, & per amorem ſanctum fiat non ſancta dilectio, quæ illos pertrahat ad gehennam*. Caveant ne cum ſpiritu incœperint, tandem carne conſummentur.

Documenta Juvenibus tradenda.

Paſtores igitur adoleſcentularum inſtitutione feminis commendata, in juvenibus ad virtutem informandis curam omnem adhibeant; illoſque maxime exhortentur ut ſobrii ſint & pudici. Illos doceant moderationem cupiditatum, quæ in illo ætatis fervore vehementius æſtuant, & adoleſcentium animos ad omnia vitia facile impellunt: illis amorem caſtitatis inſpirent: ut pudici ſint tam mente quam corpore, tam opere quam cogitatione; ut a nimio vini potu ſibi temperent, in quo eſt luxuria; ut avertant oculos ſuos a muliere compta præparata ad capiendas animas, quæ blanditiis labiorum illos pellicit.

*Proverb. 7.*

Stultus adoleſcens *ſtatim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciviens, & ignorans quod ad vincula trahatur, donec transfigat ſagitta jecur ejus: velut ſi avis feſtinet ad laqueum, & neſcit quod de periculo animæ illius agitur*. Nihil ita difficile huic ætati ut ſuperare noxias mortiferaſque voluptates. Neque enim aut pecuniarum amor, aut gloriæ ſtudium, aut cujuslibet rei alterius concupiſcentia ita juvenilem perturbat & corrumpit ætatem, ſicuti corporum amor, veſanaque libido. Ab hac igitur, ceteriſque cupiditatibus, ſuarum impetu juvenes rapi contingit, Paſtor illo deterreat, impudicitiæ, intemperantiæ, violentiæ horrorem illis inſpiret, ratione magis quam auctoritate, adhortationibus magis quam minis. *Juvenes hortare ut ſobrii ſint*.

7. 8. *In omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate*.

*S. Gregor. M. P. 2. Paſtoralis cap. 3.*

Paſtor exemplum bonorum operum ſe ipſum in omnibus præbere debet.

Infructuoſa eſt prædicatio, quam bonum exemplum non confirmat. Paſtor totus vox eſſe debet, prædicare lingua, innocentia, ſapientia & moderatione; lingua in ſacro pulpito, innocentia in moribus, ſapientia & moderatione in miniſterio. „ Sit Rector operatione præcipuus, ut vitæ viam ſubditis vivendo denuntiet, & grex qui Paſtoris vocem moreſque ſequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur. Qui enim loci ſui neceſſitate exigitur ſumma dicere, eadem neceſſitate compellitur ſumma monſtrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo imperat, oſtendendo adjuvat ut fiat. *Hinc per Prophetam dicitur*: Super montem excelſum aſcende tu qui evangelizas Sion.

*Iſai. 40. 9.*

*Ut videlicet* qui cœleſti prædicatione utitur, ima jam terrenorum operum deſerens, in rerum culmine ſtare videatur; tantoque facilius ſubditos ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de ſupernis clamat. „ Exemplum ſe præbeat Paſtor *in doctrina*, non curioſitati ſtudens, ſed ædificationi; non ad oſtentationem docens, ſed ad ſalutem; ad finem caritatis omnis ejus doctrina tendat. Sit fidelium exemplum *in integritate* ſenſus per prudentiam; affectus, per Dei proximique dilectionem; corporis, per caſtitatem: ſit denique fidelium exemplum *in gravitate*, tranquillitate, & conſtantia morum, nihil inquietum, nihil leve præſeferens. *Verbum* Paſtoris *ſanum* ſit, ex divinarum Scripturarum apotheca depromptum, multiplicibus animarum morbis conveniens, & convenienter aptatum & applicatum. Sit *irreprehenſibile*, ut obmuteſcant adverſarii, ſemper intenti ut capiant in ſermone Paſtores qui non ſunt ſecundum cor eorum, ſed ſecundum cor Dei; ut ſanioris doctrinæ Prædicatoribus novæ cujuſdam hæreſeos ſuſpicionem aſpergant; ut Sacerdotibus pacificis factionum nomina imponant. Ita exponenda doctrina eſt, ut omnis ipſis præripiatur calumniandi occaſio, ut os loquentium iniqua obſtruatur. *Verbum ſanum, irreprehenſibile, ut is qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis*.

*Theodoret.*

„ Quando enim & quæ dicuntur veritate ornantur, & quæ fiunt iis quæ dicuntur conſentiunt, ipſorum etiam maledicorum ora obſtruuntur.

9. 10. *Servos dominis ſuis ſubditos eſſe, in omnibus placentes, non contradicentes, non fraudantes; ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes: ut doctrinam Salvatoris noſtri Dei ornent in omnibus*.

Documenta ſervis tradenda.

Evangelium & Chriſtianam Religionem dedecorant famuli, qui dominis ſuis obedientiam, venerationem, fidem, juſtam complacentiam non exhibent: qui adverſus juſta illorum imperia murmurant, illis proterve ac inſolenter contradicunt, reſponſant, muſſitant, obloquuntur, ſe invitos obedire demonſtrant; qui aliquid de rebus dominorum intervertunt; & ſinceraque fide res domeſticas non adminiſtrant. Dominus enim & Salvator noſter non venit in mundum ut ordinem & obedientiam everteret, ſed ut firmaret, ac per Evangelium ſuum conſecraret. Servi omnium æternum Dominum in dominis ſuis temporalibus revereantur, eiſque ſubditi ſint & obediant bona voluntate, læto animo, intuitu Chriſti, qui propter nos obediens factus eſt. Placere ſtudeant heris ſuis in omnibus, quæ non ſunt Dei legi contraria. Ne illorum cupiditatibus ſerviant, ne illis ad vitia famulentur. Si ergo domini a ſervis exigant miniſteria Dei mandatis contraria, magis obediant ſpiritus Domino, quam corporis; magis Deo quam hominibus diſplicere vereantur. *In omnibus placentes*. Complaceant ſibi in conditione ſua, Dei providentiam, qui illos ad ſervitium vocavit, adorantes & benedicentes. Sua ſorte gaudeant; quæ quanto humilior & pauperior, tanto ſecurior eſt. Prompte & alacriter obediant, *non contradicentes*,

*S. Hieron.*

„ Maximum enim ſervorum vitium eſt, dominis contradicere, & cum aliquid juſſerint, ſecum muſſitare. Ideo Titum commonet Apoſtolus, ut per doctrinam ſanam ab his qui Chriſtiani ſervi ſunt, iſtiuſmodi auferat paſſionem. Si enim quæ dominus imperat neceſſe habet ſervus implere, cur hoc ipſum non cum bona faciat voluntate, ſed & dominum offendat, & tandem faciat quod jubetur?

*Numer. 20.*

Maxime cum & Deus ad aquam contradictionis offenſus ſit, & murmuratores ab ingreſſu Terræ promiſſæ excluſi ſint. Aliud vitium ſervorum doctrina Chriſti corrigit, rerum dominicarum interverſionem & clanculariam ſurreptionem. Nec minus rei ſunt quod res Dominorum multis furtis ſuppilent, & per partes exiguas decerpant.

*S. Hieron.*

„ Fur non ſolum in majoribus, ſed etiam in minoribus judicatur. Non enim id quod furto ablatum eſt, ſed mens furantis attenditur. Quo modo in fornicatione & adulterio, non idcirco diverſa ſit fornicatio & adulterium, ſi pulcra vel dives, deformis vel pauper meretrix vel adultera ſit; ſed qualiſcumque illa fuerit, una eſt fornicatio vel adulterium: ita & in furto; quantumcumque ſervus abſtulerit, furti crimen incurrit, pro rei quidem majori vel minori pretio gravius aut levius. Nec tamen ſervus lethalis peccati reus non eſt qui per plura furta leviora notabilem ſummam totalem ſurripuit domino: ſive ab initio voluntatem habuerit notabilem ſummam per plura furta minima corradendi, ſive non. Furtis enim exiguis multiplicatis, grave damnum infertur domino. *Non fraudantes; ſed in omnibus fidem bonam oſtendentes, ut doctrinam Salvatoris noſtri Dei ornent in omnibus*. Si enim apud carnales dominos in minimo fideles fuerint, incipient eis apud Deum majora committi. *Quomodo vero poteſt fidelis eſſe in ſubſtantia Dei, qui carnali domino fidem exhibere non potuit?*

11. 12. 13. *Apparuit enim gratia Salvatoris noſtri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria, ſobrie, & juſte, & pie vivamus in hoc ſeculo*.

Myſterium Incarnationis Chriſti, ejuſque fructus.

Locus hic Apoſtoli ſummam fidei & Moralis Evangelicæ complectitur. Gratia Salvatoris noſtri in ejus Incarnatione apparuit, gratia ſubſiſtens, fons gratiarum omnium, æterna Patris imago, ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, primum donum gratuitum quod Dei miſericordia & immenſa caritas peccatoribus dedit, Chriſtus Jeſus Salvator noſter. *Lex per Moyſen data eſt, gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*.

*Joann. 1.*

*S. Auguſtin. l. De Corrept. & Gratia.*

Non hæc gratia Creatoris Adamo data, & ab ipſo amiſſa, qua perſeverare poterat ſi vellet, non qua fieret ut perſeveraret, in tanta non peccandi facilitate, in tanta liberi arbitrii ſanitate, in tanta primævi ſtatus felicitate, ſua ſecum pace fruens: ſed *Gratia Salvatoris noſtri*, Gratia redemptionis, reparationis, gratia medicinalis, gratia ſalutis, qua fit ut juſti non ſolum perſeverare poſſint, ſi velint, ſed ut nonniſi perſeverantes ſint: gratia qua non ſolum cognoſcitur bonum, quod lex præſtabat, ſed qua diligitur, & perficitur cum ſuavitate & delectatione. Verbum Dei, Salvator mundi tamdiu deſideratus & exſpectatus, tot figuris delineatus, tot Prophetarum oraculis prænunciatus, quia ejus Myſteria *Paraturam deſiderabant ut credi poſſent*,

*Tertullian.*

proceſſit ex ſinu Patris, ex umbris Legis, ex utero Virginis, & *apparuit*, atque illuxit, non uni Judæorum populo, cui Lex vetus data erat per Angelos, Moſe mediatore; ſed omnibus Gentibus; non ad certum tempus, ſed in perpetuum: *Omnibus hominibus*, ſine exceptione ſexuum, ætatum, conditionum. Mulieribus æque ac viris, plebeiis æque ac Principibus, ſervis pariter ac dominis, pauperibus non minus quam divitibus, ſicut idem Deus, ita idem Salvator Chriſtus Jeſus, idem Evangelium, eadem promiſſa, eadem officia renunciandi ſecularibus deſideriis, ſobrie, juſte, & pie vivendi.

*S. Hil. Tract. in Pſalm. 118. Littera. 12. Verſ. 89.*

„ Nemo noſtrum eſt, qui non interdum donum ſpiritualis





„ gratiæ ſentiat, qui non aliquando in ſe habeat Dei Verbum, cum ſobrius, cum tranquillus, cum continens eſt, cum benevolus, cum miſericors eſt (in his enim cum ſumus, manet in nobis Dei Verbum;) cum præceptis ejus bonarum rerum obeditione famulamur. Sed ſubrepentibus turbidarum affectionum motibus, cum ſubit pecuniæ cura, cum æſtus turpis ac laſcivæ cupiditatis accenditur, cum iræ impetus commovetur, cum ebrietas deſideratur, jam non eſt in nobis manens Dei Verbum. Eſt autem in his, qui ſecundum Apoſtolum exuti veterem hominem cum peccatis ſuis, novum induerunt; qui commortui Chriſto, & conſepulti, jam in novitatem vitæ reſurrexerunt, & collocati ſunt in cœleſtibus: qui terreſtri imagine derelicta, cœleſtis imaginem portant.

Verbum Dei Chriſtus in animos omnium vult introire ſed homines illi aditum vitiis ſuis occludunt.

In his enim tamquam in cœlo Verbum Dei permanet. In quibus hoc Verbum non offenditur ira, ebrietate, odio, infidelitate, laſcivia. Nam etſi aliquando manet in nobis, tamen has habitationis ſuæ contumelias non fert; ut ſemper ineſſe permaneat. Si vero hæc vitia ſemper in nobis erunt, ne introire quidem polluta corporum domicilia dignabitur. Adeſt autem unicuique proximum: ſtat enim ad oſtium Verbum Dei, & pulſat oſtium animæ noſtræ, & dicit, Ecce ſtans ante oſtium pulſo; ſi quis aperiet mihi oſtium, ingrediar ad eum. Vult ergo ſemper introire: ſed a nobis ne introeat excluditur. Claudimus enim per corporis vitia animæ noſtræ aditum: Quæ ſi cœperit emundatis omnibus patere, illico introibit, modo Solis, qui clauſis feneſtræ valvis introire prohibetur, patentibus vero totus immittitur.

*Apocal. 3. 20.*

Ipſe quidem ſemper ut illuminet promtus eſt; ſed lumen ſibi domus ipſa obſeratis aditibus excludit. Eſt enim Verbum Dei Sol juſtitiæ, adſiſtens unicuique ut introeat: nec moratur lucem ſuam repertis aditibus infundere. „ Hic Incarnationis, Paſſionis ac mortis Jeſu Chriſti fructus eſt: *Apparuit enim gratia Dei Salvatoris noſtri omnibus hominibus*.

Apparuit autem *erudiens nos*, novus Præceptor; novam Scholam erigens, novas lectiones tradens, novo modo docens. Loquitur ad cor, veritatem inſpirat, caritatem diffundit, legem ſuam in eo ſcribit digito ſuo, qui ſanctus Spiritus eſt. Ipſe in mentes illabitur, qui eſt ſumma Veritas, & Verbum Patris.

Jeſus Chriſtus hominum Magiſter.

*S. Auguſtin.*

„ In carne viſibiliter apparuit, erudiens nos & verbis & exemplis. Homo enim ſequendus non erat, qui videri poterat; Deus ſequendus erat, qui videri non poterat: ut ergo haberet homo & quem videret, & quem ſequeretur Magiſtrum, Deus factus eſt homo. In carne apparuit & converſatus eſt, „ Ut omnia contemnendo quæ pravi homines cupiunt, & omnia perpetiendo quæ horreſcunt, & omnia faciendo quæ mirantur, genus humanum ad tam ſalubrem fidem ſummo amore atque auctoritate converteret...

*Idem lib. De vera Religione, cap. 3. & 16.*

Satellites voluptatis divitias pernicioſe populi appetebant, pauper eſſe voluit. Honoribus & imperiis inhiabant, Rex fieri noluit. Carnales filios magnum bonum putabant, tale conjugium prolemque contempſit. Contumelias ſuperbiſſime horrebant, omne genus contumeliarum ſuſtinuit. Injurias intolerabiles eſſe arbitrabantur: quæ major injuria, quam juſtum innocentemque damnari? Dolores corporis execrabantur; flagellatus atque cruciatus eſt. Mori metuebant, morte multatus eſt. Ignominioſiſſimum mortis genus crucem putabant; crucifixus eſt. Omnia quæ habere cupientes non recte vivebamus, carendo vilia fecit. Omnia quæ vitare cupientes a ſtudio deviabamus veritatis, perpetiendo dejecit. Non enim ullum peccatum committi poteſt, niſi dum appetuntur ea quæ ille contempſit, aut fugiuntur quæ ille ſuſtinuit. Tota itaque vita ejus in terris per hominem quem ſuſcipere dignatus eſt, diſciplina morum fuit. Prima Chriſti Jeſu lectio eſt de abnegatione. Renunciandum peccato, diabolo, mundo, nobis ipſis. Hanc abnegationem in baptiſmo ſolemniter promiſimus, cum in Sacramenti verba reſpondimus. *Ut abnegantes impietatem*. Omne peccatum mortale impietas eſt, & quoddam idololatriæ genus, ſiquidem peccator relicto Creatore creaturæ ut fini ultimo adhæret; ac Dei præcepta, promiſſa, minaſque contemnens, in ſe ipſo vitæ ſuæ regulam, propriæque felicitatis cauſſam ignarus ac cæcus conſtituit. Peccatum igitur cum execratione abjiciendum & abnegandum eſt, ſi Chriſti Jeſu diſcipuli eſſe velimus, mundo & pompis ejus, pravis deſideriis & cupiditatibus divitiarum, honorum, & gloriæ ſecularis, pretioſarum veſtium, ſplendidæ ſupellectilis, magnificarum ædium, quibus gloria inſoleſcit; voluptatum carnis, epularum, ſpectaculorum, choræarum, profani amoris, ipſi denique ſeculo præſenti abrenunciandum eſt, ſi vere Chriſtiani ſumus, quod nos eſſe exterius profitemur. *Et ſecularia deſideria*. In hoc mundo vivendum ut in terra aliena, in loco exilii, in via qua ad patriam tendimus, vitæ non inhærentes cum delectatione, ſed eam cum patientia tolerantes; non in voluptate, ſed in Pœnitentia dies noſtros tranſigentes, omnia ſtatus noſtri officia fideliter implentes, ut meliore æternaque vita digni evadamus. *Sobrie, juſte, & pie vivamus in hoc ſeculo*. Sobrie, modum in creaturarum uſu non excedendo, illis non utendo ultra limites neceſſitatis, contra regulas honeſtatis, præter finem caritatis. Juſte vivendum eſt reſpectu proximi, ne ulla ipſi injuria fiat in bonis corporis, honoris, & famæ, aut fortunæ.

*S. Auguſt.*

Ille ad omne injuſtitiæ genus paratus eſt, cui ſecularia deſideria dominantur. Officia caritatis a Deo præcepta, ſunt officia juſtitiæ. Et quis juſtum eſſe neget ut ejuſdem corporis membra ſibi invicem ſuccurrant & opitulentur? Pie denique vivendum eſt reſpectu Dei. Pietatis exordium eſt optime de Deo ſentire, pietatis perfectio eſt caritas qua Deus gratis diligitur; qua ut principium juſtitiæ noſtræ & finis beatitudinis noſtræ colitur, qua Lex ejus æterna & voluntas ut regula deſideriorum, morum, actionumque noſtrarum adoratur & amatur; qua Chriſtus Jeſus Salvator noſter diligitur, ſine cujus gratia nihil boni ſalutaris cogitare, velle, & operari poſſumus; & qua ejus Evangelio in omnibus ex amore juſtitiæ obeditur. *Sobrie & juſte, & pie vivamus in hoc ſeculo*.

*S. Fulgent. lib. 1. De Remiſſ. Peccat. c. 38.*

Quiſquis ergo vult ad regnum pervenire cœlorum, vivat ſobrius in ſemetipſo, juſtitiam ſervet in proximo, pius perſeveret in Deo. Qui ſobrie, juſte, & pie vivunt in hoc ſeculo, ſecundum Domini adventum cum ſpe & deſiderio exſpectant, quia nonniſi per eum adepturos ſe ſciunt participationem gloriæ Chriſti, & redemptionem conſummatam. *Exſpectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti*. Fruſtra cæleſtem æternamque beatitudinem exſpectant, qui felicitatem in creaturarum fruitione ſibi conſtituunt. Terrenæ ac temporali felicitati renunciandum, ſi beatitudinis æternæ, & gloriæ Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti conſortes eſſe velimus. Exſpectare ſibique polliceri bona a Deo promiſſa, & illa nolle promereri, legem & mandata Dei fideliter & perſeveranter adimplendo, non Chriſtiana ſpes, ſed cæca & temeraria præſumptio eſt. Ille cum fiducia glorioſum Chriſti adventum exſpectat, qui ſobrie, & juſte, & pie vivit in hoc ſeculo. *Sicut enim impietas magni Dei reformidat adventum: ita ſecura de opere ſuo & de fide pietas illum præſtolatur*.

14. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum*.

Chriſtus ſemetipſum pro nobis morti tradidit.

Non ſolum ſe nobis dedit Filius Dei carnem aſſumendo; ſed ſe ipſum pro nobis tradidit ſe immolando. Divina Majeſtas opprobriis, gloria ignominiæ, æterna ſapientia ſtultitiæ crucis, vita morti ſe ipſam tradidit ſacrificio voluntario, irrevocabili, pleno, conſummato. *Qui dedit ſemetipſum pro nobis*, ſervis, peccatoribus, inimicis ſuis, ingratis; Judex pro reis, ut reos non ſolum abſolvat, ſed in ſolium gloriæ exaltet. Deus ſemetipſum dedit pro nobis, nullam ex hoc utilitatem, nullam felicitatis acceſſionem comparans. Et nos, proh pudor! Deo devovere & tradere nolumus ob noſtrum bonum ac felicitatem. Nos ipſos Deo commodamus potius quam damus; idque quam ægre, quam difficulter, quam imperfecte, quantis cum exceptionibus, quam frigide, quam infideliter, corda noſtra, ſermones noſtros, corpora noſtra, opera noſtra illi frequentiſſime ſubtrahentes, & mundo rurſus ac peccato tradentes? Dedit ſemetipſum pro nobis,

Redemptionis beneficium.

*ut nos redimeret ab omni iniquitate*, a ſervitute peccati, concupiſcentiæ, dæmonis, ab æterna damnatione. Donavit nos libertate filiorum Dei. Liberavit nos a ſervitute cupiditatis, per infuſionem caritatis, ut non dominetur nobis omnis injuſtitia. Redemit nos ſanguine ſuo. *Adverſarius tamquam captiva mancipia vilioris pretio æſtimationis addicit: at vero Dominus tamquam ſpecioſa ſervitia, quæ ad imaginem & ſimilitudinem ſui fecit, idoneus ſui operis æſtimator magno pretio nos redemit, quod non æſtimatur ære, ſed ſanguine*, nos, inquam, redemit *de vana converſatione paternæ traditionis, de maledicto Legis, de impietatis morte perpetua*.

*S. Ambroſ. l. 7. in Evang. S. Lucæ, n. 117.*

Domino a quo redempti ſumus, ſervitutem omnibus diebus vitæ noſtræ debemus. Væ nobis ſi contra Liberatorem & Redemptorem noſtrum parta per ipſum libertate abutamur. Semetipſum dedit Jeſus Chriſtus, *ut nos mundaret ſibi populum acceptabilem*. Quam horrenda peccati immunditia, quæ ſolo Dei hominis ſanguine abſtergi potuit! Quam immenſa Chriſti Jeſu bonitas & miſericordia, qui lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo, ut nos in ſanctitate & unitate corporis ſui Deo conſecraret, ut nos ſibi populum peculiarem, electum, egregium, a ſe incomparabili pretio acquiſitum poſſideret! Chriſtianæ igitur Reli-

In quo conſiſtit Chriſtianæ Religionis ſpiritus.

gionis ſpiritus in externis dumtaxat & tranſitoriis pietatis exercitiis & operibus non conſiſtit, non in officiis dumtaxat quibuſdam, quibus plerique Chriſtianorum funguntur ut conſuetudini pareant, ut famæ ſuæ conſulant, ut ignem æternum vitent, quem amor proprius reformidat magis quam peccatum: ſed in conſecratione interiori, permanente, inviolabili, quæ nos a peccatis mundatos, & ab amore divitiarum, honorum, voluptatum ſeparatos, Deo conjungit per caritatem, quæ nos ejus adoratores in ſpiritu & veritate, & fideles Filii ejus Jeſu Chriſti imitatores efficit. Caritas autem quæ nos Deo conſecrat & gratos facit, ſine bonis operibus eſſe non poteſt: ſicut nec bona opera Deo grata eſſe poſſunt ſine caritate.

*S. Chryſoſt. Hom. 6.*

Chriſtiano porro non ſatis eſſe debet bona opera facere, ſed eorum amatorem & æmulatorem eſſe convenit, occaſiones bonorum operum faciendorum quærere; datas lubenti, alacri, & læto animo amplecti, illa cum fervore exequi neceſſe eſt. *Sectatorem bonorum operum*. Ad hoc ordinata ſunt Incarnatio, Paſſio, mors & ſacrificium Chriſti, ut bonorum operum ſectatores, & juſtitiæ amatores ſimus. Hic eſt veri Chriſtiani proprius caracter, hæc nota populum electum a populo reprobo diſcernens, hoc noſtræ conſecrationis ſigillum, hoc redemptionis Chriſti Jeſu in nobis per ejus miſericordiam conſummandæ pignus eſt.

Boni Paſtoris officia.

15. *Hæc loquere, & exhortare, & argue cum omni imperio, Nemo te contemnat*. Paſtoris officia ſunt, omnes curæ ſuæ ſubditos docere, infirmos exhortari & conſolari, pervicaces arguere cum auctoritare & ſeveritate, ut eorum durities frangatur, & morum aſperitas molliatur. Nonnulla ſunt quæ opus non habent imperio & ſeveritate ut emendentur, ſed adhortatione & perſuaſione, ut pecuniarum contemptus. Sunt autem alia quæ ſeveritate opus habent, ut adulteria, fornicationes, furta, circumventiones, veneficia, blaſphemiæ, impietates, divinationes, inimicitiæ, violentiæ, &c. Illos increpare oportet, quibus exhortatio non prodeſt. *Exhortare, & argue cum omni imperio*. In objurgatione ſervanda ſacri Miniſterii majeſtas. Loquatur Paſtor, ut Chriſti legatus & vicarius, opportune increpet peccatores. Nam qui intempeſtive objurgat, nec ſervatis prudentiæ & caritatis regulis, magis contemnitur. Denique ita ſe gerere in omnibus debet Rector animarum, ut nemo ex ejus ſermonibus, regendique, aut vivendi modo occaſionem ſumat illum deſpiciendi. *Nemo te contemnat*. Id eſt, *Nemo eorum qui in Eccleſiis ſunt, te ſegniter agente ſic vivat ut ſeſe putet eſſe meliorem. Qualis enim ædificatio erit diſcipuli, ſi ſe intelligat magiſtro eſſe majorem? Unde non ſolum Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præſident, converſatione, ſermone, ac ſcientia præcedant: verum & inferior gradus, Exorciſtæ, Lectores, Æditui, & omnes omnino qui domui Dei ſerviunt. Quia vehementer Eccleſiam Chriſti deſtruit; meliores eſſe Laicos quam Clericos.*

*S. Chryſoſtom. Theophylact.*

Clerici ita ſe gerere debent, ut nemo eos deſpiciat.

*S. Hieron. in hunc locum.*

---

C A P U T III.

*Senſus Litteralis.*

1. A*Dmone illos Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire ad omne opus bonum paratos eſſe*. Cretenſes, gentem indomitam & ad ſeditiones pronam, admone ut Principibus & Magiſtratibus ſubditi ſint, eorum pareant imperio, legibus ac mandatis; ut ad omne opus bonum ab illis injunctum parati ſint. Hæc contra Judæ Galilæi ſectatores ab Apoſtolo dicta S. Hieronymus probabiliter exiſtimavit. Fuit autem hic Judæ Galilæi error, neminem vocari debere Dominum præter Deum; nec tributa Cæſari ſolvenda ab iis qui decimas ad Templum deferrent.

Sic etiam legi poſſe S. Hieronymus cenſet, *Dicto obedire ad omne opus bonum, paratos eſſe*, ad omnem eventum, ad omnia propter Chriſti nomen ſuſtinenda, ut nullo caſu, nulla perſecutione velut improviſa terreantur.

*Act. 5. 37.*

2. *Neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe, ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines*. Ne cuiquam, aut de quoquam maledicant: ut a contentionibus, rixis, & pugnis verborum alieni ſint: ut ſe commodos, faciles, æquos aliis exhibeant: ut ſummam non ſolum erga ejuſdem fidei conſortes, ſed etiam erga infideles & perſecutores, manſuetudinem ſervent ac demonſtrent.

Græce, *Επιεῖς, Æqui*.

3. *Eramus etiam aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, odientes invicem*. Et nos enim, qui ex Gentibus ad fidem Chriſti vocati ſumus, quondam, ſcilicet ante converſionem noſtram, ſtulti eramus, deſerentes Creatorem, & adorantes lapidem, rerum divinarum intelligentia penitus deſtituti; prædicationi veritatis reſiſtentes, Evangelio inobedientes; a recta via, tam doctrinæ quam morum, errantes; variis cupiditatibus, voluptatum præſertim carnalium, addicti; vitam malignitatis & invidiæ plenam agentes; odio digni, & mutuis odiis infeſti.

Omnes infideles pravis cupiditatibus ſerviunt etſi non iiſdem, nec æqualiter.

Prædeſtinatio penitus gratuita, non ex præſcientia operum.

4. 5. 6. 7. *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti, Quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: Ut juſtificati gratia ipſius, heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ*. Poſtquam autem bonitas Dei Salvatoris noſtri, & ejus in homines amor, per Evangelii prædicationem mundo illuxit atque innotuit, ſalvos nos fecit, non merito juſtorum operum quæ feciſſemus ante primam gratiam qua vocati ſumus ad fidem & baptiſmum: ſed ex infinita miſericordia ſua & gratuita prorſus beneficentia nos juſtificavit, & in via ſalutis conſtituit per baptiſum, quo regenerati ſumus in filios Dei, & depoſita vetuſtate peccati mente renovati ſumus virtute Spiritus Sancti, quem Pater æternus abunde & opulenter in nos effudit per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum; cujus meritis tota ſalutis noſtræ œconomia ab initio fidei uſque ad gloriæ conſummationem tribuenda eſt. *Ut juſtificati gratia ipſius, heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ*. Ut a peccatis mundati, & juſtitia donati gratuito ipſius beneficio omnia merita noſtra præveniente, heredes ſimus vitæ ac felicitatis æternæ, nunc quidem ſpe & jure, in futuro ſeculo re & poſſeſſione.

Non ſola imputatione juſtitiæ Chriſti ſed interna gratiæ renovantis infuſione juſtificamur.

Tres Perſonæ divinæ ad noſtram juſtificationem indiviſim concurrunt. Una earum operatio, una ergo poteſtas, una eademque natura Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.

8. *Fidelis ſermo: & volo te confirmare, ut curent bonis operibus præeſſe qui credunt Deo. Hæc ſunt bona & utilia hominibus*. Certa ſunt, & fide digniſſima, quæ dixi de prædeſtinatione, vocatione, juſtificatione omnino gratuitis, & ſalute per Jeſum Chriſtum nobis parta: & volo ut in iſtius veritatis fide confirmes fideles curæ tuæ commiſſos; ut qui credunt Deo, ſolliciti ſint bonis operibus, ducum inſtar ac præfectorum, præcellere ..... Hæc per ſe honeſta ſunt, & ad ſalutem æternam utilia hominibus. Per bonorum enim operum curam hereditas Dei, & ſpes vitæ præparatur æternæ.

Inepta Grotii Commentatio, qui *præeſſe bonis operibus*, non aliud eſſe ait, quam domum ſuam facere honeſti alicujus opificii officinam non agere vitam lenonum, paraſitorum, ſcenicorum, aruſpicum, aut his ſimilem.

9. *Stultas autem quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas Legis devita, ſunt enim inutiles & vanæ*. Abſurdas quæſtiones, & quæ nihil ædificationis adferunt, quales ut plurimum ſunt Judaicæ; & genealogiarum privatarum curioſam ſcientiam, quam ſibi arrogant Judæi, & contentiones ac rixas quæ oriuntur ex interpretatione & obſervatione Legis ceremonialis a Judæorum Doctoribus tradita, fuge, & cohibe. Sunt enim inutiles & dicentibus & audientibus, & ſoli ſerviunt oſtentationi ac vanitati.

10. 11. *Hæreticum hominem, poſt unam & ſecundam correptionem devita: ſciens quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio judicio condemnatus*. Hominem pertinacem in errore contra fidem, adeoque hæreticum, poſt unam & alteram admonitionem & correptionem fuge, ſciens illum perverſum eſſe, ſive penitus everſum diruto fidei fundamento; adeo ut ſpes nulla affulgeat admonitionibus, & correptionibus illum revocandi ad fidei ſanitatem. Peccat graviſſime, nolens acquieſcere veritati fidei ſibi manifeſtatæ, erroremque ſuum contra Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ doctrinam Scripturis ſacris vel traditione ſuffultam, retinere eligens: & proprio ſe judicio condemnat, pertinaciter ab ea diſſentiens, & ab ejus communione ſemetipſum ſegregans.... Tametſi nonnulli olim Codices habuerint dumtaxat, *Poſt unam correptionem devita*, ut conſtat ex S. Irenæo lib. 3. cap. 3. Tertulliano lib. De Præſcript. cap. 16. S. Cypriano lib. 3. Teſtimon. ad Quirin. cap. 78. S. Ambroſio lib. 2. De Abraham, cap. 6. hanc tamen lectionem S. Athanaſius improbavit, ut Sanctus Hieronymus refert: noſtram vero ſummus Græcorum, Syrorum, & Latinorum, quotquot nunc extant, Codicum conſenſus confirmat. Ordo autem trinæ correptionis a Chriſto præſcriptus *Matth.* 18. peccatores occultos ſpectat, non manifeſtos & publicos.

*S. Hieronym. Confer cum 1. ad Tim. 1. 34.* & noſtrum in hunc locum lege Commentar.

12. *Cum miſero ad te Artemam, aut Tychicum*, meos in Evangelico Miniſterio cooperatores, ut vice tua Cretenſis Eccleſiæ curam gerant, *Feſtina ad me venire Nicopolim: ibi enim ſtatui hyemare*.

Nicopolis urbs Epiri, ad fretum ſinus Ambracii, e regione Actii promontorii, ab Auguſto Cæſare in memoriam Actiacæ victoriæ condita.

13. 14. *Zenam Legiſperitum, & Apollo ſolicite præmitte, ut nihil illis deſit*. Zenam Judæum, olim Legis Doctorem, & Apollo, per Cretam itur ad me facturos deduci, & neceſſarium viaticum illis ſubminiſtrari cura. *Diſcant autem & noſtri bonis operibus præeſſe ad uſus neceſſarios, ut non ſint infructuoſi*. Diſcant fratres noſtri Chriſtiani, tuo regmini ſubditi, bonis operibus intendere, & ad ea duces eſſe ac promotores, ubicumque poſtulat neceſſitas, præſertim Miniſtros Evangelicos deducendi & ſuſtentandi;

*Apollo*, de quo in Actis Apoſt. & 1. Cor. 1.



ne infructuoſi & ſteriles maneant, bona opera non faciendo.

15. *Salutant te qui mecum ſunt omnes*, familiares & adjutores mei. *Saluta eos qui nos amant in fide*. Illis qui nos amant in unitate fidei, quæ amicitiæ Chriſtianæ vinculum eſt, meo nomine ſalutem dicas velim. *Gratia Dei cum omnibus vobis*. Gratiam Dei omnibus Cretenſis Eccleſiæ fidelibus adprecor. *Amen.*

---

C A P U T III.

*Senſus Moralis.*

Obedientia Principibus & Poteſtatibus jure divino debita.

1. A*Dmone illos Principibus & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire, ad omnes opus bonum paratos eſſe*. Paſtorum & Prædicatorum eſt populum in officio erga Principes & Magiſtratus continere, plebem adhortari ut eorum auctoritatem revereatur, eique ſubdita ſit propter Deum; ut eorum legibus, edictis, ac mandatis pareat; ut a ſeditionibus & murmurationibus contra politicum regimen abhorreat; ut animo parata ſit ad omnia eorum mandata exequenda, quæcumque præceperint divinæ legi & juſtitiæ non repugnantia. Reddenda quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo, ſecundum Chriſti Jeſu Salvatoris noſtri mandatum. In hac doctrina conſentiunt Apoſtolorum Principes. *Subjecti igitur eſtote* (ait S. Petrus) *omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi, quaſi præcellenti; ſive Ducibus tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei, ut bene facientes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei ... Deum timete, Regem honorificate*. Si divinæ legi manifeſte repugnent Principum ac Magiſtratuum leges, edicta, mandata, magis Deo obediendum eſt quam hominibus. Sed alias, in omnibus politicum regimen ſpectantibus, & tributorum ac vectigalium impoſitionem aut ſolutionem, ad ſubditos non pertinet de legibus ac mandatis Principum & Poteſtatum judicare, an juſtæ, vel injuſtæ ſint, ſed *dicto obedire*. Hæc Dei voluntas.

Nemini maledicendum ſive detrahendum.

*Judæ 2.*
*S. Hieron.*
*Jacobi 3. 9. 10. 11. 22.*
*Jacobi 4. 11. 12.*

2. *Neminem blaſphemare, non litigioſos eſſe, ſed modeſtos, omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines*. Maledicere proximo, ejuſque famæ detrahere, crimen eſt diabolicum. „ Michael Archangelus cum diabolo diſputans de Moyſi corpore, non „ fuit auſus judicium inferre blaſphemiæ: quanto magis nos ab omni maledicto puri eſſe debemus? Merebatur diabolus maledictum, ſed per Archangeli „ os blaſphemia exire non debuit. “ Indignum eſt „ ut lingua *noſtra* Qua benedicimus Deum & Patrem, maledicamus homines, qui ad ſimilitudinem „ Dei facti ſunt. Ex ipſo ore procedit benedictio & „ maledictio. Nam oportet, fratres mei, hæc ita „ fieri. Numquid fons de eodem foramine emanat „ dulcem & amaram aquam? . . . Nolite detrahere „ alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui „ judicat fratrem, detrahit legi, & judicat legem. „ Si autem judicas legem, non es factor legis, ſed „ judex. Unus eſt Legislator & Judex, qui poteſt perdere, & liberare. Cum autem alicui homini, etiam privato, maledicere ſit nefas, longe gravius piaculum eſt maledicere Principibus & Poteſtatibus, ſive Eccleſiæ, ſive ſæculi. Scriptum eſt enim. *Diis non detrahes, & Principi populi tui non maledices*. Chriſtiani hominis ſermones caritas moderetur, & maledicendi libidinem coerceat. Infimus gradus caritatis erga proximum eſt, nemini maledicere, nullius famæ detrahere: *Neminem blaſphemare*. Gradus alter, debita dure & acerbe non exigere, nec litibus perſequi proximos, & eorum fortunas evertere. *Non litigioſos eſſe*. Tertius gradus, aliqua remittere ex æquitate & moderatione. *Sed modeſtos*. Quartus denique gradus eſt; manſuetudinem in omnibus ſervare erga omnes, etiam inimicos & perſecutores. „ Si „ enim ſumus filii pacis, & volumus ſuper nos pacem quieſcere, & acceſſimus ad Jeruſalem cœleſtem, quæ ex pace nomen accepit; cum his qui oderunt pacem habeamus pacem, & quantum in nobis eſt, cum omnibus hominibus pacati ſimus, non „ ſolum cum modeſtis, ſed etiam cum rixoſis, quia „ nulla virtus eſt ferre manſuetos: locumque demus iræ, *omnem oſtendentes manſuetudinem ad omnes homines*: non ut manſuetudinis laudem apud eos captemus, ſed ut Chriſti Jeſu Domini noſtri exemplum imitemur. *Diſcite a me*, inquit, *quia mitis ſum & humilis corde*.

*Exodi 22. 28.*

Plures gradus caritatis erga proximos.

*S. Hieronym.*

3. *Eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis & voluptatibus variis, in malitia & invidia agentes, odibiles, & odientes invicem*. Ex hac Apoſtoli deſcriptione diſcamus 1. Quales eſſemus ſine gratia Chriſti; & quales fuimus, ſi quando nos nobis ipſis reliquit gratia ſua deſtitutos. Homo ſine Chriſti gratia inſipiens eſt. Sapientia enim quæ de ſurſum eſt, ad gratiam pertinet, non ad liberum arbitrium. Sapientia eſt cognitio certiſſima rerum æternarum, quæ ſine Chriſtiana fide & vera Religione haberi non poteſt. Sapientia eſt pietas qua recte colitur verus Deus; amor Dei eſt purgans & vivificans animam. In quantum enim Dei dono ejus ſapientiam, per quam facta ſunt omnia, ſpiritualiter intelligimus, in tantum carnalibus affectibus morimur, ut mortuum nobis hunc mundum deputantes, nos quoque ipſi huic mundo moriamur, & cum Apoſtolo noſtro dicamus; *Mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo*. Omnes igitur peccatores, qui acuti ſunt ad vana, hebetes ad æterna, qui creaturam præponunt Creatori, qui carnalibus affectibus indulgent, & Chriſto mortui, mundo vivunt, inſipientes ſunt. *Eramus & nos aliquando inſipientes*. Increduli ſunt & inobedientes peccatores, qui magis credunt tentatori peccatum ſuggerenti, quam Deo prohibenti; qui nec Dei promiſſis, nec minis a peccato deterrentur; qui etſi Deum voce confiteantur, factis negant. Errant a via recta, a via juſtitiæ, a via vitæ, a via mandatorum Dei. *Omnes nos quaſi oves erravimus: Unuſquiſque in viam ſuam declinavit*. Peccatores variis deſideriis & voluptatibus ſerviunt, tot dominorum ſervi, quot cupiditatum. Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus: & qui facit peccatum, ſervus eſt peccati. Serviunt alii ſuo ventri; alii libidini, alii auro & argento, quibus velut idolis templum cordis ſui devoverunt. Servire qui noluerit caritati, neceſſe eſt ut ſerviat iniquitati. *Servientes deſideriis & voluptatibus variis*. In malitia non ſolum agunt: ſed gloriantur peccatores, potentes in iniquitate, Deo exoſi propter malignitatem & invidiam, quæ odium proximi & vindictam parit. *In malitia & invidia agentes, odibiles, & odientes invicem*. Alterum ex hoc loco Apoſtoli colligitur documentum. Eos ſcilicet qui per Chriſti gratiam fideles ſunt, & criminum puri, humiliare ſe debere coram Deo & hominibus, nec adverſus eos qui adhuc in errore & peccatis detinentur ſuperbe ſe extollere. Si enim priſtini ſui erroris, & veteris vitæ memores ſint, humani & manſueti erunt erga peccatores, illorumque miſeriæ ex caritate ſincera condolebunt, & pro viribus ſubvenient. *Priorem noſtram converſationem in memoriam revocemus, conſideremus quot malis eramus obnoxii, & quod cum tales eſſemus, univerſorum Deus nos ſalute dignatus eſt. Feramus itaque nos etiam eorum qui adhuc errant improbitatem*. Tertium denique documentum hinc colligant boni Chriſtiani, ſcilicet Infideles & maximos peccatores, gratiæ Chriſti participes fieri poſſe, ſi Deus illorum miſereatur, quemadmodum ipſorum miſertus eſt; de illis proinde non deſperent, ſed pro illis orent, nihilque prætermittant, quod in ſua poſitum ſit poteſtate, ut illorum converſionem procurent.

Quales ſint homines ſine gratia.

*S. Auguſt. paſſim.*

*Galat. 6. 14.*

*Iſa. 53. 6.*

*Theodoret. in hunc locum.*

4. 5. 6. 7. *Cum autem benignitas & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei, non ex operibus juſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus ſancti*. Benignitas, humanitas, indulgentia, & gratia Dei, qua maxime indiguimus, & quotidie indigemus, & infinita miſericordia quam nobis in Filii ſui Incarnatione exhibuit, nos ad manſuetudinem erga omnes homines oſtendendam & miſericordiam omnibus impendendam invitant, etiam ſi indigni beneficentia noſtra videantur. Nam & nos indigni & diſplicentes a Deo amati ſumus, ut eſſet in nobis unde placeremus. Humana hic merita gratiam prævenientia, & ab ea non derivata conticeſcant, omniſque gloria ſalutis noſtræ Dei miſericordiæ tribuatur, qui nos regeneravit in vitam novam, novum Spiritum in nos effundens per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. „ Ita malis immerſi eramus, ut non ſola purgatione, ſed re„ novatione opus eſſet. Id quippe regeneratio ſi„ gnificat. Quemadmodum in domo veteri putredi„ ne carieque conſumpta nemo pulcra ſupponit, „ neque antiquis ſtructuris connectit: verum a fun„ damentis everſam demum illam de novo erigere „ atque renovare contendit: ita & ipſe fecit in „ nobis. Non ille ſuperædificavit nos, ſed prius „ evertit quod peſſime ſteterat, ac in nobis cor „ mundum creavit, & ſpiritum rectum innovavit, „ ut loquitur Rex Propheta: *Cor mundum crea in me Deus, & ſpiritum rectum innova in viſceribus meis*.

Interioris hominis per Chriſti gratiam renovatio.

*S. Chryſoſtom. Hom. 5. Theophylact.*

*Pſal. 56.*

*meis*. Quomodo vero, & quando res adeo mirabilis facta eſt? in baptiſmo, per Spiritum ſanctum. Effuſio aquæ ſuper corpus hominis qui baptizatur, figura eſt effuſionis Spiritus ſancti in animam, ut renovetur, & filius Dei fiat. Sic impletur quod per Prophetam promiſit Deus: *Et effundam ſuper vos aquam mundam, & mundamini ab omnibus inquinamentis veſtris .... Et dabo vobis cor novum, & ſpiritum novum ponam in medio veſtri .... Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum*. O admirabilem & plane divinam adoptionem, qua Pater Æternus fit pater noſter, & principium vitæ novæ in nobis, Filius unigenitus Dei fit caput noſtrum, noſque in ipſo vivimus, ſubſiſtimus, operamur, ut una cum ipſo perſona, unus Chriſtus: Spiritus ſanctus denique in animas noſtras effuſus, fit earum ſpiritus, vita, & quaſi forma ſanctificationis. Hunc autem Deus *effudit in nos abunde*, cum virtutum & donorum copia affluente, ceu dote quam Jeſus Chriſtus nobis promeritus eſt. *Quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum*. Ipſe enim omnium bonorum ſpiritualium, quæ a Deo recipimus & ſperamus, & mediator, & largitor eſt. Ipſe nobis a Deo factus eſt juſtitia & ſanctificatio per occultam communicationem & inſpirationem gratiæ ſpiritualis, qua quiſquis adhæret Domino unus cum ipſo ſpiritus eſt: juſtificamur gratia ipſius, nullis operum præcedentibus meritis: alioquin gratia jam non eſſet gratia: quando quidem ideo datur, non quia bona opera fecimus, ſed ut ea facere valeamus, id eſt, non quia legem implevimus, ſed ut legem implere poſſimus. Juſtificatio a fide incipit, ut bona opera, non præcedentia quod meruit, ſed conſequentia quod accepit oſtendant. Juſtificatio in hac vita peragitur per gratiam, in altera complebitur & conſummabitur. *Cum complebitur ſpes noſtra, tunc complebitur etiam juſtificatio noſtra*. Interim quod peccator juſtificandus accepit, pignus eſt ejus quod accipiet glorificatus, ſcilicet vitæ æternæ. *Ut juſtificati gratia ipſius, heredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ*. Adoptio fundamentum eſt Chriſtianæ ſpei: vita æterna & beata finis eſt adoptionis. Stupenda res eſt, quod filii Dei, qui hereditatem habent incorruptibilem & incontaminatam præparatam in cœlis, bona temporalia, terrena, peritura, tanta ſolicitudine quærant, & in eorum poſſeſſione felicitatem ſibi conſtituant.

*Ezech. 36. 25. & ſeq.* — *S. Auguſt.* — *S. Auguſt. paſſim.* — *S. Aug. Serm. 144. alias 60. De Verbo Domini.*

Bonis operibus præeſſe curet Chriſtianus.

8. *Fidelis ſermo: & de his volo te confirmare, ut curent bonis operibus præeſſe qui credunt Deo. Hæc ſunt bona & utilia hominibus*. Paſtorum officium eſt populum Chriſtianum in fide confirmare, & exhortari ut curam habeant bonorum operum, per quæ hereditas Dei, & ſpes vitæ præparatur æternæ. Hæc ſumma Evangelii: credere, & bene operari. Fides ſine operibus inanis eſt & fallax: opera ſine fide ad ſalutem inutilia. Fides pura ſit, illuminata, invariabilis, inconcuſſa, caritate animata: caritas fervens, perſeverans, bonis operibus fœcunda. Aſſiduam dent operam, qui Deo credunt, ſeduloque adnitantur injuſte oppreſſis ſuccurrere; viduis, orphanis, & quibuſvis indigentibus proſpicere, nec exſpectent tantiſper dum egentes ad eos pervenerint, ſed ipſi eorum curam gerant. Hoc eſt *bonis operibus præeſſe*. Mala non agere Chriſtiano non ſufficit ad ſalutem, ſed & bonis operibus intendere neceſſe eſt; in illis præfecturam quamdam gerere, ut alii fervore ejus & exemplo ad ſimilia pietatis & miſericordiæ opera accendantur & excitentur. *Ut curent bonis operibus præeſſe qui credunt Deo*. Igitur qui bonis operibus non præſunt, Deo, ut par eſt, non credunt. Hæc bona ſunt, quia ſurgunt de radice caritatis: hæc utilia ſunt hominibus, quos ad finem perducunt æternæ felicitatis. Sacrificia ſunt, quibus colitur Deus; ſemina ſunt meſſis uberrimæ & immarceſcibilis in cœlo colligendæ; merita ſunt mercedis æternæ, quæ Deus ipſe eſt. *Hæc bona ſunt & utilia hominibus*.

*Theophylact.*

[Va]næ & inutiles quæſtiones vitandæ.

9. *Stultas autem & ſine diſciplina quæſtiones, & genealogias, & contentiones, & pugnas legis devita; ſunt enim inutiles & vanæ*. Quid juvat vanis & inutilibus quæſtionibus mentem fatigare, vel recreare, & doctrinam ſalutis negligere; innumera Paganorum, & impiorum nomina memoria tenere, & Jeſum Chriſtum ignorare; contendere & litigare, ut opinio noſtra in rebus nullius momenti prævalere videatur, & Deo non credere in negotio æternitatis; de littera legis pugnare, & ſpiritum legis non habere? Hæc ſors plurimorum eſt, qui ingenii exquiſiti, & variæ eruditionis laude in ſeculo gloriantur. „ Soli recte quærentes Deum invenerunt pacem. Qui Deum non recte quærunt, pacem invenire non poſſunt. Judæi prave quærunt Deum, ſperantes ſe eum invenire poſſe ſine Chriſto. Hæretici vano ſermonum ſtrepitu concrepantes, quærunt quem invenire non poſſunt. Philoſophi quoque & Barbari de Deo varia ſentientes, quæſierunt Deum, ſed quia non recte quæſierunt, fuerunt eorum fatuæ quæſtiones, putantium Deum humanis ſenſibus poſſe comprehendi. Ab his igitur Paulus nos revocat quæſtionibus. Ceterum ad ſapientes, & quæ Scripturarum auctoritate ſunt fultæ, magis cohortatur & quæ provocat, præceptorum non neſcius Salvatoris, quibus ait: *Quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis, petite, & dabitur vobis*. Modo non ſit corpus noſtrum ſubditum peccatis, ingredietur in nos Sapientia. *Exerceatur ſenſus, mens quotidie divina lectione paſcatur, & quæſtiones noſtræ non erunt ſtultæ quæſtiones*. Inutiles & vanæ quæſtiones ſunt, quæ ad ſpiritum caritatis accendendum, qui totius Scripturæ & Theologiæ finis eſt, nihil conferunt: ſed ex curioſitate naſcuntur, & ad vanitatem referuntur.

*S. Hieron. in hunc locum.*

Hæretici coercendi ac vitandi.

10. 11. *Hæreticum hominem, poſt unam & ſecundam correptionem devita, ſciens quia ſubverſus eſt qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio judicio condemnatus*. Qui ex Eccleſiæ veritate proficere nolunt, ejus auctoritate ſunt coercendi. Qui propriam ſalutem nullatenus curant, prohibendi ſunt ne alios inficiant & perdant. Subverſi ſunt, & ad alios pervertendos parati. Graviſſimi peccati in Spiritum ſanctum rei ſunt, veritatem in Scripturis ſacris & Traditione ſplendentem, & ab Eccleſia declaratam pertinaciter impugnantes; & alios in ſocietatem erroris & peccati pertrahere moliuntur. Proprio judicio condemnati ſunt, per hæreſim ſe ab Eccleſiæ fide ſeparantes, ejuſque judicium & anathema prævenientes: & alios in eandem damnationem præcipites agere volunt. *Qui non credit, jam judicatus eſt*. Eos ergo Paſtores ab ovili quaſi lupos abigere debent, qui manifeſtos errores, ſive ab Epiſcopis, & maxime a Romano Pontifice omnium Paſtorum & ovium vice Chriſti ſummo in terris Paſtore, & pravarum doctrinarum præcipuo examinatore ac Judice damnatos, pertinaciter propugnant. Quamvis enim aliquando ſe Catholicos exterius profiteantur nonnulli, verbis æquivocis pravum ſenſum tegentes: hoc ipſo quod Eccleſiæ, Apoſtolicis Conſtitutionibus & Decretis pertinaciter obluctantur, beſtiæ, id eſt hæreſeos caracterem habent, ſcilicet pertinaciam. Eorum converſationem familiaritatem ut periculoſam, pernicioſam, & ſcandaloſam vitare debent fideles a Paſtoribus moniti. „ Nonne lupis hæretici comparandi ſunt, qui inſidiantur ovibus Chriſti? Fremunt circa caulas nocturno magis tempore quam diurno. Semper enim perfidis nox eſt, qui lucem Chriſti ſævo nebulis interpretationis obducere, & quantum in ipſis eſt, fuſcare conantur. Verſantur ergo circa caulas, ſtabula tamen Chriſti intrare non audent. Et ideo non ſanantur, quia in ſtabulum ſuum non vult eos Chriſtus inducere, in quo curatus eſt ille qui de Jeruſalem deſcendens incidit in latrones. Non accipiunt ergo medicinam, qui Medicum non requirunt; ſi enim inquirerent, non derogarent. Explorant Paſtoris abſentiam, quia præſentibus & vigilantibus Paſtoribus oves Chriſti incurſare non poſſunt. Spoliare ergo gregem Domini raptores conantur, qui corporea quadam mentis intentione duri ac rigidi, nequaquam ſolent a ſuo errore deflectere. Et ideo Apoſtolus ait: *Hæreticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita*. Hi ſi quem verſuta diſputationis ſuæ circumſcriptione prævenerint, faciunt obmuteſcere. Mutus eſt enim qui veritatem a Deo revelatam, ab Eccleſia declaratam, non confitetur. „ Cave ergo ne tibi vocem tollat hæreticus, ſi prior eum non ipſe deprehenderis, ſerpit enim dum latet ejus perfidia: ſi autem commenta impietatis ejus agnoveris, jacturam piæ vocis timere non poteris. Cave igitur verſutæ diſputationis venena: animam petunt, guttur invadunt, vitalibus vulnus affigunt. *Attendite vobis a falſis Prophetis*, ait Dominus Jeſus, *veniunt ad vos in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces*. Idem de vitandis hæreticis documentum fidelibus tradidit, exemploque ſuo confirmavit S. Joannes Apoſtolus & Evangeliſta, qui Epheſi degens, cum ad balneum iviſſet, Cerinthum intus videns, de balneo exiliit illotus, timere ſe dicens ne concideret, cum intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis. Et S. Polycarpus Marcioni aliquando occurrenti ſibi, & dicenti, *Cognoſce nos*, reſpondit: *Cognoſco te primogenitum Satanæ*. Tantum Apoſtoli, & eorum diſcipuli habuerunt timorem, ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem.

*Joann. 3.* — *S. Ambroſ. lib. 7. in Ev. S. Lucæ, n. 49. 50. 51.* — *Matth. 7. 15. & 16. S. Irenæus l. 3. c. 3.*

14. *Diſcant autem & noſtri bonis operibus præeſſe*



Maxime cavere debent Chriſtiani ne infructuoſi ſint.

*ad uſus neceſſarios, ut non ſint infructuoſi*. Apoſtolicis viris, Concionatoribus, Eccleſiæ Miniſtris neceſſaria ſubminiſtrare, pietatis & juſtitiæ officium eſt. Qui huic deſunt, ſterilitatis ſe ipſos condemnant. Cavendum Chriſtianis ne infructuoſi ſint. *Omnis enim arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. „ Rationem igitur habeant indigentium: illos pecuniis, verbis, omnibuſque modis juvent & conſolentur: non tam ut indigentes inde commodum accipiant, ſed potius ut ipſi humanitatis ſuæ, qua erga congeneres ſuos uſi ſunt, fructum percipiant. Nam & Dominus qui quinquies mille aluit, potuiſſet omnino & ſe ipſum alere ſemper ac diſcipulos: attamen a piis mulieribus ali maluit, ut illæ meritum ac præmium inde conſequerentur. Sic non tantam pauperibus per noſtram eleemoſynam affert utilitatem, quantam nobis per illos. Remiſſionis enim peccatorum, & fiduciæ erga Deum pauperes nobis ſunt auctores.

*Matth. 3. 10.* — *Theophylact.*

15. *Saluta eos qui nos amant in fide*. Utinam omnes qui amant, in fide amarent? Amant & matres filios, quia pro eis mortem oppetere ſunt paratæ, & uxores maritos, ſed amor ille fidei plerumque non eſt. Solus ſanctorum amor in fide diligit; adeo ut etiamſi ille qui diligitur, infidelis ſit, tamen ſanctus in fide eum diligat. Inimicos etiam ſuos vir ſanctus diligit, & ideo in fide diligit, quia credit in eum qui pollicitus eſt ſe pro expletione mandati retributurum eſſe mercedem. Matres filios, uxores viros, propinqui propinquos amant in fide, cum magis in eis amant quod Dei ſunt, quam quod ſui ſunt. *Ille veraciter & in fide amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia eſt in illo, aut ut ſit in illo*.

*S. Hieron. in hunc locum.* — *S. Hieron. in S. Aug. Serm. 335. alias D Tempore 256.*

# IN EPISTOLAM II. S. PAULI APOSTOLI AD PHILEMONEM, COMMENTARIUS LITTERALIS ET MORALIS,

## PRÆFATIO.

Philemonem Coloſſenſium Epiſcopum fuiſſe. Conſtitutiones Apoſtol. l. 2. c. 46. referunt Eumdem primum Gazæ in Palæſtina Epiſcopum vocant Græci in Menæis, unumque e LXX. Diſcipulis faciunt: qui Verbum oculis ſuis Incarnatum viderit.

HÆC Epiſtola Romæ ſcripta eſt ab Apoſtolo e prioribus vinculis. Erat autem Philemon vir clarus apud Coloſſenſes, S. Pauli diſcipulus, cujus ſervus Oneſimus, Phrix genere, furto facto Romam profugerat. Mox vero criminis pœnitentia ductus, ad Paulum captivum, quem heri ſui noverat amicum, ſe contulit. Ab eo ſuſceptus, & in fide inſtitutus, baptizatus eſt: cui etiam miniſtravit in carcere, donec ſatis in pietate confirmatum ad Philemonem remiſit cum hac Epiſtola commendatitia, qua hortatur ut illum recipiat, jam non ut ſervum, ſed pro ſervo cariſſimum fratrem. Fuere qui hanc Epiſtolam S. Pauli eſſe negarent, & Scripturis Canonicis annumerandam; quos Eccleſiæ univerſæ conſenſus refellit: immo & Marcion Hæreſiarcha, qui cum cœteras Epiſtòlas Pauli vel non ſuſceperit, vel quædam in his mutaverit atque corroſerit, in hanc ſolam manus non eſt auſus mittere: quia ſua illam brevitas defendebat. Oneſimum ſumma caritate Philemon excepit, & ad S. Paulum remiſit, qui eo deinceps ut digno Evangelii miniſtro uſus eſt. Philemonem & Oneſimum pro Chriſto Martyres obiiſſe Menæa Græcorum, & Romanum Martyrologium tradunt, Philemonis domum ſuo adhuc tempore Coloſſis extitiſſe Theodoretus teſtatur.

---

### CAPUT UNICUM.

*Senſus Litteralis.*

In Græco, ἀγαπητῷ diligibili. *Appia* Philemonis uxor, cum ipſo martyr Coloſſis, in Græcorum Menolog. & & Martyrolog. Rom. ad diem 22. Novemb. celebris.

1. 2. 3. P*Aulus vinctus Chriſti Jeſu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto, & adjutori noſtro, & Appiæ ſorori chariſſimæ, & Archippo commilitoni noſtro, & Eccleſiæ quæ in domo tua eſt. Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.* Paulus ob Evangelium & fidem Chriſti Jeſu captivus, & Timotheus ſocius noſter in opere evangelico, Philemoni amico & cooperario noſtro in Evangelio Chriſti rebus & opere promovendo, & Appiæ ſorori chariſſimæ. (Hanc marito adjungit S. Paulus in titulo Epiſtolæ, ut mutuo conſenſu veniam Oneſimo concederent.) Et Archippo noſtræ militiæ ſocio, in caſtris Eccleſiæ more militum ſpiritales excubias agenti, & pro ea defendenda & propaganda ex officio laboranti; & Chriſtianæ familiæ tuæ, gratiam & pacem vobis adprecamur a Deo Patre, qui nos in filios adoptavit, & Domino Jeſu Chriſto Redemptore ac Mediatore noſtro, qui ſanguine ſuo hanc nobis gratiam promeruit.

*Archippus* in Eccleſiæ Coloſſenſis Miniſterio ut Presbyter vel Diaconus Deo ſerviens. Eccleſiæ porro Miniſterium militia metaphorice vocatur. De Archippo vide *Coloſſ.* 4. 17. *Theodoret.*

Græce ἐνεργὴς *efficax*, ſeu *operatrix* fiat.

4. 5. 6. *Gratias ago Deo meo, ſemper memoriam tui faciens in orationibus meis.* Tui in orationibus meis memor, gratias ago Deo meo pro beneficiis tibi a ſumma ejus bonitate collatis, & precor ut illa augeat, novaque tibi dona tribuat. Gratias, inquam, Deo immortales ago, *Audiens caritatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jeſu, & in omnes ſanctos.* Cum noverim ex fama qualem fidem habeas in Dominum Jeſum, quam ſinceram, quam conſtantem; & qualem caritatem in Chriſtianos omnes exerceas. *Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat, in agnitione omnis operis boni, quod eſt in nobis in Chriſto Jeſu.* Adeo ut beneficentia ex fide tua manans, latere non poſſit, ſed omnibus evidens ac manifeſta fiat, agnoſcentibus & prædicantibus opera bona omnis generis, quæ a te & familia tua fiunt propter amorem Jeſu Chriſti, & per ejus gratiam.

7. *Gaudium enim magnum habui, & conſolationem in caritate tua: quia viſcera ſanctorum requieverunt per te, frater.* Caritas enim tua gaudio vehementi me affecit, magnoque mihi fuit ſolatio in vinculis & ærumnis, audienti Chriſtianos inopia, fame, aliiſque miſeriis preſſos & medullitus afflictos, miſericordis bonitatis tuæ ſubſidiis & ſolatio refocillatos & recreatos fuiſſe.

Metaphora ſumta a viatoribus, qui itinere, æſtu, vel ſiti confecti & defeſſi requieſcunt, eoque refocillantur, & recreantur.

8. 9. *Propter quod multam fiduciam habens in Chriſto Jeſu imperandi tibi quod ad rem pertinet: Propter caritatem magis obſecro, cum ſis talis, ut Paulus ſenex, nunc autem & vinctus Jeſu Chriſti.* Quapropter licet libertatem juſque habeam auctoritate Apoſtolica mihi a Chriſto Jeſu tradita tibi imperandi quod officii tui eſt: Caritas tamen qua te ut fratrem complector, facit ut te obſecrare malim: ego Paulus, cum ſim talis, dignitate Apoſtolus, ætate ſenex, & nunc captivus & vinctus propter fidem Jeſu Chriſti, & Evangelii ejus prædicationem.

Græce, τοιοῦτος ὢν *cum talis ſim*, ſeu *Talis exiſtens.*

10. 11. 12. *Obſecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Oneſimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi utilis.* Te, inquam, obſecro ut ignoſcas filio meo Oneſimo, quem in Chriſto genui, illum in fide inſtituens & Baptiſmo initians, detentus in carcere. Qui tibi olim inutilis, imo & damnoſus fuit, furto quo res tuas ſubripuit, fuga qua ſe ipſum ſubduxit: Nunc autem Chriſtianus factus, & mihi utilis eſt, cui miniſtravit in carcere; & tibi, cui inpoſterum fideliter famulabitur. *Quem remiſi tibi. Tu autem illum ut mea viſcera ſuſcipe.* Quem ad te remiſi cum hac Epiſtola, tamquam tuum: Tu autem illum benigne in domum tuam recipe ut mihi dilectiſſimum.

Obſecrantium mos eſt culparum gravitatem verbis lenire; Igitur verbo mitiori, & honeſtiori *inutilis*, pro veris nominibus *fugitivi & furis*, Apoſtolus utitur.

S. Oneſimum a S. Paulo ordinatum fuiſſe Epiſcopum, Uſuardus, Ado, aliaque Martyrologia referunt. Epheſiorum Epiſcopum poſt S. Timotheum conſecratum, Romanum Martyrologium tradit, quaſi S. Paulus Timotheo ſuperſtes fuiſſet. Sanctus quidem Ignatius Martyr in Epiſtola ad Epheſios Oneſimum Epheſinum Epiſcopum commendat, quod ad Oneſimum Philemonis ſervum refert Ado Viennenſis: quod minus veriſimile eſt. Conſtitutiones Apoſtolicæ Oneſimum ſervum Philemonis Beroæ in Macedonia Epiſcopum vocant, lib. 7. capit. 46. Cedrenus, & Nicephorus lib. 5. capit. 11. Oneſimum Philemonis Martyrium ſubiiſſe in perſecutione Domitiani ſcribunt. Denique Euſebius Oneſimi Epheſiorum Epiſcopi mentionem faciens *lib. 3. Hiſt. cap.* 36. nullatenus innuit illum eſſe quem Philemoni S. Paulus hac Epiſtola commendavit.

13. 14. *Quem ego volueram mecum detinere, ut pro te mihi miniſtraret in vinculis Evangelii.* Quem ego voluiſſem apud me retinere, ut vice tua mihi miniſtraret in vinculis, quæ Evangelii cauſa ſuſtineo, mihique exhiberet officia, quæ tu ipſe mihi pro tua caritate præſtares, ſi hic adeſſes. *Sine conſilio autem tuo nolui facere, uti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium.* Verum tute inconſulto uti nolui miniſterio ſervi tui, ne beneficium tuum ex neceſſitate profectum & extortum videretur, adeoque minus meriti & laudis ex eo haberes: ſed ut id mihi libera voluntate præſtares minime exigenti.

15. 16. *Forſitan enim ideo diſceſſit ad horam a te, ut æternum illum reciperes: jam non ut ſervum, ſed pro ſervo cariſſimum fratrem, maxime mihi, quanto autem magis tibi, & in carne, & in Domino?* Forte enim permiſit Deus ut fugeret, ſeque tibi ſubduceret ad modicum tempus, ut illum reciperes beatæ jam æternitatis candidatum: nec jam ut ſervum, ſed qui ex ſervo frater noſter cariſſimus factus ſit, quia filius adoptivus & heres Dei, coheres autem Chriſti per



baptiſmum & fidem evaſit. Si autem illum habeo ut fratrem dilectiſſimum, quanto magis tibi charus eſſe debet, non ſolum quia legibus ſeculi tuus eſt, ſed quia Chriſti fide, & legis evangelicæ profeſſione, & eorumdem Sacramentorum communione, & eadem ſpe bonorum æternorum tibi conjunctus.

17. 18. *Si ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me.* Si ergo me ſpectas ut tibi intime conjunctum, ſuſcipe illum eo caritatis affectu, quo me ipſum ſuſciperes. *Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa.* Si autem quid damni tibi intulit, aut tibi quippiam debet, me pro illo ejuſque debito ſponſorem accipe.

19. *Ego Paulus ſcripſi mea manu*, ad certiorem & firmiorem promiſſionis & cautionis fidem. *Ego reddam, ut non dicam tibi, quod & teipſum mihi debes.* Ego tibi rependam quod debet Oneſimus, me ipſum pro illo tibi conſtituo debitorem. Ne dicam multo amplius te mihi debere, teipſum nempe, ſalutemque tuam, prædicatione ſiquidem mea ad Chriſtum converſus es.

20. 21. *Ita frater, ego te fruar in Domino: refice viſcera mea in Domino.* Hoc mihi gaudium in Domino præſta, hunc a te impetrem amicitiæ fructum. Hoc me ſolatio recrea propter nomen Chriſti. *Confidens in obedientia tua ſcripſi tibi: ſciens quoniam & ſuper id quod dico, facies.* Confiſus obedientiæ tuæ ſcripſi tibi, non dubitans me impetraturum a te quod rogo, qui præcipienti obedires, ſi auctoritate uti voluiſſem. Et pro certo habeo te pro ſancta generoſitate tua & caritate plus facturum quam ego poſtulem.]

22. *Simul autem & para mihi hoſpitium*, Coloſſis in domo tua. *Nam ſpero per orationes veſtras donari me vobis.* Spero enim Deum me a vinculis liberatum, vobis donaturum merito veſtrarum orationum, facturumque ut ad vos conferre me poſſim.

23. 24. *Salutat te Epaphras concaptivus meus in Chriſto Jeſu, Marcus, Ariſtarchus, Demas, & Lucas, adjutores mei.* Tibi ſalutem plurimam dicunt Epaphras vinculis mecum adſtrictus propter Jeſum Chriſtum, Joannes Marcus conſobrinus Barnabæ, Ariſtarchus, Demas, & Lucas Medicus, Evangeliſta, cooperatores mei in negotio Evangelii.

25. *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti cum ſpiritu veſtro. Amen.* Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti tecum & cum omnibus familiæ tuæ Chriſtianis ſemper maneat. Omne bonum ſalutare a Domino noſtro Jeſu Chriſto vobis adprecor.

---

### CAPUT I.

*Senſus Moralis.*

1. 2. 3. P*Aulus vinctus Chriſti Jeſu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto, & adjutori noſtro, & Appiæ ſorori chariſſimæ, & Archippo commilitoni noſtro & Eccleſiæ quæ in domo tua eſt, Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.* Multa ex his verſibus documenta ad morum informationem colliguntur. Primum, multo glorioſius eſſe pati pro Chriſto, quam ſummis dignitatibus in Eccleſia fulgere. Id Apoſtolica dignitate præciſe ſumpta illuſtrius. Unde S. Paulus de vinculis ſuis magis gloriatur, quam de Apoſtolatu. Apoſtoli nomen ſupprimit, *vinctum Jeſu Chriſti* ſe dicit. Dixerat olim Ananiæ Dominus in Pauli converſione, *Vas electionis eſt mihi iſte, &c. Ego enim illi oſtendam quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Ne nos beatos, ſi pro veritate, pro Chriſtiana pietate, & juſtitia patiamur! Felix qui non in ſapientia, non in divitiis, non in eloquentia aut potentia ſeculari, ſed in Chriſti paſſionibus gloriatur. „ Communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ & virtutis Dei, & qui eſt ejus Spiritus ſuper vos requieſcit. Nemo autem veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat, glorificet autem Deum in iſto nomine. „

Sex documenta ad Morum informationem.

1. Petri 4.

Secundum documentum. Apoſtolicæ gratiæ participes eſſe poſſe non ſolum qui ad Miniſterium Eccleſiaſticum provecti ſunt, ſed quicumque Apoſtolicis viris & Paſtoribus in fidei aut pietatis propagatione, patrocinio, conſiliis, precibus, eleemoſynis, aut quovis modo cooperantur, etiam ſi laici ſint, ut Philemon. Auctoritas caritati ſervit in Paſtoribus; caritas in ovibus Paſtorum auctoritatem juvat. *Philemoni dilecto & adjutori noſtro.* In omnis boni, quod fit in Eccleſia, communionem veniunt, quicumque viva Eccleſiæ membra ſunt, ejuſque Spiritu animata. Unde S. Auguſt. ad Eudoxium Abbatem & ejus Monachos ſcribit: „ Quando quietem veſtram cogitamus, quam habetis in Chriſto, etiam nos quamvis in laboribus variis aſperiſque verſemur, in veſtra caritate requieſcimus. Unum enim corpus ſub uno capite ſumus, ut & vos in nobis negotioſi, & nos in vobis otioſi ſimus. Quia ſi patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra: & ſi glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra.

S. Auguſt. Epiſt. 48. alias 81. 1. Cor. 12. 26.

Tertium documentum: Nullam ſexuum rationem apud Deum haberi, ſed ſolius virtutis & meritorum. Appiæ Philemonis uxoris nomen inter duos viros Apoſtolicos inſeritur, ut tali ex utroque latere fulta comitatu, non videatur ordinem ſexus habere, ſed meriti. *Et Appiæ ſorori chariſſimæ.* Anima ſexum non habet. In Chriſto non eſt maſculus, neque femina. Quantus ſimplicium feminarum numerus Paſtores & Doctores in regno Dei præcedet!

S. Hieron.

Quartum documentum: Eccleſiaſticum Miniſterium militia ſpiritalis eſt. Eccleſiæ Miniſtri commilitones; Chriſtus ſummus Imperator; Epiſcopi duces exercitus; ſecundi Ordinis Paſtores, cohortium Præfecti; inferiores Miniſtri, milites. Omnibus & ſingulis, ſecundum ordinem officiumque ſuum agendæ ſunt excubiæ in Eccleſiæ caſtris, & pro ea defendenda & propaganda, aſſidue & ſtrenue laborandum & pugnandum eſt contra veritatis & pietatis hoſtes, ut Apoſtolicarum victoriarum conſortes ſint. *Et Archippo commilitoni noſtro.* Clericalem Militiam S. Auguſtinus & Sidonius Apollinaris vocant.

S. Auguſt. Epiſt. 60. alias 76. Sidonius Apoſtolin. lib. 1. Epiſt. 1.

Quintum documentum: Chriſtianorum domos totidem Eccleſias eſſe debere, viri & uxoris conjugali caſtitate, filiorum obedientia, domeſticorum fidelitate, omnium habitantium pietate, orationibus, piorum librorum lectione, ſanctis ſermonibus, ſpiritalibus Canticis, modeſtia, & omnium virtutum exercitiis conſecratas. *Et Eccleſia, quæ in domo tua eſt.* Omnis pater familias pro modo ſuo ſe Chriſti Miniſtrum eſſe, & hoc nomine agnoſcat paternum affectum ſuæ familiæ ſe debere. „ Pro Chriſto, & pro vita æterna ſuos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat diſciplinam: *Ita in domo ſua Eccleſiaſticum, & quodammodo Epiſcopale implebit officium, miniſtrans Chriſto, ut in æternum ſit cum ipſo.*

S. Auguſtin. Tract. 51. in Joannis Evangel.

Sextum documentum: Gratiam & pacem eſſe Dei munera nullis noſtris meritis data. Gratia, qua nullo merito aut opere ſalvamur; & pace qua Deo reconciliati ſumus, cum eſſemus inimici, nihil pretioſius amicis optari poteſt. Ne quis deſit gratiæ Dei: ne quis turbet pacem Chriſti. Hoc filiorum Dei patrimonium, hoc bonorum æternorum pignus. Temporalia terrenaque bona fures rapere, & tempus edax rerum corrumpere poteſt. Gratiam & pacem nobis invitis nemo eripiet. Hæc bona ſervus fugitivus & fur non potuit auferre Philemoni. *Gratia vobis & pax a Deo Patre noſtro, & Domino Jeſu Chriſto.*

4. 5. 6. *Gratias ago Deo meo, ſemper memoriam tui faciens in orationibus meis, Audiens caritatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jeſu, & in omnes ſanctos.* Gratiarum actio pro acceptis beneficiis Deo habenda eſt, oratio fundenda pro futuris, quibus indigemus: non ſolum autem pro iis quæ nobis privatim collata & conferenda ſunt a Deo bonorum omnium auctore, ſed pro iis quæ toti Eccleſiæ corpori, & omnibus ejus membris per ejus miſericordiam donata ſunt vel tribuenda. Orandum ut proficienter & perſeveranter habeamus dona Dei: gratiæ agendæ ſunt, quia non ex nobis habemus. „ Quod eſt autem ſacratius laudis ſacrificium, quam in actione gratiarum? & unde majores agendæ ſunt Deo gratiæ, quam pro ipſius gratia per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum? 2. Prima autem Dei gratia fides eſt, qua in illum creditur, fides quidem non nova, ſed communis; fides caritate formata & animata, ex qua procedit communicatio bonorum temporalium cum pauperibus Chriſtianis. Liberalitas quæ ex generoſa & benefica indole oritur, etſi laudabilis ſit, non tamen Chriſtiana eſt, niſi ex fide naſcatur, quæ Chriſtum in omnium pauperum univerſitate egentem intelligit, & ſublevandum in ipſis docet. Hujus liberalitatis fructus, non ſeculares & inanes expenſæ, ſed opera miſericordiæ: hujus finis non laus hominum, ſed honor Jeſu Chriſti. *Audiens caritatem tuam, & fidem, quam habes in Domino Jeſu, & in omne ſanctos.* 3. Fides efficax & operatrix eſſe debet. Bonum latens in corde, evidens fieri per bona opera neceſſe eſt ad proximorum ædificationem & exemplum: oportet denique ut pro Jeſu Chriſto fiat, non pro mundo; ut nullam in eo partem ſibi vendicent cupiditas & vanitas, ſed totum poſſideat caritas. *Ut communicatio fidei tuæ evidens fiat, in agnitione*

Caritatis opera.

S. Auguſt. lib. 1. contra Adverſar. Legis & Prophet. cap. 18.

S. Thomas Lect. 1. Proverb. 16.

*tione omni operis boni, quod eſt in vobis in Chriſto Jeſu*. Multa opera fiunt in mundo, quæ bona ſunt ſecundum opinionem hominum, nec tamen a Deo probantur, quia non recte fiunt. *Eſt via quæ videtur homini recta, noviſſima autem ejus ducunt ad mortem*. Quænam autem omni ex parte bona ſint, dies remunerationis evidenter oſtendet, quia Deus non remunerat niſi recta. „ Sæpe opus noſtrum cauſa

*S. Gregor. M. lib. 5. Moral. cap. 6.*

„ damnationis eſt, & profectus putatur eſſe virtutis: „ ſæpe unde placari Judex creditur, inde ad iraſcendum placidus inſtigatur. Unde ſancti viri cum „ mala ſuperant, ſua etiam bene geſta formidant: „ ne cum bona agere appetunt, de actionis imagine „ fallantur: ne peſtifera tabes putredinis ſub boni „ ſpecie lateat coloris.

7. *Gaudium enim magnum habui, & conſolationem in caritate tua: quia viſcera ſanctorum requieverunt per te, frater*. Qui nulla alia præter ſpiritualia bona magnifacit, nulla alia in amicis amare & laudare poteſt. Summo gaudio, & incredibili conſolatione Chriſtiani animus afficitur, cum amicorum ſuorum caritate pauperes Chriſti refici & recreari novit. Afflictio & corporalis miſeria, ſors ſanctorum eſt in hoc ſeculo. Una eademque miſeria plures ſanctificantur: illi nempe qui cum patientia & caritate illam ſuſtinent in corpore, & qui illis corde compatiuntur, illoſque manu benefica ſublevant. Divitum caritate viſcera pauperum in terris requieſcunt & refocillantur: pauperum interceſſione divitibus beneficis requies æterna in cœlis procuratur.

*Luc. 16. 9.* *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis; ut, cum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula*.

8. 9. *Propter quod multam fiduciam habens in Chriſto Jeſu imperandi tibi quod ad rem pertinet: propter caritatem magis obſecro, &c.*

Regiminis Eccleſiaſtici modus.

Sua poteſtate non ſemper uti debent Prælati. Vices auctoritatis ſupplere ſæpius caritatem convenit. Qui præſunt in Eccleſia, ſic agant ut Superiores, ut ſe fratres eſſe meminerint: non dominandi cupiditate imperent, ſed

*S. August.*

officio conſulendi; non principandi ſuperbia, ſed providendi miſericordia; non præeſſe ament, ſed prodeſſe: nec ſubditis imperent quidquam, niſi quod vel ad ſpiritualem eorum utilitatem, & morum emendationem vel profectum, vel ad commune Eccleſiæ bonum referatur.

*S. Thomas, Lect. 1.*

*Multam fiduciam habens in Chriſto Jeſu imperandi tibi quod ad rem pertinet*. Alias precibus potius utantur, quam imperio. Hic regendi modus caritatem firmat, humilitatem ſervat caritate. *Propter caritatem magis obſecro*. Rectoribus Eccleſiarum auctoritatem conciliant dignitas, *ut Paulus*; ætatis maturitas, *Senex*; labores & afflictiones pro Chriſto, pro Eccleſia, pro animarum ſalute promovenda toleratæ; *& vinctus Jeſu Chriſti*.

10. 11. 12. 13. 14. *Obſecro te pro filio meo, quem genui in vinculis, Oneſimo, Qui tibi aliquando inutilis, nunc autem & mihi, & tibi utilis. Quem remiſi tibi. Tu autem illum, ut mea viſcera ſuſcipe*.

Varia documenta ad Morum informationem.

*S. Joannes Chryſoſt. in hanc Epiſt.*

Præclara ex his Verſibus documenta eruuntur. 1. Neminem a Paſtoribus negligendum. Infimæ ſortis hominum ſalutem non minori ſolicitudine curandam eſſe, quam nobilium & divitum. Omnem animam æquæ pretioſam haberi debere, quæ pretioſo Chriſti ſanguine redempta ſit. Miſerum ſervum Paulus non negligit, ſed in vinculis Chriſto gignit, ſicut Chriſtus in cruce genuit Eccleſiam. 2. Servos qui Deo infideles ſunt, vix fideles eſſe temporalibus dominis; eos vero utiles ſemper eſſe dominis, qui Deum timent ac diligunt, eique fideliter ſerviunt. *Qui tibi aliquando inutilis, nunc autem & mihi & tibi*. 3. Servilem conditionem deſperandam non eſſe, etiam ſi vitiis maximis inquinatam: quando quidem Oneſimus fur atque fugitivus, gratia Chriſti converſus ad fidem, adeo virtutibus claruit, ut illum Paulus voluerit habere ſocium. *Quem volueram mecum detinere, ut pro te mihi miniſtret in vinculis Evangelii*. Quanto minus deſperandi ſunt liberi? 4. Servos a dominis abſtrahendos non eſſe. Nam ſi Paulus qui ita Philemoni confidebat, qui de amicitia ejus tam ſecurus erat, Oneſimum ſibi adeo utilem & neceſſarium ad miniſterium retinere noluit præter ſententiam Domini: multo magis id nobis ſervandum eſt. *Sine conſilio autem tuo nil volui facere*. Libertate quam amicitia tribuit, vel fiducia quam parit Miniſterium, ne imprudenter utantur Paſtores & Directores in temporalibus ſubſidiis ac ſolatiis ſibi procurandis, ne illis ſint oneri, quos regunt & dirigunt. *Quem remiſi tibi*. 5. Servos diligendos eſſe a dominis ut fratres: tractandos ut propria viſcera, quos Chriſtus ut membra ſua diligit ac fovet. Qui ſæviunt in ſervos, in propria viſcera ſæviunt.

*Eccli. 7. 23.*

*Tu autem illum, ut mea viſcera ſuſcipe*. Sapientis Spiritu ſancto afflati oraculum eſt. *Servus ſenſatus ſit tibi dilectus quaſi anima tua*. 6. Ad bona quæ non ſunt ad ſalutem neceſſaria, & Dei vel Eccleſiæ lege præcepta, ſed conſilii tantum, ſupererogationis, & perfectionis, invitandos quidem & ſanctis exhortationibus excitandos eſſe fideles, non tamen ſic privatim urgendos, ut illa quaſi ex neceſſitate amplecti, non plena libertate eligere videantur. In hujuſmodi bonorum ſuaſione ſumma prudentia ſe gerere debent Paſtores & conſcientiarum Moderatores. Quod enim plene voluntarium non eſt ſacrificium, Deo non placet. Quod ſponte non offertur devotione caritatis, præmium non meretur cœleſtis beatitudinis.

*Verſ. 14.*

*Sine conſilio autem tuo nihil volui facere, uti ne velut ex neceſſitate bonum tuum eſſet, ſed voluntarium*.

15. 16. *Forſitam enim ideo diſceſſit ad horam a te, ut æternum illum reciperes, jam non ut ſervum, ſed pro ſervo chariſſimum fratrem*.

Lapſus electorum ipſis cooperantur in bonum.

Dei miſericors providentia lapſus & culpas electorum ſuorum permittit, ut eorum etiam peccata ſerviant illorum ſaluti, dum per ejus gratiam ferventiores, cautiores, & humiliores reſurgunt. „ Nam *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*.

*Rom. 8. 18.*
*S. Bernard. Serm. 2. in Pſalm. 90.*
*Prov. 24.*

„ Omnes aliquando cadere neceſſe eſt, dum in hoc ſeculo detinentur: ſed alii „ colliduntur, alii non, quia Dominus ſupponit manum ſuam. Sed quomodo eos diſcernere poterimus, „ ut ſegregemus juxta Domini exemplum agnos ab „ hœdis, juſtos ab injuſtis? Nam & *Juſtus ſepties cadit*. Verum hoc intereſt inter eorum caſus, quod „ juſtus ſuſcipitur a Domino, ideoque reſurgit fortior: injuſtus autem cum ceciderit, non adjiciet „ ultra ut reſurgat; imo vero aut in pudorem noxium, aut in impudentiam cadit. Aut enim excuſat quod fecit, & hic eſt pudor adducens peccatum aut fit ei frons meretricis, & jam nec „ Deum timet, nec hominem reveretur. Juſtus vero ſuper manum Domini cadit, & miro quodam „ modo etiam ipſum ei peccatum in juſtitiam cooperatur? Non ne cooperatur nobis ille caſus in bonum, unde & humiliores efficimur, & cautiores? „ Nonne Dominus cadentem illum ſuſcipit, qui ab

*Pſalm. 117.*

„ humilitate ſuſcipitur? *Impulſus everſus ſum ut caderem*, ait Propheta, *& Dominus ſuſcepit me*. Sic

*Pſalm. 9. 2.*

„ ergo dicet fidelis anima Domino: *Suſceptor meus es tu*. Poſſunt omnia dicere: Creator meus es tu. „ Poſſunt & animalia dicere: Paſtor meus es tu. Poſſunt omnes homines dicere: Redemptor meus es „ tu. At vero, *Suſceptor meus es tu*, is tantum dicere poteſt, qui habitat in adjutorio Altiſſimi. Unde & addidit: *Et Deus meus*. Cur non, Deus noſter? Quia in creatione, redemptione, ceteriſque „ communibus beneficiis eſt Deus omnium, ſed in „ tentationibus ſuis tamquam proprium eum habent „ ſinguli electorum. *Sic enim paratus eſt ſuſcipere cadentem, & eripere fugientem, ut videri poſſit relictis omnibus aliis ei ſoli operam dare*. Sic Oneſimum ſervum Philemonis furem & fugitivum ſuſcepit, erexit, filium ſuum & heredem, Chriſti fratrem & coheredem effecit. *Hæc mutatio dexteræ Excelſi*. Quapropter jure illum Philemoni commendat Apoſtolus ut fratrem, æterna cum ipſo hereditate in cœlis donandum. *Ut æternum illum reciperes: jam non ut ſervum, ſed pro ſervo cariſſimum fratrem*.

17. 18. 20. *Si ergo habes me ſocium, ſuſcipe illum ſicut me*. Oneſimum ſervum, filium ſuum, viſcera ſua, dilectum fratrem appellaſſe, parum erat Apoſtolicæ caritati: alterum ſe illum vocat, ſibique imputat gratiam omnem, quam illi faciet Philemon.

Paſtorum caritas.

*Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet, hoc mihi imputa*. Sancti Pauli caritatem imitentur Paſtores, ovibus ſuis quantumvis viles & indignæ hominum oculis videantur, interceſſione ſua, commendatione, auctoritate, beneficentia ſuccurrendo. Sincera caritas gratiam qua valet apud ſeculi Poteſtates, Magiſtratus, dominos temporales, pro ſe ipſa non ſervat, cum proximo neceſſaria eſt. Hinc S. Auguſtinus Cæciliano Africæ Præſidi ſcribit:

*S. Aug. Epiſt. 151. alias 259.*

*Interceſſionis officium ſolet noſtra eſſe omnibus concedendi conſuetudo, & quædam etiam importuna, non tamen improbanda profeſſio*. Qui proximum vere diligit, illi data opportunitate ſervire gaudet, ſolatioque maximo recreatur, cum illi utilis aliqua in re eſſe poteſt. Amicitiæ fructum quærit ab amicis in ſeculo potentibus, non pro ſuis compendiis, ſed pro aliorum miſeriis ſublevandis. *Ita frater. Ego te fruar in Domino. Refice viſcera mea in Domino*.

21. *Confidens in obedeintia tua ſcripſi tibi, ſciens quoniam ſuper id quod dico, facies*.

*S. Hieron.*

Qui caritate fervent, & ad juſtitiæ perfectionem tendunt, in bonis operibus progrediuntur ultra adhortationem, præceptum, vel obſecrationem Paſtorum. Unde majori præmio coronantur a Deo juſto judice. Eos quippe ſuperant, qui tantummodo imperata fecerunt, & dicere jubentur: *Servi inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus*.

*Luc. 17.*
*Pſalm. 118.*

Sic virginitatis, & paupertatis voluntariæ majus præmium eſt: quia præceptum Domini non habent, & ultra imperata ſe extendunt; & dicere poſſunt: *Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine*.



22. *Spero per orationes veſtras donari me vobis*. Cum boni Paſtores Eccleſiæ a Deo donentur, orare debent fideles humiliter, ferventer, & perſeveranter pro eorum conſervatione & incolumitate. „ Filium „ Patri Deus rogatus indulget, & frater ſæpe fratris „ oratione ſervatur. Apoſtolus autem totius Eccleſiæ precibus conceditur, ob eorum, qui eum „ audituri ſunt, utilitatem. Et hoc donum non tam „ in eum dicitur eſſe, qui differtur a martyrio ad „ martyrium præparatus, quam in eos ad quos Apoſtolus mittitur.

*S. Hieronym.*

# IN EPISTOLAM S. PAULI APOSTOLI AD HEBRÆOS, COMMENTARIUS LITTERALIS ET MORALIS,

## PRÆFATIO.

Canonica hujus Epiſtolæ auctoritas.

HÆC Epiſtola circa idem tempus ſcripta videtur ac præcedens, Timotheo jam e vinculis ſoluto. Canonica ejus auctoritas probatur teſtimoniis Clementis Alexendrini, apud Euſebium *lib.* 6. *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap.* 14. Origenis, apud eumdem cap. 25. ejuſdem libri (quamvis dubitet an ſit S. Pauli) S. Dionyſii Alexandrini in Epiſtolis contra Paulum Samoſatenum, S. Athanaſii in Epiſtola ad S. Alexandrum Epiſcopum Conſtantinopolitanum, libro *De Synodi Nicænæ Decretis*, libro *De ſynodis*, & in Synopſi Scripturæ ſacræ, S. Hilarii libro 4. *De Trinitate*, S. Epiphanii Hæreſi 59. quæ eſt Novatianorum, S. Baſilii Conſtitutionum Monaſticarum cap. 22. S. Gregorii Nyſſeni libro *De Hypoſtaſi*, S. Gregorii Nazianzeni in Carmine *De Scripturis Authenticis*, S. Amphilochii in Carmine ad Seleucum, Innocentii I. in Epiſtola ad Exuperium, Concilii Carthaginenſis III. S. Ambroſii lib. 1. *De Fide*, cap. 4. S. Auguſtini libro 2. *De Doctrina Chriſtiana* cap. 8. in *Speculo*, & libro 2. *De Peccatorum Meritis & Remiſſione*, cap. 27. S. Cyrilli Alexandrini in Anathematiſmo X. adverſus Neſtorium, S. Chryſoſtomi & Theodoreti in Argumento Epiſtolæ ad Hebræos, ubi Arianos refellit, qui illam ut adulterinam rejiciebant. *Oportebat autem*, inquit, *ipſos, etſi nihil aliud, temporis certe diuturnitatem revereri, qui hanc Epiſtolam in Eccleſiis perpetuo legerunt alumni veritatis. Ex quo enim Litterarum Apoſtolicarum fuerunt Eccleſiæ participes, ex eo etiam Epiſtolæ ad Hebræos utilitatem percipiunt. Quod ſi ne hoc quidem ad eis perſuadendum ſatis eſt, Euſebio certe oportebat eos Palæſtino credere, quem Patronum ſuorum decretorum appellant. Nam is etiam diviniſſimi Pauli hanc eſſe Epiſtolam confeſſus eſt, & Veteres omnes hanc de ea habuiſſe ſententiam aſſeruit*. Hanc pariter in Canone conſcripſit Gelaſius I. Pontifex Maximus in Romana Synodo. Denique Avitus Viennenſis, Caſſiodorus libro 1. *Divinarum Lectionum* cap. 4. S. Iſidorus Hiſpalenſis lib. 6. *Originum*, S. Joannes Damaſcenus, lib. 4. *De Fide Orthodoxa*, cap. 18. & alii patres Canonicam Epiſtolæ ad Hebræos auctoritatem agnoverunt & venerati ſunt. Merito itaque Eugenius Quartus in Decreto pro Jacobitis, & Concilium Tridentinum Seſſione 4. illam in Canone ſacrorum librorum deſcripſerunt, ac recipiendam cum aliis decreverunt.

De hac Epiſtola a nonnullis olim dubitatum in Eccleſia Latina, quod S. Pauli eſſe illis non videretur.

Fatendum tamen eſt illam ad ſecundum tantum Canonem pertinere, quia de illius auctoritate fuit aliquando in Eccleſia Latina a nonnullis Doctoribus Catholicis dubitatum. Id conſtat ex S. Hyppolito Portuenſi Epiſcopo, qui in libro *Adverſus Hæreſes* Epiſtolam ad Hebræos Pauli Apoſtoli non eſſe affirmavit, teſte Photio in Bibliotheca Codice 121. Item ex Caio diſertiſſimo viro in Diſputatione contra Proclum Montaniſtam, in qua dum Hæreticorum in componendis novis Scripturis temeritatem & audaciam ſugillat, *tredecim ſolum Divi Apoſtoli commemorat Epiſtolas, eam quæ ad Hebræos inſcripta eſt cum reliquis non adnumerans*. Ita refert Euſebius lib. 6. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. 20. & addit: *Sane hæc Epiſtola etiamnum a quibuſdam Romanis Apoſtoli eſſe non creditur*. Et libro tertio cap. 3. ait: *Pauli vero quatuordecim Epiſtolæ notæ ſunt omnibus & perſpicuæ. Sciendum tamen eſt Epiſtolam ad Hebræos a nonnullis eſſe repudiatam, quod dicerent, eam ab Eccleſia Romana pro certa & genuina Pauli Epiſtola non haberi*. Idem conſtat ex S. Hieronymo in Epiſtola ad Paulinum. *Paulus*, inquit, *Apoſtolus ad ſeptem ſcribit Eccleſias, octava enim ad Hebræos a pleriſque extra numerum ponitur*. Et in caput 8. Eſaiæ allegans hanc Epiſtolam, ait: *Licet eam Latina conſuetudo inter Canonicas Scripturas non recipiat*. Et in cap. 8. Zachariæ: *Si tamen*, inquit, *in ſuſcipienda Epiſtola Græcorum auctoritatem Latina lingua non reſpuit*. Hanc autem conſuetudinem totius Eccleſiæ Latinæ non fuiſſe, nec celebriorum Eccleſiarum, conſtat ex Innocentio I. in Epiſtola ad Exuperium, ex Concilio Carthaginenſi III. & ex S. Auguſtino. Ubi eſt igitur Latina illa conſuetudo, ſi nec in Romana, nec in Africana Eccleſia illis temporibus apparet, niſi apud paucos admodum, & a Traditione deviantes Eccleſiæ Latinæ homines? Quod ipſe S. Hieronymus in Epiſtola ad Dardanum diſerte ſignificat. *Illud*, inquit, *noſtris dicendum eſt, hanc Epiſtolam quæ inſcribitur ad Hebræos*, non ſolum ab Eccleſiis Orientis, ſed *ab omnibus retro Eccleſiis & Græci ſermonis Scriptoribus, quaſi Pauli Apoſtoli ſuſcipi, licet plerique eam vel Barnabæ vel Clementis arbitrentur & nihil intereſſe cujus ſit, cum Eccleſiaſtici Viri ſit, & omnium Eccleſiarum lectione celebretur. Quod ſi eam Latina conſuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas: nec Græcorum Eccleſiæ Apocalypſim Joannis eadem libertate ſuſcipiunt; & tamen nos utramque ſuſcipimus, non hujus temporis conſuetudinem, ſed veterum Scriptorum auctoritatem ſequentes, qui plerumque utriuſque teſtimoniis abutuntur, non ut interdum de apocryphis facere ſolent: quippe qui Gentilium litterarum raro utuntur exemplis*.

Ubique recepta 4. & 5. ſæculo.

Cur nomen ſuum huic Epiſt. S. Paulus non inſcripſerit?

Quod autem nomen ſuum huic Epiſtolæ non inſcripſerit S. Paulus, non probat ab illo ſcriptam non eſſe. *Quia enim ſcribebat ad Hebræos, propter invidiam ſui apud eos nominis, titulum in principio ſalutationis amputaverat. Scripſerat ut Hebræus Hebræis Hebraice, ideſt, ſuo eloquio diſertiſſime, ut ea quæ eloquenter ſcripta fuerunt in Hebræo, eloquentius verterentur in Græcum: & hanc cauſam eſſe quod a ceteris Pauli Epiſtolis diſcrepare videatur*. Verba ſunt S. Hieronymi in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, in *Paulo*. Rationem alteram addit Theodoretus, quod ſcilicet S. Paulus eorum qui ex Gentibus crediderant, non eorum qui ex Judæis, conſtitutus fuiſſet Apoſtolus. „ Idcirco cum ſcriberet „ ad eos qui crediderunt ex Gentibus, & nomen „ adjecit, & Apoſtolicam Dignitatem addidit, ut „ Doctor & Magiſter ſcribens ad diſcipulos. Ad „ Hebræos autem ſcribens, quorum non erat ſibi „ cura credita, merito nudam honoribus doctrinam „ eis tradidit. Aliorum enim Apoſtolorum curæ ſuberant.

Verſio Græca S. Lucæ Ev. vel Clementi Romano probabiliter tribuitur.

Sunt tamen Viri Eruditi qui cenſeant, Epiſtolæ quidem iſtius argumentum, ordinem, ratiocinia, ſententias eſſe ſancti Pauli, non vero dictionem & ornatum; ſed vel S. Lucæ, vel S. Clementis Romani, qui ſuam in ea ſcribenda S. Paulo commodaverint operam, ideoque non Hebraice, ſed Græce ſcriptam eſſe, quod & Scripturæ Veteris allegatio ſecundum Verſionem LXX. Interpretum probare videtur, & Hebraicorum nominum explicatio, *Melchiſedech & Salem*, quæ Epiſtolæ Interpreti tribuenda non eſt, ut in aliis Libris Sacris, ſed Auctori, ut contextus & ſeries orationis demonſtrat. Argumentatur enim Apoſtolus ab ipſa nominum interpretatione, ut S. Chryſoſtomus, & alii Expoſitores Græci annotarunt. Origenis auctoritate hæc nititur ſententia apud Euſebium Libro ſexto *Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ*, cap. 25. At Clemens Alexandrinus apud eumdem Euſebium libro 6. cap. 14. ſolam Verſionem Græcam hujus Epiſtolæ S. Lucæ tribuit, quæ *Hebraico primum ſermone, utpote ad Hebræos ſcripta fuerit*. Quamobrem *in hac Epiſtola & in Actibus Apo-*

poſto-



*poſtolorum, eumdem dictionis colorem reperiri*. Addit ex Beati cujuſdam Presbyteri ſententia: *Quandoquidem Dominus omnipotentis Dei Apoſtolus ad Hebræos miſſus fuerat, præ modeſtia Paulus, utpote qui ad Gentes fuerat directus, Hebræorum Apoſtolum ſe minime inſcribit, tum ob ſuam erga Dominum reverentiam, tum quod ex abundanti ad Hebræos ipſe Gentium præco & Apoſtolus ſcriberet*. De eodem Euſebius libro 3. cap. 38. *Cum ad Hebræos patrio ſermone ſcripſiſſet Paulus, alii Lucam Evangeliſtam, alii hunc, de quo loquimur, Clementem Epiſtolam illam eſſe interpretatum ferunt. Quod quidem verius videtur, cum præſertim & Clementis, & illa ad Hebræos Epiſtola eumdem habeat ſtylum, nec utriuſque Scripti ſententiæ valde inter ſe diſcrepent*.

Argumentum Epiſtolæ.

Hæc Epiſtola tota eſt in Chriſti dignitate & divinitate, officio, Sacerdotiique ejus & Sacrificii ſupra Leviticum excellentia, demonſtrandis. Juſtitiam a veteris Legis ſacrificiis exſpectandam non eſſe docet, ſed ab uno Chriſti Jeſu Sacerdotio, & fide in ipſum. Præcepta etiam ſaluberrima Hebræis tradit, ſcilicet ut in fide conſtantes ſint exemplo ſanctorum Patrum, qui per fidem Deo placentes, magna & mira egerunt, & paſſi ſunt: hortatur ad hoſpitalitatem ſervandam, qua quidam Angelos recipere meruerunt: ad obedientiam Præpoſitis præſtandam: ad eleemoſynarum largitionem, & ad patientiam in adverſis, flagellorum & diſciplinæ paternæ utilitatem oſtendens.

---

## CAPUT I.

### *Senſus Litteralis.*

Græce, πολυμερῶς, per partes, quia non omnibus omnia Myſteria, nec eodem tempore revelavit, ſed aliis quibuſdam plura, aliis pauciora, Verbi gratia Iſai. Partum Virginis & Paſſionem Chriſti, Danieli tempus adventus ejus, Jonæ ejuſdem ſepulturam, Malachiæ Præcurſoris adventum & Miniſterium &c.

1. M*Ultifariam, multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio, quem conſtituit heredem univerſorum; per quem fecit & ſecula*. Cum Deus multis occaſionibus & vicibus, multiſque modis, ſcilicet ſermone, figuris, ceremoniis, per Angelos, in ſomnis, in vigiliis, in extaſi, per apparitiones ſenſibiles & corporeas, per viſiones imaginarias & intellectuales locutus eſſet majoribus noſtris Iſraelitis, per Prophetas Spiritu ſancto afflatos: tandem noviſſimis iſtis diebus, ultima mundi ætate incunte, locutus eſt nobis per Filium ſuum naturalem, proprium, unigenitum, incarnatum, viſibiliter præſentem: quem initio conceptionis ſuæ, ſecundum naturam humanam conſtituit Dominum omnium creaturarum, hominum & Angelorum, electorum & reproborum, omnium bonorum naturæ, gratiæ, & gloriæ: per quem etiam ut Deum, non tamquam per inſtrumentum, ſed cauſam principem, Verbum ſcilicet ſuum, æternamque Sapientiam, idæam ſive exemplar, in quo ſunt rationes rerum omnium condendarum, Mundum creavit, tempora, & temporalia omnia, quicquid umquam extitit, extat, & extabit.

Confer cum Pſalm. 2. 8. *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*.

3. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis*. Qui cum ſit irradiatio paternæ gloriæ, in quo conſpiciendam ſe præbet glorioſa Majeſtas Patris, lumen de lumine, ab eo procedens ut Verbum mentis, ut Filius unigenitus, ejuſdem naturæ cum Patre, ipſique coæternus, ſicut radius ejuſdem eſt naturæ cum Sole, & ab eo procedit, illique coævus eſt, & ab eo oritur ſine ulla vel Solis vel ſui mutatione, cum ſit expreſſa imago Patris non evaneſcens, qualis eſt imago hominis in ſpeculo, ſed ſubſiſtens, permanens, & totum Patrem in ſe oſtendens, ut Philipo dictum ab ipſo eſt. *Qui vedet me, videt & Patrem meum*: cum omnia ſuſtineat, conſervet, regat ſolo nutu & imperio omnipotentis voluntatis ſuæ, quæ alioquin in nihilum relaberentur: poſtquam peccata noſtra expiavit, noſque ab illis purgavit, non per legales victimas, ut Levitici Sacerdotes, ſed per ſe ipſum, & per proprium ſanguinem, idem Sacerdos & victima: ſedet in ſummo cœlorum ad dexteram ſupremæ Majeſtatis, ſummam dignitatem & gloriam regni, quam habet ſupra omnem creaturam; ſecundum naturam aſſumtam quiete & ſine fine poſſidens, ut Deo Patri proximus, quatenus homo; ut æqualis, quatenus Deus. Confer cum Pſalmo 109. 1. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis*.

χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, Hypoſtaſis hic ſubſtantiam, ſive eſſentiam ſignificat.

Secundum Græcum, δι' ἑαυτοῦ *per ſeipſum purgationem peccatorum faciens*.

4. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit*. Et ipſe tanto præſtantior Angelis declaratus eſt, quanto excellentius præ illis nomen, ſcilicet Filii Dei, velut proprium, æternæque originis jure ſibi debitum obtinet & poſſidet. „ Illa igitur ſententia, *Tanto melior Angelis* „ *factus*, non in totum per comparationem dicta „ eſt, ne quis quaſi de cognatis ejuſdemque ge„ neris rebus hæc verba intelligat: ſed ideo præ„ ſtantiorem illum dixit, ut diſcrimen naturæ Filii „ a rebus creatis indicaret: cujus rei certum docu„ mentum ex Litteris ſacris habemus, ubi David „ ſic loquitur: *Melior eſt dies una in atriis tuis, ſuper millia*. Salomone etiam ſuffragante: *Sumite diſciplinam, & non argentum, & cognitionem pro auro probato. Melior enim ſapientia lapidibus pretioſis; omneque quod pretioſum eſt, non eſt ea dignum*..... „ Quid? An non ſunt diverſi generis ſapientia, & „ lapilli ex terra? Quæ autem cognatio cœleſtibus „ atriis, & domiciliis terreſtribus? Aut quid ſi„ mile æternis, & ſpiritualibus ad temporalia, & „ mortalia? Eſt ergo eadem ratione nihil cognatio„ nis Filio cum Angelis: & quia nihil cognationis „ eſt, non per comparationem dictum eſt illud (*Me*„ *lior*) ſed per diſtinctionem, & ad differentiæ no„ tam, & ut diverſitas naturæ Filii ab Angelis o„ ſtenderetur. Quin ipſe Apoſtolus illud (*Melior*) exponens, non in alia re quam in diſtinctione Filii, rerumque conditarum uſurpat: dum hunc quidem Filium, illos vero mancipia appellat: & hunc ut Filium Patri a dextris aſſidere, illos vero ut ſervos, apparitorum & nuntiorum munere, aliiſque miniſteriis fungi.

Chriſti divinitas.

*S. Athanaſius Oratione 2. Contra Arianos.*

*Pſalm 83.*

*Proverb. 8.*

*Pſalm. 2. 7. 2. Reg. 7. S. Auguſt. in Pſalm. 2.*

5. *Cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rurſum: Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in Filium?* Quis enim Angelorum tam excellentis naturæ & dignitatis eſt, cui dictum aliquando a Deo legatur, Tu es Filius meus proprie, natura, unigenitus; ego te ab æterno genui, ſemperque & immutabiliter gigno? Adverbium *hodie* apte hic uſurpatur ad ſignificandam æternitatem, quæ eſt velut unus dies, non præteritus, ſed ſemper præſens. Verbum autem præteriti temporis, *genui*, adhibetur ad ſignificandum perfectam eſſe generationem, nec recentem, ſicut lumen ſemper a Sole procedit, & nihilominus ſemper perfectum eſt. Vel, Te Filium meum eſſe declaravi, te ſuſcitans a mortuis: quem ſenſum Apoſtolus noſter Actuum 13. in publica ad Judæos Concione ediſſerunt, dicens: *Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres noſtros repromiſſio facta eſt: Quoniam hanc Deus adimplevit filiis noſtris, reſuſcitans Jeſum, ſicut & in Pſalmo ſecundo ſcriptum eſt, Filius meus es tu, ergo hodie genui te*. A vero hujus loci ſenſu aberrant Grotius, & qui ipſum ſequuntur, locum illum Pſalmi de Davide ſecundum ſenſum litteralem exponentes, de Chriſto autem ſecundum ſenſum myſticum & ſubliminiorem, Magis aberrant Sociniani & Judæi recentiores, qui de Davide ſolo intelligendum pertinaciter contendunt. Nec enim Davidi conveniunt hæc verba: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*: nec iſta, *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Neque Verſus poſtremi, quibus omnibus gentibus reverentia, metus & ſpes in eum imperatur. Veteres Rabbini hunc Pſalmum de Meſſia intellexerunt, inter alios Maimonides, R. Obadiah Haggaon ſeu Illuſtris, & Trypho Judæus apud S. Juſtinum. Denique Apoſtoli Petrus, Joannes, & Paulus, eodem Spiritu afflati quo Pſalmiſta, hunc locum, totumque Pſalmum de Chriſto intellexerunt & expoſuerunt: ut nullum dubium ſupereſſe poſſit quin hæc de illo ſolo proprie intelligantur & quin hic ſit primarius hujus loci ſenſus ex intentione Spiritus ſancti.

*Origenes, S. Hilarius, S. Chryſoſt. in Pſalm.*

Sociniani refelluntur.

*Maimonides in Præfat. ad cap. 10. Tract. Sanhedrim. & Bereſchit Rabba.*

Et rurſum, cui Angelorum dictum a Deo eſt, Ego ero illi vere & proprie Pater, & ille mihi erit vere & proprie Filius? De Salomone quidem hæc adjunctaque verba: *Ego ero illi in Patrem, &c.* ut de typo Chriſti in ſenſu Litterali dicta ſunt, qui Dei filius improprie & per adoptionem dictus eſt, ſed de Chriſto ſecundum myſticum & propheticum: de Salomone ut typo Chriſti, de Chriſto ut per Salomonem adumbrato, qui proprie, & ab æterno genitus eſt a Patre ejuſque filius eſt, non adoptione, ſed natura. Hic porro ſenſus eſt ex præcipua intentione Spiritus ſancti, & ex eo etiam eruitur argumentum efficax ad veritatem fidei confirmandam, cum in ſacris Litteris declaretur, maxime ſi cum illis agatur, qui ſenſum hujuſmodi recipiunt, quales erant Hebræi fideles.

*Pſalm. 6. 6.* Secundum Verſionem LXX. Interpretum. In toto illo Pſalm. de Chriſto agi, ejuſque regno, & exaltatione ſu-

6. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Et cum introducet iterum Primogenitum ſuum in orbem terræ, in ſecundo ejus adventu, in conſummatione ſeculi, de cœlo eum adducens ut mundum judicet, omnibuſque ſibi ſubjectis plenam ac perfectam totius regni ſui, cujus non erit finis, poſſeſſionem accipiat, jubebit eum ab omnibus Angelis adorari. Vel, (ut Græci Patres exponunt) Et rur-

Pra omnes poteſtates, & adoratione, perſpicuum eſt.

ſus, in alio ſcilicet Scripturæ loco, cum introducit Filium ſuum in mundum per Incarnationem, dicit, *Et adorent eum omnes Angeli Dei*. In mundo erat ut Deus, in mundum a Patre introductus eſt ut homo. Unigenitus eſt ut Deus, & primogenitus in multis fratribus ut homo. Ita ſemper Angeli illum adorarunt ut Deum ab initio ſuæ creationis: & poſt incarnationem ipſum etiam ut hominem Deum adoraverunt.

Pſalm. 103. 5.

7. *Et ad Angelos quidem dicit, Qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis*. Et de Angelis quidem Scriptura dicit: Qui ſpiritus Legatos & Angelos ſuos facit, & Miniſtros tam promptos, tam ferventes ad mandata ſua exequenda, quam flamma ignis, quæ momento omnia pervadit. Angelis Deum uti ut miniſtris oſtendit Apoſtolus: Chriſtum autem vere, proprie, ac natura Dei Filium eſſe, Dominum ac regem univerſorum: illos creatam habere naturam, Unigenitum autem increatam & æternam.

Pſalm. 44.

8. 9. *Ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in ſeculum ſeculi: virga æquitatis virga regni tui*. De Filio autem dicit Scriptura: Thronus tuus, o Deus, æternus erit, ſceptrum imperii tui, ſceptrum eſt juſtitiæ, id eſt, Regnum tuum ſumma juſtitia & æquitate gubernabis. *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem:* Quæ partes ſunt optimi Principis: ita juſtitiam dilexiſti, ut ſecundum ſtrictos juſtitiæ apices Deo Patri pro peccatis hominum ſatisfaceres: ſic odiſti iniquitatem, ut eorum peccata ſanguine tuo expiares, illoſque ab omni iniquitate mundatos virtute tua ac meritis juſtos efficeres ac ſanctificares, non externa dumtaxat imputatione juſtitiæ tuæ, ſed interna Spiritus tui ſubminiſtratione, & gratiæ caritatiſque in animis diffuſione. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis*. Ad hoc, o Chriſte Deus, unxit te Deus Pater tuus, ipſa divinitatis plenitudine Meſſiam conſecravit, & Spiritus ſancti gratia, quæ animas exhilarat, perfudit præ omnibus qui gloriæ tuæ ſunt participes; æternique regni, cujus verus & naturalis heres es, per adoptionis gratiam coheredes. Conſortes nullos in dignitate & officio Redemptoris ſummique Mediatoris Chriſtus habet; in natura humana omnes homines; in gratia ſanctificante omnes fideles & juſtos; in regni cœleſtis poſſeſſione ſolos electos. Sic etiam explicari convenienter poteſt hic locus, Quia dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, exaltatus es ad regni poſſeſſionem, & præ conſortibus tuis gloria & honore coronatus, & ſuper omnes creaturas conſtitutus.

Pſalmum 44. Cujus verba profert Apoſtolus noſter, Chaldæus Paraphraſtes; R. Kimchi, & alii Rabbini de Meſſia interpretantur. Non corporales Salomonis cum filia Pharaonis nuptias, ſed ſpirituales Chriſti cum Eccleſia Pſalmus ille celebrat. Nec duo iſti Verſus, nec 4. 6. 17. & 18. Salomoni conveniunt. Grotii commentum refellitur ex Origene *lib.* 1. *contra Celſum*, Euſebio *lib.* 4. *Demonſtrat. Evangel.* S. Hieronymo *Epiſt.* 140. *Ad principiam*. S. Auguſtino in hunc Pſalmum.

Pſalm. 501. 6. 27. 28.

10. 11. 12. *Et: Tu in principio, Domine, terram fundaſti: & opera manuum tuarum ſunt cœli*. Et alibi Scriptura dicit de Filio: Tu Domine, Chriſte Filii Dei, in principio creationis mundi terram creaſti firmam, ſtabilem, immobilem, infimoque mundi loco velut fundamentum poſuiſti: & potentiæ tuæ opera ſunt cœli. Tu creator, ipſi, & quæcumque cœlis & terra continentur, creaturæ ſunt. *Ipſi peribunt, tu autem permanebis; Et omnes ut veſtimentum veteraſcent: & velut amictum mutabis eos, & mutabuntur*. Ipſi, nempe cœli, ultimæ conflagrationis igne ſolventur, & ab eo quo ſunt ſtatu tranſibunt, immutabuntur, innovabuntur (2. *Petri* 3. 7. 14. & *Apocal.* 21. 1. Sic & Græci Patres exponunt, & S. Hieronymus in cap. 51. Iſaiæ, S. Joannes Damaſcenus, S. Thomas, & omnis Theologorum Schola) Tu autem, Chriſte Deus, numquam mutaberis. Et quemadmodum veſtis uſu & tempore veteraſcit; ita ſuo motu & continua agitatione deterentur, & mutatione aut renovatione indigebunt, quam te conſequentur auctore. *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient*. Tu autem idem ſemper & immutabilis permanes, cum ſis æternus. Ex hoc loco Apoſtoli demonſtratur contra Socinianos Chriſti divinitas, utpote cui cœli & terræ creatio, immutabilitas, & æternitas conveniant, quæ ſoli Deo ſunt propriæ.

Pſalmus centeſimus-primus, cujus verba profert Apoſtolus noſter, orationem exhibet populi Judaici, liberationem a captivitate Babylonica a Dei Verbo poſtulantis, & pro reſtauratione terrenæ Jeruſalem ſupplicantis: quæ allegorico & ſublimiore ſenſu, ex intentione præcipua Spiritus ſancti referuntur ad ædificationem ſpiritualis & ſupernæ Jeruſalem, ſcilicet Eccleſiæ, quæ Chriſti Regis magni civitas eſt. Vide Theodoretum in hunc Pſalmum.

Pſalm. 109. 1. 2.

13. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando, Sede a dextris meis quoaduſque ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?* Cui autem Angelorum dixit aliquando Deus, quod Chriſto ab illo dictum eſt: Mihi aſſide, poteſtate & imperio in omnes creaturas æqualis, omniumque hominum & Angelorum Rex & Judex, donec inimicos tuos, tam dæmones, quam homines reprobos, plene ac perpetuo tibi ſubjiciam, pedibus tuis calcandos. Quod in die judicii implebitur, cum evacuaverit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, ut loquitur Apoſtolus noſter 1. *Cor.* 15. 24. Adverbium porro iſtud; *Quoaduſque*, vel *donec*, ſæpe in Scripturis infiniti temporis eſt, nec excludit ſemper tempus ſequens, ut conſtat ex *Iſaiæ* 22. 14. & *Matth.* 1. 25. Ceterum numquam futurum ut Chriſtus a dextris Patris ſedere deſinat, Apoſtolus clare teſtatur infra cap. 10. 12. 13. *In ſempiternum ſedet in dextera Dei, de cetero exſpectans donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus*. Hic, quem tractamus, locus Apoſtoli manifeſte probat Chriſtum etiam ut hominem Angeli longe antecellere, quippe qui ſit homo Deus, & a Patre ſuper omnem creaturam ſuæ humiliationis, paſſionis & mortis merito exaltatus. Non enim ut Deo dicit, *Sed a dextris meis*. Quomodo enim *Thronus ejus eſt in ſeculum ſeculi?* Ut homo ergo hunc honorem ſortitus eſt: ut Deus enim æternam ſedem habet. Verba ſunt Theodoreti.

Pſalmo centeſimo-nono, cujus verba profert Apoſtolus noſter, Chriſti divinitas, generatio æterna, regia dignitas, Sacerdotium, victoriæ ac triumphi perſpicue ſignificantur. Id olim inter Judæos tam certum fuit ut cum publice eos alloqueretur Jeſus Chriſtus, pro confeſſo ſibi ſumſerit, Meſſiæ hunc Pſalmum ad litteram convenire: Matth. 22. 41. *Et nemo poterat ei reſpondere verbum*. Idem agnoſcunt Chaldæus Paraphraſtes, R. Moſes Hadarſan, R. Saadias Gaon in Danielem, R. Iſaac ben Aramah, & in Midraſch. Thehillim, & in ipſo Thalmude, in Sucah 5. cap. in Gemara, &c.

14. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis?* Quis fidelium negaverit omnes Angelos, cujuſcumque ſint ordinis ac dignitatis eſſe Spiritus ad Miniſterium Dei & Chriſti conditos, deputatos, ac miſſos, propter eos qui futuri ſunt heredes æternæ vitæ & gloriæ? Ex his omnibus demonſtratur Chriſtum Angelis omnibus excellentiorem ac ſuperiorem eſſe; cum illi Dei miniſtri ſint, Chriſtus vero Dei Filius. Ne vero mirum videatur Angelorum miniſterium ad electos limitari. In eorum enim ſalute magis eminet angelicæ cuſtodiæ beneficium; & quæ circa reprobos tam cuſtodiendos, quam puniendos ab Angelis geruntur, omnia ad electorum ſalutem & gloriam a Deo ſunt ordinata.

---

## C A P U T I.

### *Senſus Moralis.*

Deus per Filium ſuum hominibus loqui dignatus eſt.

1. 2. M*Ultifariam multiſque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſime diebus iſtis locutus eſt nobis in Filio*. Immenſam & perpetuam Dei in homines caritatem demonſtrat paterna cura quam de illorum ſalute geſſit omnibus mundi ætatibus. *Homo divini ingenii cura* (inquit Tertullianus) Ad illos loqui dignatus eſt multifariam multiſque modis, ut illos veritatem ſuam, cultum ſuum, legemque ſuam doceret, ſive ab erroribus & peccatis revocaret. Locutus eſt per Patriarchas tempore Legis naturæ; per Prophetas tempore Legis ſcriptæ; noviſſime per Filium ſuum in temporis plenitudine, & ſub lege gratiæ, quam hominibus condidit. Quo tempore homines pene omnes idololatriæ dediti, in tenebris ignorantiæ Dei, & in umbra mortis ſedebant, quo defecerant chariſmata, quo nulla pene ſupererat ſpes ſalutis, ſed certa videbatur imminere damnatio, Deus per Filium ſuum hominibus loqui dignatus eſt, quem ducem ac præceptorem Gentibus dedit. Hic Propheta magnus, omnium Prophetarum lumen, omnium Prophetiarum complementum; omnium veritatum Magiſter, quas plene perfecteque novit, & perſpicue doceat ac revelat omnibus qui eum audire volunt. Nec ſolum nos docere dignatus eſt, ſed & vulnera per ignorantiam & peccatum nobis illata miſericorditer curare. *Miſit Verbum ſuum, & ſanavit eos, & eripuit eos de interitionibus eorum*. Si quis ſingulari & eximia eloquentia, ſcientia, ſanctimonia,

Pſal. 106. 20.

Pro-



Prophetiæ, miraculorum, aliiſve Dei donis inſignis homo doceat, concionetur, exhortetur, omnes ad eum audiendum confluunt. Homo Deus loqui ad homines, ad creaturas ſuas dignatur, non pro ſua, ſed pro illarum utilitate & ſalute, & nemo illum audit. Loquitur in Scripturis ſanctis, loquitur per Miniſtros ſuos, per Eccleſiæ ſuæ Paſtores, quos qui audit, illum audit: loquitur ad corda hominum ſanctis inſpirationibus. Et quis illum audit cum fide, cum reverentia, cum amore, cum obedientia? *Multi Prophetæ & juſti cupierunt videre quæ videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt .... Veſtri beati oculi quia vident, & aures veſtræ quia audiunt*. Felicitatem noſtram agnoſcamus, & de tanto beneficio gratias agamus immortales. Filium Dei nobis loquentem audiamus. Pater æternus jubet: *Ipſum audite*. Loquere, Domine, quia audit ſervus tuus. Mentes noſtras illumina, ut intelligamus quæ in carne aſſumta loqui dignatus es ad docendum nos: infunde cordibus noſtris caritatem, ut ea diligamus: gratiam tribue ut ea exequamur & impleamus.

Matth. 13. 16. 17.

Luc. 9. 35.

Chriſtus nos regni ſui cohæredes effecit. Quibus conditionibus? Pſalm. 2. Rom. 8.

2. *Quem conſtituit heredem univerſorum*. Chriſtus heres a Patre conſtitutus eſt, non portionis terræ, & promiſſorum temporalium, ut Patriarchæ; ſed mundi univerſi, cœli novi & terræ novæ, Eccleſiæ ſuæ, electorum ſuorum, & in eis omnium gentium. *Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ*. Heres non ad tempus, ſed in æternum. Solus autem regni cæleſtis & æterni hæres eſſe noluit: Nos coheredes ſuos efficere miſericorditer dignatus eſt.. *Heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti*. Verum ſicut ille totius vitæ laboribus & ſanctis operibus, paſſione & morte hereditatem ſuam conſecutus eſt: *Sic enim oportuit pati Chriſtum, & intrare in gloriam ſuam:* ita nos cœleſtis & æternæ hereditatis ejus conſortes numquam erimus, niſi vitæ ejus imitatores fuerimus, paſſionumque ſocii. Ideo carnem aſſumſit, ut paſſionis & reſurrectionis nobis præberet exemplum; paſſionis ad firmandam pœnitentiam, reſurrectionis ad excitandam ſpem. „ Ut duas vitas nobis oſtenderet „ in carne, quam ſuſcepit de vita noſtra mortali, „ unam laborioſam, alteram beatam; laborioſam quam „ tolerare debemus; beatam, quam ſperare debemus.

S. Aug. lib. 2. De Actis cum Felice Manich. c. 11.

S. Leo Serm. 12. De Paſſione.

2. *Per quem fecit & ſecula*. Dei Filius ars eſt, ſapientia & forma princeps, per quam omnia formata ſunt & reformata: „ ideo reparationem generis hu„ mani ſuſcepit, ut qui plaſmatum de limo terræ „ hominem ſtatu vitæ rationalis animavit, idem na„ turam noſtram ab æternitatis arce dejectam amiſſæ „ reſtitueret dignitati, & cujus erat conditor, eſſet „ etiam reformator. Ad divinum illud exemplar deformatam in nobis Dei ſimilitudinem per ejus gratiam reſculpamus, ſive oremus ut eam ipſe reſculpat, quia id per nos ipſos non poſſumus. Solus ille Deum offendit, qui ab ejus ſimilitudine recedit. Ipſe Deus nos cum Patre & Spiritu ſancto condidit, qui nobiſcum homo ſolus ad nos reparandos venit. *Ipſe eſt forma, ipſe medicina, ipſe eſt remedium. Felicius fuiſſet ſemper tenuiſſe ejus ſimilitudinem: ſed jam minus glorioſum non erit ad ejus redire imitationem*. Faciamus ergo ſecundum exemplar quod nobis monſtratum eſt.

Hugo a ſancto Victore.

Quid nobis Dei Filius præſtiterit? quid illi rependere debeamus?

3. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ ejus, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis*. 1. Chriſtus ſplendor eſt Patris, *Accedite ad eum: & illuminamini*. Numquam ab eo per peccatum ſeparemur, quemadmodum ipſe numquam a Patre ſeparatur, a quo procedit ut radius a Sole. 2. Divinas ejus perfectiones in nobis exprimamus per imitationem, ſicut ipſe perfectiones omnes Dei Patris in ſe exprimit ut imago ejus viva, conſubſtantialis, perfectiſſima, *figura ſubſtantiæ ejus*. Ad illius cognitionem & amorem homines adducamus verbis & exemplis; ſicut ipſe ad Dei cognitionem, dilectionem, & cultum homines adduxit prædicatione, operibus, ac perpeſſionibus ſuis. 3. Portemus illum in cordibus & corporibus noſtris, ejuſque ductum ſequamur, qui nos virtute ſua conſervat, ſapientia ſua regit, manu ſua ſuſtentat, ſinu ſuo fovet, & omnia opera noſtra in nobis operatur. *Portans omnia verbo virtutis ſuæ*: Ex ejus manu ſi effugere velimus, cadimus, perimus. 4. Peccata noſtra purgat, delet, expiat per ſeipſum, ſanguine ſuo, ut Sacerdos noſter, idemque victima, & ſacrificium, ut Mediator nos reconciliat Deo Patri. *Purgationem peccatorum faciens*. Et nos quotidiana peccata totius vitæ pœnitentia eluere ac purgare ſatagamus. Offeramus Deo ſacrificium contriti cordis: corpora ſanctificemus per continentiam, cupiditates mactemus; mortificationem Chriſti in nobis ipſis circumferamus. Victimæ ſimus illi conſecratæ, mundo mortuæ, ſoli Dei viventes. 5. Cor noſtrum a terrenis deſideriis purgatum Chriſto adhæreat, qui *ſedet ad dexteram Majeſtatis in excelſis*. Carnem ita ſubjiciamus ſpiritui, ut ad beatam reſurrectionem, æternæque vitæ poſſeſſionem & ipſa præparetur. „ Facile „ corpus levabitur in alta cœlorum, ſi non premat „ ſpiritum ſarcina peccatorum. Hoc igitur medite„ mur in terris, quod conſequi ſperamus in cœlis. „ Tunc exuturi carnem mortalitatis, nunc exua„ mus animi vetuſtatem.

S. Aug. Serm. 263. alias De Tempore 173.

4. 5. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? .... Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Angeli creaturæ ſunt ejus, cujus Chriſtus Jeſus Filius eſt, Dei Patris, ab illo genitus unico actu, ſimpliciſſimo, puriſſimo, æterno, in proprio ſinu, in utero Virginis Matris per Incarnationem; in gloria per reſurrectionem, in Sacramento Euchariſtiæ, per panis & vini conſecrationem. Filius æqualis Patri in æterna generatione, minor Patre in temporali nativitate; paulo minor Angelis ſecundum infirmitatem carnis, iiſdem ſuperior & melior ſecundum unionem naturæ humanæ cum perſona divina, propter quam dicitur & eſt Filius Dei. *Tanto melior Angelis effectus, quanto differentius præ illis nomen hereditavit*. Nomen quod eſt ſuper omne nomen, incomprehenſibile, ſicut & nomen Patris æterni. *Quod nomen eſt ejus, & quod nomen filii ejus, ſi noſti?* Nomen ipſis Angelis incommunicabile: *Quis enim ſimilis Deo in filiis Dei?* Nemo ei in natura ſimilis & conſubſtantialis præter Unigenitum ejus Filium Jeſum Chriſtum. In tertia nativitate, nempe ex ſepulchro per glorioſam Reſurrectionem ſuper omnes Angelos exaltatus eſt ad dexteram ſupremæ Majeſtatis in excelſis. In quarta demum nativitate, in Sacramento Euchariſtiæ, hominum rurſus voluntati quodammodo fit ſubditus, amoris ſui miraculo. Verum in omnibus admirabilis eſt, amabilis, adorandus. Illum adorant Angeli, propter quos Angelicam naturam non aſſumſit, adorant, inquam, illum de mandato Patris, in quocumque ſtatu, mortali, glorioſo, ſacramentali. *Et cum iterum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei*. Quanto magis illum adorare debent homines, propter quos, & propter quorum ſalutem deſcendit de cœlis, & homo factus eſt? Illum ergo perpetuo adoremus & benedicamus cum Patre & ſancto Spiritu, omniaque opera noſtra propter gloriam nominis ejus, & ex ejus amore faciamus. Hæc vera adoratio eſt. Si Chriſtum Jeſum, ut par eſt, adoremus, ei ſimiles erimus. *Fit enim homo ei ſimilis quem adorat*. De nobis itaque ut per Filium ſuum unigenitum adoptatis dicere dignabitur Pater miſericordiarum: *Ego ero illi in Patrem, & ipſe erit mihi in filium*.

Proverb. 30. 4. Pſal. 88. 7.

S. Aug. Tract. 10. in Joannem.

7. 8. 9. *Et ad Angelos quidem ait: Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis: Ad Filium autem: Thronus tuus, Deus, in ſeculum ſeculi, virga æquitatis virga regni tui. Dilexiſti juſtitiam & odiſti iniquitatem, &c.* 1. Quicumque ad beatam electorum ſortem, & Angelorum æqualitatem in cœlis aſpirant, in hac vita, (quantum per carnis infirmitatem licet) debent eſſe ſimiles Angelis Dei, ſpiritales eſſe cogitationibus, affectibus, operibus, abſtinere a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam, in carne præter carnem vivere, ad Dei mandata implenda promptos & ferventes omni tempore ſe exhibere, difficultates omnes & impedimenta ſuperare, nuſquam a Dei præſentia recedere. Ad id vero tenentur præſertim Sacerdotes & Eccleſiæ Miniſtri, quos Spiritus ſanctus in Scripturis Angelos Domini, & Angelos Eccleſiarum vocat. 2. Sceptrum Chriſti Jeſu oſculemur, illi nos ſubjiciamus, qui Rex noſter & omnium gentium ac ſeculorum eſt, & terræ Dominus. „ Regat te virga ſua, non fran„ gat te. Virga enim ferrea eſt illa inflexibilis. *Re„ ges eos in virga ferrea, & tamquam vas figuli „ confringes eos;* ait Pſalmiſta. Alios regit, alios „ conterit: regit ſpiritales; conterit carnales. Regi „ tuo vis gratus eſſe? Iniquitatem odio habe, dilige „ juſtitiam. Eſt in te iniquitas? Odit illam Deus, „ oderis & tu. Peccatum tuum puniturus eſt, quia „ illud odit. Non vis ut ipſe puniat, præveni illum, „ tu puni. Ideo enim adhuc ipſe parcit, differt, „ arcum intendit, minatur. Peccatum impunitum „ manere non poteſt. Puniendum eſt aut a te; aut „ ab ipſo. „ *Tu agnoſce, ut ille ignoſcat*. „ Juſtitiam dilige. Non timore pœnæ a peccato abſtineas, ſed amore juſtitiæ. Quicumque facit opera aliqua juſtitiæ, non propterea juſtus ac pius eſt, ſed ille ſolus qui juſtitiam ſincere diligit. *Qui autem juſtitiam non diligit, non habet*.

S. Auguſt. in Pſalm. 44.

Pſalm. 2.

10. 11.

*S. Auguſtin.*

10. 11. 12. *Et tu in principio, Domine, terram fundaſti, & opera manuum tuarum ſunt cœli. Ipſi peribunt, tu autem permanebis, & omnes ut veſtimentum veteraſcent: Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Qui terrenis & temporalibus rebus inhærent manſoria dilectione, cum illis peribunt. Qui Chriſto Jeſu firmiter inhæret per caritatem, cum ipſo in æternum beatus in regno ejus permanebit. Immutat nos Chriſtus velut veſtimentum, nos veteris hominis cupiditatibus & vitiis per gratiam ſuam exuens, & ſeipſo, juſtitiaque ſua induens: immutabit corpora noſtra in reſurrectione, ſi pie vixerimus. Seminatur enim corpus animale, ſurget corpus ſpirituale. Hoc veſtimentum quod a Chriſto Jeſu mutabitur, ſi digni fuerimus qui ad gloriam reſurgamus.

*S. Auguſt. in Pſalm. 101. Serm. 2.*

Ut ad beatam æternitatem perveniamus opera bona præmittenda ſunt.

„ Speremus ergo etiam immutationem corporum noſtrorum ab illo qui erat & ante nos, & manet poſt nos; a quo ſumus quod ſumus, ad quem veniemus cum fuerimus mutati, mutantem non mutatum, facientem non factum; & moventem, ſed manentem: *Tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.* Sed nos ad illos annos quid ſumus? Non tamen deſperare debemus. Qui dixit, *Ego ſum qui ſum*, idem ad conſolationem noſtram dixit: *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Jacob*. Et nos Abrahæ ſemen ſumus: & nos quamvis abjecti, quamvis terra & cinis, in illo ſperamus, Servi ſumus, ſed propter nos Dominus noſter formam ſervi accepit, propter nos mortales immortalis mori voluit, propter nos hoc exemplum reſurrectionis oſtendit. Ergo ſperemus venturos nos ad hos annos ſtantes, in quibus non circuitu Solis peraguntur dies, ſed manet quod eſt ſicuti eſt, quia hoc ſolum vere eſt. Ut autem ad beatam æternitatem, in qua nulla mutatio, nullus defectus eſt, perveniamus, præmittenda ſunt bona opera. Unde in Pſalmo ſequitur: *Filii ſervorum tuorum habitabunt*. Filii ſervorum, ſunt opera ſervorum. Nemo ibi habitabit niſi per opera ſua. Noli ergo eſſe ſterilis, ſi vis habitare: præmitte fœtus, quos ſequaris. Filii tui te deducant ad terram promiſſionis, terram viventium, non morientium. Cum hic vivis in hac peregrinatione, illi antecedant, ſuſcipiant te. Propter refectionem carnalem filius anteceſſit Jacob in Ægyptum, & ait patri ſuo & fratribus ſuis, Ego præveni præparare vobis eſcas. Præcedant ergo filii tui, præcedant te opera tua; quales filios præmiſeris, tales & ſequeris.

Chriſtus inimicos ſuos vel ſpontaneos vel invitos vincit.

*S. Auguſt. in Pſ. 109.*

*Pſal. 44. 6.*

13. *Ad quem autem Angelorum dixit aliquando: Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum?* Omnes inimicos ſuos vel invitos, vel ſpontaneos, vincit, domat, pedibuſque ſuis ſubjicit Chriſtus Rex æternus. „ Inimicus eras: eris ſub pedibus ejus, aut adoptatus, aut victus. Quære ergo quem locum habeas ſub pedibus Domini Dei tui. Nam neceſſe eſt ut habeas aut pœnæ, aut gratiæ. Nemo Regum umquam de inimicis ſuis triumphavit aut triumphabit illorum corda ſibi ſubjiciendo per amorem, ſicut Chriſtus Jeſus. *Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadent, in corda inimicorum Regis.* „ Quæ ſagittæ acutæ, niſi verba corda transfigentia, amorem excitantia? Unde dicitur in Canticis Canticorum, *Vulnerata caritate ego ſum*. Populos videmus ſubditos Chriſto, cadentes non videmus. Exponit ubi cadant: *In corde*. Ibi ſe erigebant adverſus Chriſtum, ibi cadunt ante Chriſtum. Blaſphemabat Saulus Chriſtum, erectus erat; ſupplicat Chriſto, eccidit, proſtratus eſt; occiſus eſt inimicus Chriſti, ut vivat diſcipulus Chriſti. De cœlo emiſſa ſagitta, corde percuſſus eſt Saulus. Ut ille, ita & *Populi ſub te cadent, in corda inimicorum Regis*. Inimici erant; acceperunt ſagittas tuas, ceciderunt ante te. Ex inimicis amici facti ſunt: inimici mortui ſunt, amici vivunt.

*Cantic. 2. 5. & 5. 8.*

*S. Auguſt. in Pſalm. 44.*

Deus Angelos ſuos mittit in miniſterium propter electo.

14. *Nonne omnes ſunt adminiſtratorii Spiritus, in miniſterium miſſi propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis?* Quantam nobis hæc inſpirare debent reverentiam, devotionem, gratiarum actionem, fiduciam erga ſanctos Angelos; ſed multo majorem erga Chriſtum Jeſum Angelorum Regem ac Dominum. Jeſum Chriſtum advocatum & mediatorem habemus ad dexteram Dei Patris; Angelos ejus, auxiliatores, tutores, cuſtodes, voluntatis ejus interpretes, conſiliorum ejus Miniſtros & executores in gratiam electorum; quid non a Dei bonitate & miſericordia ſperemus? Quid mirum ſi Deus Angelos omnes mittat in Miniſterium propter homines quos elegit ad reſtaurandas ruinas Angelorum? Siquidem miſit Filium ſuum, non ut miniſtrum, ſed ut auctorem & conſummatorem ſalutis noſtræ: & Filius Dei propter nos homo factus miniſtrare voluit ſervis ſuis, quos amicos, immo fratres ſuos effecit. Conſiderent

Chriſto ad ſalutem proximi ſervire, angelicum miniſterium eſt.

Paſtores, Prædicatores, Directores, quam ſublime ſit glorioſumque miniſterium ſalutis animarum, ad quod ſunt vocati. Angelicum certe miniſterium eſt. *Hoc eſt munus Angelorum, miniſtrare Deo ad hominum ſalutem, imo vero eſt opus ipſius Chriſti. Nam ipſe quidem dat ſalutem ut Dominus ipſi autem illam procurant ut ſervi: nos ut conſervi Angelorum ad fratrum ſalutem miniſtramus.* 2. Conſiderent Antiſtites & Paſtores quanta humilitate & fidelitate functiones ſuas exercere debeant, cum Dei Miniſtri ſint. 3. Nemo ſe ingerat ſacro Miniſterio ſalutis animarum ſine legitima miſſione, & non cognita prius Dei voluntate, & explorata vocatione ſua. *In Miniſterium miſſi*. 4. Non honorem, aut humanam gloriam, vel opes & temporalia commoda ſpectent, ſed ſolam electorum ſalutem, Deique in ea gloriam. Ob hunc finem nullis parcant laboribus. *Propter eos qui hereditatem capiunt ſalutis.*

*S. Chryſoſt. Hom. 3. in hanc Epiſt.*

---

## C A P U T II.

### *Senſus Litteralis.*

Metaphora ſumta a vaſe rimoſo & perfluente.

1. PRopterea abundantius oportet obſervare nos ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Cum Chriſtus fidei noſtræ & Legis Evangelicæ auctor ſit, major & excellentior Angelis, oportet vos ſtudioſius & firmius adhærere doctrinæ ac legi ab illo traditæ, & a vobis ſuſceptæ, quam olim Legi per Angelos datæ adhæſiſtis, ne ſitis inſtar vaſis rimarum pleni, quod liquorem infuſum retinere non valet; vel, ne inſtar aquæ facile diffluatis & pereatis. Alludit Apoſtolus ad locum *Proverb.* 3. 21. juxta Verſionem LXX. Interpretum: *Fili, ne effluas*, pro quo nos ex Hebræo legimus: *Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis*,

*S. Chryſoſtom Hom. 3. & Theophylact.*

2. 3. 4. *Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem: Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? Quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab eis, qui, audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem.* Si enim Lex Angelorum miniſterio promulgata in Monte Sinai firma fuit ratione ventus, quo omnes promiſſiones & minæ præſtitæ ſunt, ratione obligationis ad obſervationem mandatorum, & ratione pœnæ prævaricatoribus impoſitæ; & omnis tranſgreſſio & contumacia juſtam & condignam pœnam accepit: quomodo nos pœnam effugiemus, ſi Doctrinam Evangelicam, quæ veræ & æternæ ſalutis promiſſiones continet, ad ejuſque conſecutionem dirigit, rejecerimus aut neglexerimus? Quæ quidem cum ab ipſo Domino in terris agente prædicari cœpiſſet, ab eis, qui illum audierunt, confirmata eſt inter nos, vel uſque ad nos. Ego Paulus in doctrina & fide Evangelii confirmatus ſum ab Apoſtolis, quibuſcum illam contuli. Apoſtolicæ etiam prædicationis & aſſertionis veritatem Deus teſtimonio ſuo roboravit, miraculis ſcilicet ac prodigiis, & variis atque extraordinariis potentiæ ſuæ effectis, & Spiritus ſancti donis, ſcilicet Prophetiæ linguarum, &c. quæ pro ſua voluntate diſtribuit. Confer cum Marci ultimo: *Illi vero profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*,

*Galat. 2.*

5. *Non enim Angelis ſubjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur.* Quod vero ſuperius dixi, Chriſtum longe excellentiorem eſſe Angelis, qui ſunt adminiſtratorii Spiritus, inde confirmatur, quod Deus non ſubjecit Angelis, ſed ſoli Chriſto orbem terræ futurum, de quo præcipue nobis ſermo eſt, id eſt, Patriam cœleſtem, cujus & ipſi cives ſunt, Rex vero Chriſtus; & futura bona, quorum ipſi participes ſunt, Chriſtus vero Dominus. Unde a Propheta *Pater futuri ſeculi*, & ab Apoſtolo noſtro *Pontifex futurorum bonorum appellatur*.

*Iſai. 9. infra cap. 9.*

6. 7. *Teſtatus eſt autem in quodam loco quis, dicens: Quid eſt homo quod memor es ejus, aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulo minus ab Angelis: gloria & honore coronaſti eum: & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum.* Probat Apoſtolus nihil de Chriſti excellentia ſuprema decedere per Incarnationem & Paſſionem ejus, nec illas impedire quin illi uni, non angelis, orbis terræ futurus ſubjiciatur. Id autem probat teſtimonio Davidis, cujus Pſalmum octavum Sapientes Hebræi ad Meſſiam referebant. *Quid eſt homo*, vilis, infirmus, & miſer, quod tantam ipſius curam habeas, & tanto illum honore dignatus ſis? Quid (inquam) eſt homo ex homine natus, mortalis ex mortali, miſer ex miſero, ut eum viſitare dignatus ſis per Incarna-

*Pſalm. 8.*



tionem tuam, ejus naturam aſſumendo, & innumeris beneficiis totum genus humanum per Hominem Deum cumulando? Illum ad breve tempus, ſcilicet vitæ mortalis & Paſſionis ejus tempore, infra Angelos demiſiſti, tam conditione mortalitatis & Paſſionis, quam vulgari hominum opinione, quos carnis ejus infirmitas, & Paſſionis ignominia magnum aliquid de eo opinari non ſinebant. Sed breve illud tempus glorioſa Chriſti reſurrectione finitum eſt, qua gloriam & honorem, ut homo Deus, ſupra omnes Angelos accepit; gloriam, quia nomen ejus ubique prædicatur & laudatur; honorem, quia ab omnibus adoratur. *Gloria & honore coronaſti eum. Et conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*, cœli terræque, Angelorum & hominum Regem ac Dominum, totius Eccleſiæ caput declaraſti, & ad dexteram Majeſtatis tuæ in cœlis conſtituiſti.

Pſalmi octavi auctorem & locum Hebræis notum Apoſtolus non citat. Hunc autem Pſalmum Chriſto convenire magis quam Adamo, vel humano generi in Adamo ſpectato, probat eruditus Præſul D. Huetius, *Demonſtrat. Evangel.* Propoſit. 7. n. 6. Ad Chriſtum certe ſublimiore & myſtico ut minimum ſenſu ex Spiritus ſancti intentione referendum, nemo Catholicus negaverit. *Hæc etſi dicta ſint de communi humanitate, magis tamen Chriſto convenire ſecundum carnem*, ait S. Joannes Chryſoſtomus. Porro quod Latinus Interpres vertit, *paulo minus*, Græcus Textus habet, βραχύ τι, id eſt, *Ad breve*.

*Theodoret. in Pſalm. 8. S. Thomas. Lect. 9.*

Chriſtus ſibi gloriam corporis & nominis exaltationem meruit. Pro omnibus hominibus mortuus eſt.

8. *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus.* Res omnes, adeoque & mundum futurum, ejus imperio perfecte ſubjeciſti. *In eo enim quod omnia ei ſubjecit, nihil dimiſit non ſubjectus ei.* Cum autem Deum illi omnia generaliter ſubjeciſſe ait, nullam creaturam ſive viſibilem, ſive inviſibilem ab hac ſubjectione excepit. Unde alibi dicit Apoſtolus noſter: *Cum autem dicat. Omnia ſubjecta ſunt ei, ſine dubio præter Eum, qui ſubjecit ei omnia.* „ Sola enim increata natura ab hac ſubjectione tamquam libera ſeparata eſt. Hæc autem, quæ ab illa ut eſſet accepit, qualiſcumque ſit, ſive viſibilis, ſive inviſibilis, ſubdita eſt, & tamquam Deo, & tamquam homini, Domino Chriſto. *Nunc autem necdum videmus omnia ſubjecta ei.* Nunc autem in præſenti rerum ſtatu, in hoc ſeculo, nondum Prophetia illa omni ex parte impleta eſt: Nondum enim omnes infideles & peccatores, & dæmones Chriſto ſunt ſubjecti: ſed adverſus ejus imperium rebellant, vel illud oppugnant. Omnes quidem jam illi ſubjiciuntur quantum ad auctoritatem, ſed in futuro omnes ſubjicientur quantum ad executionem.

*Guſtaſſe* mortem dicitur, ſumptam metaphoram ſive abiis quoad venenum epotandum damnabantur, ſive ab earum rerum guſtu, quarum amarus & ingratus eſt ſapor.

9. *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus eſt, videmus Jeſum, propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum: ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem.* Interim certo cognoſcimus, Jeſum, qui ad breve tempus in Incarnatione & Paſſione ac morte ſua infra Angelos abjectus eſt; propter paſſionem mortis gloria & honore undequaque cinctum & ornatum eſſe, dum nomen ejus ubique prædicatur & adoratur. Gratuita autem Dei Patris bonitate & infinita in homines Filii caritate factum eſt ut pro omnibus & ſingulis hominibus moreretur.

Prætermittendum non eſt, quod eruditi Interpretes obſervant, quoſdam Codices Græcos olim pro χάριτι Θεοῦ *gratia Dei*, habuiſſe, χωρὶς Θεοῦ, *Abſque Deo*, ut conſtat ex Origene, S. Ambroſio, Theodoreto, Theophylacto, & Oecumenio. Quam lectionem duo illi poſteriores Auctores in Neſtorianorum depravationem minus probabiliter refundunt, quaſi ſenſus ſit, Eum qui homo eſt, non eum qui Deus & Dei Filius, mortem ſubiiſſe. Verum Neſtorio antiquior S. Ambroſius hanc lectionem agnoſcit & recipit, ſenſuque Catholico ſcriptum exponit, *Ut ſine Deo pro omnibus guſtaret mortem*, ſcilicet. *Ne divinitatis illam paſſionem putaremus fuiſſe, non carnis.*

*Origen. Tom. 1. in Joannem S. Ambroſ. lib. 2. De Fide, cap. 4. & l. 5. cap. 4. Theodoret. Theophylact. & Oecumen. in Comment.*

10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia; qui multos filios in gloriam adduxerat, Auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.* Dignum enim erat Deo, propter quem ut finem ultimum, & per quem ut primam cauſam omnia condita ſunt, & qui multos filios captivos per Unigenitum ſuum Jeſum Chriſtum ad gloriam cœleſtem & æternam adducere decreverat, Auctorem ſalutis eorum & Mediatorem per paſſionem perficere, & ad gloriam conſummatam perducere.

*Matt. 28. 10. & Joan. 20. 17. Pſal. 21. 23.*

Quem Pſalmum Chriſto Jeſu ſecundum litteram convenire ſemper agnovit Eccleſia. cujus a communi ſenſu Theodorus Mopſueſtenus, & Grotius ejus veſtigiis inſiſtens, aberrarunt.

11. 12. 13. *Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes. Propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.* Chriſtus enim Jeſus, qui nos ſacrificio ſuo a peccatis emundat & ſanctificat ut Sacerdos æternus, Redemptor, & Mediator Dei & hominum, & homines qui per ipſum ſanctificantur, omnes ex uno principio ſunt, ſcilicet ex Deo, ille quidem ut Unigenitus per naturam, illi ut filii adoptivi per gatiam; & ex uno primo parente humani generis Adamo progeniti, ejuſdem humanæ naturæ ſunt participes. Quam ob cauſum non dedignatur eos fratres appellare, dicens: Nunciabo nomen tuum, magnitudinem tuam, divinitatem tuam, potentiam, miſericordiam, beneficia tua, fratribus meis: in medio Eccleſiæ Chriſtianæ a me congregandæ laudabo te. *Et iterum*, dicit: *Ego ero fidens in eum*: Fiduciam in Deum habebo: quod ei non conveniret, qui Deus tantum eſſet, non etiam homo. *Et iterum*, ait: *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus.* Ecce ego, & filii mei ſpirituales, electi omnes quos mihi dedit Pater. Confer cum Joannis 17. 6. *Tui erant, & eos mihi dediſti.*

*Iſaiæ 8. 17. 18.*

Naturæ humanæ veritas in Chriſto. Caro ejus noſtræ conſubſtantialis, vereque paſſibilis & mortalis.

14. 15. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & ſanguini: & ipſe ſimiliter participavit eiſdem, ut per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium, id eſt diabolum: Et liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* Quandoquidem ergo filii Chriſto dati a Patre, ſcilicet homines electi, conſtant carne & ſanguine, id eſt, natura fragili, paſſibili, miſeriis & morti obnoxia: Ipſe ſimiliter carnis & ſanguinis, id eſt ejuſdem naturæ mortalis particeps fuit, ut per mortem ſuam poteſtate exueret diabolum, qui peccatum & mortem in mundum invexerat: & ab ejus dominatu & tyrannide liberraret electos, quos pariter ac cœteros homines metus & horror mortis per totam vitam in miſera quadam ſervitute detinebat, & interdum ad peccatum compellebat. Vel, Ut eos liberos redderet, qui timore mortis, quam Lex minatur, ipſi Legi ſerviliter parebant, nec animum eribebant in ſpem bonorum cœleſtium, quæ Lex non promittebat, nec ad eorum conſecutionem perducebar ſine gratia Salvatoris.

ἐπιλαμβάνεται, quaſi injecta manu vindicavit, & indibertatem aſſeruit.

16. *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Non enim Angelicam naturam aſſumſit, & liberavit, ſed humanam, ex poſteritate Abrahæ. Non dixit Apoſtolus, Semen hominis, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, Hebræis in memoriam revocans promiſſionem Abrahæ factam. *Benedicentur in ſemine tuo omnes gentes terræ.*

*Geneſ. 22. 18.*

17. *Unde debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi.* Cum ergo qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ſint ejuſdem naturæ & conditionis, conveniens fuit ut Chriſtus in omnibus, excepto peccato, ignorantia & concupiſcentia, quæ ad peccatum inducunt, fratribus ſuis, id eſt electis ſimilis fieret in natura paſſibili & mortali, ut miſeriæ noſtræ condoleret, fideliſque Pontifex in miniſterio ſuo eſſet apud Deum, ad expianda peccata populi.

18. *In eo enim, in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis, qui tentantur, auxiliari.* Ex laboribus enim & doloribus quos pertulit, & morte quam paſſus eſt, ut homo, vim habet ſuccurrendi iis, qui ſimiliter probantur & tentantur; & magis movetur ad auxilium illis ferendum in periculis & ærumnis. Eſt enim quiſque propenſior ad ferendam opem miſeris, ſi & ipſe miſerias expertus fuerit.

---

## C A P U T II.

### *Senſus Moralis.*

Verbum Dei fideliter obſervandum.

1. PRopterea abundantius oportet obſervare nos ea quæ audivimus, ne forte pereffluamus. Quo major eſt Chriſti Legislatoris noſtri excellentia, eo majori, diligentiorique ſtudio, reverentia, humilitate, obedientia, fervore, Legis Evangelicæ mandatis adhærere debemus, eaque fideliter obſervare. *Non enim auditores Legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores Legis juſtificabuntur.* Qui Dei verbum negligunt, non magnifaciunt, aut ex ejus auditione meliores non fiunt, juſto Dei judicio gratiis privantur, quibus ſe indignos prava diſpoſitione reddiderunt. Vaſis pertuſis, quæ ſalutares aquas continere non poſſunt, aut aquæ ex iis effluenti ſimiles ſunt, quæ fit prorſus inutilis, & irreparabiliter perit. *Ne forte pereffluamus.* Oſtendit quam facilis ſit lapſus, & quam gravis interitus eorum qui verbum Dei ut par eſt non audiunt, & Evangelio non obediunt. Tamquam vaſa inutilia a Deo irato confringentur. Evangelium ſicut præſentem Dominum audiamus; in corde recondamus, ut ſanetur cor; factis repræſentemus.

*S. Chryſoſt. Hom. 5.*

Graviores pœnas meren-

2. 3. *Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* „ Ferendæ & promulgandæ Legi Angeli miniſtrarunt: ſalu-

tur novæ Legis tranſgreſſores, quam veteris *S. Aug. lib. De Spiritu & Littera, cap. 17.*

ſalutarem Evangelii doctrinam Filius Dei attulit & prædicavit. Lex vetus in tabulis lapideis digito Dei ſcripta: Evangelium in cordibus hominum. Lex vetus extrinſecus poſita eſt, qua injuſti terrentur: Lex nova intrinſecus data eſt, qua juſtificarentur. Illa Lex timoris, iſta Lex caritatis diffuſæ in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Illa bona temporalia & terrena promittit obſervatoribus ſuis, hæc cœleſtia & æterna. Illa tranſgreſſoribus ſuis temporalem mortem comminatur, hæc æternam. Legis Moſaicæ ſeveritas erga peccatores, umbra tantum erat ſeveritatis judiciorum Dei erga Legis Evangelicæ prævaricatores. Tanto gravior pœna, quanto major gratia quæ contemnitur. *Quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?* Maxima certe & incomparabilis ſalus, quam Evangelium promittit, quam gratia Salvatoris præſtat: ſiquidem ſummi boni, Dei ſcilicet, ſempiterna fruitio eſt. Eximia ſalus, ſive æternum illud & admirandum Dei conſilium ſpectetur, quo excogitata & præparata eſt; ſive admirabilia media, quibus promovetur & perficitur, nempe Incarnatio, mors, & reſurrectio Filii Dei Jeſu Chriſti Domini noſtri; ſive graviſſima illa mala e quibus nos liberat, peccatum, Satanæ ſervitus Ægyptiacæ jugo ſervitutis longe durior, mors æterna. *Quomodo* ergo *nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem*, tam miſericorditer a Deo nobis oblatam, tanto pretio nobis a Chriſto comparatam; mediis tam efficacibus, nempe Sacramentis promotam, tantis gratiæ donis facilem: ſi legem evangelicam violaverimus, ſi Chriſtianæ Profeſſionis officia prætermiſerimus? Novum Teſtamentum legite, „ Dominum Jeſum ne ea quidem quæ ex ignorantia peccata committuntur, libera a ſupplicio dimiſiſſe animadvertetis, illis tamen vehementius comminatum, quæ a ſcientibus commiſſa de induſtria ſunt. *Ille autem ſervus, qui cognovit voluntatem domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis: qui autem non cognovit & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Quoties igitur ipſius unigeniti Filii Dei ſententias conſidero, & ſanctorum ejus Apoſtolorum adverſus peccantes indignationem contemplor; taleſque ac tantas iis qui vel in una re qualicumque offenderint calamitatum minas intentatas conſpicio: *Sine dubio animadverſionis ſeveritatem in novo Teſtamento nihilo minorem, imo majorem etiam quam in veteri intelligo*, Siquidem *Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo, & cui commendaverunt multum, plus repetent ab eo.*

*S. Baſilius M. in Proemio Moralium, De Judicio Dei. Luc. 12. 47. 48.*

3. 4. *Quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum, ab iis qui audierunt, in nos confirmata eſt, conteſtante Deo ſignis & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus ſancti diſtributionibus ſecundum ſuam voluntatem.* Quam ſtulti Sapientes hujus mundi, qui de Myſteriis fidei, & de veritatibus Evangelii dubitant? Quas ipſe Dei Filius Unigenitus revelavit, prædicavit, & docuit; quas teſtes fides digniſſimi, qui Dominum Jeſum Chriſtum audiverunt, & cum ipſo converſati ſunt, nempe ejus Apoſtoli & Diſcipuli confirmavere; quæ Prophetiarum adimpletione & ſignorum prædictorum eventu certiſſimo, prodigiis in morte Chriſti, in Spiritus ſancti deſcenſu, & Apoſtolorum prædicatione; quæ miraculis innumeris ad hanc uſque diem roboratæ ſunt; quæ toto terrarum orbe per operationem & dona ſenſibilia Spiritus ſancti ſunt propagatæ. *Teſtimonia tua, Domine, credibilia facta ſunt nimis.* Tria videntur incredibilia, quæ tamen facta ſunt. 1. Chriſtum reſurrexiſſe in carne, & in cœlum aſcendiſſe cum carne. 2. „ Mundum rem tam incredibilem credidiſſe. 3. Homines ignobiles, infimo, pauciſſimos, imperitos, rem tam incredibilem, tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis perſuadere potuiſſe. Horum trium incredibilium primum ſeculi Sapientes nolunt credere; ſecundum coguntur & cernere; quod non inveniunt unde ſit factum, ſi non credunt tertium. Reſurrectio certe Chriſti, & in cœlos Aſcenſio toto jam mundo prædicatur & creditur: ſi credibilis non eſt, unde toto terrarum orbe jam credita eſt? Si multi nobiles, ſublimes, docti eam ſe vidiſſe dixerunt, & quod viderunt diffamare curarunt, eis mundum credidiſſe non mirum eſt; ſed iſtos adhuc credere nolle perdurum eſt: ſi autem, ut verum eſt, paucis, obſcuris, minimis, indoctis eam ſe vidiſſe dicentibus & ſcribentibus credidit mundus, cur pauci obſtinatiſſimi, qui remanſerunt, ipſi mundo jam credenti adhuc uſque non credunt? Qui propterea numero exiguo ignobilium, infimorum, imperitorum hominum credidit, quia in tam contemtibilibus teſtibus multo mirabilius divinitas ſe ipſa perſuaſit. Eloquia namque perſuadentium, quæ dicebant, mira fuerunt facta, non verba. Qui enim Chriſtum in carne reſurrexiſſe, & cum illa in cœlum aſcendiſſe non viderant, id ſe vidiſſe narrantibus, non loquentibus tantum, ſed etiam mirifica facientibus ſigna credebant. Homines enim quos unius, vel ut multum; duarum linguarum fuiſſe noverant, repente linguis omnium gentium mirabiliter loquentes audiebant. Claudum ab uberibus matris ad eorum verbum in Chriſti nomine poſt quadraginta annos incolumem conſtitiſſe; ſudaria de corporibus eorum ablata ſanandis profuiſſe languentibus; in via qua fuerant tranſituri ordine innumerabiles variis morbis laborantes, ut ambulantium ſuper eos umbra tranſiret, continuo ſalutem ſolere recipere; & multa alia in Chriſti nomine per eos facta; poſtremo etiam mortuos reſurrexiſſe cernebant. Quæ ſi, ut leguntur, geſta eſſe concedunt, ecce tot incredibilia tribus illis incredibilibus addimus; & ut credatur unum incredibile, quod de carnis reſurrectione atque in cœlum aſcenſione dicitur, multorum incredibilium teſtimonia tanta congerimus, & nondum ad credendum horrenda duritia incredulos flectimus. Si vero per Apoſtolos Chriſti, ut eis crederetur reſurrectionem atque aſcenſionem prædicantibus Chriſti, etiam iſta miracula facta eſſe non credunt, hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quod eam terrarum orbis ſine ullis miraculis credidit.

*Luc. 12.*

Veritatum Evangelicarum credibilitas.

*Pſalm. 92. 5. S. Aug. l. 22. De Civit. Dei cap. 5.*

6. 7. 8. *Teſtatus eſt autem in quodam loco quis dicens: Quid eſt homo quod memor es ejus, aut Filius hominis quoniam viſitas eum?* Deus in miſericordia ſua memor fuit hominis, eo tempore quo homo ſtupendum in modum oblitus erat Dei ſui. Viſitavit hominem mortalem Dei Filius Oriens ex alto, viſitavit & fecit redemptionem plebis ſuæ, ſemetipſum ad nihilum uſque noſtrum humilians. Hac viſitatione Filius Dei factus eſt filius hominis, ut homines filios Dei faceret per gratiam adoptionis. Nihilum ergo noſtrum tam in ordine naturæ, quam in ordine gratiæ conſiderantes, exclamemus cum admiratione & grati animi ſignificatione: *Quid eſt homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam viſitas eum?* Diſcamus humilitatem ab eo, qui ſe infra Angelos demiſit in Myſterio Incarnationis, ut nos ad Angelorum ſimilitudinem & ſocietatem revocaret, qui jumentis inſipientibus ſimiles facti eramus per peccatum. *Minuiſti eum paulo minus ab Angelis.* Non alia via pervenire poſſumus ad gloriam, & regnum cœleſte, quam via humiliationum qua Chriſtus caput noſtrum gloriam, honorem, & ſummum imperium ut homo promeritus eſt & conſecutus. *Gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manum tuarum.* Vis capere celſitudinem Dei? Cape prius humilitatem Dei (ait Sanctus Auguſtinus). Omnia Chriſto homini ad Patris dexteram ſedenti ſubjecta ſunt, etiam Angeli: ſolæ demonum & hominum peccatorum voluntates non ſunt ei ſubjectæ. Corda noſtra Dei voluntati, & Chriſti imperio perfecte ſubjiciamus per amorem & obedientiam, ut victoria ejus in nobis conſummetur. Expugnemus in nobis & deſtruamus, quantum in nobis eſt, pravas cupiditates, ut nihil ſit in nobis ei non ſubjectum. *Nunc autem necdum videmus omnia ſubjecta ei.* Id implebitur in cœlo poſt generalem reſurrectionem, omnibus membris corporis myſtici capiti in æternum adunatis, & ad gloriæ conſortium evectis. Tunc omnia illi ſubjicientur, electi adorantes, amantes, laudantes, quem videbunt in gloria ſua; & mittentes coronas ſuas ante thronum ejus: dæmones vero & homines reprobi judicem & ultorem æternum ſentientes in ſuppliciis inviti, cui ut Redemptori, ut Legislatori, ac Regi beneficentiſſimo ſubditi eſſe noluerunt, & cujus miſericordiam in beneficiis contempſerunt.

Humilitas a Chriſto diſcenda.

9. *Eum autem, qui modico quam Angeli minoratus eſt, videmus Jeſum, propter paſſionem mortis, gloria & honore coronatum: ut gratia Dei, pro omnibus guſtaret mortem.* Gloria, laus, honor, adoratio omnium gentium, ſupremum in omnes creaturas imperium, Chriſto Jeſu debita erant ut Filio Dei: ſed illa ſuſpendit ac diſtulit ad tempus, & paſſione morteque ſua promereri voluit. Non neceſſitate, ſed miſericordiſſima caritate mortem ſubiit, non ſolum pro omni hominum genere, ſed pro ſingulis hominibus, pro infidelibus, impiis, ſceleratis ingratiſque Chriſtianis, ut eos temporali morte ſua ab æterna, cui addicti erant, morte liberaret. O gratiam incomprehenſam æterni Patris, qui ut ſervos redimeret, Filium ſuum unigenitum morti tradidit! O immenſam Filii bonitatem, qui ſe ipſum pro ſalute noſtra immolavit! Propter Paſſionem mortis gloria & honore coronatus eſt Chriſtus Jeſus, ut exemplum nobis daret dura quæque patiendi, ſi gloriæ ipſius conſortes eſſe volumus, *Nam ſi is qui adoratur ab Angelis, ſuſtinuit quiddam minus habere quam Angeli*

Mors Chriſti pro omnibus & ſingulis hominibus.



*geli propter te: multo magis tu qui es minor Angelis, debes omnia ferre propter ipſum. Vocat gloriam ea quæ paſſus eſt propter ſervos: multo magis tu ea quæ pateris propter Dominum.* „ Vides quantus ſit fructus crucis. Tibi quidem videtur res eſſe triſtis, parit autem bona innumerabilia. Unigenitus Dei Filius paſſus eſt propter Dei in nos gratiam & amorem, *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Non hoc nobis debebat, ſed fecit gratia & infinita miſericordia. *Ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem.* Non pro fidelibus ſolum, ſed pro univerſo terrarum orbe. *Quid tum autem ſi non omnes crediderunt? Ipſe, quod ſuum erat, implevit.* Conſulto dixit Apoſtolus, *Ut pro omnibus guſtaret mortem*, ut brevem ejus in ſepulcro moram, & promptam reſurrectionem ſignificaret, „ Quomodo enim Medicus, cum non ſit neceſſe ut guſtet cibos ægroto paratos, propter curam illius quam gerit, ipſo prior guſtat, ad perſuadendum infirmo ut confidenter cibum ſumat: ita quoniam omnes homines mortem timebant, Chriſtus illam quoque guſtavit, cum ei neceſſaria non eſſet, eis perſuadens ut in eam eſſent audaces, nec mori formidarent, ſed peccare. „ *Venit enim*, inquit, *princeps mundi hujus, & in me non habet quidquam: ſed ut cognoſcat mundus quia diligo Patrem, & ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.*

Mortem guſtavit, ut mortis metum nobis auferret.

*S. Chryſoſt. Hom. 4. in hanc Epiſt. Rom. 8.*

*Joann. 14.*

*Ut gratia Dei pro omnibus guſtaret mortem.* Incarnationis & Paſſionis Chriſti fructus in omnem creaturam quodam modo derivatus. „ Sola divina natura nullius indigebat: reliqua autem omnia opus habebant Incarnationis medicamento. Incarnatus enim Deus Verbum mortis potentiam diſſolvit: hac vero diſſoluta, reſurrectionem nobis pollicitus eſt. Reſurrectioni autem adjuncta eſt incorruptio & immortalitas: incorruptionem autem obtinebunt etiam ea quæ videntur. *Ipſa etiam creatura*, ait alibi Apoſtolus noſter, *liberabitur a ſervitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Angeli quoque perpetua lætitia afficientur, hominum ſalutem aſpicientes. Si enim gaudent propter unum peccatorem pœnitentiam agentem, multo magis tot millia ſalutem conſecuta cernentes, implebuntur lætitia. Pro omnibus ergo ſalutarem paſſionem ſuſtinuit. Sola enim divina natura hoc remedio non eget.

*Theodoret. in hunc locum.*

*Rom. 8.*

*Luc. 15.*

10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare.* Modus ſalvandi homines per paſſionem & mortem Jeſu Chriſti Filii Dei unigeniti, ſuprema Dei Majeſtate digniſſimus, Chriſto glorioſiſſimus, electis utiliſſimus. Eo magis elucefcit Dei magnitudo tali ac tanto digna ſacrificio: Juſtitia, cui tam copioſa & ſuperabundans exhibetur ſatisfactio; potentia, quæ longe ampliorem honorem ſibi reddi fecit ab homine Deo, quam illi ablatus eſſet ab homine peccatore: ſapientia, quæ tam efficax, tam excellens remedium morbo ex ſe inſanabili adinvenit, applicavit: ſanctitas, quæ ita peccatum odit, ut illud nec in Filio ſuo, qui omnium noſtrum iniquitates portare voluit ceu victima expiationis, reliquerit Deus impunitum: caritas erga nos infinita, quæ Auctorem vitæ pro noſtra ſalute morti tradidit. *Decebat eum.* Verbum Deus, per quem omnia facta ſunt, factus homo & creatura, *uſque ad paſſionem ſuam effectus eſt victima*, & ſacram humanitatem ſuam, aſſumtamque carnem in ſacrificium obtulit Deo Patri, ut principio & fini vitæ ſuæ, omniumque bonorum, quæ habuit ut homo. Omnia retulit ad Patrem, pro illis perennes gratias egit Patri, ut nos doceret omnia referre ad Deum, & perpetuo gratias agere, quia nihil habemus, niſi quod accepimus ab eo, *propter quem omnia, & per quem omnia.* Quid honorificentius quam ad mortem uſque pro juſtitia certare, quod Chriſtus fecit? Quid glorioſius, quam diabolum & mortem vincere, nomen ſuper omne nomen, regnum ſine fine per mortem conſequi; Eccleſiam ex omnibus gentibus colligere, ſanctificare, glorificare, ſecum in æternum regnaturam? *Qui multos filios in gloriam adduxerat.* Quid tandem electis utilius, quam illis & exemplum dare, & adjutorium mereri, ut ſibi ipſis renuntient, ut carnem ſuam & cupiditates cum Chriſto cruci configant, ut adverſus voluptatem invicte pugnent, ut crucem diligant & alacriter ferant, atque ita ſalutem operentur, & perveniant ad gloriam ac beatitudinem ſempiternam ea via quam Chriſtus Auctor ſalutis noſtræ præmonſtravit, aperuit, iniit, confecit? *Auctorem ſalutis eorum per Paſſionem conſummare.* „ Paſſiones ergo ſunt perfectio & cauſa ſalutis . . . . Carnem ergo ſuſcepiſſe, eaque ſuſcepta paſſum eſſe, eſt longe majus quam mundum ex nihilo produxiſſe. His verbis, *per paſſionem conſummare*, Apoſtolus oſtendit, eum qui pro fratrum ſalute procuranda patitur, non ſolum illis prodeſſe, ſed perfectionem conſequi, & gloriam promereri. *Majorem enim caritatem nemo habet, quam ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.*

Modus ſalvandi homines per mortem Chriſti Filii Dei unigeniti, ſuprema Dei Majeſtate digniſſimus.

*Tertullian.*

*S. Chryſoſt. Hom. 4. in hanc Epiſt.*



11. 12. 13. *Qui enim ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno omnes, propter quam cauſam non confunditur fratres eos vocare, dicens: Nuntiabo nomen tuum fratribus meis*, &c. Filius Dei unigenitus naturam noſtram aſſumſit, ut nos ſanctificaret, ut nos ad Deum, a quo exivit, per gratiam adoptionis reduceret, ut nos fraternitate ſua nobilitaret. O admirabilem Salvatoris humilitatem ac dignationem! O gloriam hominis inſperatam! Magnates, potentes, & divites ſeculi de conſanguineis plebeiis pauperibus & miſeris erubeſcunt, eorum præſentiam fugiunt, eos agnoſcere & complecti recuſant: *Hominis pauperis fratres oderunt eum.* Chriſtus Deo Patri æqualis, immortalis, omnipotens, Rex omnis creaturæ, non confunditur nos viles creaturas, peccatores, mortales, bonis omnibus deſtitutos, fratres ſuos vocare, nos ſuis divitiis augere, ſuam nobiſcum hereditatem communicare, ſui nos regni conſortes facere. In tanti recognitionem beneficii, proximos noſtros ad ejus agnitionem & amorem verbis & exemplis perducere ſtudeamus; regnum ejus propagare, quantum in nobis eſt, ſatagamus, ut boni milites: gloriam ejus ut finem unicum in omnibus operibus noſtris reſpiciamus, *Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ laudabo te.* In illo ſpem omnem fiduciamque noſtram collocemus, ut in Salvatore noſtro, ac Deo noſtro. *Ego ero fidens in eum.* Per opera mortificationis, pænitentiæ, & caritatis honoremus ſacrificium, quo nos in cruce pro nobis moriens ſecum obtulit Deo Patri, *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus.*

*S. Thomas. Lect. 3. Proverb. 19. 7.*

14. 15. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem, ut per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium, id eſt diabolum: & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* Pati & mori voluit Chriſtus, ut morte ſua diabolum mortis auctorem poteſtate ſua exueret, illumque juſtitia magis quam potentia debellaret. „ Quia enim non ita in primum hominem diabolus violentus extiterat, ut eum in partes ſuas ſine liberi arbitrii conſenſione transferret: ſic deſtruendum peccatum fuerat voluntarium, & hoſtis conſilium, ut dono gratiæ non obeſſet norma juſtitiæ. In totius igitur humani generis ſtrage communi unum ſolum fuit remedium ſub divinæ rationis occulto, quod poſſet ſubvenire proſtratis, ſi aliquis filiorum Adam, originalis prævaricationis alienus atque innocens naſceretur, qui ceteris exemplo prodeſſet & merito. Si pro peccatoribus ſola ſe opponeret deitas, non tam ratio diabolum vinceret quam poteſtas. Et rurſum, ſi cauſam lapſorum ſola ageret natura mortalium, non erueretur a conditione, quæ libera non eſſet a genere. Unde oportuit in unum Dominum Jeſum Chriſtum & divinam & humanam convenire ſubſtantiam. *Quia ergo pueri communicaverunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participavit eiſdem: ut per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum.* Ut autem juſtitia, non potentia Filius Dei diabolum debellaret, ipſa peccati ratio ſuadebat, quod deſtruere moliebatur. „ Cum enim diabolus vitio perverſitatis ſuæ factus ſit amator potentiæ, & deſertor oppugnatorque juſtitiæ; ſic enim & homines eum tanto magis imitantur, quanto magis neglecta vel etiam peroſa juſtitia potentiæ ſtudent, ejuſque vel adeptione lætantur, vel inflammantur cupiditate: Placuit Deo ut propter eruendum hominem de diaboli poteſtate, non potentia diabolus, ſed juſtitia vinceretur: atque ita & homines imitantes Chriſtum, juſtitia quærerent diabolum vincere, non potentia. Non quod potentia, quaſi mali aliquid fugienda ſit, ſed ordo eſt, quo prior eſt juſtitia. Nam quanta potentia poteſt eſſe mortalium? Teneant ergo mortales juſtitiam, potentia immortalibus dabitur. Chriſtus morte ſua diaboli in homines imperium deſtruxit, ne nos iterum hoſtis infenſiſſimi ſervituti ſubjiciamus. Debellatus eſt nequiſſimus tyrannus, ne illi arma ſubminiſtremus, membra noſtra, pravas cupiditates, conſenſum noſtrum, quo ſolo vinci poſſumus. Chriſtus paſſus & mortuus eſt ut diabolum vinceret: ne putemus nos illius victores eſſe poſſe, ſi in deliciis vivamus. Chriſtus mortuus eſt *Ut liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.* Metus ille quaſi catena duriſſima erat, ſervos Domino rebelles toto vitæ tempore conſtringens, quaſi carnifex peccatores crucians. Ad mortem damnati in Adamo, liberati a Chriſto; ne in ea perpetuo maneamus, illam

Chriſtus diabolum juſtitia magis quam potentia debellavit.

*S. Leo M. Serm. 2. & 8. in Nativit. Dom. & 5. De Paſſione.*

*S. Auguſt. lib. 13. De Trinitate, c. 13.*

Chriſtus morte ſua per mortis metum nos munivit.

M

illam minime timeamus . ,, Qui ſpe vivimus, & in Deum credimus, & Chriſtum paſſum eſſe pro nobis & reſurrexiſſe confidimus, in Chriſto manentes, & per ipſum atque in ipſo reſurgentes, quid recedere iſtinc de ſeculo nolumus? Ipſo Chriſto Domino & Deo noſtro dicente: *Ego ſum reſurrectio & vita; qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet: & omnis qui vivit & credit in me, non morietur in æternum.* ,, Si in Chriſtum credimus, fidem verbis & promiſſis ejus habeamus; & non morituri in æternum, ad Chriſtum, cum quo & victuri, & regnaturi ſemper ſumus, læta ſecuritate veniamus. Quod interim morimur, ad immortalitatem morte tranſgredimur: nec poteſt vita æterna ſuccedere, niſi hinc contigerit exire. Non eſt exitus iſte, ſed tranſitus, & temporali itinere decurſo, ad æterna tranſgreſſus. Quis non ad meliora feſtinet? Quis non mutari & reformari ad Chriſti ſpeciem, & ad cœleſtis gratiæ dignitatem venire citius exoptet? Quam ſtultus eſt hujus vitæ mortalis nimius amor! Mors cum impendere cœperit, ideo cavetur, ut diutius timeatur. Nam inter tot caſus fragilitatis humanæ, quam multæ mortes timentur, quarum cum una venerit, reſtat ceteras non timeri: & tamen fugitur una ut omnes timeantur. Quibus cruciantur doloribus, qui curantur a Medicis & ſecantur? Numquid ut non moriantur, ſed ut aliquanto ſerius moriantur. Multi cruciatus ſuſcipiuntur certi, ut pauci dies adjiciantur incerti, & nonnumquam ipſis doloribus victi continuo moriuntur, quos mortis timore ſuſcipiunt: & cum omnino non eligant vitam finire ne doleant, ſed dolere ne finiant, accidit eis ut doleant & finiant: non ſolum quia & ſanati utique vitam finiunt poſt dolores, quæ tantis pœnis comparata nec ſempiterna eſſe poteſt, quia mortalis eſt; nec diuturna, quia tota brevis eſt; nec de ipſo brevi ſpatio ſui ſecura, quia ſemper incerta eſt: verum etiam quod aliquando eam dolore finierunt, quam ne finirent, dolere voluerunt. Habet etiam hoc magnum malum, ac vehementer exſecrandum & horrendum nimius amor vitæ iſtius, quod multi dum volunt paulo diutius vivere, graviter offendunt Deum, apud quem eſt fons vitæ. Atque ita dum ab eis fruſtra, qui neceſſario futurus vitæ finis metuitur, illinc prohibentur, ubi ſine fine vivitur. . . Pudeat Chriſtianos mortem ſerviliter timere, & vitam brevem, miſeram, tentationibus & mille peccandi periculis obnoxiam nimium diligere, quos fides docet Chriſtum pro omnibus hominibus mortuum eſſe, *Ut per mortem deſtrueret eum qui mortis habebat imperium, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxii erant ſervituti.*

*S. Cyprian. De Mortalitate.*

*S. Aug. Epiſt. 137. alias 45. Ad Armentarium & Paulinam.*

16. *Nuſquam enim Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Cur non dixit Apoſtolus, Nuſquam Filius Dei naturam angelicam ſuſcepit, ſed noſtram? Cur uſus eſt hoc verbo, *apprehendit?* Metaphora ſumta eſt ab iis qui perſequuntur averſos, & omnia faciunt ut fugientes comprehendant, & reſilientes apprehendant. Ab ipſo enim fugientem humanam naturam, & procul fugientem (longe enim eramus) perſecutus, comprehendit. O benignitatem & caritatem incomprehenſam!

*S. Chryſoſt. Hom. 4.*

17. 18. *Unde debuit per omnia fratribus ſimilari, ut miſericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret peccata populi. In eo enim quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & eis qui tentantur, auxiliari.* Filius Dei nobis in natura, & in omnibus naturæ infirmitatibus ſimilis eſſe dignatus eſt: nos ei in omnibus virtutibus, quarum nobis exempla præbuit in Incarnatione, vita & morte ſua, ſimiles eſſe ſtudeamus: non ſimiles efficiamur jumentis inſipientibus per peccatum. Naturam noſtram aſſumſit Dei Filius, ut humanas expertus miſerias, miſericordiæ viſcera erga nos haberet: debemus & nos erga proximos & fratres miſericordia moveri, eorum infirmitatibus compati, afflictis condolere, cum flentibus flere, jacentibus condeſcendere, miſeris omnibus (quantum in nobis eſt) ope, conſiliis, precibus, ſolatio ſubvenire. *Ut miſericors fieret.* Filius Dei homo factus eſt ſimilis nobis, ut Sacerdos ſimul & victima pro nobis eſſet apud Deum, ac Sacerdotii ſui officia pro noſtrorum propitiatione & expiatione peccatorum fideliter impleret. *Et fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret peccata populi.* Hinc diſcite, Sacerdotes & Paſtores, qua fide, qua vigilantia, quo fervore, omnes Miniſterii veſtri partes implere, functiones omnes obire debeatis. Operam date, ut vitæ innocentia, precibus aſſiduis, quotidianis ſacrificiis, mortificatione carnis & ſpiritus, omni bonorum operum genere, propitiationem peccatorum populi a Deo impetretis. ,, Ex veſtrarum conſideratione miſeriarum diſcite aliorum miſereri. Sicut enim pura veritas non niſi puro corde videtur, ſic miſeria fratris verius miſero corde ſentitur. Sed ut ob alienam miſeriam miſerum cor habeas, oportet ut tuam prius agnoſcas: ut proximi mentem in tua invenias, & ex te noveris qualiter illi ſubvenias: exemplo ſcilicet Salvatoris noſtri, qui pati voluit, ut compati ſciret; miſer fieri, ut miſereri diſceret. Non quod ante miſereri neſciret, cujus miſericordia eſt ab æterno, & uſque in æternum: ſed quod natura ſciebat ab æterno, temporali didicit experimento. *In eo enim in quo paſſus eſt ipſe & tentatus, potens eſt & iis qui tentantur, auxiliari.* Si ergo ſe miſerum fecit, qui miſer non erat, ut experiretur quod & ante ſciebat, quanto magis tu, non dico ut te facias quod non es, ſed ut attendas quod es, quia vere miſer es; & ſic diſcas miſereri, qui hoc aliter ſcire non potes: ne forte ſi proximi malum conſideres, & tuum non attendas, movearis non ad miſerationem, ſed ad indignationem; non ad adjuvandum, ſed ad judicandum; non ad inſtruendum in ſpiritu lenitatis, ſed ad deſtruendum in ſpiritu furoris. Vos qui ſpirituales eſtis, *ait alibi Apoſtolus noſter*, hujuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis, conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. *Sacerdotes, Paſtores, Prælati, ſint* præ cunctis contemplatione ſuſpenſi, ſingulis compaſſione proximi: ut cum tentationum fluctus parvuli tolerant, ad Paſtoris mentem quaſi ad matris ſinum recurrant: & hoc quod ſe inquinari pulſantis culpæ ſordibus prævident, exhortationis ejus ſolatio ac lachrymis orationis lavent.

Incitanda Filii Dei miſericordia.

*S. Bernardus Tract. De Gradibus Humilit. c. 3. & 4.*

*Galat. 6.*

*S. Greg. M. Paſtoral. p. 2. c. 5.*

---

## C A P U T III.

### *Senſus Litteralis.*

1. 2. *Unde, Fratres ſancti, vocationis cœleſtis participes, conſiderate Apoſtolum & Pontificem confeſſionis noſtræ Jeſum; Qui fidelis eſt ei, qui fecit illum, ſicut & Moyſes in omni domo ejus.* Quamobrem, Fratres, non ſolum genere, utpote ex Abraham progeniti, ſed & fide; ſanctificati per baptiſmum; a Deo Patre, qui in cœlis eſt, per Spiritum ſanctum, ad cœleſtis regni hereditatem vocati, vocatione efficaci per fidem in Chriſtum; attente & diligenter conſiderate quis & quantus ſit Jeſus Chriſtus, Apoſtolus, Legatus & nuntius a Deo miſſus ad homines, maxime ad Hebræos, ad annuntiandam & dandam illis fidem, ſalutem, & pacem; idemque ſummus Sacerdos Religionis quam profitemur. Qui fidelis eſt Deo, qui conſtituit illum in utroque munere Apoſtoli & Pontificis: ſicut & Moyſes in totius Synagogæ, quæ Dei domus erat, ſive totius populi Iſrael ducatu & regimine fideliſſimus fuit.

*Num. 12.*

3. 4. *Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domus, qui fabricavit illam.* Sed Chriſtus Jeſus tanto ampliore gloria & honore dignus eſt habitus quam Moyſes, quanto majorem habet honorem is qui conſtruxit domum, quam ipſa domus. *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creavit Deus eſt.* Nulla namque domus ſe ipſam ædificat, ſed ab alio conſtruitur: Qui autem omnia conſtruxit, Deus eſt. Chriſtus Moyſen, & domum, cujus ille pars erat & membrum præcipuum, condidit, imo & mundum univerſum: Igitur longe major & excellentior, ampliorique honore dignior eſt quam Moyſes: ſiquidem opifex omnis opere ſuo major & præſtantior eſt.

Chriſtus Jeſus verus Deus, qui omnia creavit. Ariani & Sociniani conticeſcant. Chriſtus Jeſus Moyſe major & præſtantior.

5. 6. *Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo ejus tamquam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda erant.* Quod Moyſen ſpectat, Miniſter fidelis fuit ille in tota domo Dei, ut annuntiaret populo quæcumque illi Deus dicenda mandabat: Vel, in teſtimonium eorum, quæ a Chriſto & ejus Apoſtolis dicenda erant. Moſes enim typos tantum & umbras rerum afferebat, quas Chriſtus erat explicaturus, & carnalibus ſacrificiis ſacrificium Chriſti præfiguravit, legalibuſque ceremoniis Evangelio Chriſti teſtimonium perhibuit. *Chriſtus vero tamquam Filius in domo ſua.* Chriſtus vero ſupra domum ſuam auctoritatem habet, eamque regi ut Filius Dei unigenitus & Dominus omnium. *Quæ domus ſumus nos.* Et nos domus ejus ſumus, in quorum nempe cordibus per fidem habitat, *Si tamen fiduciam & gloriam ſpei uſque ad finem, firmam retineamus.* Si tamen firmam fiduciam qua feramur in bonum quod ſperamus: Vel, liberam & intrepidam profeſſionem veritatis, qua ſpes noſtra nititur, & exſpectationem gaudio plenam bonorum æternorum de qua palam gloriamur, uſque ad finem vitæ, per præclara virtutum opera conſervaverimus.

Græce, ὡς θεράπων tamquam famulus ſeu miniſter in domo aliena.

Hinc invicte probatur, fidem & juſtitiam ſemel habitam amitti poſſe nec teneri quemque Chriſtianum ad certo credendum ſe prædeſtinatum eſſe ad vitam æternam.





*Pſal. 95. Exod. 17. 7. Nu. 26. 13. 24.*

7. 8. 9. 10. 11. *Quapropter, ſicut dicit Spiritus ſanctus: Hodie ſi vocem ejus audieritis; nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione, ſecundum diem tentationis in deſerto, ubi tentaverunt me Patres veſtri, probaverunt, & viderunt opera mea.* Cum tantum honorem acceperitis ut Dei & Chriſti ſpiritualis domus conſeamini, cavete ne tanto honore excidatis: ſed, ſicut Spiritus ſanctus per Davidem dicit: Quotieſcumque vocem Chriſti per Apoſtolos & Miniſtros ſuos vos alloquentis auditu perceperitis, aut mente, corda veſtra ne obduretis reſiſtendo voci Domini vos ad obediendum fidei, mandatiſque ſuis excitantis & moventis: ſicut factum eſt a Patribus veſtris in deſerto, in loco qui vocatus eſt *Contradictio*, die quo murmurantes contra Moyſen, me tentaverunt, periculum facere volentes potentiæ meæ: & mirabilia quæ feci opera conſpexerunt. *Quadraginta annis: propter quod infenſus fui generationi huic, & dixi: Semper hi errant corde.* Quia potentiam meam tot modis explorarunt & tentaverunt, quamvis operibus tam admirabilibus ipſis patefactam, annis quadraginta populum iſtum cum faſtidio & moleſtia ſuſtinui: & dixi apud me: Hi ſemper pravis cordis ſui deſideriis abrepti extra viam mandatorum meorum feruntur. *Ipſi autem non cognoverunt vias meas.* Ipſi vero præ cæcitate cordis & obduratione inſiſtere noluerunt viis a me præſcriptis, mandata mea cognitione practica non cognoverunt, noluerunt intelligere ut bene agerent. *Sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.* Quibus iratus juravi per memetipſum, quod non introibunt in locum quietis a me promiſſæ, nempe in terram Chanaan, quæ regni cœlorum, in quo requies æterna Juſtis promiſſa eſt, typus extitit.

Hæc verba *Quadraginta annis*, ad præcedentem Verſum eruditis Interpretibus videntur referenda, Theodoreto præeunte. Alia lectio Pſalmi habet *proximus fui generationi huic*, quaſi tergo illorum imminens, ut eos pro meritis punirem.

12. 13. *Videte, fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis, diſcedendi a Deo vivo.* Cavete, fratres, ne umquam aliquis veſtrum incidat in pravitatem animi, & incredulitatem, qua deficiat a Deo vivo. *Sed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Sed vos invicem quotidie adhortamini ad conſtantiam in fide & ad perſeverantiam in obſervantia Legis Chriſti; & ad pœnitentiam*, ſi quis veſtrum lapſus ſit: mutuis, inquam, adhortationibus vos confirmate, & erigite, toto mortalis hujus vitæ tempore, quod Scriptura vocat hodiernum diem; ne quis ex vobis fallacibus concupiſcentiæ & peccati ſeductus illecebris, in duritiem cordis incidat.

*Exod. 17. 7.*

14. 15. *Participes enim Chriſti effecti ſumus: ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus.* Chriſto per fidem inſiti, & membra ejus facti ſumus: quod tum demum nobis proderit ad ſalutem, ſi fidem caritate formatam, quæ novæ in Chriſto creaturæ, ſeu vitæ ſpiritualis qua in Chriſto ſubſiſtimus, initium eſt, uſque ad finem vitæ firmam & inconcuſſam conſervaverimus. *Deum dicitur: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, quemadmodum in illa exacerbatione.* Interim dum nobis voce Prophetica dicitur: Hodie ſi Chriſti vocem auribus veſtris inſonantem, & intus mentibus veſtris loquentem perceperitis, ne obduretis corda veſtra, ne gratiæ ejus reſiſtatis: ſicut olim factum eſt quando Patres veſtri Moyſen ſervum meum exacerbaverunt, meque ad iracundiam concitaverunt, in deſerto Raphidim, in loco qui ab eventu vocatus eſt *Meribah*, id eſt, *Contradictio*.

Theodoretus legit per interrogationem. *Quinam enim audientes exacerbaverunt?* Sed Greci Codices melioris notæ, Theophylact. Oecumen. S. Hieronym. & omnes Latinæ verſionis Codices habent enuntiative, *Quidam enim audientes exacerbaverunt.*

16. *Quidam enim audientes exarcebaverunt, ſed non univerſi qui profecti ſunt ex Ægypto per Moyſen.* Quidam enim Iſraelitarum, cum Dei verba, quæ Moyſes ad illos referebat, audiviſſent, divinam Majeſtatem contradictionibus ſuis ac murmurationibus ad iram provocaverunt: ſed non omnes quos Moyſes eduxerat de Ægypto. Excipiendi enim Joſue, Caleb, Levitæ, mulieres plurimæ, & quicumque ſecundo anno ab exitu ex Ægypto, cum populus Dei juſſu recenſitus eſt, annum ætatis vigeſimum nondum attigerant; ut conſtat ex *Numerorum* cap. 14. Verſ. 19. collato cum cap. 1. Verſ. 5. & 47.

17. *Quibus autem infenſus eſt quadraginta annis? Nonne illis qui peccaverunt, quorum cadavera proſtrata ſunt in deſerto?* Quinam autem ſunt illi quos faſtidivit, & identidem caſtigavit per annos circiter quadraginta? Nonne illos qui peccaverant, & quorum corpora, ſecundum comminationem Dei, variis mortibus conſumta jacuerunt in ſolitudine?

Numerum rotandum 40. annorum per ſynecdochen ponit Apoſtolus, etſi paulo minus temporis fuerit.

18. 19. *Quibus autem juravit non introire in requiem ipſius, niſi illis qui increduli fuerunt?* Quinam vero ſunt illi, quibus Deus cum juramento minatus eſt, quod in terram Chanaam non introirent, quam illis ut locum quietis promiſerat? Niſi illi qui ejus promiſſis poſt tot & tanta miracula credere noluerunt, ejuſque mandatis rebelles fuerunt? *Et videmus, quia non potuerunt introire propter incredulitatem.* Et certo cognoſcimus ex Scriptura ſacra, illis aditum in ſedes illas quietas præcluſum fuiſſe, qui Dei promiſſis increduli, & ejus mandatis rebelles fuerunt.

Urget autem illud de *quadraginta annis*, quia par ſpatium Deus Judæis ad pœnitentiam poſt Chriſtum enectum præfinierat (inquit Vir Eruditus.)



---

## C A P U T III.

### *Senſus Moralis.*

1. *Unde, Fratres ſancti, vocationis cœleſtis participes, conſiderate Apoſtolum & Pontificem confeſſionis noſtræ Jeſum.* Quanta in hoc uno Verſu piarum conſiderationum ſeges. 1. Omnes Chriſtiani fratres ſumus. Si enim omnes homines fratres ſunt jure naturæ matris unius; *Quanto magis fratres, qui unum Patrem agnoverunt Deum, & eumdem biberunt Spiritum ſanctitatis, qui de uno ignorantiæ utero ad eamdem lucem expaverunt veritatis?* 2. Sancti ſunt Chriſtiani, Baptiſmi conſecratione, inſitione in ſanctam Eccleſiam, cujus caput Chriſtus eſt Sanctus ſanctorum, Sacramentorum, gratiæ & ſanctitatis fontium, communione; ſanctæ religionis & legis profeſſione. *Fratres ſancti.* 3. Chriſtianorum vocatio cœleſtis eſt ratione principii, quia vocati ſunt a Patre cœleſti; ratione medii, quia Chriſto mediante, qui de cœlo, & ſuper omnes eſt, & per Dei Gratiam mentes noſtras illuminantem & corda noſtra moventem ad credendum Evangelio & Myſteriis Chriſti; & ratione finis, quia non ad terrenam poſſeſſionem nos ducit Evangelium Jeſu Chriſti, ut Lex Moyſis, ſed ad regni cœleſtis hereditatem. *Vocationis cœleſtis participes.* ,, Siquidem vocationis cœleſtis participes ſumus, nihil in terra quæramus. Si ad cœlum vocati ſumus, illic eſt merces, illic remuneratio. 4. " Præcipuum Chriſtianorum ſtudium debet eſſe conſideratio Chriſti Jeſu, dignitatis ejus, officiorum ejus, caritatis ejus erga nos, beneficiorum ab illo nobis collatorum. *Conſiderate*, cum attentione diligenti, ſumma cum veneratione & adoratione, cum fide, ſpe, & amore gratum animum ſignificante, cum obedientia perfecta & perpetua *Apoſtolum & Pontificem confeſſionis noſtræ Jeſum*, Peccatorum noſtrorum maxima pars ex inconſideratione provenit. 5. Eccleſiæ Chriſtianæ ſupra Synagogam excellentia in eo promicat, quod Filium Dei incarnatum, Apoſtolum & Pontificem habeat: Apoſtolum, ut fidem, quæ illius fundamentum eſt, conſtituat, prædicet, confirmet. Pontificem, qui gratiam & dona Dei hominibus per Sacramenta communicet, hominumque officia & vota Deo per ſacrificium offerat, illumque populo propitium reddat. Audiamus cum debita reverentia & obedientia Apoſtolum fidei, quam profitemur, ad nos a Deo miſſum, nobiſque datum, qui veritatem omnem ad bene beateque vivendum neceſſariam docet. *Quod a Deo diſcitur, totum eſt.* Per pontificem noſtrum, qui & ad dexteram Patris ſedens ſeſe pro nobis offerre non deſinit, nos ipſos Deo offeramus, cui dignius & gratius offerri ſacrificium non poteſt, quam totus Chriſtus, caput & membra. Jam non vult ſacrificium trucidati pecoris, quale Aaronici Sacerdotes offerebant, ſed ſacrificium contriti cordis, *Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.* Noli extrinſecus pecus inquirere quod mactes, habes in te quod occidas, dominantem cupiditatem.

*Tertullian.*

Præcipuum Chriſtianorum ſtudium conſideratio Chriſti.

*S. Chryſoſt. Hom. 5.*

*Tertull. lib. De Anima cap. 2. S. Aug.*

*Pſalm. 50.*

2. 3. 4. 5. Moyſis in Miniſterio ſuo fidelitas, typus fuit fidelitatis Chriſti in annuntianda hominibus veritate & voluntate Patris ſui, in ea implenda & exequenda in omnibus; in redemptione generis humani per humiliationes, labores, paſſionem, & mortem, non gloriam ſuam quærentis, ſed ejus, qui illum miſerat, Patris. Hinc diſcant, Paſtores, Sacerdotes, Prædicatores, & Directores, Miniſtri Chriſti Domini, quam ſincera, quam incorrupta, quam conſtanti fide ſacrum Miniſterium obire debeant, a ſupremo fidei noſtræ Apoſtolo ac Pontifice illis concreditum, qui longe ampliore gloria dignus habitus eſt, quam Moyſes, ſive natura, ſive dignitas, ſive officium, ſive meritum ejus ſpectentur; qui domus illius, in qua Moyſes fidelis fuit, opifex & architectus eſt, Deus utriuſque Legis, Synagogæ & Eccleſiæ conditor & Dominus, Moyſis, omniumque hominum, ac totius Univerſi Creator. *Qui fidelis eſt ei, qui fecit illum, ſicut & Moyſes in omni domo ejus. Amplioris enim gloriæ iſte præ Moyſe dignus eſt habitus, quanto ampliorem honorem habet domus qui fabricavit illam.* Paſtores & Miniſtri Chriſti probent fidelitatem ſuam, annuntiando & prædicando hominibus veritatem, & voluntatem Dei ſincere, ſine fuco, integre, ſemper, ubique, & in omnibus; non propriam uti-

Miniſtrorum Chriſti fidelitas.

litatem, ſed ſalutem duntaxat animarum; non propriam gloriam, ſed ſolam Dei gloriam, ſolam regni Jeſu Chriſti propagationem quærentes: ut cum Apoſtolo noſtro dicere poſſint populo ſibi commiſſo:
Act. 20. 26. 27. *Conteſtor vos hodierna die, quia mundus ſum a ſanguine omnium. Non enim ſubterfugi, quominus annuntiarem omne conſilium Dei vobis*, &c. Moyſes fidelitate ſua meruit cum Chriſto comparari ut typus cum veritate. Caveamus ne infidelitate noſtra carnalibus Judæis comparemur. Moyſes veteris Teſtamenti Miniſter fuit, heres novi; timeamus ne ab hereditate cœleſti excludamur ut indigni & infideles Miniſtri Teſtamenti novi. Moyſes Pharaoni diſplicere non timuit, populi murmura & ſeditiones non formidavit, nullo humano reſpectu deterreri potuit quominus fideliter referret populo quæcumque Deus annuntiare jubebat, præcepta, promiſſa, minas. Paſtores & Miniſtros Chriſti nec timor, nec amor, nec ſpes, prohibere aut deterrere debent a veritatibus Fidei & Moralis Chriſtianæ docendis, prædicandis, propugnandis. *Et Moyſes quidem fidelis erat in tota domo ejus, tamquam famulus, in teſtimonium eorum quæ dicenda erant*. Ponderent Paſtores & Miniſtri
Ezechiel. 3. 17. 18. 19. 20. Domini divinum illud Oraculum: *Fili hominis, ſpæculatorem dedite domui Iſrael: & audies de ore meo verbum, & annuntiabis ei ex me. Si dicente me ad impium, Morte morieris: non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ut avertatur a via ſua impia &*
S. Hieron. in hunc locum Ezechiel. *vivat: ipſe impius in iniquitate ſua morietur; ſanguinem autem ejus de manu tua requiram*, &c. Quidam Dei ſermones tacent propter timorem, alii propter pigritiam & indolentiam, alii propter adulationem. Quocumque modo fiat, infidelis Miniſter eſt, & prævaricator, qui tacet, ubi de gloria Dei, de Eccleſiæ bono, de animarum ſalute agitur. Unde &
Iſai. 6. 5. Iſaias ait: *Væ mihi miſero, quia tacui*.

6. *Chriſtus vero tamquam Filius in domo ſua: quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriam ſpei uſque ad finem firmam retineamus*. Audiendi Paſtores, qui Dei voluntatem nobis annuntiant, ſed tota
Fiducia in Chriſto Jeſu. fiducia noſtra in Chriſto Jeſu ponenda eſt; qui ſuam, Patriſque voluntatem in nobis implet. Domus illius ſumus. In cordibus noſtris per fidem vivam inhabitat. Demus operam ut in iis dominetur, Myſtica illa domus bene fundata ſit, bene diſpoſita, ornata, tanto digna Domino: vigilemus, ne in eam expulſus olim redeat Nequitiæ Spiritus. Nihil immundum in eam inferri ſinamus. Fiduciam in gratia Salvatoris noſtri perfectam habeamus, noſtris ſemper viribus
Chriſti domus ſumus. diffidentes. Spem bonorum cœleſtium & æternorum inconcuſſam uſque ad finem vitæ retineamus, eaque confirmemur in omni opere bono, ut nec mundus, nec diabolus, nec ulla creatura, nec ambitio, nec avaritia, nec voluptas, nec timor, nec ulla prava cupiditas, nec proſpera, nec adverſa poſſint nos ab officio noſtro deterrere, & ſeparare a caritate Dei, quæ eſt in Chriſto Jeſu. Nihil certe nobis proderit, domum Chriſti aliquando fuiſſe, niſi in fide, ſpe, caritate, & mandatorum Dei obſervantia ad finem uſque vitæ perſeveremus. In Chriſtianis enim non coronantur initia, ſed finis. Fundatiſſimam Chriſti domum quis dixerit homines qui credunt quidem, ſed in tempore tentationis recedunt? Hi tabernaculo ſimiles, potius quam domui: temporales ſunt, facile mobiles, inconſtantes. *Quæ domus ſumus nos, ſi fiduciam, & gloriam ſpei uſque ad finem firmum re-*
Theophylact. *tineamus*. Præclare dixit Apoſtolus, *Fiduciam & gloriationem ſpei*. „ Firmiter enim quiſpiam ſperans „ futuram compenſationem, jam inde gloriatur, ceu „ quæ ſperarit, præſto ſint, nec animo dejicitur; ſed „ fiduciam potius habet, ſi quando affligatur propter „ dilectum ſibi Chriſtum.

7. 8. 9. 10. 11. *Quapropter, ſicut dicit Spiritus ſanctus: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, &c. Quoties, quot modis, quamdiu nos monet Chriſtus per Evangelium ſuum, per Miniſtros ſuos & Paſtores noſtros, per ſecretas inſpirationes, per Sanctorum exempla, per iterata beneficia, per afflictiones & flagella, ut ad illum redeamus, & pœnitentiam agamus? Et quis vocem ejus audit? Audimus, ſed corde judaico, obdurato, infideli, contradicente, contumaci. Beneficiorum Dei obliviſcimur, quæ longe majora nobis contulit, quam Judeis; promiſſis ejus diffidimus, contra divinam Providentiam in adverſis murmuramus: Deum novis ſemper peccatis exacerbamus; toto vitæ noſtræ tempore in terra ceu in deſerto erramus, per ſemitas iniquitatis & perditionis; vias mandatorum Dei, arctam viam Evangelii, quæ ducit ad vitam, ignoramus; patientia Dei abutimur: quid ſupereſt, niſi ut ab ejus requie in æternum excludamur, & ejus iræ ac furoris victimæ ſimus? *Et dixi: Semper hi*
S. Auguſt. in Pſal. 64. n. 15. *errant corde. Ipſi autem non cognoverunt vias meas, ſicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam.* „ Qui ad tonitru adeo terribile non timet, non vi„ vit, ſed mortuus eſt. Loqui Dominum magnum „ eſt, quanto magis jurare Deum? Jurantem ho„ minem debes timere, ne propter jurationem faciat „ quod contra voluntatem ejus eſt; quanto magis „ Deum, qui nihil temere jurare poteſt? Per ſemet„ ipſum confirmat promiſſa ſua, per ſemetipſum con„ firmat minas ſuas. Nemo dicat in corde ſuo, „ Verum eſt quod promittit, falſum eſt quod mi„ natur. Sicut verum eſt quod promittit, ſic cer„ tum eſt quod minatur. Tam certus eſſe debes de „ requie, de felicitate, de æternitate, de immortali„ tate, ſi feceris præcepta ipſius, quam certus eſſe „ debes de interitu, de ardore ignis æterni, de „ damnatione cum diabolo, ſi contemſeris præ„ cepta ejus. *Sicut juravi in ira mea: Si introibunt* „ *in requiem meam*. Qui autem in illam requiem intrabunt? Populus ejus, & oves manus ejus: Oves quæ aſcenderunt de lavacro; omnes gemellis fœtibus dilectionis Dei & proximi, boniſque operibus ex gemina illa dilectione profectis fœcundæ; & ſterilis non eſt inter eas: oves manus ejus dexteræ, populus acquiſitionis, qui vocem ejus audit, qui ejus vocationi, admonitionibus & mandatis obdurato corde non reſiſtit; Quia *Non repellet Dominus plebem ſuam*.

12. 13. *Videte, fratres, ne forte ſit in aliquo veſtrum cor malum incredulitatis, diſcedendi a Deo vivo; Sed adhortamini voſmetipſos per ſingulos dies, donec Hodie cognominatur, ut non obduretur quis ex vobis fallacia peccati*. Pravum cor hominis, & inſcrutabile, & quis cognoſcet illud? Probet tamen unuſquiſque & examinet cor ſuum, fidem ſuam interroget. Heu, quam modica, quam infirma, quam vacillans, quam ſterilis in maxima parte Chriſtianorum! Quam proximi ſunt incredulitati! Tenent doctrinam fidei, ſed vitam fidei rejiciunt; gloriantur in malitia, potentes ſunt in iniquitate, pro nihilo ducunt diſcedere a Deo vivo. Gradus ſunt in peccatis; dum peccato non reſiſtitur, fit conſuetudo peccandi. Habitus & conſuetudo peccandi; neglectuſque gratiarum, earum ſubtractatione a Deo puniuntur, ex ſubtractione gratiarum oritur durities cordis; ex duritie incredulitas: „ & quomodo corpora quæ occaluerunt, & duri„ tiem contraxerunt, non cedunt manibus Medico„ rum, ita etiam induratæ animæ non cedunt ver„ bo Dei. Noſmetipſos adhortemur ſeria meditatione & conſcientiæ diſcuſſione, familiares & proximos piis colloquiis & ſanctis exemplis: (Chriſtiana enim converſatio, animata exhortatio eſſe debet) idque non ſemel, vel infrequenter, aut perfunctorie, ſed *per ſingulos dies, donec Hodie cognominatur*, toto vitæ præſentis tempore, quæ inſtar unius diei eſt cito tranſituræ, poſt quam venit nox, in qua nemo poteſt operari. Hæc dies ad beatam æternitatem promerendam nobis data eſt. Angelis inſtans unum datum eſt ad ſalutis ſuæ negotium, nobis totum vitæ tempus; *donec Hodie cognominatur*. Agamus igitur quod nobis agendum eſt, ex quo ſors noſtra, felix, vel miſera in æternum pendet. Tranſeunt dies ſalutis, & nemo recogitat. Caveamus ne obduretur quis ex nobis fallacia peccati, illuſionibus mundi, ſeductionibus diaboli, cupiditatum illecebris, veritatem & viam juſtitiæ nobis abſcondentibus offuſa in animis noſtris caligine. Vita improba parit incredulitatem: incredulitas obſtinationem in malo. *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*. Qui autem contemnit, is neque credere ſuſtinet. Ex peccatis ergo multiplicatis incredulitas, quæ & ipſa magnum peccatum eſt, & peccatorum mater multorum. Dicit enim impius: „ Non videbit Domi„ nus, nec intelliget Deus Jacob. *Et*, Exacerbavit „ Dominum peccator; ſecundum multitudinem iræ „ ſuæ non quæret, Non eſt Deus in conſpectu „ ejus: inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. „ Auferuntur judicia tua a facie ejus . . . . . . . . . „ Dixit in corde ſuo: Oblitus eſt Deus, avertit fa„ ciem ſuam, ne videat in finem . . . . . . Propter „ quid irritavit impius Deum? Dixit enim in corde „ ſuo; " Non requiret. *Hæc eſt inclinatio & caſus* „ miſerrimus, dum animus humanus in ſuis iniqui„ tatibus quaſi proſperatur, & parci ſibi putat; „ cum excæcetur, & ſervetur ad ultimam opportu„ namque vindictam.

Gradus in peccatis, quibus ad duritiem cordis pervenitur.
S. Chryſoſt. Hom. 6.
Proverb. 18. 3.
Pſalm. 93. 7.
Pſalm. 9. 25. 26. 34.
S. Auguſt. in Pſal. 9. N. 29.

14. *Participes enim Chriſti effecti ſumus: ſi tamen initium ſubſtantiæ ejus uſque ad finem firmum retineamus*. Quantum nobis horrorem peccati incutere debet hujus veritatis meditatio! Participes Chriſti facti ſumus per ſanctum baptiſma, unum effecti ſumus nos & ipſe, ſiquidem ipſe caput; nos autem corpus; *coheredes & concorporales*. Unum corpus ſumus ex carne ejus, & oſſibus ejus. Sancti
S. Chryſoſt. Hom. 6.

ergo



In nobis eſt ut perſeveremus in bono, tametſi non ex nobis.
ergo eſſe debemus, ſicut & ipſe ſanctus eſt. De Sacramentorum ejus, Fidei ejus, gratiæ ejus participatione fruſtra gloriamur, niſi ſecundum Evangelium vivamus, & in Chriſtiana juſtitia, boniſque operibus perſeveremus *uſque ad finem*. In Chriſto per fidem ſubſiſtere, ſanguine Chriſti ablutos eſſe, Spiritu ejus animatos, ejus Corpore nutritos, ejus doctrina illuminatos, ejus gratia roboratos, æternæ beatitudinis pignore donatos, rudimenta ſunt dumtaxat & inchoationes æternæ communicationis noſtræ cum Chriſto, *Initium ſubſtantiæ ejus*. Cur Chriſto firmiter non adhæremus? Cur terrena diligimus & ſectamur? Cur umbras perſequimur & vanitates, relicta veritate; inſanias relicta ſapientia: corruptibilia & temporalia, relicta beata immortalitate & æternitate? In nobis eſt, licet non ex nobis, ut *Initium ſubſtantiæ ejus uſque in finem firmum retineamus*. „ Qui
Theophylact. Concil. Trid. Seſſ. 6. c. 13. „ adeo nos dilexit: ut nos corpus ſuum faceret, „ haud ſinit nos a ſe divelli, ſi modo nos in ipſo „ manere velimus: & niſi illius gratiæ defuerimus, „ ſicut cœpit in nobis opus bonum, ita perficiet, „ operans velle & perficere. Verumtamen qui ſe „ exiſtimant ſtare, videant ne cadant, & cum ti„ more ac tremore ſalutem ſuam operentur in labo„ ribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus, „ & oblationibus, in jejuniis & caſtitate. Formi„ dare enim debent, ſcientes quod in ſpem gloriæ, „ & nondum in gloriam renati ſunt, de pugna „ quæ ſupereſt cum carne, cum mundo, cum dia„ bolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi eum „ Dei gratia Apoſtolo obtemperent dicenti: *Debitores*
Rom. 8. *ſumus, non carni, ut ſecundum carnem vivamus; ſi enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: Si autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*.

15. *Dum dicitur: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra, quemadmodum in illa*
Quam timendæ cordis durities. *exacerbatione*. Vocem Dei nobis hodie in miſericordia ſua loquentis audiamus, eique obediamus; ne forte cras ſileat, & contineat in ira ſua miſericordias ſuas. Inobedientia, oblivio beneficiorum Dei, recordatio & concupiſcentia falſarum Ægypti deliciarum, faſtidium panis cœleſtis, murmuratio, impatientia, incredulitas, Judæos ad cordis obdurationem perduxerunt: Caveamus ne iiſdem gradibus in eam prolabamur. Quæris, quid eſt cor durum? „ Si „ non expaviſti, tuum eſt. Solum eſt cor durum,
S. Bern. lib. 1. De Conſid. c. 2. Ezech. 36. „ quod ſemetipſum non exhorret, quia nec ſentit. „ Quid me interrogas? Interroga Pharaonem. Nemo „ duri cordis ſalutem umquam adeptus eſt, niſi „ quem forte miſerans Deus *abſtulit ab eo cor lapideum, & dedit cor carneum*. Quid ergo cor durum? . . . „ Ipſum eſt quod nec compunctione ſcin„ ditur, nec pietate molitur, nec movetur preci„ bus: minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum „ ad beneficia eſt, ad conſilia infidum, ad judicia „ ſævum, inverecundum ad turpia, impavidum ad „ pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad „ divina, præteritorum obliviſcens, præſentia ne„ gligens, futura non providens. Et ut brevi cun„ cta horribilis mali mala complectar, ipſum eſt quod „ nec Deum timet, nec hominem reveretur. Si tantum malum ſummo Pontifici, in ſancta Congregatione inſtituto, inter Pontificatus occupationes tam varias timebat ſanctus Bernardus: quanto magis illud timere debet pars maxima Chriſtianorum totum vitæ ſuæ tempus in ſecularibus occupationibus conſumentium, quæ non ſunt niſi afflictio ſpiritus, eviſceratio mentis, evacuatio gratiæ; & quorum fructus ſunt aranearum telæ? Quanto magis adhuc tantum malum timendum eſt eis, qui totum illud tempus, quod *Hodie* cognominatur, terunt in otio, & voluptatibus ſeculi, & de annis æternis non cogitant?

---

## C A P U T IV.

### *Senſus Litteralis*.

*Pollicitatio* pro re promiſſa hic poſita eſt, ſicut ſpes & fides interdum pro rebus quæ ſperantur & creduntur. Verti poteſt, *Non contemperatus fidei*, ſumpta metaphora a pharmacis, quæ hauſta nocent potius quam proſint, niſi fuerint ante temperata.

1. 2. T*Imeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, exiſtimetur aliquis ex nobis deeſſe*. Cum videamus tam multos ex Iſraelitis de Ægyptiaca ſervitute a Moyſe liberatis, a requie promiſſa, nempe a terra Chanaan, fuiſſe repulſos propter incredulitatem, timeamus, & timendo præcaveamus, ne quis noſtrum neglecta cœleſti hereditate, in qua Deus æternam quietem & felicitatem nobis promiſit, ab ea inveniatur excluſus. „ Etenim & nobis nuntiatum eſt, quemad„ modum & illis: ſed non profuit illis ſermo audi„ tus, non admiſtus fidei ex iis quæ audierant. Nobis enim vero æternæ illius hereditatis & quietis promiſſio annuntiata eſt a Chriſto, ſicut & illis annuntiata eſt a Moyſe in typo quietis temporalis in terra Canaam fruendæ. Sed non profuit illis verbum Dei Terram illam promittentis, quod ex ore Moyſis audiverunt, cum non eſſet conjunctum cum fide in illis qui audierant.
Pſalm. 95.

3. 4. 5. *Ingrediemur enim in requiem, qui credidimus: quemadmodum dixit: Sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab inſtitutione mundi perfectis*. Nos vero qui credidimus Evangelio fide per dilectionem operante, mandatis evangelicis obedientes, ingrediemur in requiem cœleſtem æternamque a Deo promiſſam fidelibus, quemadmodum dicit Deus per Davidem: Sicut juravi in ira mea, quod numquam in requiem meam intrabunt illi, qui verbis meis non crediderunt, nec mandatis meis obedientes fuerunt. Ex quo ſequitur, credentes & obedientes, atque in fide ac obedientia perſeverantes, ad requiem a Deo promiſſam admittendos. Quia vero triplex eſt requies in Scripturis ſacris nominata, prima quidem diei ſeptimæ, qua Deus ab operibus ſuis requievit, cujus in memoriam Sabbati requies inſtituta eſt: ſecunda, Terra promiſſionis: tertia vero Regnum cœlorum: de tertia illa quiete Prophetæ oraculum Apoſtolus intelligendum eſſe docet. Si enim revera alia quies non eſt, cur iis qui ſecundam acceperunt denuntiat ne corda obdurent, & minatur ſupplicium, eorum exemplo, qui ſecundam contempſere, propoſito? Quod vero de illa requie non loquatur David qua Deus requievit ab operibus ſuis poſt mundi conſtitutionem, operumque ſuorum perfectionem, manifeſtum eſt, cum illa Davidem multis ſeculis anteceſſerit. *Dixit enim* Spiritus ſanctus *in quodam loco* Geneſis *de die ſeptima ſic: Et requievit Deus die ſeptima ab omnibus operibus ſuis: Et in iſto rurſum*, nempe in Pſalmis: *Si introibunt in requiem meam*. Id eſt, quamvis primam illam quietem noſſet Propheta, aliam nihilominus pollicetur.
Theodoretus.
Geneſ. 2.
Pſalm. 94. 11.

6. 7. *Quoniam ergo ſupereſt introire quoſdam in illam, & is quibus prioribus annuntiatum eſt, non introierunt propter incredulitatem, iterum terminat diem quemdam, Hodie, in David dicendo, poſt tantum temporis, ſicut ſupra dictum eſt: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Quia ergo futurum eſt ut quidam homines in requiem illam a Deo promiſſam introeant, quos nimirum illius poſſeſſores fore decrevit; & ſi quibus primum annuntiata eſt in figura, non introierunt in terram Canaan, quæ typus erat cœleſtis patriæ, & a requie promiſſa exciderunt, in deſerto mortui, propter incredulitatem: Deus, poſt tantum temporis, quantum fluxit a Moyſe uſque ad Davidem, hoc eſt, poſt annos pene quingentos, iterum præfinit diem quemdam, *Hodie*, quo totum vitæ præſentis tempus deſignatur, dicens per Davidem: *Hodie ſi vocem ejus audieritis nolite obdurare corda veſtra*. Quo die laborare poſſunt homines ut ad illam requiem perveniant.

8. 9. *Nam ſi eis Jeſus requiem præſtitiſſet, numquam de alia loqueretur, poſthac, die*. Nam ſi Joſue iis, quos in terram Canaam introduxit, veram, plenam, & perfectam requiem præſtitiſſet, poſt quam alia requies populo Dei exſpectanda non eſſet, numquam certe Spiritus ſanctus per Davidem aliam quietis diem promitteret, ad quam fideles aſpirare debent. *Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei*. Vera igitur & perfecta requies reſervata eſt populo Dei in futuro ſeculo.
Nomen figuræ pro re ſignificata uſurpatur. Nam Sabbatum Moſaicum typus erat quietis æternæ quam fideles poſt hanc vitam exſpectant.

10. 11. *Qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus; etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, ſicut a ſuis Deus*. Qui enim ingreſſus eſt in beatam illam requiem, quam Deus electis ſuis paravit, etiam ipſe requieſcit a laboribus ſuis, ſicut Deus die ſeptima requievit poſt operum ſuorum productionem. *Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem: ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum*. Studeamus igitur & enitamur per fidem vivam & obedientem Dei mandatis exhibendam, ut æterna illa requie fruamur: ne quis noſtrum incidat in inobedientiam & contumaciam illi ſimilem, in quam veteres illi Iſraelitæ in deſerto inciderunt.
Per metaphoram ea quæ ſunt corporis applicat animo.
Proverb. 26. 27. *Lucerna Domini*, id eſt verbum ſive lex Domini, *inveſtigat omnia ſecreta ventris*.

12. 13. *Vivus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis*. Verbum Dei non eſt otioſum, aut actionis expers, ut res inanimatæ; non eſt irritum, nec fruſtratur effectu, ut noſter ſæpe ſermo; ſed vim ſuam exerit; tam in reddendis præmiis quæ promiſit, quam in ſuppliciis inferendis quæ comminatus eſt. Chriſti ſermo vim habet penetrandi animos & conſcientias hominum majorem gladio ancipiti, ſeu ex utraque parte acuto. Intima quæque & abditiſſima penetrat, diſcernit, judicat, ſentientis & intelligentis appetitus motus omnes & affectus: & ſicut Le-
De Filio Dei Verbo Patris ſubſiſtente, totum hunc locum intelligunt S. Cyrillus *lib. 2. in Joan.* S. Ambroſ. *lib. 4. De Fide*, cap. 7. & alibi, Oecumen. & S. Thom. *Lect. 3.*

vita-

vitarum cultri pertingunt ad minima & intima victimarum, quales ſunt nervi & medullæ; ſic & verbum Dei & intima & minima animi penetrat, in eaque agit Dei virtute illi impreſſa, qui cogitationes & intentiones cordium ſcrutatur, diſcernit, examinat, dijudicat. *Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus*. Et nihil eſt quod non ſit ipſi conſpicuum & manifeſtum: *Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus, ad quem nobis ſermo*. Omnia autem patent ejus oculis, de quo nobis eſt ſermo, ſcilicet Chriſti Dei. Vox Græca, τετραχηλισμένα, quem noſter Interpres vertit, *aperta ſunt*, metaphorica eſt, translatione ſumpta ab ovibus quibus pellis eſt detracta. Nam ſicut illis in cervicem reſupinatis, ſive cultrum per cervicem recipientibus, atque jugulatis, detracta de hinc pelle omnia interiora revelantur: ſic & Deo cuncta ſunt perſpicua. Vide S. Chryſoſtomum *Homil.* 7. Theophilactum, & Oecumenium.

Jeſus Chriſtus verus Dei Filius, Pontifex maximus Novæ Legis.

14. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cælos, Jeſum Filium Dei, teneamus confeſſionem*. Habentes ergo Pontificem Aarone & ejus ſucceſſoribus longe majorem, Jeſum Filium Dei, qui non in Sancta ſanctorum typica penetravit ut illi, ſed cœlos pervaſit, qui per illa ſignificabantur, nobiſque ſpem fecit illuc ipſum ſequendi; perſeveremus in fide quam profeſſi ſumus.

15. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris; tentatum autem per omnia, pro ſimilitudine, abſque peccato*. Ne tanti Pontificis Majeſtas nos deterreat ab ejus acceſſu: Is enim eſt qui ad ſubveniendum miſeriis noſtris, animarum noſtrarum languoribus, & vulneribus ſit propenſiſſimus: utpote qui miſerias omnes ſit expertus, quæ naturam mortalem generatim conſequuntur, ſicut & nos, excepto tamen peccato, & iis quæ gratiæ unionis hypoſtaticæ, & capitis dignitati repugnant, quales ſunt ignorantia, concupiſcentia, & ad bonum agendum difficultas, naturæ corruptæ vulnera. Ita mala noſtra in ſe ipſo expertus eſt, ut nihil eorum quæ paſſus eſt, & quibus tentatus, illum inducere potuerit in peccatum.

*Theodoret.*
*Pſal.* 44.

16. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*. Accedamus ergo ad Chriſtum ſedentem ad dexteram Patris, & pro nobis interpellantem, quatenus Mediator & Advocatus noſter eſt, de quo nihilominus dictum eſt: *Thronus tuus, Deus, in ſeculum ſeculi*. Accedamus (inquam) ad eum, qui ad gratiam nobis faciendam paratus eſt, cum ingenua libertate petendi, & cum fiducia obtinendi per ipſum & ab ipſo quodvis bonum ad ſalutem nobis neceſſarium & utile: ut miſericordiam conſequamur & gratiam, qua maxime indigemus.

---

## C A P U T IV.

*Senſus Moralis.*

Timendum & ſollicite cavendum ne ab æterna requie excidamus.

1. 2. T*Imeamus ergo, ne forte relicta pollicitatione introeundi in requiem ejus, exiſtimetur aliquis ex nobis deeſſe*. Nemo ſeipſum perículoſa ſecuritate decipiat. Inter hoſtes & mille ſalutis diſcrimina verſantibus ſemper timendum eſt timore caſto, vigilique ſollicitudine, ne Deum offendamus. Voluntati noſtræ, viribuſque propriis diffidamus: a ſalutis noſtræ hoſtibus, a tentationibus & inſidiis diaboli, a mundo, a carne noſtra, a cupiditatibus noſtris metuamus, caveamus. Jus habemus ad cæleſtem hereditatem, ad perfectam & æternam requiem nobis a Deo promiſſam, ut filii ejus adoptivi per Baptiſmi gratiam effecti. Verum ſi derelicta promiſſione divina per infidelitatem, aut vitæ pravitatem, ſeu per ignaviam vel inconſtantiam neglecta, gratiæ Dei defuerimus; ſi vitæ hujus curæ & quietis carnalis amor, promiſſorum Dei, bonorumque cœleſtium memoriam in nobis deleverint, eorumque amorem, & ad illa perveniendi ſollicitum ſtudium extinxerint, ab æterna illa requie certo certius excidemus. Nobis annuntiatur quotidie divina illa promiſſio in Evangelio ſalutis, non ſub figuris & involucro beneficiorum temporalium, & terræ lacte & melle fluentis, ſed immediate, & perſpicue; non ab homine puro, Dei miniſtro, qualis erat Moyſes; ſed a Jeſu Chriſto Dei Filio. Sed quemadmodum veteribus illis Iſraelitis nihil profuit ſermo Dei auditu ſolo exceptus, & cum fide minime conjunctus: ita nobis multo minus proderit quotidiana ſeu frequens auditio verbi Dei & Evangelii, niſi illud cum fide contemperemus, & velut cibum divinum in ſubſtantiam animæ noſtræ convertamus, ut vitale quoddam bonorum operum principium. *Etenim & nobis nuntiatum eſt, quemadmodum & illis; ſed non profuit illis* „ *ſermo auditus, non admiſtus fidei ex iis quæ audierunt*. Profeſſus eſt nobis David aliam eſſe quie- „ tem, ait Apoſtolus: ſtudeamus ergo hanc aſſequi, „ ne illis ſimilia nobis accidant. Non ſufficit enim „ ad ſalutem verbi Dei auditio, ſed oportet cum „ fide ſuſcipere, & firmiter ſervare. Quid enim juvit „ Dei promiſſio eos qui hanc audierunt, nec fideli- „ ter ſuſceperunt; & in Dei potentia & bonitate „ fiduciam non collocarunt, & Dei verbis velut commixti non fuerunt, nec penitus imbiberunt, ut velut inſitum atque permixtum, ex anima revelli numquam poſſet?

*Theod. in Comment.*

Nihil prodeſt fides quæ cor non mundat & rectum non facit.

3. 4. 5. *Ingrediemur enim in requiem nos qui credidimus: Quemadmodum dixit: Sicut juravi in ira mea: Si introibunt in requiem meam: & quidem operibus ab inſtitutione mundi perfectis*. Fides clavis eſt cœli, non quæ ſterilis eſt & otioſa, ſed caritate animata, bonis operibus nutrita, mortificatione ſenſuum & carnalium cupiditatum perfecta. Nihil prodeſt credere, niſi cor fide mundetur, & rectum fiat, Deo tanquam incommutabili regulæ adhærens. *Fides præveniente & vocante miſericordia Dei, per obedientiam ſuſcitatur* (inquit S. Auguſtinus) *& applicare incipit ad Deum cor ut dirigatur, ut quanto magis magiſque dirigitur, tanto magis videat, quod non videbat, & veleat quod non valebat*. „ Nihil prodeſt ad ſalu- „ tem fides quæ cor non dirigit, cum ſcilicet ea „ quæ præcipiuntur, forinſecus fiunt ab hominibus, „ qui mallent non præcipi, quæ non ex corde fa- „ ciunt, & tamen faciunt; ac per hoc quaſi viden- „ tur ambulare in lege Dei, ſed nolunt ambulare: „ non enim ex corde faciunt. *Ex corde autem nullo modo fieri poteſt, quod formidine ſit pœnæ, non dilectione juſtitiæ*. Nam quantum attinet ad facta quæ fo- „ rinſecus aguntur, & qui timent pœnam, & qui „ amant juſtitiam, non furantur; & ideo *pares ſunt manu, diſpares corde; pares opere, diſpares voluntate*. De Chriſtianis ſic affectis, & ita ſe gerentibus dici poteſt, quod de veteribus illis Iſraelitis a Terræ promiſſæ ingreſſu excluſis ait Pſalmiſta: *Non cuſtodierunt teſtamentum Dei, & in lege noluerunt ambulare.... Generatio quæ non direxit cor ſuum: & non eſt creditus cum Deo ſpiritus ejus. Et obliti ſunt benefactorum ejus, & mirabilium ejus, quæ oſtendit eis*. In Dei requiem ingrediemur, ſi fideles ei fuerimus, non ſolum credendo quæ dixit, & ſperando quæ promiſit, ſed agendo & implendo quæ præcepit. Non ingreſſus eſt Deus in requiem ſuam, niſi poſt operum ſuorum perfectionem. *Operibus ab inſtitutione mundi perfectis*. Ne igitur nos in eam introducendos præſumamus, niſi opus conſummaverimus quod nobis dedit faciendum, mandatis illius in omnibus obedientes, ex caritate, & omnia vocationis noſtræ, ſtatus, & conditionis officia fideliter propter unam ejus gloriam implentes. Deus quaſi exit a ſe ipſo per operum ſuorum creationem: quaſi ad ſe ipſum redit per eorumdem operum ordinationem & relationem ad ſe ipſum velut ad finem ultimum ſuæ perfectionis. *Omnia* enim *propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. Omnes requiem amant, requiem quærunt, ſed non requiem Dei. „ Duplex eſt re- „ quies (ait S. Thomas) una in bonis exterioribus; „ & ad iſtam egreditur homo a requie mentis: alia „ eſt in bonis ſpiritualibus, quæ eſt intima, & ad „ iſtam ingreditur. *Ingrediemur in requiem, qui cre-* „ *didimus*. In requiem Dei ingredi jam incipiamus, ab omnibus creaturis, & a nobis ipſis nos ſeparantes; peccato & omnibus affectibus, atque occaſionibus ad illud inducentibus, ex animo renuntiantes, ut Deo adhæreamus. Ad eum referamus omnes cogitationes noſtras, omnes affectus, omnia deſideria, ſermones omnes, univerſa opera: Id agens, Chriſtiane frater, *Requieſces, & non erit qui exterreat*. Quæ enim ſuavior quies in hac vita, quam bonæ conſcientiæ tranquillitas, quam unio cum Deo, quam futuræ beatitudinis prægustatio?

*S. Auguſt. in Pſ.* 77. *N.* 10.

*Pſal.* 77. 10. 7. 11.

Ingreſſus in requiem Dei quibus datur?

*S. Thomas, Lect.* 1.

*Job.* 11. 19

Beatitudo extra Deum fruſtra quæritur.

6. 7. *Quoniam ergo ſupereſt introire quoſdam in illam, & ii, quibus prioribus annuntiatum eſt, non introierunt propter incredulitatem: Iterum determinat diem quemdam, Hodie, in David dicendo, poſt tantum temporis, ſicut ſupra dictum eſt: Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*. Qui terrenam & temporalem beatitudinem quærunt, animo Judæi ſunt. Homo ad imaginem Dei, & propter Deum conditus, in ſolo Deo requieſcere debet. Animam Dei capacem quicquid Deo minus eſt non implebit. *Veritatem, æternitatem, beatitudinem* omnes amant & deſiderant. Omnes optant *Non mori, non falli, non offendi*. Sed hominum pars maxima tantum bonum non aſſequitur, quia in Deo non quærit. Ingrati animi vitium, contumacia, & amor Ægypti carnales Iſraelitas a typica requie terræ Canaan excluſerunt: Quanto magis amor ſeculi, cete-

*S. Auguſt.*

raque



raque vitia Chriſtianos ab æterna & vera requie excludent? Vita præſens dies eſt beatæ æternitati promerendæ a Deo definita; tempus breve, ſed longum cœleſtem patriam ardenter deſideranti, Cui enim dulcis eſt amor patriæ, amara eſt peregrinatio: *Si amara peregrinatio, tota die tribulatio*. Vitæ præſentis tempus peccatoribus dies eſt quietis, honorum, voluptatum, divitiarum: ſed hanc diem excipiet cras ſempiternum afflictionis, fletus, opprobrii, cruciatuum, egeſtatis, miſeriarum. *Quis eſt homo qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Quicumque hoc vis, audi quod ſequitur: *Probibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur dolum. Declina a malo, & fac bonum: inquire pacem, & perſequere eam*. „ Sic ad requiem Dei pervenies. Quæ iſta pax eſt, „ niſi quam non habet mundus, quam non habet „ vita præſens, quæ in æternæ vitæ comparatione „ nec vita eſt? Per iſtam tamen, quam Sipiritus „ ſanctus vocat *Hodie*, homo poteſt ad æternam vi- „ tam pervenire, ſi quemadmodum vult eam longam, „ ſic velit & bonam. Quantum eſt autem in hac „ vita longum, quod erit aliquando finitum? Et „ quod erat longum, erit nullum: Quia & quando „ erat, non ſtabat; quando producebatur, non au- „ gebatur; nec addendo creſcebat, quia veniendo re- „ cedebat. Quiſquis igitur es amator longæ vitæ, „ eſto potius bonæ vitæ. Nam ſi male vivere vo- „ lueris, longa vita non erit verum bonum, ſed „ erit longum malum.... Cupis ut longa ſit, li- „ cet mala ſit: immo fac ut bona ſit, & noli ti- „ mere ne brevis ſit. Nam ſi te ſollicito bene agi- „ tur, te ſecuro cito finietur. Succedet namque ei „ vita æterna, ſine metu beata, ſine fine longa. In „ præſenti vita jubet nos Apoſtolus *redimere tem-* „ *pus, quoniam dies mali ſunt*. Et quid eſt redime- „ re tempus, niſi, cum opus eſt, etiam detrimento „ temporalium commodorum ad æterna quærenda & „ capeſſenda ſpatia temporis comparare? Unde & „ Dominus præcipit dicens: *Si quis voluerit tecum* „ *contendere judicio, & tunicam tuam tollere, dimit-* „ *te illi & pallium*. Ut ſcilicet amiſſa re aliqua tem- „ porali impendas ad quietem, quod eras impenſurus „ ad litem. Proinde, Fratres, concupiſcite vitam, „ & diligite videre dies bonos, ubi nulla nox erit: „ vitam in qua dies malus non timeatur; dies bo- „ nos, in quibus numquam vita finiatur. Sed ſi hanc „ mercedem, ſi requiem Dei diligitis, cavete ne opus, „ cujus ea merces eſt, recuſetis. Illam enim pacem „ quærendo ſequimini. Quærite autem *manibus ve-* „ *ſtris, nocte, coram Deo*, & non decipiemini. Quid „ eſt enim *manibus veſtris*, niſi operibus veſtris? Quid „ eſt *nocte*, niſi in tribulatione? Quid eſt *coram Deo*, „ niſi conſcientiæ puritate? Sic vivendo & hoc a- „ mando, habebitis Deum in contemplatione; & in „ illo vitam ſine defectione, dies bonos ſine conte- „ nebratione, pacem ſine diſſenſione, requiem ſine „ labore & defatigatione.

*S. Auguſt.*

Non longa ſed bona vita optanda eſt.

*Pſal.* 33. 13. 14. 15.

*S. Auguſt. Serm.* 16. *alias* 1. *ex Hom.* 50.

*Epheſ.* 5. 16.

*Matth.* 5.

Vita & Pax æterna quomodo quærenda?

*Pſal.* 76. 3.

8. 9. 10. *Nam ſi eis Jeſus requiem præſtitiſſet, numquam de alia loqueretur, poſt hac, die. Itaque relinquitur ſabbatiſmus populo Dei*. Joſue Chriſti Jeſu Salvatoris noſtri typus fuit, requies in terra Canaan, in quam populum Dei introduxit, figura fuit duplicis quietis per Jeſum Chriſtum in nova lege donandæ, ſcilicet quietis ab operibus mortiferis peccati, ab operibus mortuis Legis, quam in hoc ſeculo per gratiam ſuam confert populo ſuo: & quietis cœleſtis ac æternæ, in quam electos ſuos poſt hanc vitam introducet. Vera hæc, plena & perfecta in Deo requies, legali ſabbato ſignificata, populo Dei, populo fideli, & in mandatorum ejus obſervantia perſeveranti præparata. Hoc verum ſabbatum, cujus finis non erit veſpera, ſed Dominicus dies velut octavus æternus, qui Chriſti reſurrectione ſacratus eſt, æternam non ſolum ſpiritus, ſed etiam corporis requiem afferens. In æterno illo ſabbato implebitur quod Deus per Prophetam dixit: *Vacate & videte, quoniam ego ſum Deus*. „ Vacabimus in æternum, videntes quia „ ipſe eſt Deus, quo pleni erimus, quando ipſe „ erit omnia in omnibus. Nam & ipſa bona opera „ noſtra, quando ipſius potius intelliguntur eſſe quam „ noſtra, tunc nobis ad hoc ſabbatum adipiſcendum „ imputantur. Quia ſi nobis ea tribuerimus, ſer- „ vilia erunt, cum de ſabbato dicatur, *Omne opus* „ *ſervile non facietis in eo*. Hæc Dei hominiſque requies; Dei, cujus gratia obtinetur; hominis, qui illa in Deo fruitur. *Ibi vacabimus; & videbimus: videbimus, & amabimus: amabimus, & laudabimus. Ecce quod erit in fine ſine fine. Nam quis alius noſter eſt finis, niſi pervenire ad regnum, cujus nullus eſt finis?* Ut vero ad illam perveniamus, in hac vita laborandum, & bonis operibus jugitur incumbendum eſt. Sicut enim Deus non requievit niſi poſt operum ſuorum creationem & perfectionem: ita in requiem Dei non introibimus, niſi poſt labores & perfectionem bonorum operum, quæ Deus creat in nobis. *Qui enim ingreſſus eſt in requiem ejus; etiam ipſe requievit ab operibus ſuis, ſicut a ſuis Deus*. Opus noſtrum, facere Dei voluntatem. Hæc eſt autem voluntas Dei, ſanctificatio noſtra; qua ad ejus requiem perducimur. „ Quia vero nec bene operari poſſumus, „ niſi dono ejus adjuti, ſicut dicit Apoſtolus, Deus „ eſt qui operatur in nobis velle & operari pro bo- „ na voluntate; nec requieſcere poterimus poſt om- „ nia bona opera noſtra, quæ in hac vita gerimus, „ niſi ejus dono ad æternitatem ſanctificati atque „ perfecti: propterea de ipſo Deo dicitur, quia *Cum* „ *feciſſet omnia opera valde bona, ſeptimo die requie-* „ *vit ab omnibus operibus ſuis, quæ fecit*. Futuram „ enim requiem ſignificabat, quam poſt bona opera „ daturus erat nobis hominibus. Sicut enim cum be- „ ne operamur, ipſe dicitur operari in nobis, cujus „ munere bene operamur: ita cum requieſcimus, ip- „ ſe requieſcere dicitur, quo donante requieſcimus.

Plena & perfecta in Deo requies legali ſabbato ſignificata.

*Pſal.* 45. 11.
*S. Aug. l.* 22. *De Civ. Dei. cap. ultimo.*

*Philipp.* 2.
*S. Aug. Ep.* 55. *alias* 119. *Ad Januarium*.

*Geneſ.* 1. & 2.

Ad æternam requiem feſtinandum eſt.

11. *Feſtinemus ergo ingredi in illam requiem: ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum*. Fide, ſpe, caritatis fervore, bonorum operum curſu, ad æternam requiem feſtinandum eſt. Via longa eſt propter maximam cœleſtis beatitudinis, & miſeriarum hujus vitæ diſtantiam. Tempus breve & incertum eſt. *Neſcit homo finem ſuum*. Urget nos interior vocatio ſtimulo caritatis, ut in via mandatorum Dei curramus, Magnum in mora periculum eſt. Fatuæ virgines excluſæ ſunt a Nuptiis, quia tarde venerunt. Dei promiſſis animati feſtinemus ad celeſtem requiem. Eamus de virtute in virtutem ut videamus Deum, & beata ejus requie fruamur in cœleſti Jeruſalem. Aſſumamus pennas, ut aquilæ volemus, nec deficiamus. Penna una ad volandum non ſufficit. Fides per ſe ipſam nos ad æternam felicitatem perducere non poteſt: neceſſaria eſt caritas, bona opera deſiderantur. *Feſtinemus ergo ingredi*, ne clauſam januam inveniamus. Terreat nos veterum Iſraelitarum exemplum. Quemadmodum enim illi plurimum itineris emenſi, & multa adverſa perpeſſi; propter incredulitatem tamen exciderunt: ſic & nos caſum, ruinam, & excluſionem æternam a requie Dei, & ſupplicia numquam finienda timeamus, ſi fidem ſancta converſatione non ornemus, ſi in mandatorem Dei obſervantia fideles & prompti non fuerimus, ſi mundi voluptates, ut increduli Iſraelitæ carnes & poros Ægypti, concupiſcamus, ſi manna cœleſtium conſolationum, quibus Chriſtus ſervos ſuos in hujus mundi deſerto reficit, faſtidiamus; ſi in reſiſtendo ſalutis noſtræ hoſtibus ſegnes & ignavi ſimus. *Ut ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum*. Feſtinandum eſt, deponendo impedimenta, & ſarcinas præmittendo. Impedimenta, peccata ſunt, & occaſiones peccatorum; ſarcinæ, bona temporalia, quæ per eleemoſynas præmittenda ſunt, ut expeditius & celerius curramus.

*S. Th. Lect.*
*Eccli.* 9.

Terribile Dei judicium.

12. 13. *Vivus eſt enim ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens uſque ad diviſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Et non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus. Omnia autem nuda & aperta ſunt oculis ejus*. Etſi Chriſtiani increduli & inobedientes gladio materiali non pereant ut Judæi contumaces in deſerto: alter longe formidabilior gladius ipſis imminet, verbum Dei ex ore Chriſti Jeſu procedens, de quo alibi ſcriptum eſt: „ Vidi cœlum apertum, & ecce „ equus albus, & qui ſedebat ſuper eum vocabatur „ Fidelis & Verax, & cum juſtitia judicat & pu- „ gnat. Oculi autem ejus ſicut flamma ignis, & in „ capite ejus diademata multa, habens nomen ſcri- „ ptum, quod nemo novit niſi ipſe. Et veſtitus erat „ veſte aſperſa ſanguine, & vocatur nomen ejus „ Verbum Dei.... Et de ore ejus procedit gladius ex utraque parte acutus, ut in ipſo percutiat gentes. Niſi verbum Dei nunc fuerit nobis gladius Circumciſionis, qui animam noſtram ſeparet a peccato, affectus noſtros a mundo, qui vetere homine cæſo, praviſque cupiditatibus mortificatis nos Deo vivificet, ſanctificet, conſecret: erit nobis in noviſſimo die gladius maledictionis, reprobam animam a Deo ſuo, & ab ejus requie in æternum ſeparans. Qui verbo Dei in præſenti abutuntur, ei per fidem & obedientiam non adhærentes, in illo habebunt accuſatorem, qui nemini parcet; teſtem, quem nihil, quantumvis abditum & ſecretum, latet; Judicem, qui non corrumpitur, nec flectitur; ultorem, cujus furor non placatur, qui reproborum conſcientiam æternis ſtimulis lacerabit, & vermi non morituro tradet corrodendam. *Pertingit uſque ad diviſionem ſpiritus & animæ*. „ Res horrenda! Spiritum ab anima dividit, „ illamque iſtius ſanctificatione orbatam derelinquit. „ Perinde namque ut Rex nobili cuipiam in ejus „ majeſtatem peccanti cingulum adimit omnique illum

*Apocal.* 18.

Matt. 10. 24. *Non veni pacem mittere, ſed gladium, &c.*

*Theophylact.*

„ exuit

„ exuit dignitate, tum ſupplicio addicit: ita ſpirituali primum dignitate privatur homo peccator, deinde ſupplicio afficitur. Si adeo terribile eſt verbum Dei in ore Chriſti: longe terribilior Chriſtus ipſe vivorum & mortuorum Judex. „ Nihil ipſum latere poteſt, perfecte ſcit omnia, vel ipſarum cogitationum motus. Novit quæ fiunt in tenebris, novit quæ clanculum perpetrantur. Non latent eum improba animi conſilia, ei etiam quæ occulta nuda ſunt, & aperta oculis ejus, ut intimæ partes animalium quæ ſacrificantur, quæ omnino muta jacent, quibus vita per occiſionem adempta eſt, & cum vita vox: ita etiam nos dum judicamur, videmus quidem omnia quæ a nobis impie vel inique facta ſunt, ſed ſupplicii ſententiam ſilentio accipimus, ut qui eam juſtam eſſe ſciamus. Hæc autem non ſolis Hebræis, ſed nobis omnibus ſcripſit divinus Apoſtolus. Oportet ergo nos divinum illud judicium aſſidue conſiderare, pertimeſcere, & divina præcepta diligenter ſervare, promiſſam requiem exſpectando.

*Theodoret.*

14. 15. *Habentes ergo Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, Jeſum Filium Dei, teneamus confeſſionem.* Etſi timere debeamus Judicium Dei, abſit tamen ut deſperemus: ſi quidem habemus Pontificem Magnum, qui nobis auxilio eſſe poſſit, & velit, illum ipſum quem adorat Religio noſtra, Jeſum Filium Dei; Moyſe incomparabiliter excellentiorem & potentiorem, qui Terram promiſſam non eſt ingreſſus, neque populum introduxit. Jeſus autem cœlos penetravit, ad Patris dexteram ſedet, noſque in cœlum introducere, & promiſſæ quietis heredes facere poteſt, & paratus eſt, ſi conſtantes in fide maneamus, & ſecundum illam vivamus. „ Non totum Pontifici tribuit, verum etiam noſtra requirit. Poteſt quidem ille: ſed nos non admittet in requiem, niſi digni fuerimus, fidem & bona opera offerentes. Nulla oblatio in veteri Teſtamento Deo fieri poterat in Templo niſi per Sacerdotes; nihil a Deo ſuſcipitur in cœlo, niſi per Jeſum Chriſtum Filium ejus offeratur. Nullæ preces, nulla ſacrificia, nulla bona opera illi accepta eſſe poſſunt, niſi ab illo conſecrata. Maximo vero nobis ſolatio eſt, quod Pontifex noſter non ſolum ut Deus noverit naturæ noſtræ imbecillitatem; ſed etiam, ut homo noſtras infirmitates ſuſceperit, perpeſſionumque noſtrarum fecerit periculum. Hinc enim ad ferendum nobis auxilium propenſior eſt; & nos judicans, habita ratione imbecillitatis noſtræ feret in nos ſententiam. *Non enim habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia, abſque peccato.* Ad divinum iſtud exemplar Paſtores animarum reſpiciant, & miſeriarum humanarum, tam animi, quam corporis non ignari, commiſerationis ſenſu erga oves ipſis creditas afficiantur, illiſque ſuccurrere diſcant ſolatio, conſilio, adhortatione, patrocinio, eleemoſynarum ſubſidio. Cœlos penetrent per orationem & contemplationem, ut cum Pontifice noſtro Jeſu Chriſto converſentur, ab illoque ſalutarem doctrinam & veritatem hauriant populis tradendam & prædicandam. Ad peccatores ſe demittant, illiſque condeſcendant caritatis compatientis affectu, ut Medici infirmis, contra contagia peccati ſe muniendo ſpiritualibus antidotis, dum aliorum peccatis curandis incumbunt. „ Tentatum per omnia abſque peccato. *Paſtor bonus* cœlum contemplatione tranſcendit, nec tamen ſtatum carnalium ſollicitudine deſerit: quia compage caritatis ſummis ſimul & infimis junctus, & in ſemetipſo virtute ſpiritus ad alta valenter rapitur, & pietate in aliis æquanimiter infirmatur ..... Hinc Jacob Domino deſuper innitente, & uncto deorſum lapide, aſcendentes ac deſcendentes Angelos vidit: quia Prædicatores recti non ſolum ſurſum ſanctum caput Eccleſiæ, videlicet Dominum contemplando appetunt, ſed deorſum quoque ad membra illius miſerando deſcendunt. Hinc Moyſes crebro Tabernaculum intrat & exit: & qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur. Intus Dei arcana conſiderat, foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis ſemper ad Tabernaculum recurrit, coram teſtamenti Arca Dominum conſulit, exemplum Rectoribus præbens, ut cum foris ambigunt quid diſponant, ad mentem ſemper quaſi ad Tabernaculum redeant, & velut coram teſtamenti Arca Dominum conſulant, ſi de his in quibus dubitant, apud ſemetipſos intus ſacri Eloquii paginas requirant. Hinc ipſa Veritas, per ſuſceptionem noſtræ humanitatis nobis oſtenſa, in monte orationi inhæret, miracula in urbibus exercet: imitationis viam bonis Rectoribus ſternens; ut etſi jam ſumma contemplando appetunt, neceſſitatibus tamen infirmantium compatiendo miſceantur: quia tunc ad alta caritas mirabiliter ſurgit, cum ad ima proximorum ſe miſericorditer attrahit: & cum benigne deſcendit ad infima, valenter recurrit ad ſumma.

Chriſtus Jeſus Pontifex noſter ad ferendum nobis auxilium propenſiſſimus.

*S. Chryſoſt. Theophylact.*

*Theodoret.*

Paſtores animarum infirmis compati & ſuccurrere debent Chriſti ſummi Paſtoris exemplo.

*S. Gregor. M. Paſtoral. p. 2. cap. 5.*

16. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ: ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Accedamus nunc cum fiducia ad thronum gratiæ, ut cum ſecuritate & exultatione ſtemus coram throno Judicii. Accedamus ad Salvatorem & Pontificem noſtri amantiſſimum, dum tempus eſt gratiæ, & dies ſalutis. Accedamus non dubitantes, pura conſcientia. Fidem & bonam voluntatem offeramus, & dabit omnia. Nunc munificentiæ regalis tempus eſt, nemo deſperet. Tunc amplius ſpei tempus non erit, cum Rex exurget orbem terræ judicaturus. Nunc vero tempus eſt ſperandi, quia tempus miſerendi. Adhuc inſtat certamen, adhuc pendet præmium. Feſtinemus ergo; curramus, non quaſi in incertum. Curſu opus eſt, eoque vehementi. Qui currit in ſtadio, vel pugnat, retro non reſpicit, nullam in rem intendit niſi in victoriam & præmium. Qui currit, numquam ſtat. Nam ſi parum hæſerit, aut curſum remiſerit, totum perdet. Ad currendum & feſtinandum vires nobis ſubminiſtrabit Chriſtus Jeſus, ſi cum fiducia ad thronum gratiæ accedamus, *ut miſericordiam conſequamur, & gratiam inveniamus in tempore opportuno:* Miſericordiam ad remiſſionem peccatorum, æternæque pœnæ illis debitæ: gratiam, ad peccata deinceps vitanda, ad tentationum victoriam, ad omnes & ſingulos actus bonos, & ad perſeverandum uſque in finem. Hi ſacrificii Chriſti Jeſu, æternique ejus Sacerdotii fructus.

*S. Chryſoſtom. Hom. 7.*

## C A P U T V.

### *Senſus Litteralis.*

1. 2. 3. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumtus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Oſtendit Apoſtolus omnia quæ in Pontifice Levitico requiruntur, excellentiori modo Chriſto convenire. Omnis Pontifex, qui aſſumitur ex hominibus (numquam enim cœleſtes Spiritus hoc munus obierunt) pro hominibus conſtituitur & conſecratur in iis quæ apud Deum agenda ſunt, & quæ ad ejus cultum pertinent, adminiſtrandis, utque pro illis ſit conciliator, interpres & ſequeſter: ut offerat dona & victimas pro peccatis. *Qui condolere poſſit iis, qui ignorant, & errant: quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate.* Qui juſto commiſerationis ſenſu affici poſſit erga peccatores omnes, qui vel neſciunt quid ſit agendum, vel in actionibus ſuis a recto deviant: quandoquidem & ipſe infirmitatem ſuam circumfert, iiſdemque affectionibus obnoxius eſt, & pariter in peccata proclivis ex naturæ corruptione, *Et propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* Et propter hanc illi ceteriſque hominibus communem infirmitatem, Pontifex Legalis tenetur offerre ſacrificium expiationis peccatorum pro ſe ipſo, non minus quam pro populo; idque ex Præcepto Legis. Confer cum *Levitici 4. 3. & cap. 16. 6. 11. 17.*

*Dona*, ſunt oblationes ſpontaneæ quarumcumque rerum, etiam inanimatarum in uſum templi & ſacerdotum Deo factæ, ut panis, vini, olei, primitivarum, &c. Sacrificia, immolationes victimarum in honorem Dei, Græce θυσίας a verbo θύω id eſt, *occido*, unde Gallicum, *Tuer.*

Omnes peccatores occulti, ſive ex ignorantia, ſive ex infirmitate, ſive ex malitia peccent, his duobus membris comprehenduntur, *Qui ignorant, & errant.* Omnis enim malus ignorat: nec peccare quis poteſt niſi practico judicio errante, ut Theologi loquuntur in Schola. Ceterum peccatis publicis expiandis ſacrificia deſtinata non erant, ſed pœnæ in lege adverſus reos conſtitutæ.

4. 5. 6. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.* Nec licet alicui hunc honorem, ſcilicet Pontificatus & ſummi Sacerdotii ſibi arrogare, & uſurpare; ſed is ſecundum Legem Pontifex eſt, qui Dei vocatione hanc dignitatem ac Miniſterium obtinet ſicut Aaron, & in eo ejus poſteri, a Deo vocati ſunt. *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Sic & Chriſtus non ſemetipſum extulit ad Pontificiam novi Teſtamenti Dignitatem; ſed hanc accepit a Deo Patre, qui dixit ei Tu es Filius meus, non adoptivus, ſed proprius; nec aliunde mihi factus comparabilis, ſed de mea ſubſtantia mihi natus æqualis: Ego genui te ab omni æternitate, quæ dies eſt non incipiens, nec deſinens, ſed ſemper ſtans, quæ nec heſternum habet, nec craſtinum. Vel: Conſtitutus eſt Pontifex & quaſi miſſus in poſſeſſionem ſummi illius honoris, a Patre qui dixit illi, cum illum ad vitam immortalem & glorioſam reſuſcitavit: *Filius*

*Exod. 38. & Num. 16. & 17.*

Excellentia Chriſti Jeſu ſupra Pontifices Aaronicos, qui homines tantum erant.

*meus*



*meus es tu, ego hodie genui te.* Reſurrectio enim nova quædam generatio eſt. *Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Chriſtum ut hominem ſummum novæ Legis Pontificatum accepiſſe a Patre, confirmat Spiritus ſanctus in alio Scripturæ loco per Davidem: Tu es Sacerdos æternus, ſecundum ritum Melchiſedech, panem & vinum in ſacrificium offerentis. Chriſti ſacerdotium Melchiſedechi ſacrificio adumbratum eſt, quia Rex ſimul eſt & Sacerdos, & conſummato ſemel in cruce corporis & ſanguinis ſui ſacrificio, illud incruento modo in pane & vino per miniſtros ſuos offerre non deſinit in Altari. „ Myſterium noſtrum in verbo ORDINIS ſignificatur, nequaquam per Aaron irrationabilibus victimis immolandis, ſed oblato pane & vino, id eſt corpore & ſanguine Domini Jeſu (*ait S. Hieronymus.*) *Præclare Theodoretus:* Invenimus (*inquit*) „ Melchiſedech & Sacerdotem & Regem eſſe (figura enim erat veri Sacerdotis & Regis) & offerentem Deo non victimas ratione carentes, ſed panem & vinum. Hæc enim Abrahæ quoque obtulit, cum Sacerdotii ſui exemplar in lumbis Patriarchæ ſecundum ſpiritum prævideret. Si igitur ex Davide Chriſtus ſecundum carnem ortus eſt, & David ex Juda, & Pontificatum ſecundum ordinem Melchiſedech accepit Chriſtus. Leviticum utique Sacerdotium ceſſavit, & in Judæ tribum majoris Sacerdotii benedictio tranſiit. Sacerdos autem nunc eſt Chriſtus, ex Juda ſecundum carnem ortus, non ipſe aliquid offerens, ſed caput exiſtens eorum qui offerunt. Corpus enim ſuum Eccleſiam vocat, & per eam Sacerdotio fungitur ut homo, recipit autem ea quæ offeruntur, ut Deus. Offert vero Eccleſia Corporis ejus & Sanguinis ſymbola, totam maſſam per primitias ſanctificans.

*Act. 13. 13. S. Hilarius in Pſ. 2. S. Ambroſ. lib. 3. De Sacram. c. 1. Pſalm. 109. 5.*

*S. Hieron. in Tradit. Hebr.* Vide & Epiſt. *Ad Evagrium 126. Theodoret. In Pſalm. 109.*

7. *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere a morte, cum clamore valido & lachrymas offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Qui cum mortalem inter homines vitam ageret, preces humillimas & ſupplicationes, cum clamore magno & lacrymis offerens Deo Patri, qui illum a morte celeriter eripere, & ad vitam immortalem & glorioſam reſuſcitare poterat, exauditus eſt pro ſua erga Deum reverentia ac pietate. Confer cum *Pſalm. 21.*

8. 9. 10. *Et quidem cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam.* Et quamvis Filius Dei eſſet, per ea quæ ex voluntate Patris paſſus eſt, obedientiam oſtendit & exercuit, quaſi obedientiæ diſcipulus, *Et conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Et Paſſionis ſuæ conſummato Myſterio, perfectaque ſalutis noſtræ œconomia, gloriam corporis, & nominis exaltationem conſecutus, omnibus ſibi, ſuoque Evangelio obedientibus factus eſt auctor ſalutis æternæ. *Appellatus a Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedech.* Declaratus a Deo Patre Pontifex, non ſecundum ordinem Aaronis, rituſque Legales, ſed ſecundum ritum Melchiſedech: *In quo ſacrificii dominici Sacramentum præfiguratum videmus, ſecundum quod Scriptura divina teſtatur & dicit:* „ Et Melchiſedech Rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem Sacerdos Dei ſummi, & benedixit Abraham. „ Quod autem Melchiſedech typum Chriſti portaret, declarat in Pſalmis Spiritus ſanctus ex perſona Patris ad Filium dicens: *Ante Luciferum genui te: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Qui ordo utique hic eſt de ſacrificio illo veniens & inde deſcendens; quod Melchiſedech Sacerdos Dei ſummi fuit, quod panem & vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei ſummi, quam Dominus noſter Jeſus Chriſtus, qui ſacrificium Deo Patri obtulit; & obtulit hoc idem quod Melchiſedech obtulerat, id eſt, panem & vinum, ſuum ſcilicet Corpus & Sanguinem? Et circa Abraham benedictio illa præcedens ad noſtrum populum pertinebat.

*Geneſ. 14. S. Cyprian. Epiſt. 63. ad Sacilium.*

11. *De quo nobis grandis ſermo, & ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti eſtis ad audiendum.* De quo, ſcilicet Chriſti ſacerdotio multa grandiaque dicere poſſem, & explicatu difficilia propter ſegnitiem, & tarditatem veſtram. Legi quippe Moſaicæ nimium addicti, Myſteriorum novæ Legis explicationem ægre audiebant, & eorum ſublimitate ab auſcultando deterrebantur.

12. 13. *Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus: rurſum indigetis ut vos doceamini quæ ſunt elementa exordii ſermonum Dei: & facti eſtis, quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo.* Enimvero cum pro ratione temporis quo in Chriſtiana Religione inſtituti eſtis, deberetis idonei eſſe ad docendum alios; doceri adhuc indigetis prima rudimenta, a quibus initium ſumitur hominibus explicandi verbum Dei ſeu doctrinam Evangelii: & per ignaviam veſtram eo deveniſtis, ut lacte ſimplicis doctrinæ ſitis nutriendi more parvulorum, ſolidioris ac ſublimioris doctrinæ alimoniam non ferentes. *Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis juſtitiæ: parvulus enim eſt.* Quiſquis autem in Chriſti Schola talis eſt, ut adhuc ſimplicioris doctrinæ lacte nutriendus ſit, inexpertus eſt ac rudis doctrinæ, quæ perfectis congruit, & ſapientiæ quæ ad perfectam juſtitiam ducit. Similis enim eſt infanti quoad ignorantiam & incapacitatem ſe ad rerum ſublimium cognitionem applicandi.

*Juſtitia* hic ſumitur pro *perfectione*, ſeu pro *ſapientia*, quæ ſolis perfectis convenit.

14. *Perfectorum autem eſt ſolidus cibus; eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali.* Illis enim qui in rerum divinarum meditatione & intelligentia multum profecerunt, ſolidioris ac ſublimioris doctrinæ cibo paſci convenit: qui, propter longam aſſuetudinem & habitum, mentem habent exercitatam ad diſcretionem boni & mali, veri & falſi. Veritas enim bonum, falſitas & error malum mentis eſt.

Nomen ſenſus per metaphoram tribuitur menti.

## C A P U T V.

### *Senſus Moralis.*

1. 2. 3. *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumtus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* Sacerdotes & Paſtores ſerio recogitent ſe homines eſſe & peccatores, & in ſummo honore ſummam ſervent humilitatem, ut Paſtorum Principi ſimiles ſint. *Ex hominibus aſſumtus.* 2. Sacerdotium & Paſtoralem curam, ſe pro hominibus, & pro peccatoribus accepiſſe meminerint. *Quod Chriſtiani ſumus, propter nos eſt: quod autem Præpoſiti ſumus, propter vos eſt. In eo quod Chriſtiani ſumus, attenditur utilitas noſtra: in eo quod Præpoſiti, nonniſi veſtra.* 3. Conſiderent ſe ad Sacerdotium & Paſtoralem Dignitatem aſſumtos non eſſe ut ſerviant hominibus in negotiis ſeculi, ſed in iis quæ apud Deum agenda ſunt, quæ Dei cultum, & animarum ſalutem ſpectant. *Pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum.* 4. Serio attendant, ſe ad ſacrum Miniſterium aſſumtos, non ut vitam agant in otio, ſed ut ſuis officiis fungantur, quorum præcipuum eſt, Chriſtum Jeſum, & cum ipſo ac per ipſum, Eccleſiam univerſam, ac præſertim homines eorum curæ commendatos, & illorum vota Deo offerre, eumque Chriſtiano populo propitium reddere Sacrificio pretii noſtri, Corporis ſcilicet & Sanguinis Chriſti Jeſu. *Nam quoties ei Hoſtiam ſuæ paſſionis offerimus, toties nobis ad abſolutionem noſtram paſſionem illius reparamus.* Sacerdotum igitur deliciæ ſint oratio, Altare centrum, Sacrificium fœlicitas. *Ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis.* 5. Sacerdotes, Paſtores & Prælati circumferant viſcera miſericordiæ erga peccatores: cum patientia & manſuetudine doceant eos qui peccant per ignorantiam; cum vigore caritatis in viam mandatorum Dei revocent errantes in ſemitis vitiorum; publice & cum ſcandalo peccantes palam arguant, & ſecundum Dei Eccleſiæque leges eorum miſereantur, neque nimium indulgentes, nec ultra modum ſeveri, ſed prout animarum ſaluti convenit, diſciplinam temperantes. Dei judicium, ſive in foro Pœnitentiæ ſive in foro exteriori exercentes, peccatoribus condoleant, ſuæ infirmitatis conſcii, peccatorumque ſuorum memores. *Qui condolere poſſit iis qui ignorant, & errant: quoniam & ipſe circumdatus eſt infirmitate.* 6. Orent, & pœnitentiam agant pro populo Sacerdotes, Paſtores & Prælati. Cor contritum & humiliatum, corpus mortificatione Chriſti maceratum & ſanctificatum, pro ſalute ovium ſibi commiſſarum Deo offerant: & primum quidem pro ſemetipſis, ut a peccatis expiati, digni ſint Miniſtri unius verique Mediatoris, per Sacrificium pacis nos reconciliantis Deo: „ Qui unum manet cum illo cui offert; unum in ſe facit pro quibus offert; unus ipſe eſt qui offert, & quod offert. *Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam & pro ſemetipſo offerre pro peccatis.* „ Tales ſe præſtare debere novæ Legis Sacerdotes & Paſtores ſignificat Apoſtolus; docens quod etiam in lege veteri, non Angelus, ut pro hominibus Sacerdotio fungeretur, electus eſt, ſed homo pro hominibus, eamdem habens naturam, iiſdem affectionibus obnoxius, ſciens naturæ imbecillitatem, iis qui labuntur dans veniam, iis qui peccant manus præbens, ex ſuis quæ proximi ſunt conſiderans. Qua etiam de cauſa conſtitutum eſt ut hoſtias offerat non ſolum pro populo, ſed etiam pro ſe ipſo.

Sacerdotum & Paſtorum officia.

*S. Auguſt. Serm. 46. De Paſtoribus, alias De Tempore 195.*

*S. Gregor. Hom. 37. in Evang.*

*S. Auguſt. lib. 4. De Trin. cap. 14.*

*Theodoret.*

De vocatio ad Paſtorale munus neceſſaria.

4. 5. 6. *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur a Deo, tamquam Aaron.* Qui honoris, divitiarum, quietis, ſeu cujuſvis temporalis commodi cupiditate, vel parentum deſtinatione, non divina vocatione provehitur ad Sacerdotium & ad regimen animarum, uſurpator & fur eſt. Aaron primus Teſtamenti veteris Pontifex in munus illud ſe non intruſit, ſed ad ſacram illam dignitatem a Deo vocatus eſt. Juſſit Deus illum conſecrari: cumque Sacerdotium ejus ab æmulis poſtea impugnaretur, miraculo incendii illos conſumentis, & virgæ germinantis confirmatum eſt. Chriſtus Jeſus fons poteſtatis & gratiæ Sacerdotalis, Novi Teſtamenti Pontifex & Mediator, *Non ſemetipſum clarificavit ut Pontifex fieret*, ſed a Patre miſſus, conſtitutus & conſecratus eſt, ipſaque divinitate delibutus. Apoſtoli Chriſti electione & vocatione adſciti ſunt. *Non vos me elegiſtis* (inquit) *ſed ego elegi vos*. Nemo ergo ſibi ſumat honorem Sacerdotii, & Paſtoralis muneris, ſed qui a Deo vocatur, qui dotes habeat tantæ dignitati pares, qui vitæ probitate ac morum innocentia ſe ex Deo natum probet, divinamque adoptionem degeneri converſatione non inhonoret: qui a terrenis affectibus avulſus, uni Deo vivat novus homo. Chriſtum Pontificem noſtrum imitetur, gloriam ſuam non quærentem; Apoſtolum æmuletur non quærentem quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu Chriſti. „Sacrum officium „non ſolum non diligit omnino, ſed neſcit, qui ad „culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione „cogitationis ceterorum ſubjectione paſcitur, laude „propria lætatur, ad honorem cor elevat, rerum „affluentium abundantia exultat. Mundi ergo lu„crum quæritur ſub ejus honoris ſpecie, quo mun„di deſtrui lucra debuerunt. “ Quis ea intentione „Gradus Eccleſiaſticos, & Miniſteria Sanctuarii quæ„rit, imo quis ad ea quæritur (quæri nempe quam „quærere ipſe debuerat) ut ſine curis ſeculi in ſan„ctimonia cordis & corporis illuminandus accedat ad „Dominum, & ſuam pariter ac proximorum ope„retur ſalutem, orationis ſtudio deditus, & verbo „prædicationis? Audi querelas Domini: *Ipſi* (inquit) „*regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt,* „*& ego non vocavi eos*. Univerſos ſiquidem in Or„dinibus Eccleſiaſticis, ceteriſque ad Sanctuarium „pertinentibus honorem quærentes proprium, aut „divitias, ſeu corporis voluptatem, poſtremo quæ „ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti, non ea quæ Deus „eſt caritas, ſed aliena a Deo, & omnium radix „malorum cupiditas introducit. Quid iſtud teme„ritatis, imo quid inſaniæ eſt? Ubi timor Dei? „Ubi mortis memoria? Ubi gehennæ metus, & „terribilis exſpectatio illa judicii? Sponſa nec cu„biculum, nec cellam ingredi; niſi Rege introdu„cente, præſumit, tu irreverenter irruis, nec vo„catus, nec introductus, *Trahe me poſt te*, ait illa, „*in odorem unguentorum tuorum curremus*. Nunc „autem trahit ſua quemque voluptas, & odorem „turpis lucri ſectantes, quæſtum æſtimant pietatem. „Quorum certa eſt damnatio.

*Exod. 38. Num. 16. & 17.*

*S. Gregor. Paſtoralis, P. 1. cap. 8.*

*S. Bernard. ſeu Gaufredus Abbas.* Declamat. in Evang. *Ecce nos reliquimus omnia.*

*Oſee 8.*

*Cantic. 1.*

Chriſti oratio noſtræ infirmitatis indicium, auxilium, & exemplum eſt.

*S. Cyrillus Alexandr. lib. De recta Fide.*

7. *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere a morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia*. „Cum neceſſarium eſſet ut ipſemet „Chriſtus ad quodlibet opus bonum ducem ſe no„bis præberet & præceptorem: valido clamore & „ſupplicatione tanquam unus ex nobis ad Deum ac„ceſſit, a quo etiam tamquam verus naturaliſque Fi„lius qui repulſam pati non poſſet, exauditus eſt. „*Ego enim* (inquit) *ſciebam quia ſemper me audis*: „Ut enim noſtras preces Deo redderet acceptas, ip„ſe primus rem exorſus eſt, paternas aures hac ra„tione humanæ naturæ quodammodo aperiens dila„tanſque, & votis eorum qui illius cauſa aliquan„do periclitarentur, faciles promptaſque efficiens. *Nos itaque in ipſo veluti in altero generis noſtri principio eramus, qui valido cum clamore & lacrymis tum ut mortis imperium in nobis aboleretur, tum maxime ut vita naturæ noſtræ quondam donata denuo firmaretur, enixe flagitabamus.* Quod Chriſtus oravit, noſtræ eſt infirmitatis indicium, auxilium, & exemplum: Pontificem noſtrum pro nobis orantem imitemur, noſtraſque orationes illius orationi conformemus, & uniamus; ut a Deo exaudiantur. 1. Deum oremus ut nos a morte peccati liberet, quod pro ſe non oravit Chriſtus Pontifex ſanctus, impollutus, & a peccatoribus ſegregatus, ſed pro nobis, ut fidejuſſor portans iniquitates omnium noſtrum, & ex membrorum ſuorum perſona clamans: *Deus, Deus meus, reſpice in me, quare me dereliquiſti? Longe a ſalute mea verba delictorum meorum*. 2. Oremus profunda cum humilitate, ut mendicantes, ut invalidi, ut infirmi, & vulneribus quibus mederi ſolus Deus poteſt, afflicti. Nihil ex nobis habemus niſi miſeriam & peccatum, nihil boni ex nobis poſſumus, *Mendici Dei ſumus*. Unicum nobis ſupereſt in oratione perfugium. Procidamus ergo ſupplices ad pedes Chriſti Mediatoris noſtri, ut per eum a morte peccati, & ab æterna damnatione liberemur. *Preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere a morte*. 3. Cum ardentiſſima caritate oremus, cujus clamor ad Deum perveniat. *Frigus caritatis, ſilentium cordis eſt: flagrantia caritatis, clamor cordis eſt* (ait Sanctus Auguſtinus.) *Cum clamore valido*. 4. Orandum cum lacrymis quas amor Dei velut ſanguinem cordis pœnitentis eliciat. Ardes forte conſcientia delicti, lacrymis extingue flammam peccati. Juſtus es, ſuper flumina Babylonis lacrymas funde, cœleſtis patriæ memor. Sint tibi lacrymæ tuæ panes die ac nocte, id eſt, ſive in hujus ſeculi proſperitate, ſive in adverſitate, dum dicitur tibi, *Ubi eſt Deus tuus?* Miſce lacrymas tuas cum lacrymis Chriſti, ut ex illis vim hauriant animam tuam emundandi ab iniquitate. *Et lacrymis*. 5. Orandum denique cum interiori exterioríque reverentia, cum timore caſto & religioſo divinæ Majeſtatis, cum intimo pietatis affectu, in ſpiritu adorationis, cujus nobis exemplum dedit Filius Dei carne noſtra indutus. *Cum reverentia*.

*S. Aug. In Pſal. 37. N. 14.*

*Pſalm. 41.*

*S. Auguſt. in hunc Pſalm.*

Obedientia in Schola Chriſti diſcenda eſt.

8. 9. *Et quidem cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam. Et conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ.* Diſcamus & nos obedientiam in Schola Chriſti, qui dedit vitam, ne perderet obedientiam. *Factus obediens uſque ad mortem, mortem autem crucis*. Difficile eſt obedientiæ bonum inexpertis. „Qui non „didicerunt eam in rebus difficilibus, exiſtimant fa„cile eſſe obedire. Sed ut ſcias quid ſit obedientia, „oportet ut diſcas obedire in rebus difficilibus: & „*Qui non diſcit obediendo ſubeſſe, numquam novit* „*bene præcipiendo præeſſe*. Chriſtus Jeſus patiens & moriens docet nos obedientiam in rebus difficillimis. *Didicit ex his quæ paſſus eſt obedientiam*. Et per obedientiam ſuam nobis auctor factus eſt juſtitiæ & ſalutis: quam non aliter conſequemur, quam obediendo ejus mandatis, & vitam noſtram in ejus obſequiis conſummando. *Et conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ*. Chriſtianis omnibus neceſſaria eſt obedientiæ virtus. Omnes Dei mandatis, Chriſti Jeſu Evangelio, Eccleſiæ matris legibus & præceptis parere tenentur. Filii parentibus, ſervi dominis, ſubditi quique Superioribus debent obedientiam. Hanc ergo diſcant in Schola Chriſti, qui diſcipulus obedientiæ fieri dignatus eſt, ut magiſter eſſet. *Cum eſſet Filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam*. „Obedientiam di„dicit in ſuo corpore, ex iis quæ paſſus eſt in ca„pite. Nam illa mors, illa crux, opprobria, ſputa, „flagella, quæ omnia caput noſtrum Chriſtus per„tulit, quid aliud corpori ejus, id eſt, nobis, quam „præclara obedientiæ documenta fuerunt? *Chriſtus* „*paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut* „*ſequamini veſtigia ejus*, id eſt ut imitemini obe„dientiam ejus. Ex his ergo quæ paſſus eſt diſcimus „quanta nos, qui puri homines ſumus, oporteat „pro obedientia perpeti, pro qua is, qui & Deus „erat, non dubitavit mori.

*S. Thomas, Lect. 2. in hoc caput.*

*S. Bern. Tract. de Gradibus Humilit. c. 3.*

*1. Petri 2.*

Modus docendi & prædicandi Chriſtianas veritates.

12. 13. *Etenim cum deberetis magiſtri eſſe propter tempus: rurſum indigetis ut vos edoceamini, quæ ſunt elementa exordii ſermonum Dei: & facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo*. Chriſtianæ inſtitutiones ſive inſtructiones auditorum ingeniis & captui ſunt attemperandæ. Nulla veritas ad ſalutem neceſſaria tacenda eſt fidelibus, quamvis rudioribus & ſimplicioribus: ſed omnibus proponenda ſunt fidei Myſteria. Rudibus tamen & imperitis ſublimiori & profundiori ſermone exponenda non ſunt & ediſſerenda; quia „Omnis de hac re ſermo, quo agitur „ut non ſolum credatur, verum etiam intelligatur „ſciaturque quod dicitur, percipere talia non va„lentibus oneroſus eſt, faciliuſque illos premit quam „paſcit. Ex quo fit ut ſpiritales iſta carnalibus non „omnimodo taceant, propter Catholicam Fidem, „quæ omnibus prædicanda eſt; nec tamen ſic diſſe„rant, ut volentes ea perducere ad intelligentiam „non capacem, facilius faſtidiri faciant in veritate „ſermonem, quam in ſermone percipi veritatem. Ruſticanis hominibus, & oppidorum, minorumque urbium Chriſtianæ plebi, a Paſtoribus & Concionatoribus lac præbendum eſt, non ſolidus cibus: neceſſaria Fidei, Morumque doctrina ſermone ſimplici, eorumque capacitati accommodato tradenda eſt. In ea enim & provectiores, capaciores, ſpirituales, ſi qui ſunt illis in Parochiis & auditoriis, invenient ſolidum cibum ſibi convenientem, in qua rudes habebunt lacteum potum. Neque enim lacti contrarius eſt ſolidus cibus in inſtitutionibus Chriſtianis. „Nam „& in ipſis quæ ſumimus alimentis uſque adeo non „eſt contrarius, ut ipſe lacteſcat, quo poſſit aptus

*S. Thomas, Lect. 2. in hoc caput.*

*S. Auguſt. Tract. 98. in Joannem.*

eſſe



„eſſe infantibus, ad quos per matris vel nutricis „pervenit carnem: ſicut fecit etiam „Mater ipſa „Sapientia, qua cum ſit in excelſis Angelorum ſo„lidus cibus, dignata eſt quodammodo lacteſcere „parvulis, cum Verbum caro factum eſt, & habi„tavit in nobis. Sed ipſe homo Chriſtus, qui vera „carne, vera cruce, vera morte, vera reſurrectio„ne ſincerum lac dicitur parvulorum, cum bene ab „ſpiritualibus capitur, invenitur Dominus Angelo„rum ... Proinde nec ſic parvuli ſunt lactandi, ut „ſemper non intelligant Deum Chriſtum; nec ſic „ablactandi ut deſerant hominem Chriſtum. Nec ſic „lactandi ſunt, ut Creatorem numquam intelligant „Chriſtum; nec ſic ablactandi, ut Mediatorem um„quam deſerant Chriſtum. In hoc quippe non con„venit huic rei ſimilitudo materni lactis & ſolidi „cibi, ſed potius fundamenti: quia & puer quando „ablactatur, ut ab alimentis infantiæ jam recedat, „inter ſolidos cibos non repetit ubera quæ ſugebat: „Chriſtus autem crucifixus, & lac ſugentibus, & ci„bus eſt proficientibus. Fundamenti vero ideo eſt „aptior ſimilitudo, quia ut perficiatur quod ſtruitur, „additur ædificium, non ſubtrahitur fundamentum. Invigilare autem & ſatagere debent Paſtores, ne populus ipſis commiſſus Chriſtianæ Religionis veritates ignoret, faſtidiat, & intelligere negligat. Harum enim intelligentia privantur ut plurimum carnales homines propter peccata, & pravos affectus, propter nimiam ad res terrenas adhæſionem, propter orationis defectum, qua mens fit divini luminis particeps; propter impatientiam denique in ferendis afflictionibus, quibus mens diſtrahitur, perturbatur, deprimitur, & imbecillis efficitur ad intelligendum divina. *Facti eſtis quibus lacte opus ſit, non ſolido cibo. Omnis enim qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonem juſtitiæ: parvulus enim eſt*. Duplex infantia eſt, (moraliter loquendo) una laudabilis in qua Chriſtianus creſcere debet ac permanere, altera ex qua debet quantocyus exire. Prima neſcit malum, quia illud non facit; altera non cognoſcit bonum ut par eſt, quia illud non operatur. *Nolite pueri effici ſenſibus, ſed malitia parvuli eſtote*, ait alibi Apoſtolus noſter. Et Sapientia clamat. *Uſquequo parvuli diligitis infantiam?* Et rurſus: *Relinquite infantiam, & vivite, & ambulate per vias prudentiæ*. Ad hanc infantiam, quæ in morum innocentia & ſimplicitate poſita eſt, redire debent, qui ex ea exceſſerunt, ut Myſteriorum divinorum intelligentiam conſequantur, de quibus Dominus Jeſus ait: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis*.

*1. Cor. 4.*

*Proverb. 1. 22. & cap. 9. 6.*

*Matth. 11.*

Animæ quas Deus ad perfectionem vocat, in ejus via ſunt a Paſtoribus dirigendæ.

14. *Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni ac mali*. Paſtorum & Directorum officium eſt, fideles animas, quæ ad Chriſtianam perfectionem a Deo vocantur, ad ejus cognitionem juvare, & in ejus viam dirigere. Quod præſtare non poſſunt, niſi ipſimet ſpiritalem illam viam noverint, & media quibus ad illam pervenitur, & in ea proficitur, necnon impedimenta quibus in ea ambulare volentes retardantur, a fine aberrant, avertuntur, deficiunt. Ii autem qui viam illam Deo inſpirante & per gratiam ſuam trahente inierunt, cibo ſolidiore, ſublimiore doctrina ſunt paſcendi. *Perfectorum enim eſt ſolidus cibus*. Perfectio porro iſta duplex eſt, una mentis, ab intelligentia, ſapientia, ſcientia, quæ Spiritus ſancti dona ſunt: altera cordis & affectus, a caritate, cujus traditis præceptis Chriſtus ait: *Eſtote ergo perfecti*, &c. Caritatis autem venenum eſt, ſpes adipiſcendorum aut retinendorum temporalium. *Nutrimentum ejus eſt, imminutio cupiditatis: perfectio, nulla cupiditas*. Quanto enim magis aliquis aſcendit ad Deum, tanto magis contemnit temporalia. *Quid enim mihi eſt in cœlo, & a te quid volui ſuper terram? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum*. Ad ſublimiorem igitur veritatum intelligentiam dirigendi & promovendi ſunt ſpiritales & perfecti. *Sapientiam loquimur inter perfectos*, qui ſentiunt quæ Dei ſunt, qui ſenſum Chriſti habent, quibus carnalia, terrena & temporalia inſipida videntur, ſuntque contemptui & faſtidio. 1. Ad perfectionis viam ineundam neceſſaria exercitatio eſt in pietate, in oratione, & bonis operibus. *Qui exercitatos habent ſenſus*. Qui enim non eſt exercitatus, rectum judicium habere non poteſt, Spiritu ſancto dicente, *Vir in multis expertus, cogitabit multa ... Qui non eſt expertus, pauca recognoſcit*. Hæc exercitatio bonam conſuetudinem habitumque parit, quo fit ut animæ fideli facilis ſit & delectabilis oratio, bonique operatio. *Pro conſuetudine*. Si vis ergo eſſe perfectus, non des te otio, ſed aſſueſce bonis a juventute; porta jugum Domini ab adoleſcentia, in oratione frequens eſto & aſſiduus, ut ſcias reprobare malum, & eligere bonum. „Perfectorum enim eſt di„ſcernere inter bonum & malum, inter bonum & „melius, inter malum & pejus. Multa enim ſunt quæ videntur bona, & tamen mala ſunt: multa quæ videntur meliora, & tamen minora bona ſunt: multa quæ videntur leviora mala, & graviora ſunt. *Eſt via quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem*. Igitur & fideles animæ, quæ viam perfectionis ineunt, & Paſtores ac Moderatores conſcientiæ, qui illas dirigunt, debent *exercitatos habere ſenſus ad diſcretionem boni & mali*. Ad hanc autem diſcretionem aſſequendam, Scripturæ ſacræ lectioni & meditationi aſſidue incumbendum eſt. Neglectus Scripturarum a Sacerdotibus, Paſtoribus, Directoribus, Concionatoribus, imo a populo Chriſtiano, „malorum infinitorum radix eſt. Propterea a nobis nihil fit ſanum, nihil rectum, nihil utile. „Sed „ſi velit quidem quiſpiam artem diſcere militarem, „neceſſe eſt ut leges diſcat militares. Et ſi quis ve„lit ſcientiam diſcere gubernaculi, aut fabricandi, „aut ſi quid aliud, neceſſe eſt ut diſcat quæ ſunt „artis. Hic autem nihil volunt ejuſmodi, idque cum „hæc ſcientia multis opus habeat vigiliis. Totum „maximæ partis Chriſtianorum ſtudium effuſum eſt „in ea quæ ad hanc vitam pertinent, ſpiritualium „vero nulla ratio habetur. 2. Ad diſcretionem ſupra dictam neceſſaria oratio eſt aſſidua, humilis, fervens: intima enim cum Deo communicatione anima illuminatur ad veri & falſi, boni & mali diſcretionem. Vita ſpiritualis plena latibulis eſt, diverſæ ſunt & admirabiles Dei vocationes: nec poteſt homo diſcernere ſine lumine ſupernaturali, an quis ambulet in ſpiritu veritatis. Et ſi nemo novit quæ Dei ſunt, niſi Spiritus ipſius Dei, ut docet Apoſtolus, quis hominum poterit divinum inſtinctum cognoſcere, ejuſque vocem percipere loquentis in ſilentio ad cor Jeruſalem? Quis etiam valeat humani cordis ſecreta penetrare, ad quæ nulli aditus patet, niſi ſoli Creatori? Diaboli vero multiplices fraudes, innumeras nocendi artes, ac pene inextricabiles laqueos, quis detegere, quis evitare queat? Cum præſertim malignus hoſtis quandoque ſe in Angelum lucis transfiguret. Divinum autem ad hæc neceſſarium lumen, quo vir *ſpiritualis judicat omnia*, oratione impetratur, qua fidelis anima ipſi lumini mentium Deo conjungitur. 3. Ad ſupra dictam diſcretionem neceſſaria eſt vitæ puritas, cordis munditiæs, mentis tranquillitas & interna pax, quæ in animo vitiis obnoxio, ac terrenis affectionibus perturbato locum non habet. *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Et in malevolam animam non intrat ſapientia, nec habitat in corpore ſubdito peccatis, ſed in ſola anima juſti requieſcit. *Quemadmodum guſtu, qui eſt ſenſus corporis, bona a malis ſine errore, cum recte valemus, diſcernentes, ea quæ ſunt ſuavia appetimus: ſic mens noſtra cum cœperit integra ſanitate, & in multa curarum vacuitate moveri, poteſt etiam divinam conſolationem affatim ſentire, & a contraria numquam rapi*. 4. Ad hanc denique diſcretionem plurimum confert experientia. *Multa de diſcretione legendo, multa diſcimus audiendo, ex inſito nobis rationis judicio: verumtamen de hac nunquam ad plenum erudimur ſine experientiæ magiſterio*.

*Matth. 5.*

*S. Auguſt. lib. Octoginta trium Qu. 36.*

*Pſalm. 72.*

*1. Cor. 2.*

Diſpoſitiones ad viam perfectionis ineundam neceſſariæ.

*S. Th. Lect. 2.*

*Eccli. 34. 9. 10.*

*Prov. 16. 25.*

Quæ neceſſariæ ſint ad diſcretionem aſſequendam.

*S. Chryſoſtom. Hom. 7.*

*Matth. 5. & Cap. 7. &*

*S. Diadochus Photicenſis Epiſcopus, c. 30.*

*Richardus a S. Victore lib. De Præparat. ad Contempl. Cap. 56.*

---

CAPUT VI.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. 3. *Quapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectiora feramur, non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei in Deum, baptiſmatum doctrinæ, impoſitionis quoque manuum, ac reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni*. Cum a lacte ad ſolidum cibum traducere vos conveniat, nos quoque ſepoſita doctrina quam primum tradere ſolemus iis qui Chriſto initiantur, & in eum credere incipiunt, ad ea quæ perfectiora & ſublimiora ſunt tranſeamus, nec inſiſtamus in ponendis rurſum Religionis Chriſtianæ fundamentis, qualia ſunt, pœnitentia peccatorum quæ mortem afferunt animæ, (quam quidem pœnitentiam adultæ ætatis homines ante baptiſmum profitentur) fides in Deum & Myſteria Symbolo, quod eis traditur, expreſſa doctrina de Baptiſmo, ejuſque neceſſitate, virtute, effectis, ſolemnibus ceremoniis; impoſitio manuum, quod Sacramentum Confirmationis eſt, quo Spiritus ſanctus baptizatis confertur ad robur, reſurrectio mortuorum, judiciumque cum particulare, tum generale, quod æterna beatitudo vel damnatio ſubſequetur. *Et hoc faciemus, ſiquidem permiſerit Deus*. Et altiora quidem Myſteria, ſublimioreſque veritates vobis exponam, ſi Deus dederit.

Poſuit *baptiſmata* pluraliter, non multa docens eſſe baptiſmata, ſed quia multi baptiſmi gratiam conſequuntur. Quod enim unicum prædicaret baptiſmum ſequentia docent. Sic explicat Theodoretus.

*Illuminatos* Apoſtolus baptizatos vocat & hic, & cap. 10. 32. & antiqui Patres Baptiſmum *illuminationem*.





4. 5. 6. *Im-*

Orationes de Baptiſmo, *Orationes in ſancta Lumina Catecheſes* recens baptizatorum, *Catecheſes illuminatorum*, inſcribunt, *Donum cœleſte*, quidam interpretantur Spiritum ſanctum, nonnulli Corpus & Sanguinem Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ, quod ſtatim poſt Baptiſmum Neophytis porrigebatur.

4. 5. 6. *Impoſſibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti, guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad Pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.* Non iterum jaciemus fundamentum pœnitentiæ ante baptiſmalis ab operibus mortuis, fidei, baptiſmatis doctrinæ, &c. ne vos iterum quaſi Catechumenos ad baptiſmum inſtituere videamus. Impoſſibile eſt enim eos, qui ſemel fidei lumine in baptiſmo ſunt illuſtrati, & cœleſte donum remiſſionis peccatorum perceperunt, cujus ſuavitas per conſcientiæ pacem deguſtatur, & participes facti ſunt Spiritus ſancti per lavacrum regenerationis, & per manuum impoſitionem Epiſcopalem in eos abunde effuſi: & qui ſancto Dei verbo, ac ſpe immortalitatis & gloriæ electis in regno Chriſti promiſſæ nutriti ſunt, & poſt hæc omnia prolapſi ſunt in grave aliquod peccatum, & a gratia baptiſmali exciderunt, per Pœnitentiam recuperare gratiam illam renovationis & regenerationis in baptiſmo collatam. Quantum enim in ipſis eſt Filium Dei iterum crucifigunt, & ludibrio exponunt. Græci Commentatores ita locum illum Apoſtoli explicant, ut alterum baptiſmum non ſupereſſe doceat, ex quo gratiam renovationis per primum collatam, & per ſubſequens peccatum amiſſam, recuperari poſſe ſperetur. Unus pro omnibus audiatur Theodoretus. ,, Omnino, *inquit*, fieri non ,, poteſt, ut qui ad ſanctiſſimum Baptiſmum acceſſe-,, runt, & gratiæ divini Spiritus participes, & æter-,, norum bonorum typum acceperunt, iterum acce-,, dant, & alium baptiſmum conſequantur. Hoc enim ,, nihil eſt aliud quam Filium Dei rurſus crucifi-,, gere, & eadem qua affectus eſt ignominia rurſus ,, afficere. Sicut enim ipſe ſemel paſſionem ſuſtinuit, ,, ita nos ſemel oportet paſſionis ejus eſſe participes. ,, Conſepelimur autem cum eo per Baptiſmum, & ,, una cum eo reſurgimus. Fieri ergo non poteſt ut ,, dono Baptiſmi iterum fruamur. Hæc autem di-,, xit divinus Apoſtolus, Judæos qui crediderunt do-,, cens, ne exiſtimarent ſanctiſſimum Baptiſmum ,, ſimilem eſſe baptiſmis Judaicis. Illi enim non ſol-,, vebant peccata, ſed corporis quæ videbantur ſor-,, des purgabant. Qua de cauſa & multi & frequen-,, ter adhibebantur. Hic vero unus eſt, ut qui ſa-,, lutaris paſſionis & reſurrectionis typum habeat, & ,, futuram nobis reſurrectionem prædeſignet. Nova-,, tiani hæc verba objectant adverſus veritatem, non ,, intelligentes divinum Apoſtolum non prohibuiſſe ,, medicamenta Pœnitentiæ, ſed divini Baptiſmi de-,, finitionem docuiſſe. Unde ſubjunxit: *Rurſus cru-,, cifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & traducentes ac ,, ignominia afficientes.* Divinum enim Myſterium eſt ,, ignominia afficere, bis ejuſdem eſſe participem. ,, Quod enim ubique prædicat Pænitentiam, teſtan-,, tur quæ ab ipſo ſcripta ſunt ad Corinthios, te-,, ſtantur etiam quæ ad Galatas. Et ubique demum ,, ſermones iſtos diſſeminat.

Secundum Græcum, vertendum *renovare*, ſed idem eſt ſenſus. Ad miniſtros referendum eſſet hunc in modum: *Impoſſibile eſt ut Eccleſiæ Miniſtri eos per Pœnitentiam renovent qui poſt Baptiſmum prolapſi ſunt, ita ut illis reſtituant innocentiam baptiſmalem* Sive, impoſſibile eſt ut alterum illis baptiſma tribuant.

7. 8. *Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens autem ſpinas & tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima: cujus conſummatio in combuſtionem.* Nam terra, cum imbrem ſæpius in ſe venientem combiberit, ſi produxerit herbam convenientem agricolis & dominis, ampliorem a Deo benedictionem accipit, faciente ut fruges perveniant ad maturitatem. Si vero quantumvis bene culta, & irrigata, ſpinas tantum & tribulos proferat, deſeritur ab agricola dominoque fundi, & brevi futurum eſt ut dominus illam exſecretur, & igne ſuccendat, ut ſpinas & tribulos, herbaſque inutiles ſtirpitus exurant.

Imbrem metaphorice appellat cœleſtem doctrinam & gratiam, & ex ſimilitudine oſtendit quænam bona percipiant, qui pietatis maturos fructus producunt: quod autem ſint paſſuri, qui ſpinas germinant peccatorum. Bonorum operum meritum.

9. 10. *Confidimus autem de vobis, dilectiſſimi, meliora, & viciniora ſaluti: tametſi ita loquimur.* Sed de vobis, amantiſſimi fratres, mihi perſuaſi meliora, quæque ſalutem promittant potius quam exitium, tametſi terræ maledictæ, ſpinarum & ignis comparationibus & figuris utamur. *Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius, qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis.* Non enim injuſtus eſt Deus, ut deſit promiſſis ſuis, non retribuens bonis operibus veſtris mercedem, præſertim caritati, quem exhibuiſtis, & etiamnum exhibetis pauperibus Chriſtianis, ſubminiſtrantes ipſis neceſſaria ſubſidia.

11. 12. *Cupimus autem unumquemque veſtrum eamdem oſtendere ſollicitudinem ad expletionem ſpei uſque in finem: Ut non ſegnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide & patientia hereditabunt promiſſiones.* Optamus autem ut unuſquiſque veſtrum idem ſtudium bonorum operum, eundemque zelum uſque in finem exhibeat, ut ſpes veſtra compleatur, id eſt, ut quam ſperatis æternæ vitæ beatitudinem, perſeverantibus in bono a Deo promiſſam, conſequamini: & ne ſegnes ſitis ad bona opera, ſed imitatores ſanctorum efficiamini, qui per fidem & longanimitatem, rerumque adverſarum tolerantiam, cœleſtem hereditatem a Deo promiſſam obtinent.

Græce, κληρονομούντων, *hereditantium*. Syriaca Verſio: *Qui fuerunt heredes promiſſionis*. Participium Græcum præteriti vim hic habere, Arabica & Æthiopica Verſiones confirmant, necnon ſequens Abrahami exemplum, & Theodoretus in Commentario.

13. 14. 15. *Abrahæ namque promittens Deus, quoniam neminem habuit per quem juraret, majorem, juravit per ſemetipſum, dicens: Niſi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et ſic longanimiter ferens, adeptus eſt repromiſſionem.* Deus Abrahæ promittens longam & benedictam ſeriem poſterorum, poſſeſſionem terræ Canaam, ac cœleſtem hereditatem, cujus illa figura erat, ne quis nobis ejus per fidem heredibus relinqueretur dubitandi locus, cum neminem haberet ſe majorem per quem jurare poſſet ad promiſſi confirmationem, juravit per ſemetipſum ut omnium maximum & veraciſſimum, dicens: Certus eſto quod te beneficiis cumulabo, & numeroſam tibi dabo poſteritatem. Atque ita cum patienter exſpectaſſet, rem promiſſam conſecutus eſt, ſcilicet Iſaacum, in quo ſemen illud Abrahæ promiſſum vocandum erat, & Chriſtum ex ſuo genere naſciturum propheticis oculis vidit, & terram Canaan in ſuis poſteris poſſedit; & vitam æternam tum ipſe adeptus eſt, tum fidei ejus imitatores obtinuerunt, quotidie obtinent, & obtinebunt.

*Geneſ.* 22. 16. 17. 18.

Deus more hominum non jurat.

16. 17. 18. *Homines enim per majorem ſui jurant: & omnis controverſiæ eorum finis, ad confirmationem eſt juramentum.* Cum enim homines per eum jurent, qui major ipſis eſt, ſcilicet per Deum, qui & omnia certo novit, & ad perjurium vindicandum potentiſſimus eſt, & omnis fere quæ inter ipſos intervenit controverſia, juramento finiatur a Judice imperato, cum aliæ probationes & teſtimonia deficiunt: atque unicum id medium ſupereſt quo veritas & jus alterius partis confirmetur: propterea Deus promiſſioni ſuæ juramentum adjicere voluit. *In quo abundantius volens Deus oſtendere pollicitationis heredibus immobilitatem conſilii ſui interpoſuit jusjurandum.* Volens (inquam) Deus firmitatem & immutabilitatem Decreti ſui oſtendere ſpiritualibus Abrahæ filiis, & promiſſionis ipſi factæ heredibus, promiſſionem ſuam juramento interpoſito confirmavit: *Ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, fortiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem.* Ut duabus rebus immutabilibus innixi, promiſſione ſcilicet ac juramento Dei, in quibus impoſſibile eſt ut mentiri poſſit aut fallere, cum ſit ipſa Veritas, firmiſſimam conſolationem habeamus, quibus unicum perfugium eſt in expectatione & acquiſitione bonorum æternorum, quæ nobis ſperanda proponuntur.

19. 20. *Quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem uſque ad interiora velaminis: Ubi præcurſor pro nobis intravit Jeſus, ſecundum ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum.* Quam quidem ſpem velut anchoram animæ tenemus tutam ac firmam, quæ nos fluctuare non ſinit, & penetrantem uſque ad Sanctuarium, quod oppanſo velamine hominum oculis ſubducitur, ideſt, in cœlum ſupremum, ad Dei ſedem, cujus Sancta Sanctorum figuræ erant in Templo Salomonis: & Deum ipſum ibi apprehendit, in eoque figitur. Quod in Sanctuarium, id eſt, in cœlum Jeſus pro nobis introivit, ut præcurſor locum nobis paraturus, & pro nobis Patrem interpellaturus ut ad eum aliquando perveniamus, functus officio Pontificis æterni ſecundum ordinem Melchiſedech.

Apoſtolus cum Hebræis agens, a veteri Templo ſeu Tabernaculo allegoriam ſumit, in quo pars interior, cui nomen *Sancta Sanctorum*, inter poſito velo ſeparabatur ab ea parte ad quam populus conveniebat. Et illa quidem typus erat regni cœleſtis, iſta vero bonorum temporalium. Summus autem Pontifex ſemel quotannis introibat in *Sancta*, ſupplicaturus pro populo

---

## C A P U T VI.

*Senſus Moralis.*

1. 2. Q*Uapropter intermittentes inchoationis Chriſti ſermonem, ad perfectiora feramur, non rurſum jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum*, &c. Quam diſſimiles noſtri temporis Chriſtiani Fidelibus naſcentis Eccleſiæ! Paſtores & Prædicatores Evangelici poterant ipſis ſublimiora prædicare Myſteria, & ad Evangelicæ perfectionis apicem illos adhortari, dirigere, promovere. Non erat neceſſe iterum jacere fundamentum, ſed ſuperſtruere ædificium. De Pœnitentia ab operibus mortuis neceſſe non erat inſtituere ſermonem apud eos qui innocentiam poſt Baptiſmum ut plurimum conſervabant; de fide in Deum, apud eos quorum fides firma, conſtans, inconcuſſa, caritate animata, & bonis operibus fœcunda erat; de doctrina Baptiſmi, coram eis qui Baptiſmi obligationes & baptizatorum officia & plene noverant, & diligenter implebant; de morte & judicio, coram eis qui

Paſtores & Concionatores communes veritates ſæpius inculcare Chriſtianis coguntur



qui mori deſiderabant, & eſſe cum Chriſto, qui adventum Domini diligebant, tantum abeſt ut ſerviliter timerent. Neceſſe tunc non erat contra avaritiam, impudicitiam, luxum, ebrietatem, odia, vindictam, aliaque id genus vitia declamare. Nunc autem ita deplorati ſunt maximæ partis Chriſtianorum mores, ut Paſtores & Concionatores cogantur de Chriſtinæ Religionis elementis frequenter tractare, contra vitia e pulpitis ferventer declamare, de Chriſtianæ vitæ officiis populum docere, inſtituere de communioribus Religionis veritatibus, quas provecta jam ætate ignorant præ negligentia & ſocordia; illos Judicii divini, & inferni minis terrere, ut vel metu pœnarum peccare deſinant. Eadem denique ſuis in Sermonibus ſæpius repetere & inculcare compelluntur. Ita enim affectu ſunt maxima ex parte qui nomine Chriſtiano gloriantur, ut ſemper eadem audientes, nihilomagis ad meliorem vitam convertantur. Hoc autem non leve faſtidium bonis Paſtoribus creat. ,, Sæpe enim ,, doctorem volentem ulterius progredi, & quæ ſunt ,, magis myſtica & altiora tractare, non ſinit eo-,, rum qui diſcunt ignavia & negligentia. Nam ſicut ,, in Magiſtris ludi litterarii, ſi elementa ſemper au-,, diat puer, & ea non teneat, neceſſe erit eidem ,, puero eadem ſemper inſonare & repetere, nec prius ,, deſiſtit docere, quam illa accurate potuerit diſcere: ,, ſic etiam in Eccleſia, ſi Paſtoribus eadem ſæpe ,, prædicantibus non proficiant oves, eadem ſæpe ,, repetere & inculcare non graventur. Si enim ad ,, oſtentationem & plauſus populares captandos con-,, cionarentur, ſublimiora tractarent argumenta ad ,, auditorum admirationem commovendam. Verum ſi populi Chriſtiani ſpiritalem utilitatem, Deique gloriam unice ſpectent, & ſepoſitis aliis argumentis, altiorumque veritatum tractatione, debent in communium Religionis & Moralis Chriſtianæ veritatum expoſitione verſari; Symboli Apoſtolici articulos, Sacramentorum neceſſitatem, virtutem, & diſpoſitiones ad ea cum fructu ſuſcipienda neceſſarias vitæ Chriſtianæ regulas, bonorum & malorum fines exponere; de fide, ſpe, caritate, humilitate, patientia, de condonandis injuriis, de oratione, jejunio, eleemoſyna, aliiſque virtutibus & bonis operibus diſſerere; de luxu, avaritia, uſuris, ludis aleatoriis, impudicitia, ebrietate, vindicta, fraudibus, blaſphemia & juramentis, maledicentia & calumnia, aliiſque vitiis in mundo regnantibus, ab homine Chriſtiano fugiendis, vehementer perorare. Chriſtianos pudeat ad eum ſtatum per ſegnitiem & negligentiam ſuam eſſe redactos, ut cum illis quaſi cum Catechumenis & initiandis agendum ſit, & rurſus jaciendum in illis *fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, fidei in Deum, baptiſmatum doctrinæ, reſurrectionis mortuorum, & judicii æterni.* Nuſquam apud ipſos intermittere licet Paſtoribus *initium inchoationis ſermonum Chriſti*, ut eos ad perfectiora ferant . . . . . . Quid eſt autem perfectio? Vita exacta & perfecta, vita ſecundum Evangelium inſtituta. Ad hanc perfectionem tendere totis viribus tenetur Chriſtianus. Non ſemper in ſtatu incipientium ſtandum eſt, ſed tendere oportet unumquemque ad ſtatum perfectorum. *Ambula coram me*, ait Dominus Abrahamo, *& eſto perfectus.* Exiſtimare quidem debemus ſemper nos a perfectione longe remotos eſſe, vix nos incœpiſſe in ejus via incedere: *Et dixi: Nunc cœpi.* Verumtamen ſemper niti debet Chriſtianus ut tranſeat ad ſtatum perfectum . . . ,, Quæ retro ſunt obliviſcens, ,, *ait alibi Apoſtolus noſter*, ad ea autem quæ ſunt ,, priora extendens meipſum. *De virtute in virtu-,, tem progrediendum eſt.* *Nam* via vitæ non pro-,, gredi, regredi eſt . . . Jugis conatus ad perfectio-,, nem, perfectio reputatur. Quod ſi ſtudere perfe-,, ctioni eſt perfectum eſſe, profecto nolle proficere, ,, deficere eſt . . . . Vidit Jacob ſcalam, & in ſcala ,, Angelos aſcendentes vel deſcendentes; quatenus ,, palam daretur intelligi, nihil medium in hoc ſtatu ,, mortalis vitæ inter profectum & defectum omni-,, no inveniri. *Omnes igitur Chriſtianos ſpectat hæc ,, Apoſtoli ſententia:* Ad perfectiora feramur. *Id eſt*, ,, Studium adhibeamus, concupiſcamus, omnem pro ,, perfectione laborem amplectamur.

*S. Chryſoſtom. Hom.* 9.

Ad Chriſtianæ vitæ perfectionem tendere omnes & ſinguli Chriſtiani tenentur.

*Geneſ.* 17.

*Pſalm.* 76

*Philipp.* 3.

*S. Bernardus Serm.* 2. *De Purificatione B. Virginis, & Epiſt.* 245.

*Theodoret.*

4. 5. 6. *Impoſſibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati, guſtaverunt etiam donum cœleſte, & participes facti ſunt Spiritus ſancti. Guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad Pœnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.* Ex hac Apoſtoli ſententia colligitur 1. Peccata poſt Baptiſmum a Chriſtianis commiſſa longe eſſe graviora iis quæ a Paganis vel Judæis committuntur, quia hæc per ignorantiam ut plurimum fiunt; illa vero mentem ſupponunt cognitione Dei, & Filii ejus Jeſu Chriſti imbutam & illuminatam. *Qui ſemel ſunt illuminati.* Nullus igitur ignorantiæ prætextus his patrocinatur, qui poſt Baptiſmum lethalia peccata ſunt prolapſi. *In quantum ignorantia ſegregaris*, ait Tertullianus, *in tantum contumaciæ agglutinaris.* Deinde Chriſtiani peccantes Dei donis in Baptiſmo acceptis contumeliam faciunt, illa contemnunt, Deumque illorum auctorem, atque ita ſunt in ipſum non ſolum contumaces, ſed horrendum in modum ingrati. Acceperunt in Baptiſmo gratiam Jeſu Chriſti, qua interius juſtificati ſunt a peccatis, renovati, & filii Dei effecti, jus habentes ad Panem filiorum: *Guſtaverunt etiam donum cœleſte.* Præterea, Spiritum ſanctum, & per eum virtutes ac dona acceperunt, Spiritum vivificantem, & in illis velut in templis habitantem, & operantem: *Et participes facti ſunt Spiritus ſancti.* Inſuper eloquia Dei ſuper mel & favum dulciora acceperunt, quæ non tantum mentes illuminant, ſed corda reficiunt, & guſtare faciunt quam ſuavis ſit Dominus: *Guſtaverunt nihilominus bonum Dei verbum.* Pignus denique cœleſtis beatitudinis, æternæ viſionis Dei, reſurrectionis, immortalitatis, & gloriæ corporum, quas in futuro ſeculo Deus electos ſuos donabit, acceperunt: *Virtuteſque ſeculi venturi.* His omnibus abuſi ſunt, dona tam magnifica contempſerunt, qui baptiſmalis innocentiæ ſtolam amiſere, conſequenter Deum ipſum deſpexerunt. ,, Deum *certe* deſpicit, qui bonorum ,, ac malorum intellectum ab illo conſecutus, quod ,, intelligit fugiendum, quodque jam fugit, reſumens, ,, intellectui ſuo, id eſt Dei dono contumeliam facit: ,, reſpuit datorem, cum datum deſerit; negat bene-,, ficum, cum beneficium non honorat. Quemadmo-,, dum ei poteſt placere, cujus munus ſibi diſplicet? ,, Ita in Dominum non modo contumax, ſed etiam ,, ingratus apparet.

Mortalia peccata poſt baptiſmum a Chriſtianis commiſſa longe graviora ſunt, cæteris paribus, iis quæ a Paganis & Judæis committuntur.

*Tertullian. lib. De Pœnit. cap.* 5. & 6.

*Tertull. De Pœnis.*

2. Ex hac Apoſtoli ſententia colligitur, Gratiæ baptiſmalis jacturam quodammodo irreparabilem eſſe; Baptiſmum, ejuſque proprium effectum iterari non poſſe; Pœnitentiam quidem nos reconciliare Deo gratiamque, juſtitiam, & jus ad regnum cœleſte nobis reſtituere; non tamen nos renovare quemadmodum Baptiſmus, neque ad hanc novitatem & integrita-,, tem ſine magnis noſtris fletibus & laboribus, di-,, vina id exigente juſtitia, pervenire poſſe: ut me-,, rito *Pœnitentia laborioſus Baptiſmus* a ſanctis Patri-,, bus dicta fuerit. Sane & divinæ, ut diximus juſti-,, tiæ ratio exigit, ut aliter ab eo in gratiam reci-,, piantur, qui ante Baptiſmum per ignorantiam ,, deliquerint; aliter vero qui ſemel a peccati a dæ-,, monis ſervitute liberati, & accepto Spiritus ſancti ,, dono, ſcientes templum Dei violare, & Spiritum ,, ſanctum contriſtare non formidaverint. Et divinam ,, clementiam decet, ne ita nobis abſque ulla ſatisfa-,, ctione peccata dimittantur, ut occaſione accepta, ,, peccata leviora putantes, veluti injurii & contu-,, melioſi Spiritui ſancto, in graviora labamur, the-,, ſaurizantes nobis iram in die iræ. *Impoſſibile eſt eos qui ſemel ſunt illuminati, &c. & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad pœnitentiam.*

*Concil. Trid. Seſſ.* 14. *cap.* 2. & 8.

3. Ex hac Apoſtoli ſententia colligitur, Eos qui poſt Baptiſmum lethaliter peccant, Filium Dei, quantum in ipſis eſt, rurſum crucifigere, & ludibrio habere. Tanta eſt mortalis peccati malitia. *Rurſus crucifigentes ſibimetipſis Filium Dei, & oſtentui habentes.* De Alexandro Macedone, qui Calliſthenem magni nominis Philoſophum, ſibi familiarem, crudeliter occidit, propterea quod ipſi divinos honores bello Perſico confecto negandos cenſuiſſet, ait vetus Hiſtoricus: *Hoc erit Alexandri crimen æternum, Calliſthenem occidiſſe.* Quanto potiori jure dixerim: Hoc erit Chriſtiani poſt Baptiſmum lethaliter peccantis crimen æternum, Filium Dei iterum crucifixiſſe, & ludibrio habuiſſe? Igitur ,, Nihil aliud eſſe vim & facul-,, tatem Baptiſmi exiſtimare debemus, quam ſecun-,, dæ vitæ & purioris vivendi rationis pactum & ,, fœdus cum Deo initum. Ac proinde vel maximo ,, in metu omnes eſſe, atque omni cuſtodia noſtras ,, animas ſervare debemus, ne hoc pactum violaſſe ,, comperiamur. Nam cum ad mutua hominum pacta ,, firmanda Deus medius adhiberi ſoleat, quantum ,, quæſo periculum eſt, ne fœdera cum Deo ipſo ,, contracta perfregiſſe reperiamur? Idque cum nulla ,, jam poſthac altera regeneratio ſit, nec inſtaura-,, tio, nec in primum ſtatum reſtitutio, quamlibet ,, maxime eam cum multis gemitibus & lacrymis re-,, quiramus, quibus cicatrix ægre tandem obduca-,, tur . . . Grave enim eſt facilioris medicinæ loco, ,, quæ ſine labore eſt, difficiliorem, & multi laboris ,, adhibere, ac projecta miſericordiæ gratia, ſuppli-,, ciis ſeipſum obnoxium reddere. Quantam enim ,, Lacrymarum vim impendemus, ut ea cum Baptiſmi ,, fonte exæquari poſſit?

*S. Gregor. Nazianz. Orat.* 40. *In ſanctum Baptiſma.*

7. 8. *Terra enim ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. Proferens* autem

Gratiarum abuſus earum ſubtractione punitur.

*autem ſpinas & tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cujus conſummatio in combuſtionem*, Cor hominis terra & Chriſti ſanguine irrigata: in quam ſæpe deſcendunt aquæ cœleſtes verbi Dei, & gratiæ divinæ. Si fructus ſalutares bonorum operum ferat, benedicitur a Deo, qui dat ut fructus ferat uberiores in vitam æternam, *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*. Si autem anima verbo Dei, Sacramentis, & gratiis frequentibus & copioſis irrigata, contra Dei exſpectationem ſpinas & tribulos peccatorum protulerit, Deo inviſa erit, qui mandabit nubibus ne pluant deſuper, gratias ſuas illi ſubtraher, maledictio proxima erit, & niſi emendetur, igne æterno damnabitur. Nihil enim magis Dei indignationem & maledictionem provocat, quam Sacramentorum, ſanctarum adhortationum & gratiarum divinarum abuſus. Timeamus ergo.

*Pſalm. 84. 13.*

*Iſai. 3.*

*S. Chryſoſt. Hom. 10.*

„ Non ſunt
„ hæc verba hominis, non ſunt minæ Pauli, ſed
„ Spiritus ſancti: ſunt Chriſti, qui in ipſo loquitur.
„ Eſt ne ergo aliquis mundus ab his ſpinis? Quod ſi
„ etiam eſſemus mundi, ne ſic quidem confidere o-
„ porteret, ſed timere & tremere ne in nobis ger-
„ minent ſpinæ. Cum autem toti penitus ſimus ſpi-
„ næ & tribuli, undenam confidimus, & ſegnes
„ ignavique reddimur? Si is qui videtur ſtare, debet
„ timere ne cadat; qui cecidit, quam debet eſſe
„ ſollicitus ut reſurgat? Si Paulus timet ne cum aliis
„ prædicaverit ipſe fiat reprobus, nos qui reprobis
„ moribus ſumus, quam aſſequemur veniam, cum
„ nihil timeamus, ſed tamquam conſuetudinem Chri-
„ ſtianiſmum impleamus, & eo leviter defungamur?
„ Timeamus ergo: revelatur enim ira Dei de cœlo,
„ non ſolum adverſus impietatem, ſed adverſus
„ omnem iniquitatem & parvam, & magnam. Si
„ Agricolæ opera non fuiſſes cultus, ſi imbribus non
„ eſſes irrigatus, non eſſet tantum malum. *Si non*
„ *veniſſem*, inquit Chriſtus, *& eis non fuiſſem locu-*
„ *tus, peccatum non haberent*. Sæpe bibiſti, & acce-
„ piſti; cur pro fructibus ſpinas protuliſti? *Exſpecta-*
„ *vi*, inquit, *ut faceret uvas, fecit autem ſpinas*.
„ Quænam vero ſunt ſpinæ? Audiamus Chriſtum di-
„ centem, quod ſollicitudo hujus ſeculi, & fallacia
„ divitiarum ſuffocat verbum, & fit infrugiferum.

*Joann. 15.*

*Iſai. 5.*

Si ſpinæ peccatorum ſint in nobis, corda noſtra ſcindamus aratro confeſſionis, comburamus ſpinas igne caritatis, ut ignem æternum vitemus. Pluviam voluntariam ſegrega miſericors Deus, hereditati tuæ, quæ infirmata eſt, & perfice eam. Fac ut fructificet quod in ea ſeminaſti, tu qui ſolus dare potes incrementum.

10. 11. 12. *Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius; qui miniſtraſtis ſanctis, & miniſtratis*. Deus miſericordiam ſuam ex juſtitia quodammodo debet iis qui miſericordiæ opera exercent. Eleemoſyna Deum conſtituit debitorem. Cœleſtis Legiſlator pauperis fidejuſſo eſſe dignatur. Cautio & ſecuritas ab eo nata eleemoſynam erogantibus in Evangelio ſcripta & obſignata eſt.

Virtus eleemoſinæ Deum conſtituit debitorem.

*S. Cyprian. De Opere & Eleemoſyna.*

„ Regnum ſuum pro illis
„ oppignerat. Præclara & divina res eleemoſyna;
„ ſalutaris operatio, ſolatium grande credentium,
„ ſecuritatis noſtræ præſidium, munimentum ſpei;
„ tutela fidei, medela peccati, res poſita in poteſtate
„ facientis, res grandis & facilis, ſine periculo per-
„ ſecutionis corona pacis: *Verum Dei munus & ma-*
*ximum, infirmis neceſſarium, fortibus glorioſum, quo Chriſtianus adjutus perfert gratiam ſpiritalem, promeretur Chriſtum judicem, Deum computat debitorem*. Manus pauperis eſt *Gazophylacium Chriſti*: Quia quicquid pauper accipit, Chriſtus acceptat. *Da ergo, homo pauperi terram, ut accipias cœlum. Da nummum, ut accipias regnum. Da micam, ut accipias totum. Da pauperi, ut det tibi: quia quicquid pauperi dederis, tu habebis: quod pauperi non dederis, habebit alter*. Clamat Deus; *Miſericordiam volo*.

*S. Petrus Chryſolog. Serm. 8.*

„ Qui quod vult Deus, Deo negat, a Deo ſibi quod
„ deſiderat vult negari. *Miſericordiam volo*. Homo,
„ petit Deus, ſed tibi, non ſibi. *Humanam miſeri-*
„ *cordiam petit, ut largiatur divinam*. Eſt in cœlis
„ miſericordia, ad quam per terrenas miſericordias
„ pervenitur. *Domine, in cœlo miſericordia tua*. Di-
„ cturus cauſam in Judicio Dei, patronam tibi mi-
„ ſericordiam, per quam liberari poſſis, aſſume. Qui
„ de patrocinio miſericordiæ certus eſt, de venia ſit
„ ſecurus, de abſolutione non dubitet. Miſericor-
„ dia non ſolum cauſam prævenit, anticipat cogni-
„ torem, ſed etiam ſententiam revocat, abſolvit ad-
„ dictos.

*Oſee 6.*

*Pſalm. 35.*

Pleriſque peccatoribus unicum ſupereſt in eleemoſyna perfugium ad veniam peccatorum conſequendam. *Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum*. Hinc oſtenditur & probatur, quia *Sicut Lavacro aquæ ſalutaris gehennæ ignis extinguitur ita eleemoſynis atque operibus juſtis delictorum flamma ſopitur. Et quia ſemel in Baptiſmo remiſſio peccatorum datur, aſſidua & jugis operatio, Baptiſmi inſtar imitata. Dei rurſus indulgentiam largitur*). Baptiſmus ſemel datur, & ſemel veniam pollicetur, ait antiquus Pater, eleemoſynam autem quotieſcumque feceris, toties veniam promereris.

*Eccli. 3. 33. S. Cypr. loco ſupra laudato.*

Verum fruſtra de bonis operibus confidimus, niſi in eis perſeveremus. Caritas quæ langueſcit & fatigatur, digna non eſt quæ coronetur. Æterna miſericordia quam ſperamus, miſericordiam a nobis poſtulat ad finem uſque vitæ noſtræ ſollicite & indefeſſe exercendam. *Cupimus autem*, ait (Apoſtolus noſter) *unumquemque veſtrum eamdem oſtentare ſollicitudinem ad expletionem ſpei uſque in finem*. Nec deſpondere debent animum qui bene operantur, & eleemoſynas erogant, ſi temporalia negotia ipſis proſpere non cedant, ſed Dei promiſſis firmiſſime credant, earumque complementum & conſummationem cum patientia exſpectent, exemplo ſanctorum. *Ut non ſegnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide & patientia hereditabunt promiſſiones*: ut adimplendo quod cœpiſtis, conſequamini quod ſperatis. *Qui enim perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*.

In bonis operibus perſeverandum.

*Matt. 10. 22. D. c. 24. 13.*

17. 18. 19. 20. *In quo abundantius oſtendere volens Deus pollicitationis heredibus immobilitatem conſilii ſui, interpoſuit jusjurandum*. Fides & ſpes noſtra primæ ſummæque Veritatis juramento nituntur, cur dubitamus? Homini juranti creditur, Deo per ſemetipſum juranti non creditur. *O beatos nos, quorum cauſa Deus jurat! O miſerrimos, ſi nec Domino juranti credimus!* Eo melius ac firmius de ſalute noſtra ſperare debemus, quod non levitati & inconſtantiæ propriæ voluntatis noſtræ, ſed immutabili voluntatis divinæ propoſito, fideliſſimo & indeficienti promiſſo, inviolabili juramento innitatur: ſatagamus tantum ut per bona opera certam noſtram vocationem & electionem, quantum ex parte noſtra eſt, faciamus. Nullum majus ſolatium eſt animæ fideli, quam noſſe & perſuaſum habere, ſalutem ſuam eſſe in manibus Dei, qui nec in conſiliis ſuis falli, nec in promiſſis ſuis nos fallere poteſt. Quod non videmus, ſpe teneamus: quod videmus, contemnamus. Quæ enim videntur, temporalia ſunt; quæ autem non videntur, æterna ſunt. Unicum nobis in fide & ſpe ſolatium; unicum in Dei fruitione, quam in futuro ſeculo exſpectamus, & in qua omne omnis boni bonum, nobis perfugium eſt. *Ut per duas res immobiles, quibus impoſſibile eſt mentiri Deum, firmiſſimum ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendam propoſitam ſpem*. Anima noſtra navis eſt in hoc ſeculo, tamquam in mari proceloſo, ſcopuloſo, infeſto navigans ad patriam cœleſtem. Contrariis tentationum ventis, rerum adverſarum tempeſtatibus agitata, in continuis pene periculis eſt ne tempeſtate conquaſſetur, & abrepta in ſcopulos, vel in vadum illiſa pereat. Anchoram nobis ſubminiſtravit Deus optimus maximus firmam & tutam, ſpem ſcilicet bonorum cœleſtium, qua animæ noſtræ in Deo, & in bonis inviſibilibus, quæ promiſit, firmentur & ſerventur, ne tentationum procellis undique pulſatæ ſubmergantur. Id tamen ſpem inter beatæ æternitatis & navalem anchoram diſcriminis eſt. 1. Quod anchora in imo figatur, in terra hæreat; ſpes vero in ſummo, in cœlo, in Deo ipſo. Nihil enim in præſenti vita ſtabile eſt ubi poſſit anima firmari & quieſcere. 2. Anchora fracto rudente inutilis eſſe poteſt: ſpes tuta & firma eſt propter divinarum promiſſionum indeficientem certitudinem. 3. Anchora curſum navis remoratur: ſpes vero cœleſtium bonorum nos ita firmat in Deo, ut ad portum cœleſtis patriæ recto, continuo, ac proſpero curſu perducat. *Qui ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient*. Illi nos anchoræ alligemus funiculis novi Adam, vinculis caritatis, *Quam ſicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam, & incedentem uſque ad interiora velaminis*. In illo ergo figatur anchora ſpei noſtræ, qui modo velatus eſt oculis noſtris. Hanc ibi fixit Præcurſor noſter Chriſtus Jeſus, qui in cœlos aſcendit ut paret nobis locum, & Patri quaſi Pontifex æternus aſſiſtat, illique Paſſionem ſuam ac mortem offerens, nobis omnem gratiam impetret; omniaque media quibus in cœlum contendamus. *Ubi præcurſor pro nobis introivit Jeſus, ſecundum ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum*. Noſtr igitur cum ipſo converſatio in cœlis ſit. In carne ambulantes, non ſecundum carnem militemus. Jam deſiderio ibi ſimus. Ibi noſtra fixa ſint corda, ubi vera ſunt gaudia. Jam ſpem in terram viventium, quaſi anchoram præmittamus, ne in iſto mari turbati naufragium faciamus. Quemadmodum enim de navi quæ in anchoris eſt, recte dicimus quod jam in terra ſit; quamvis adhuc fluctuet, quia in terram quodammodo educta eſt contra ventos & tempeſtates: ſic contra tentationes hujus pere-

Chriſtianæ ſpei firmitas.

*Tertull. De Pœnit. c. 4.*

*S. Thomas, Lect. 3.*

*Iſaiæ 40. 31.*

*S. Auguſt. in Pſ. 64. N. 3.*



peregrinationis noſtræ, ſpes noſtra fundata in ſuperna civitate Jeruſalem, facit ne abripiamur in ſaxa, & illidamus quaſi in procella navis.

---

## CAPUT VII.

### *Senſus Litteralis*.

1. **H**ic *enim Melchiſedech Rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obviavit Abrahæ regreſſo a cæde Regum, & benedixit ei*. Melchiſedech, de quo grandem nobis ſupereſſe ſermonem ſuperius diximus, Rex fuit Salem, quæ vel Sichimorum urbs fuit in Terra Canaan, ut S. Hieronymo viſum eſt, vel Jeruſalem Judææ Metropolis, ut Joſepho & aliis placuit. Sacerdos Dei ſummi fuit, id eſt, unius verique Dei, quem ſive cum familia ſua, ſive cum ſubditis aliquibus, aut eorum majori parte colebat. Si Sacerdos igitur ex hominibus aſſumtus, & verus homo, non Filius Dei, non Spiritus ſanctus, non Dei virtus, ſive Angelus. Hic obviam ivit Abrahæ revertenti a cæde Regum, ut ei victoriam gratularetur, illumque & domeſticos milites oblatis muneribus recrearet: illique bene precatus eſt ut Dei Sacerdos.

*Geneſ. 14.* De Perſona Melchiſedechi vide Diſſertationem noſtram in Hiſtoriam Eccleſiaſticam Veteris Teſtamenti, ad 3. Mundi Ætatem, & Diſſert. 19. in Hiſtor. Eccleſ. Seculi 2. Adverſus Theodotum, & Melchiſedechianos hæreticos.

2. *Cui & decimas omnium diviſit Abraham: primum quidem qui interpretatur Rex juſtitiæ: deinde autem & Rex Salem, quod eſt, Rex pacis*. Cui, nempe Melchiſedecho, tamquam Dei Sacerdoti, & quidem ſe majori, Abraham dedit decimam partem ſpoliorum, quæ in hoc bello retulerat. Cujus in nomine latet myſterium, Melchiſedech enim Hebræorum & Syrorum lingua ſignificat, *Rex juſtitiæ*, ſive *Rex juſtus*: Salem autem exponitur *pax*. Per hæc ergo vult oſtendere Apoſtolus. Melchiſedechum typum eſſe Chriſti Domini, Regis pacifici, qui & *pax noſtra* eſt, & *juſtitia noſtra*, qui nos Deo reconciliavit per ſanguinem ſuum, & nos juſtos fecit per gratiam ſuam, & homines cum angelis inito pacis fœdere conjunxit.

3. *Sine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, aſſimilatus autem Filio Dei, manet Sacerdos in perpetuum*. Quia vero nulla in divinis Scripturis fit mentio Patris aut matris ipſius, neque genus aut progenies ejus deſcribitur, neque ortus aut obitus illius commemoratur, ſimilitudinem quamdam refert Filii Dei, & æternitatem Sacerdotii ejus repræſentat. Hæc enim Chriſto Jeſu Domino noſtro natura & vere conveniunt. Eſt enim *ſine matre* quidem ut Deus, ex ſolo enim eſt patre genitus:

Non ergo fuit Sem filius Noe, ut Samaritanis viſum eſt, teſtibus SS. Epiphanio *Hæreſi 55.* & Hieronymo, *Epiſt. ad Evagrium. S. Chryſoſt. Hom. 12. Theodoret. In Commentar.* & Dialogo II. qui inſcribitur, *Inconfuſus*.

„ *ſine patre* autem, ut homo, ex ſola
„ enim matre Virgine per partum editus eſt. *Sine*
„ *genealogia* eſt, ut Deus: non enim habet opus ge-
„ nealogia, qui ex ingenito Patre genitus eſt, *Non*
„ *habuit initium dierum*, eſt enim æterna generatio.
„ *Neque vitæ habet finem*. Immortalem enim habet
„ naturam. Ea de cauſa non Chriſtum Dominum
„ Melchiſedech, ſed Melchiſedech Chriſto aſſimila-
„ vit. Ille enim eſt Chriſti typus, Chriſtus autem
„ typi veritas. In Sacerdotio certe non Melchiſedech
„ Chriſtum Dominum imitatus eſt: ſed Chriſtus
„ Dominus Sacerdos eſt in æternum ſecundum ordi-
„ nem Melchiſedech. Eſt enim hominis fungi Sacer-
„ dotio. Dei vero ea quæ offeruntur ſuſcipere.
„ Sed tamen homo factus unigenitus Dei Filius; Sa-
„ cerdos etiam noſter factus eſt ſecundum ordinem
„ Melchiſedech; non acceſſione facta dignitatis,
„ ſed divina celata dignitate, & pro ſalute noſtra
„ ſuſcepta humilitate. De Melchiſedech porro ait,
„ quod *manet Sacerdos in æternum*, quoniam ad filios
„ non tranſmiſit Sacerdotium, quemadmodum Aaron,
„ & Eleazar, & Phinees. Qui enim ad alium heredi-
„ tatem hanc tranſmittit, videtur quodammodo pri-
„ vari dignitate, cum eam alius exerceat. Id etiam
„ alio modo intelligi poteſt. Quemadmodum enim
„ Moyſen appellamus, non ſolum Legiſlatorem,
„ ſed ipſam etiam Legem: ita Melchiſedech nomi-
„ namus & perſonam, & rem ipſam, nempe Sacer-
„ dotium. Hoc autem in Chriſto Domino, qui vitam
„ habet numquam deſituram, æternum eſt.

4. *Intuemini autem quantus ſit hic, cui & decimas dedit de præcipuis Abraham Patriarcha*. Conſiderate quantæ dignitatis hic fuerit, nempe Melchiſedech, in typo & ſignificatione, cui Abraham omnium tribuum & familiarum judaicarum Patriarcha decimas etiam dedit ex præcipuis ſpoliis, quæ bello cœperat, ſelectas. Qua decimarum oblatione minorem ſe Melchiſedecho profeſſus eſt. Hinc colligit Apoſtolus noſter Sacerdotio Levitico præcellere Sacerdotium Melchiſedeci, & multo magis Sacerdotium Chriſti, cujus typus erat.

5. *Et quidem de filiis Levi Sacerdotium accipientes, mandatum habent decimas ſumere a populo ſecundum Legem, id eſt a fratribus ſuis: quamquam & ipſi exierint de lumbis Abrahæ*. Et quidem illi qui ex tribu Levi Sacerdotium accipiunt, jus habent, ſecundum Legem, decimas exigendi a populo, id eſt, a fratribus ſuis, ex Abrahamo pariter progenitis.

*Num. 24. 18. & ſeq.* Sacerdotes, non ſolum a populo, ſed a Levitis ipſis decimas accipiebant.

6. 7. *Cujus autem generatio non annumeratur in eis, decimas ſumſit ab Abraham, & hunc, qui habebat repromiſſiones, benedixit. Sine ulla autem contradictione, quod minus eſt, a meliore benedicitur*. Hic autem, nempe Melchiſedech, qui non erat ex ſtirpe Abrahami, nec ex tribu Levi, & familia Aaronis, ſed ex alio genere & ex alia gente, decimas accepit ab Abraham: & ei qui divinas acceperat promiſſiones, ſolemni ritu benedixit ut ſummus Dei Sacerdos. Extra controverſiam autem eſt majores ſolitos eſſe benedicere minoribus cum auctoritate, ſive ex officio.

Non enim omnes filii Levi Sacerdotes erant, ſed ii tantum qui de Aaronis familia.

8. *Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt: ibi autem conteſtatur, quia vivit*. Et in Lege quidem mortales ſunt homines qui decimas accipiunt: hic autem, in hiſtoria ſcilicet Geneſis, decimas accipit Melchiſedech, de quo Scriptura teſtatur quod vivat, nulla mortis ejus aut ſucceſſoris facta mentione: quo ſilentio ſignificat illum typum eſſe Chriſti, de quo ſcriptum eſt: *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*. Vel, teſtatur Scriptura illum vivere, cujus Melchiſedech figura fuit, ſcilicet Jeſum Chriſtum, qui uſque ad interiora velaminis præcurſor pro nobis introivit, ſecundum ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum, ut ſupra dictum eſt.

Cum ait Apoſtolus generationem Melchiſedech in eis non annumerari, innuit illum vere non fuiſſe ſine genealogia, ſed in figura.

9. 10. *Et (ut ita dictum ſit) per Abraham & Levi, qui decimas accepit, decimatus eſt: Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchiſedech*. Accedit, quod Levi, qui ab aliis decimas accipit, decimas ſolvit (ut ita dicam) in perſona Abrahæ. Adhuc enim ille cum poſteris ſuis erat in Abraham proavo ſuo, quando obviavit illi Melchiſedech. Sacerdotes itaque Levitici, quotquot fuere, per Abraham decimas ſolverunt Melchiſedecho, & ab eo benedictionem acceperunt. Sacerdotium igitur Melchiſedeci, & quod per illud adumbratum eſt, Sacerdotium Chriſti, Sacerdotio Levitico longe præſtantius eſt.

Ceterum Chriſtum in Abraham decimatum, ſicut Levi, dici abſolute abſque errore non poteſt, quia etſi ſit Abrahæ filius, in ejus tamen lumbis non fuit ſecundum concupiſcentiam carnalem ſicut alii ejus poſteri, ſed ſolum ſecundum ſubſtantiam corporalem, ut loquuntur Theologi poſt S. Auguſtinum. Decimarum autem ſervitus naturalem naſcendi modum ex virili ſemine conſequitur, non ſupernaturalem. Præterea Chriſtus ita Filius eſt Abrahæ, ut & illius, & Melchiſedechi, & omnium Sacerdotum & hominum Dominus & Deus ſit; & qua homo, Sacerdos æternus, cujus eſt proinde accipere decimas, non ſolvere.

11. *Si ergo conſummatio per Sacerdotium Leviticum erat (populus enim ſub ipſo Legem accepit) quid adhuc neceſſarium fuit, ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron dici?* Si Sacerdotium Leviticum, ſub quo populus Legem accepit, perfectam ſanctificationem & reconciliationem cum Deo, juſtitiamque qua homines amici Dei & regni ejus heredes conſtituuntur, dare valuiſſet, quid præterea fuit opus alium ac diverſum exoriri Sacerdotem, a Deo per Davidem promiſſum, qui non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech diceretur?

12. *Tranſlato enim Sacerdotio, neceſſe eſt ut & Legis tranſlatio fiat*. Mutato autem & abrogato Sacerdotio, neceſſe eſt & Legem mutari atque abrogari. Lex enim Sacerdotio conjuncta eſt.

13. 14. *In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu eſt, de qua nullus Altari præſto fuit*. Ad quem enim hæc dicta ſunt, ex alia tribu ortus eſt, ex qua nullus Altari miniſtravit. *Manifeſtum eſt enim quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter: in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt*. Certiſſimum enim eſt Chriſtum Jeſum Dominum noſtrum ex Tribu Juda per Davidem ortum eſſe, ad quam Sacerdotium non pertinere, nec ex ea renuntiatos eſſe Sacerdotes, ex Moyſe conſtat. Sed & Ozias, qui Sacerdotii munus temere invaſit, lepra in arrogantiæ ſuæ pœnam multatus eſt. Quamvis autem Chriſtus ad Tribum Levi per Matrem Mariam, cujus cognata erat Elizabeth de filiabus Aaron, aliquo modo pertinere dici poſſet, non tamen infringeretur vis argumenti Apoſtolici, quia nullus Iſraelitarum abſolute cenſebatur in aliqua tribu niſi per patrem, lineamque maſculinam, ne poſſeſſionum & dignitatum confuſio fieret.

*Lex mandati Carnalis* etiam dicitur, ratione ceremoniarum; quibus Sacerdotes corpus ut plurimum repurgabant, id aſpergentes & lavantes, & pro eo ſacrificia offerebant. Neque enim pro homicidis vel adulteris ſacrificia offerre conſueverant, ſed pro feminis profluvio laborantibus, & le-

15. 16. 17. *Et amplius adhuc manifeſtum eſt; ſi ſecun-*

proſis, & iis qui tangebant oſſa mortuorum. Obſervatio eſt Theodoreti. *S. Aug. l.* 16. *De Civ. Dei, c.*22. *Pſ.* 109. Lex vetus infirma & inutilis comparate ad Legem novam,

*cundum ſimilitudinem Melchiſedech exſurgat alius Sacerdos, qui non ſecundum Legem mandati carnalis factus eſt, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis. Conteſtatur enim: Quoniam tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.* Et id manifeſtius eſt ex eo quod alius Sacerdos exortus ſit ſecundum ordinem Melchiſedechi, qui conſtitutus non eſt ſecundum Legem ſucceſſionis carnalis, propterea quod homines ſunt mortales, præcipientem, ut poſt mortem Pontificis, illius filius accipiat Sacerdotium: ſed ex virtute divina, quæ vitam ei præſtat immortalem, ut nullus ſit ſucceſſori locus. Teſtatur enim Deus per Davidem loquens ad Filium: Quoniam tu es Sacerdos æternus ſecundum ordinem & ritum Melchiſedech. In oblatione quippe Melchiſedechi *primum apparuit ſacrificium, quod nunc a Chriſtianis offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud quod longe poſt hoc factum dicitur ad Chriſtum, qui fuerat adhuc venturus in carne*: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. *Non ſcilicet ſecundum ordinem Aaron, qui ordo fuerat auferendus illuceſcentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur.*

18. 19. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus & inutilitatem.* Lex quidem vetus abrogata eſt quoad præcepta ceremonialia, propter impotentiam ejus ad hominum juſtificationem & ſanctificationem, & propter ejus inutilitatem quoad effectum ſalutis æternæ conſequendæ. Ad hos enim effectus nihil per ſe conferebat, ſed tantum ex fide in Chriſtum venturum. *Nihil enim ad perfectum adduxit Lex, introductio vero melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.* Neminem enim ad perfectam juſtitiam Lex adducit: ſed ejus loco aliquid multo melius introductum eſt, ſcilicet Lex nova & Sacerdotium Chriſti, ſpem nobis certiſſimam faciens ad Deum appropinquandi per veram interioremque juſtitiam, & eo fruendi in vita æterna.

Inutilis poſt adventum Chriſti, quoad ceremonialia præcepta, non quoad Moralia, quæ novum quoque Teſtamentum etiam cum incremento ſervare præcipit.

20. 21. 22. *Et quantum eſt non ſine jurejurando (alii quidem ſine jurejurando Sacerdotes facti ſunt; Hic autem cum jurejurando per eum qui dixit ad illum: Juravit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum.)* Accedit ad novi Sacerdotii demonſtrandam dignitatem, quod Chriſti Sacerdotium ſine jurejurando non ſit inſtitutum. Nam Sacerdotes Levitici ſine jurejurando creati ſunt: Chriſtus autem Sacerdos & Pontifex Novi Teſtamenti conſtitutus eſt cum ſolemni jurejurando Dei Patris, ut Propheta teſtatur his verbis: Juravit Dominus; & conſilium ſuum numquam mutabit: Tu es Sacerdos æternus. Ne ergo exiſtimetis fore ut Sacerdotium Chriſti aliquando deſinat, ſicut Leviticum, & aliud ejus loco ſurrogetur. Suſpicionem enim ejuſmodi excludit additum jusjurandum. *In tantum melioris Teſtamenti ſponſor factus eſt Jeſus.* Adeo verum eſt, novum Teſtamentum, cujus mediator & fidejuſſor eſt Jeſus, eſſe multo præſtantius ac firmius veteri. Vetus enim Teſtamentum ad tempus conditum erat; Novum vero in perpetuum. Vetus bona terrena ſervantibus Legem Moyſi promittebat; Novum gloriam cœleſtem & æternam ſervantibus Legem Chriſti promittit. Veteris Teſtamenti Mediator, Moyſes; Novi Mediator & ſponſor Jeſus Chriſtus verus Deus, æternique Patris Filius.

Græce, ἀπαράβατον, *intranſibile*, ſeu *inſucceſſivum*, (ſi puræ Latinitati aſſuetæ aures id vocabulum ferre poſſint) Chriſtus igitur vicarios quidem & Miniſtros habet in officio ſuo Sacerdotali, non ſucceſſores.

23. 24. *Et alii quidem plures facti ſunt Sacerdotes, quod morte prohiberentur permanere. Hic autem, eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Et Levitici quidem Sacerdotes plures ſucceſſive facti ſunt, eo quod mors prohiberet illos in Sacerdotio permanere. Hic vero, ſcilicet Chriſtus Jeſus, cum in æternum maneat, Sacerdotium habet indeſinens & ſempiternum, quod ſucceſſione transferri non poteſt.

25. *Unde & ſalvare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum: ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Quapropter plenam, perfectam, perpetuamque ſalutem præſtare poteſt illis, qui per ipſum ut Mediatorem ad Deum accedunt; ut qui ſemper vivat & ſemper apud Patrem agat Sacerdotis officium, interpellans pro nobis, quatenus homo, aſſumtam pro nobis naturam, & peracta in ea Myſteria Patri repræſentans, & ſanctiſſimæ animæ ſuæ pro ſalute noſtra deſiderium exprimens, ut Advocatus noſter. Unde S. Gregorius M. „Unigenito Filio, „ *inquit*, pro homine interpellare, eſt apud coæ„ternum Patrem ſe ipſum hominem demonſtrare: „eique pro humana natura rogaſſe, eſt eamdem na„turam in divinitatis ſuæ celſitudine ſuſcepiſſe. In„terpellat igitur pro nobis Dominus, non voce, „ſed miſeratione: quia quod damnari in electis no„luit, ſuſcipiendo liberavit. Adjutor ergo quæritur „ut deſiderium exaudiatur: quia niſi pro nobis in„terpellatio Mediatoris intercederet, ab aure Dei „proculdubio noſtrarum precum voces ſilerent. *Et* „*S. Gregorius Nazianzenus*: Chriſtus Jeſus inter„cedit nunc quoque ut homo pro mea ſalute, quo„niam cum eo corpore eſt quod aſſumſit: quoad me „humanitatis aſſumtæ vi atque potentia Deum effe„cerit, tametſi non jam ſecundum carnem cognoſca„tur, hoc eſt, ſecundum carnales noſtraſque citra „peccatum affectiones. Eodem modo Advocatum „quoque habemus Jeſum, non in noſtra cauſa ſeſe „ad Patris pedes advolventem, ſervilique modo abji„cientem: neque enim Patris eſt hoc expoſcere, „aut Filii pati: nec de Deo hoc cogitare pium atque „æquum eſt.

*S. Thomas, Lect.*4. *S. Gregor. M. l.* 22. *Moral. c.*13.

*S. Greg. Naz. Orat.* 36.

Græce ἄκακος, *ſine malitia.* *Levit.* 9. 7. 8. & *cap.* 16. 6. *S. Aug. Enchirid. c.*40.

26. 27. *Talis enim decebat ut nobis eſſet Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior cœlis factus: Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populo: hoc enim fecit ſemel ſe ipſum offerendo.* Opportebat enim talem nobis Pontificem dari, qualem jam deſcribam, *Sanctum* in perſona ſua, & Deo a principio conceptionis ſuæ conſecratum, *innocentem*, cui naturalis eſſet quodammodo gratia, qua nullum peccatum admittere poſſet; *Impollutum*, omnis maculæ expertem, quæ ex aliis contrahi & adhærere poſſit, immunem a contaminationibus illis externis, quibus Sacerdotes Aaronides obnoxii erant, utpote Legi minime ſubditum, ſed nec ullo vitio vel leviſſimo infuſcatum, Agnum ſine macula; *Segregatum a peccatoribus*, vita, moribus, conditione; excelſiorem cœlis factum, ad dexteram Patris æterni ſedentem; non jam inter homines peccatores, ut Sacerdotes Levitici, ſed in templo cœleſti, in ſplendoribus ſanctorum, Sacerdotii ſui munus æternum obeuntem. Cui non ſit neceſſe, ut Sacerdotibus Leviticis, quotidie victimas offerre, pro ſuis primum, deinde pro populi peccatis. Hoc enim ſemel, ſeipſum offerendo in altari crucis, fecit; non pro ſuis, quæ nulla habuit, nec habere potuit, ſed pro omnium hominum peccatis expiandis.

*Exod.* 12. 5.

28. *Lex enim homines conſtituit Sacerdotes infirmitatem habentes: Sermo autem jurisjurandi, qui poſt Legem eſt, Filium in æternum perfectum.* Lex enim Moſaica homines obnoxios peccatis Sacerdotes conſtituit: verbum autem Dei juramento firmatum poſt Legem datam, conſtituit Pontificem Chriſtum Jeſum Dei Filium, in omnem æternitatem perfectum, qui nec peccare poſſit, nec mori.

---

## CAPUT VII.

### *Senſus Moralis.*

*S. Aug. lib.*12. *contra Fauſtum, c.*7. & *alibi.*

1. *HIc enim Melchiſedech, Rex Salem, Sacerdos Dei ſummi, qui obviavit Abrahæ regreſſo a cæde Regum, & benedixit ei.* Teſtamentum vetus recte intelligentibus prophetia eſt Novi. Ubique in figuris Chriſtus occurrit, & reficit mentes legentium, vel audientium, & credentium. Omnia quæ in illis libris continentur, vel de Chriſto dicta ſunt, vel propter ipſum. Sed propter exercitationem quærentis, & delectationem invenientis, multo plura ibi per allegorias & ænigmata, partim verbis ſolis inſinuantur, partim etiam facta narrantur. Verumtamen niſi aliqua ibi manifeſta eſſent, non comprehenderetur ſenſus quo ibi obſcura clareſcerent. Quamquam & ex illis quæ figuris involuta ſunt, ſi quædam velut ſub uno aſpectu quaſi contexta ponantur, ita conjungunt in conteſtatione Chriſti voces ſuas, ut cujusvis obtuſi ſurditas erubeſcat. Inter Chriſti Jeſu Salvatoris noſtri typos inſignis Melchiſedech. Rex ſimul fuit & Sacerdos. Chriſtus Regis ſimul & Sacerdotis nomen habet, dignitatem, auctoritatem. Rex eſt ut populum ſuum regat, ab hoſtibus defendat, peccati ac dæmonis victorem efficiat. *Ego autem*, inquit, *conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus.* Rex juſtitiæ, & pacis. *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis.* Judicabit *in juſtitia pauperes.* Juſtitia noſtra factus eſt, ſuaque juſtitia nobis per Spiritus ſancti ſubminiſtrationem, & gratiam ſanctificantem communicata nos vere interiuſque juſtos efficit. *Juſtificabit ipſe juſtus ſervus meus multos; & iniquitates eorum ipſe portabit.* Ipſe eſt *pax noſtra*, qui nos cum Deo reconciliavit, & pacem æternam in cœleſti Jeruſalem Dei fruitione conſummandam nobis promiſit. *Poſuit fines tuos pacem.* Chriſtus non ſolum Rex noſter eſt, ſed & Sacerdos qui membra ſua conſecrat, ſanctificat, & benedicit omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus, ut cum ipſo ſacrificium æternum caritatis & laudis Deo offerant. *Tu es Sacerdos in æternum*, Fecit nos per ſanguinem ſuum Reges & Sacerdotes: *Redemiſti nos in ſanguine tuo: & feciſti nos Deo noſtro regnum & Sacerdotes . . . Vos autem genus electum*,

Teſtamentum vetus prophetia novi.

Melchiſedech typus Chriſti.

*Pſalm.* 2. 6. *Pſalm.* 71. 9. *Iſai.* 11. *Iſai.* 7. 53. 11. *Pſalm.* 147. *Pſalm.* 109.

*Apocal.* 5. 1. *Petri* 2. 9.



*electum, regale Sacerdotium, gens ſancta.* Reges erimus, ſi cupiditatibus noſtris dominemur, ſi juſtitiam diligamus, & odio habeamus iniquitatem; ſi pacem, quæ tranquillitas eſt ordinis, in nobis ſervemus, corpore animæ ſubdito, appetitu ſentiente rationi obediente, anima Deo ſerviente; ſi pacem quantum in nobis eſt, cum omnibus habeamus; qui fructus eſt caritatis. Sacerdotio illo communi Chriſtianorum fungemur, ſi Deo ſacrificium cordis contriti & humiliati offeramus, ſi de bonis carnis caſtitatem, jejunia, vigilias Deo immolemus, ſi thus ſuaviſſimum orationis in corde noſtro Deo adolere non deſinamus. Cæterum Chriſti ſummi Sacerdotis noſtri benedictionem non obtinebimus, niſi victores fuerimus mundi, carnis, peccati, diaboli. Nec enim Melchiſedech Chriſti typus obviavit Abrahæ niſi victori, & *regreſſo a cœde regum, & benedixit ei.* Vos vero qui ſingulari ratione Sacerdotii Chriſti participes eſtis, Miniſtri Domini, ad novæ Legis juge Sacrificium offerendum, Corpus ejus & Sanguinem, & ad cætera ejus Sacramenta fidelibus diſpenſanda conſecrati & ordinati; vos indignos eſſe Sacerdotio noveritis, niſi regnantes in vobis cupiditates viceritis, & principes tenebrarum profligaveritis. Qui Chriſtiani populi regimini præpoſiti eſtis, Regum & Sacerdotum munus implete; in bello ſpirituali duces eſtote ſubditis, ipſos omni modo juvate & adhortatione & exemplo, ut victores ſint peccati & diaboli. Dei benedictionem ſacrificiis & orationibus veſtris in oves curæ veſtræ commiſſas advocate. Date operam ut juſtitia & pax ab omnibus diligantur, & colantur; ut fraudes, inimicitiæ, contentiones, lites eliminentur.

Decimæ Paſtoribus ſolvendæ.

*Apocal.* 12. Divites decimas ſaltem bonorum ſuorum temporalium Chriſto in pauperibus dare tenentur.

2. *Cui & decimas omnium diviſit Abraham*, &c. Non decimas tantum & primitias Chriſto Jeſu Salvatori noſtro debemus. Omnia per ipſum ad Deum referamus, ſi veri ſumus Abrahæ filii, pias cogitationes, ſancta deſideria, bona opera, juſtitiam noſtram, tentationum victoriam: ſiquidem vincimus diabolum *propter ſanguinem Agni.* Quod vero ſpectat bona temporalia, Chriſtiani Paſtoribus ſuis decimas & honoraria Eccleſiæ Lege vel conſuetudine præſcripta, propter Deum religioſe ſolvant, ut benedictionem accipiant a Chriſto, cujus Miniſtri ſunt, & Myſteriorum diſpenſatores: magnum lucrum exiſtimantes plenitudinem ſpiritualium bonorum conſequi eorum Miniſterio, quibus tam exiguam fructuum temporalium partem ad vitæ ſuſtentationem dividunt. Chriſtiani denique bonis terrenis divites Abrahamum imitentur, & vero Melchiſedech Chriſto Domino Regi pacis & juſtitiæ, Pontifici & Mediatori noſtro decimas omnium in pauperibus offerant. Id juſtitiæ eſt, immo Chriſtianæ juſtitiæ parum eſt. Nam & Phariſæi decimas dabant. *Jejuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo.* Et quid ait Dominus? *Niſi abundaverit juſtitia veſtra plus quam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* „Et ille ſuper quem debet abundare juſtitia totas „decimas dat, tu autem nec milleſimam das. Quo„modo ſuperabis eum, cui non æquaris? . . . . . „Cur in opere bono non attenditur ille Zachæus, „qui dimidium rerum ſuarum dedit pauperibus? „Sed optare cogimur ut attendatur ſaltem ille Pha„riſæus, qui omnium quæ poſſidebat decimas da„bat.

*Luc.* 18. 12. *Matth.* 5. 20. *S. Auguſtin. Pſalm.* 146. *N.*17. *Luc.*19. 8. *S. Auguſtin. Serm.* 9. *De Decem Chordis. N.* 19.

3. *Sine patre, ſine matre, ſine genealogia*, &c. Novæ Legis Sacerdotes de carnalis generis claritate gloriari non decet. Nobilitas illorum in virtutis, & juſtitiæ perfectione ſita ſit. *Hæ ſunt generationes Noe*, inquit Scriptura, *Noe vir juſtus atque perfectus.* „Sicut enim hominum genus homines, ita animarum genus virtutes. Parentes & cognatos in iis quæ ſacrum Miniſterium, & Dei opus, Eccleſiæque ſpectant negotia, officiaque ſua, non reſpiciant. Chriſtum Pontificem noſtrum imitentur, qui in iis, quæ Patris ſui erant, parentes non conſuluit, non reſpexit. Ita ſe gerant in Dei & Eccleſiæ rebus, quaſi parentes & conſanguineos non haberent. Ideo novæ Legis Sacerdotium non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech inſtitutum eſt, „Ut ceſſante privilegio Patrum, & fami„liarum ordine prætermiſſo, Eccleſia Rectores acci„piat, quos Spiritus ſanctus præparavit: ut in po„pulo adoptionis Dei, cujus univerſitas Sacerdotalis „atque Regalis eſt, non prærogativa terrenæ origi„nis obtineat unctionem, ſed dignatio cœleſtis gra„tiæ gignat Antiſtitem. *Sibi omnino* interdictum „eſſe noverint Paſtores & quicumque Eccleſiaſtica „Beneficia obtinent, ne ex reditibus Eccleſiaſticis „conſanguineos familiareſve ſuos augere ſtudeant, „cum & Apoſtolici Canones prohibeant, ne res Ec„cleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; „ſed ſi pauperes ſint, iis ut pauperibus diſtribuant. Denique ſancta ſynodus Tridentina illos monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquoſque carnis affectum, unde multorum malorum in Eccleſia ſeminarium exſtat, penitus deponant.

*S. Ambroſ.*

Novæ Legis Sacerdotes ita ſe gerere debent in Dei & Eccleſiæ rebus, quaſi parentes & conſanguineos non haberent.

*S. Leo Serm.* 2. *Concil. Trid. Seſſ.*25. *cap.* 1.



7. *Sine ulla contradictione, quod minus eſt a meliore benedicitur.* Poteſtas benedicendi fidelibus ſolemni ritu, Sacerdotalis dignitatis demonſtrat eminentiam: nemo fidelium caput ipſis benedicentibus non inclinat, certus illos Chriſti auctoritate benedictionem dare, & Chriſtum Religionis noſtræ & futurorum bonorum Pontificem, nobis inviſibiliter benedicere, cum ejus Miniſtri, qui unum cum ipſo Sacerdotium habent, nobis bene precantur. Quanta ergo illis exhibenda reverentia! Quam humilis & religioſa obedientia in iis, quæ illorum Miniſterium, & animarum noſtrarum ſalutem ſpectant! Tanto certe majori proſequendi ſunt veneratione, quanto Chriſtianum Sacerdotium Levitico excellentius eſt. Illud namque Deum, ut par eſt, honorare; homines ſanctificare & perficere non valebat. Illud vero, ſcilicet Chriſti Sacerdotium, omnem cœli terræque Religionem in ſeſe colligit, Deo dignam victimam per Filium ejus Jeſum Chriſtum, ipſiuſmet Corpus immaculatum & Sanguinem pretioſum offert; homines Deo plene reconciliat, ſanctificat, perficit.

Reverentia Sacerdotibus exhibenda.

11. *Si ergo conſummatio per Sacerdotium Leviticum erat . . . . . Quod adhuc neceſſarium fuit ſecundum ordinem Melchiſedech alium ſurgere Sacerdotem, & non ſecundum ordinem Aaron?* Nullum opus ſalutare, Deoque acceptum facere, nullam benedictionem ſpiritualem, nullum præmium ſperare poſſumus niſi per Chriſtum Jeſum ſummum Sacerdotem & Mediatorem noſtrum. Illi ergo intimo caritatis affectu conjuncti, nunquam ab eo diſcedamus, & per ipſum, cum ipſo, & in ipſo Deum adoremus, omnia opera noſtra in ſpiritu Sacrificii ab eo Patri pro nobis oblati peragentes, ut ad juſtitiæ perfectionem, quæ in futuro tantum ſeculo in electis erit, per ejus miſericordiam pervenientes, cum eo conſummati ſimus in unum.

Nullam benedictionem ſpiritualem poſſumus, niſi per Jeſum Chriſtum ſummum æternumque Sacerdotem.

12. *Translato enim Sacerdotio, neceſſe eſt ut & Legis translatio fiat.* Felices nos, qui ſub Nova Lege & Chriſti Sacerdotio vivimus! Legem habemus, non in tabulis lapideis, ſed in cordibus ſcriptam per caritatem, quæ illius plenitudo eſt. Illam implere totis viribus ſtudeamus; non timore pœnæ, ut Judæi carnales Legem veterem, ſed amore juſtitiæ; non temporalium intuitu bonorum, ſed ſpe cœleſtium & æternorum. Alioquin externa ſolum profeſſione & nomine Chriſtiani, animo vero & re ipſa Judæi erimus: cum e contrario veteres juſti, qui tempore Moſaicæ Legis & Levitici Sacerdotii vivebant, *habentes eumdem Spiritum fidei in Chriſtum, non nomine, ſed re ipſa eſſent Chriſtiani.*

*S. Aug.* 3. *ad Bonifac. c.* 4.

13. 14. 15. 16. *In quo enim hæc dicuntur, de alia tribu eſt, de qua nullus altari præſto fuit. Manifeſtum eſt enim quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter, in qua tribu nihil de Sacerdotibus Moyſes locutus eſt.* Quemadmodum Chriſtus Dominus, qui Rex eſt æternus, Pontifex noſter appellatus eſt: ita etiam Judæ tribus regia Sacerdotium per Dominum adepta eſt. Qua in re admirandum Myſterium declaratur novæ Legis Sacerdotibus Chriſti Miniſtris, illos ſcilicet, ut Sacerdotio digne fungantur, regio animo eſſe debere, carnalibus affectibus, omnibuſque mundi terroribus, ac promiſſis ſuperiores, nulli cupiditati ſervientes, ad regnum Chriſti propagandum ſancto zelo accenſos; caritate ferventes ad gloriam Dei & animarum ſalutem procurandam: quæ caritas non anguſtis finibus coarctetur, ut vetus Sacerdotium uni tribui Levi addictum, ſed tam late pateat quam Sacerdotium novæ Legis quo ſunt ornati, & ad omnes homines extendatur, quorum Mediator & Pontifex eſt Chriſtus Jeſus. . . Cor cupiditate coarctatur, caritate dilatatur. *Os noſtrum patet ad vos, o Corinthii, cor noſtrum dilatatum eſt*, ait Apoſtolus noſter. Vitam denique ſuam vitæ Chriſti immortali, quantum in ipſis eſt, conforment Sacerdotes, in carne viventes non ſecundum carnem vivant, uni Deo vivant, non mundo, mortem animæ per peccatum, quam nemo incurrit invitus, ſtudioſe vitent, concupiſcentiam doment, ſenſus cuſtodiant & mortificent, ne mors intret per feneſtras; ut ſimiles ſint Chriſto, *Qui non ſecundum Legem mandati carnalis, ſed ſecundum virtutem vitæ inſolubilis, Sacerdos noſter factus eſt.*

*Theodoret.* Sacerdotum novæ Legis officia, ſanctæque diſpoſitiones.

2. *Cor.* 6. 11.

18. 19. *Reprobatio quidem fit præcedentis Mandati, propter infirmitatem ejus & inutilitatem: Nihil enim ad perfectum adduxit Lex: Introductio vero melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.* Lex & Sacerdotium vetus homines Deo reconciliare & juſtificare non potuerunt. Id novæ Legi, Chriſti Sacerdotio, & gratiæ proprium. „Uſque adeo aliud eſt Lex, „aliud gratia, ut Lex non ſolum nihil proſit, ve„rum etiam plurimum obſit, niſi adjuvet gratia; „& hæc oſtendatur Legis utilitas, quoniam quos „facit

Veteris Legis infirmitas: virtus & excellentia Novæ.

*S. Aug. lib. De Gratia Chriſti, cap.*8.

„ facit prævaricationis reos, cogit confugere ad gra- „ tiam liberandos, & ut concupiſcentias malas ſupe- „ rent adjuvandos. Jubet enim magis quam juvat; „ docet morbum eſſe, non ſanat; immo ab ea potius „ quod non ſanatur augetur, ut attentius & ſollici- „ tus gratiæ medicina quæratur. Quia littera occi-

*1. Cor. 3. 6.*

dit, Spiritus autem vivificat. Lex vetus baculo Giezi a Propheta tradito ſimilis, mortuum hominem tan-

*Galat. 3. 22. S. Auguſtin. paſſim.*

git, ſed vitam non reſtituit. *Si enim data eſſet Lex quæ poſſet vivificare, omnino ex lege eſſet juſtitia.* Teſtamentum vetus ad veterem hominem pertinet, Evangelium & Sacerdotium Chriſti ad Novum. Vetus Teſtamentum ad timorem, Novum ad caritatem. Sacramenta veteris ſignificabant & promittebant Salvatorem: Novi Sacramenta conferunt ſalutem. Vetus promittebat bona terreſtria: Novum cœleſtia & æterna. Vetus Teſtamentum ſervos; Gratia novi Teſtamenti per Chriſtum Jeſum ſummum Sacerdotem, filios & heredes Dei efficit, *Introductio melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum.* Reprobatum eſt

*S. Joannes Chryſ. Hom. 13. & Theophylact.*

„ (inquit) præceptum legale: ſuperinducta vero eſt „ ſpes, non qualis erat Judaica; ſperabant enim illi, „ ſi Deo placerent, ſe terra potituros, hoſtibus item „ ſuperiores ſe futuros, adeoque omnino corporalia „ bona ſperabant. Noſtra vero ſpes non eſt ejuſmo- „ di, ſed multo potior: cœlum enim ſperamus, ac ut „ vicini ſimus Deo, atque aſſiſtamus ac miniſtremus „ ei una cum Angelis. In ſuperioribus enim dixit, „ Ingredientem in interiora velaminis, nunc autem, „ *per quam proximamus ad Deum.* Spes enim nos „ ducit ad ipſum divinum Thronum atque cum Che-

*Matth. 5.*

rubin nos collocat. Ut autem ſpes noſtra compleatur, ſpiritum ſequamur novæ Legis nos ad perfectionem ducentis. *Eſtote perfecti, ſicut & Pater veſter cœleſtis perfectus eſt.* Abrahamo veteris Teſtamenti diſpenſatori, heredi novi, repetitis promiſſionibus, & Iſaaci nativitate proxime futura, dicit Dominus:

*Geneſ. 17. 1.*

*Ego Deus omnipotens, ambula coram me, & eſto perfectus.* Quo ſignificatum eſt, Chriſtianos, quibus Chriſtus Jeſus natus eſt, & quibus regni cœleſtis facta eſt promiſſio, ad juſtitiæ perfectionem ſtudiis & conatibus omnibus contendere debere, coram Deo ambulando, in via mandatorum ejus, & omnia opera ſua, quaſi eo præſente faciendo.

22. 24. 25. *In tantum melioris Teſtamenti ſponſor factus eſt Jeſus.* Sponſorem ſeu fidejuſſorem ſe Chri-

Vide Homiliam. *De Incarnatione Tom. 5. Operum S. Chryſ.*

ſtus exhibuit. 1. Hominibus pro Deo, ſcilicet Deum fœdus Evangelicum, præſtare velle, modo nos conditiones ipſius præſtemus, fidem, obedientiam Evangelicis mandatis, perſeverantiam in bono uſque in finem. 2. Sponſorem ſe præbuit Deo pro hominibus, plene & ſuperabundanter pro illis ſatisfaciendo, & ſanguine ſuo fædus hoc novum ſanciendo & confirmando. „ Quoniam (*inquit Theodoretus*) novum

*Theodoret. in Comment.*

„ Teſtamentum regnum cœlorum nobis polliceba- „ tur, & mortuorum reſurrectionem, & vitam æ- „ ternam, horum autem nihil adhuc cernebatur, „ jure ejus ſponſorem ſeu fidejuſſorem Dominum Je- „ ſum nominavit, qui per ſuam quidem reſurrectio- „ nem reſurrectionis noſtræ ſpem confirmavit: ſuam „ autem reſurrectionem miraculis quæ ab Apoſtolis „ fiebant tradidit, ac certiſſime credendam probavit.

Chriſtus Sponſor noſter ac fidejuſſor, & advocatus apud Patrem.

Quod ex parte ſua erat ſponſor noſter adorandus implevit; nos quod noſtrum eſt fideliter impleamus. Id vero quia ex nobis non poſſumus ob infirmitatem, confugiamus ad Chriſtum Jeſum mediatorem noſtrum, qui, *Eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium.* Ejus enim auctoritati & Sacerdotali Miniſterio mors finem non attulit, ut contigit in Sacerdotibus Leviticis: ſed per mortem & reſurrectionem æterni Sacerdotii ſui functiones ingreſſus eſt, mortis ejuſdem ſacrificium & meritum pro nobis perenniter offerens Deo Patri. *Unde & ſalvare poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum: ſemper vivens ad interpellandum pro nobis.* Vulnerum enim, quæ pro nobis paſſus eſt, & quorum cicatrices in corpore redivivo & glorioſo ſervavit, repræſentatio, legatio quædam eſt & interpellatio ad Patrem. Quæ cum ita ſint, orationes noſtras Chriſto pro nobis Patrem interpellanti commendemus, & quicquid eſt boni ſalutaris, quod in ejus nomine poſtulamus, nos impetraturos confidamus, Quid enim a Rege non obtineat, qui filium regis Mediatorem habet. Quid a Deo non impetret, qui Dei Filium advocatum ha-

*S. Auguſt. in Pſ. 85.*

bet apud Patrem? „ Nullum majus donum præſtare „ Deus poterat hominibus, quam ut Verbum ſuum, „ per quod condidit omnia, faceret illis caput, & „ illo ei tamquam membra coaptaret; ut eſſet Filius „ Dei & filius hominis, & unus Deus cum Patre, „ unus homo cum hominibus; ut & quando loqui- „ mur ad Deum deprecantes, non inde Filium ſepa- „ remus; & quando precatur corpus Filii, non a ſe „ ſeparet Caput ſuum, ſitque ipſe unus Salvator „ corporis ſui Dominus noſter Jeſus Chriſtus Filius „ Dei, qui & oret pro nobis, & oret in nobis, & oretur a nobis, *Orat pro nobis, ut Sacerdos noſter; orat in nobis, ut caput noſtrum; oratur a nobis, ut Deus noſter.*

26. 27. *Talis enim decebat ut eſſet nobis Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus & excelſior cœlis factus. Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: Hoc enim fecit ſemel ſeipſum offerendo.* Chriſtus natura ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, ipſa divinitate unctus præ conſortibus ſuis; *Non operatione, ſed totius ungentis præſentia, cujus hic effectus eſt, ut quod ungit, homo nuncupetur, & quod ungitur, Deus fiat.* Ex hoc fonte derivata eſt impeccantia, qua Chriſtus etiam ut homo ab initio conceptionis ſuæ præditus fuit. Quemadmodum enim

Chriſti Pontificis noſtri ſanctitas novæ legis Sacerdotibus imitanda.

*S. Gregor. Nazianz. Orat. 35.*

maſſa ferri ſemper in fornace permanens, & omnibus ſuis poris ac venis ignem excipiens, frigori obnoxia non eſt, & nihil in ea niſi ignis cernitur; & „ qui eam tractare tentaverit, non ferri, ſed ignis „ vim ſentiet: ita Chriſti Jeſu anima, quæ quaſi „ ferrum in igne, ſic ſemper in Verbo, ſemper in „ Sapientia, ſemper in Deo poſita eſt, omne quod „ ſentit, quod agit, quod intelligit, Deus eſt: & „ ideo nec convertibilis, nec mutabilis dici poteſt, „ quæ inconvertibilitatem ex Verbi Dei unitate in- „ deſinenter ignita poſſedit. Ad omnes denique ſan- „ ctos calor aliquis verbi Dei putandus eſt perve- „ niſſe, in hac autem anima ipſe ignis divinus ſub- „ ſtantialiter requieviſſe credendus eſt, ex quo ad „ ceteros calor aliquis venerit. Denique quod dixit, „ quia, *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ* „ *participibus tuis*, oſtendit quod aliter iſta anima „ oleo lætitiæ, id eſt Verbo Dei ungitur, & aliter „ participes ejus, id eſt, ſancti Prophetæ & Apo- „ ſtoli, Illi enim in odore unguentorum ejus cucur- „ riſſe dicuntur; iſta autem Anima vaſculum unguen- „ ti ipſius fuit, ex cujus fragrantia participantes di- „ gni quique Prophetæ fiebant, & Apoſtoli. Sicut „ ergo aliud eſt unguenti ſubſtantia, aliud odor ejus; „ ita aliud eſt Chriſtus; & aliud participes ſui. Et „ ſicut vas ipſum, quod ſubſtantiam continet unguen- „ ti, non poteſt aliquid recipere fœtoris, hi vero „ qui ex odore ejus participant, ſi ſe paulo longius „ a fragrantia ejus removerint, poſſibile eſt ut in- „ cidentem recipiant fœtorem; ita Chriſtus, velut „ vas ipſum in quo erat unguenti ſubſtantia, im- „ poſſibile fuit ut contrarium reciperet odorem. Par- „ ticipes vero ſui, quam propinqui fuerint vaſculo, „ tam odoris erunt participes & capaces. “ Solus igitur Chriſtus *Lux vera* eſt, in qua tenebræ non ſunt ullæ, ſolus nulla prorſus peccati aſperſus macula eſt: *Qui peccatum non fecit nec inventus eſt dolus in ore ejus*: ſolus *Sanctus ſanctorum*, unctus plenitudine divinitatis in ipſo corporaliter inhabitantis, Solus, quæ Dei ſunt, ut eſt dignum Deo, immutabiliter ſapit, & perpetuo facit quod illi placitum eſt. Verumtamen quamvis nullus Sacerdotum Chriſti Jeſu Miniſtrorum, quemadmodum ipſe, ſanctitate naturali & impeccantia præditus eſſe poſſit, neminem ad Sacerdotium promovere vult Eccleſia, niſi qui vel baptiſmalem innocentiam fideliter ſervaverit, vel occultas prioris vitæ maculas diuturna Pœnitentia diluerit. Non ſunt promovendi ad regimen Eccleſiæ, qui adhuc vitiis ſubjacent. „ Hinc præceptum eſt „ David non ædificare viſibile Templum, quia ſan- „ guinum vir belli frequentia eſſet; qua figura illi „ ſpiritualiter admonentur, qui vitiorum adhuc cor- „ ruptioni ſunt dediti, ne Templum ædificent, hoc „ eſt, Eccleſiam docere præſumant..... Non debet „ honoris ducatum ſuſcipere, qui neſcit ſubjectis „ tramite vitæ melioris præire. Neque enim quiſ- „ quam ad hoc tantum præficitur ut ſubditorum cul- „ pas corrigat, & ipſe vitiis ſerviat. Eum qui poſt „ Baptiſmum aliquo peccato mortali corruptus eſt, „ Sacerdotio indignum eſſe, Lex ipſa ſignificat. „ Moyſes enim in Lege præcepit ne aliquod pecus „ vitiatum ad Aram Deo offeratur. „ *Qui ergo in erudiendis atque inſtituendis ad virtutem populis præerit, neceſſe eſt ut in omnibus ſanctus ſit.* Hinc in lamina aurea, quam Aaron & ejus in ſummo Legis Sacerdotio ſucceſſores ex Dei mandato in fronte gerebant, ſculptum erat, *Sanctum Domino.* Quicumque ergo Sacerdotii Chriſti participes ſumus, ſanctitatem ejus imitemur. Omnis converſatio noſtra, verba, opera, ſanctitatem ſpirent ac populis inſpirent. *Sanctus eſt: qui nihil eorum quæ facere debet omittit.* Nullam officiorum noſtrorum partem prætermittamus ac negligamus. Innocens eſt, qui nullam proximis aut verbo aut facto, aut voluntate injuriam infert, *qui dolo & malo caret.* Nemini noceamus, caritate fraternitatis omnes diligamus, omnes ædificare ſtudeamus ad ſalutem; ad benefaciendum & ſuc-

*Origenes. lib. 2. Periarchon ſeu De Principiis, c. 6.*

*Pſal. 44.*

*1. Petri 2. 21.*

*S. Iſidorus Hiſpal. lib. 3. Sentent. cap. 31. & lib. 2. De Eccleſ. Offic. cap. 5.*

*Exod. 28. 36.*

*Theopylact.*





currendum omnibus parati ſimus. Segregati ſimus a peccatoribus, non civili ſocietate, ſed vita & converſatione. Qui peccatorum converſationem diligit, excepta neceſſitate caritatis, aut vitæ civilis, frequentes turpeſque maculas contrahit: Chriſti Sacerdotio indignus eſt, qui terrenis operibus & affectibus ſuperior non eſt. *Segregatus a peccatoribus & excelſior cœlis factus.* Infirmitatis noſtræ conſcii, humiliemus nos ipſos coram Deo, expiemus quotidiana peccata & quas humana fragilitate contrahimus maculas abſtergamus lacrymis pœnitentiæ continuæ, fervore orationis aſſiduæ eluamus, ut quotidianum Corporis & Sanguinis Jeſu Chriſti Sacrificium offerre poſſimus ad noſtram, populique Chriſtiani ſanctificationem, in commemorationem magni cruentique Sacrificii, quo ſe ipſum ſemel in ara crucis pro totius mundi ſalute Deo obtulit. „ Qui non habet neceſſitatem quotidie, „ quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis „ hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit „ ſemel ſe ipſum offerendo. Lex enim homines con- „ ſtituit Sacerdotes infirmitatem habentes: ſermo „ autem jurisjurandi, qui poſt Legem eſt, Filium „ in æternum perfectum.

*Jerem. 31.* Secundum Verſionem LXX. Interpretum, parum diſcrepantem ab Hebræo. Per domum Iſrael intelliguntur ii qui ex decem tribubus; per domum Juda, illi qui ex duabus, in Chriſtum erant credituri.

## C A P U T VIII.

*Senſus Litteralis.*

Græce λειτουργὸ *qui ſacris operatur.*

1. 2. C*Apitulum autem ſuper ea quæ dicuntur: Talem habemus Pontificem qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlis.* Eorum quæ de Sacerdotii Chriſti Jeſu excellentia ſupra Leviticum huc uſque diximus, hæc ſumma eſt: Quod tantæ dignitatis Pontificem habemus, qui ad dexteram ſupremæ Majeſtatis Dei ſedeat, ut poteſtatis conſors, Rex hominum & Angelorum, orbiſque Judex. *Sanctorum miniſter, & Tabernaculi vero, quod fixit Dominus, & non homo.* Sacerdotis officium agens in Sanctuario cœleſti, & Tabernaculo vero, quod non ab homine, ſed a Deo univerſorum Domino fixum & firmatum eſt.

3. *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera, & hoſtias conſtituitur: unde neceſſe eſt & hunc habere aliquid, quod offerat.* Omnis enim Pontifex conſtituitur ad offerendum Deo dona & victimas: quamobrem neceſſe eſt & hunc, ſcilicet Chriſtum Pontificem æternum habere aliquid quod offerat Deo, aliquid (inquam) eximium præ Sacerdotibus Leviticis, ſcilicet ſeipſum, repræſentando Patri ſua vulnera, paſſioniſque ſuæ merita, & divinam ejus Majeſtatem interpellando pro nobis.

*Exemplari & umbra*, id eſt obſcuræ repræſentationi, metaphora ſumpta a pictoribus qui imaginem primo rudibus lineamentis adumbrant. *Exod. 25.*

4. 5. *Si ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet Sacerdos: cum eſſent qui offerrent ſecundum legem munera, qui exemplari & umbræ deſerviunt cœleſtium: ſicut reſponſum eſt Moyſi, cum conſummaret Tabernaculum: Vide* (inquit) *omnia facito ſecundum exemplar quod tibi oſtenſum eſt in monte.* Si autem terrenus ſacerdos eſſet, ad terrenas victimas offerendas conſtitutus, ut ſacerdotes Levitici, nihil opus erat illum fieri ſacerdotem: ſi quidem jam erant ſacerdotes, qui Deo dona & victimas ſecundum Legem offerrent, & Lex ipſa repellebat a ſacerdotio eos qui ex tribu Levi, & Aaronis ſtirpe non eſſent. Qui quidem ſacerdotes Deo cultum exhibent per eas ceremonias, quæ figuræ ſunt & umbræ rerum cœleſtium, earum ſcilicet quæ a Chriſto vero Pontifice in cœlis geruntur, & quæ ab illo inſtitutæ in ejus Eccleſia peraguntur: ſicut Moyſi a Deo dictum eſt, cum Tabernaculum facturus eſſet. Stude & cura ut omnia facias ſecundum exemplar quod tibi oſtendi in Monte Sina, quo te vocaveram ut Legem populo meo promulgandam tibi darem.

Græce λειτουργίας *Sacerdotalis functio*, ſeu offerendi ſacrificii munus, quod Gallice dicimus *Sacrificature.*

6. *Nunc autem melius ſortitus eſt Miniſterium, quanto & melioris Teſtamenti Mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus eſt.* Summus autem Pontifex noſter Chriſtus Sacerdotii tanto excellentioris obtinuit functionem, quanto melioris fæderis Mediator eſt, quod melioribus ac præſtantioribus promiſſionibus interpoſitis ſancitum eſt, ſcilicet fæderis Evangelici, Novique Teſtamenti, quod cœleſtia bona promittit.

7. *Nam ſi illud prius culpa vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur.* Si enim vetus Teſtamentum perfectum fuiſſet, ſeu ad perfectionem ſufficiens, ita ut culpa vacaſſent, qui eo utebantur, novum fœdus, ſcilicet Evangelicum in ejus locum ſubſtitutum non fuiſſet.

8. *Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus: & conſummabo ſuper domum Iſrael & ſuper domum Juda, Teſtamentum novum. Non ſecundum Teſtamentum quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum ut educerem illos*



*de terra Ægypti, quoniam ipſi non permanſerunt in Teſtamento meo, & ergo neglexi eos, dicit Dominus.* Et tamen Deus vituperans eos quibus prius illud Teſtamentum datum erat, ſimulque Legis infirmitatem indicans, quæ Judæos ſibi obſequentes non potuit efficere, ac bonos reddere, ait per Prophetam: Ecce tempus veniet, dicit Dominus, quo novum fœdus ſanciam cum domo Iſrael, & domo Juda, longe perfectius eo quod feci cum patribus eorum, cum eos velut prehenſa manu edux: ex Ægypto, ubi dura ſervitute premebantur. Vetus enim illud pactum reſcidi, quia illud violaverunt; ideo illos neglexi, deſpexi, & pro populo meo amplius non habui.

Hebraice, *Irritum fecerunt pactum meum, & dominatus ſum eorum.* Eos puniendo, & curam eorum abjiciendo, oſtendi me eſſe Dominum. Confer cum *Ezechiel. cap. 11. 19. & cap. 36. 26. & ſeq.*

10. 11. 12. *Quia hoc eſt Teſtamentum, quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo leges meas in mentibus eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum. Et non docebit unuſquiſque proximum ſuum, & unuſquiſque fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: quoniam omnes ſcient me a minore uſque ad majorem eorum: quia propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum jam non recordabor.* Sed hoc eſt fœdus quod paciſcar cum domo Iſrael, poſtquam dies illi advenerint, dicit Dominus: Dabo leges meas, non in tabulis lapideis ſcriptas, ut legem veterem Moyſi dedi, ſed inſcribam eas mentibus eorum, & cordibus eorum; mentibus, eas illuminando agnitione Dei & fide in Chriſtum; cordibus, ſeu voluntatibus, faciendo ut eas diligant & impleant: me illis præſtabo Deum, illis benefaciendo, & illis benefaciendo, & habebo illos pro populo meo electo. Et amplius opus non erit ut unuſquiſque proximum ſeu fratrem ſuum, concivem ejuſdemque fœderis conſortem doceat, dicens: Cognoſce Dominum, cognitione quæ cum dilectione & obſervantia legis meæ conjuncta ſit. Omnes enim electi, Novi Teſtamenti heredes, quorum in cordibus Lex mea ſcripta erit, me cognoſcent a minimo uſque ad maximum: dimittam enim eis iniquitates eorum, tam ante Baptiſmum, quam poſtea commiſſas, & ſic beneficiis meis aptos reddam, & ad vitam æternam diſponam.

Hoc loco abutuntur fanatici, ex eo perperam colligentes, nullam eſſe Miniſterii Eccleſiaſtici neceſſitatem & utilitatem & exſpectandos eſſe interiores afflatus & raptus, ſed ex aliis Scripturæ locis, *Rom. 10. 14. Ep[illegible] 4. Act. 8. 31. 2. Petri 1. 20.* refelluntur, *Theodoret. Comm[illegible] in Jerem[illegible] S. [illegible] lib. De Spi[illegible] & Litter. cap. [illegible] S. Thomas Lect. 3. 1. Cor. 13. 8.*

„ Vel, *Non docebit unuſquiſque proximum ſuum,* „ *& fratrem ſuum*, in Eccleſia triumphante, in „ cœlis; ibi enim non amplius egent electi mutua „ diſciplina, cum res manifeſte appareant, & quie- „ ſcant affectus: & corpora quidem incorruptibilita- „ tem recipiant, animæ vero ſint expertes muta- „ tionis. Solet autem Scriptura divina permiſcere Prophetias, & quæ pertinent ad Eccleſiam triumphantem, cum iis quæ militantem ſpectant conjungere. Ita hunc locum exponunt Theodoretus, S. Auguſtinus, & S. Thomas. Propheta ergo & Apoſtolus deſcriptioni Teſtamenti novi æternam ejuſdem mercedem conjunxerunt, id eſt beatiſſimam ejuſdem Dei contemplationem in cœlis, ubi fiet quod idem Apoſtolus dicit: *Sive Prophetiæ evacuabuntur, ſive linguæ ceſſabunt, ſive ſcientia deſtruetur,* illa ſcilicet parvulorum ſcientia in qua hic vivitur, *quæ ex parte eſt, per ſpeculum, in ænigmate:* „ Propter hanc enim neceſſaria eſt Prophetia; cum ad- „ huc præteritis futura ſuccedunt, propter hanc lin- „ guæ, id eſt, multiplicitas ſignificationum, cum „ ex alio atque alio aliud atque aliud admonetur, „ qui nondum æternam lucem perſpicuæ veritatis „ mente purgatiſſima contemplatur. *Cum autem* „ *venerit quod perfectum eſt*, & totum hoc *quod ex* „ *parte eſt*, fuerit *evacuatum*, tunc quod aſſum- „ pta carne carni apparuit, oſtendet ſeipſum dile- „ ctoribus ſuis; tunc erit vita æterna ut cognoſca- „ mus unum verum Deum; tunc ſimiles ei erimus, „ quia tunc cognoſcemus ſicut & cogniti ſumus. „ *Tunc non docebit unuſquiſque civem ſuum, aut fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum. Omnes enim cognoſcent eum a minore uſque ad majorem eorum.*

13. *Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt.* Fœdus autem illud vocans Novum, prius antiquari declaravit. Porro quod antiquatur & ſeneſcit, ad finem ſuum vergit, & prope eſt ut evaneſcat.

## C A P U T VIII.

*Senſus Moralis.*

1. 2. 3. 4. T*Alem habemus Pontificem, qui conſedit in dextera ſedis magnitudinis in cœlis, Sanctorum Miniſter, & Tabernaculi veri, quod fixit Dominus & non homo.* Quanta illius Religionis excellentia & dignitas eſt, cujus Pontifex æternus Jeſus Chriſtus ſanctitatem infinitam ſuprema cum po-

eſtate conjungit, Sacerdotium ſuum ad dexteram Dei exercens. Ad ipſum ſupplices confugiamus, & quamvis infirmitatis noſtræ & indignitatis conſcii, confidamus Mediatori potentiſſimo noſtrique amantiſſimo. Confidamus Sacerdoti, quo nullum ſatis dignum Sanctuarium eſt, niſi Deus ipſe; ſicut nullum tali Sanctuario dignum Tabernaculum eſt, niſi humanitas de Spiritu ſancto concepta, & unione perſonali Filii Dei ſanctificata? nulla denique tali Tabernaculo, tali Sanctuario, & tali Sacerdote digna victima eſt, niſi Jeſus Chriſtus, Deus & homo, glorioſus, & omnibus membris ſuis perfectus. *Cujus*, ut hominis, *miniſterium eſt hominum ſalus, quam Domini auctoritate peragit*. Cum ipſo & per ipſum offeramus Deo in ſacrificium corda noſtra ejus adoratione & amore conſecrata. Chriſtus *habet quod offerat*, Corpus & Sanguinem ſuum in terris; ſeipſum viventem & glorioſum in cœlis. Habemus quod offeramus, & ipſum, & nos, caput & membra, unum Chriſtum. Habemus & in nobis ipſis quod offeramus. *Noli extrinſecus pecus inquirere quod mactes, habes in te quod occidas*. Qui in terra ſumus ex conditione vitæ mortalis, corda ſurſum habeamus, ubi Chriſtus eſt Sacerdos noſter. *Si ergo eſſet ſuper terram, nec eſſet Sacerdos*, &c. Cum Sacro ſanctum Miſſæ Sacrificium offerimus nos Sacerdotes Miniſtri Domini, vel ei adſumus quicumque fideles, ipſi Veritati, non imagini & *umbris cœleſtium* nos ſervire credamus, & verum Chriſti Domini Corpus & Sanguinem, totum Chriſtum verum Deum & hominem, poſt verba conſecrationis habere, adorare, & ſumere in Altari. *Per contemplationem typum ſuſceptarum pro nobis perpeſſionum recordemur, & caritatem in Benefactorem accendamus, & futurorum bonorum perceptionem exſpectemus*. Chriſti Jeſu Sacerdotis noſtri paſſioni & morti configuremur, veterem hominem ſimul cum ipſo cruci configentes, & mortificationem ejus in corpore noſtro circumferentes. *Vide, omnia facito ſecundum exemplar, quod tibi oſtenſum eſt in monte*.

*Theodoret.* — *S. Auguſt.* — *Theodoret.*

6. *Nunc autem melius ſortitus eſt Miniſterium, quanto & melioris Teſtamenti Mediator eſt, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt*. Chriſtus Jeſus melioris Teſtamenti Mediator eſt, quam Moyſes, & multo perfectius Mediatoris munus obit in novo Teſtamento, quam ille in veteri. Moyſes enim vetus Teſtamentum in ſanguine alieno dedicavit, occiſorum ſcilicet animalium; Chriſtus novum ſanguine ſuo ſanxit & confirmavit. Moyſes in Terram promiſſam nec populum Judaicum introduxit, nec ipſe ingredi potuit. Chriſtus in cœlos introivit, & electos ſuos illuc introducit, æternaque felicitate donat. Meliores longe ſunt promiſſiones novi Teſtamenti, quam veteris: in iſto enim promiſſa ſunt bona terrena, caduca, temporalia: in illo cœleſtia, æterna, ſpiritualia, remiſſio peccatorum, juſtitia interna, Spiritus ſancti dona, gratia & gloria. Quam deploranda cæcitas noſtra, qui tam excellentis fœderis conſortes facti, & ad promiſſa tam magnifica tamque pretioſa vocati, carnalia ſpiritualibus, terrena cœleſtibus, æternis peritura præponimus!

Novi fœderis a Chriſto ſanciti excellentia.

Divini propoſiti de ſalutis electorum efficacia & firmitas.

8. 9. 10. *Vituperans enim eos dicit: Ecce dies venient, dicit Dominus: & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Juda Teſtamentum novum, &c. Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas, &c.* „ Venerunt dies illi, „ fœdus illud divinum conſummatum eſt, manet „ prorſus, & quotidie impletur quod Abrahæ Do„ minus ſine conditione promiſit, ſine lege donavit. „ Quia etſi quidam quibus hæc prædicata ſunt, non „ crediderunt, *incredulitas tamen eorum fidem Dei* „ *non evacuavit. Eſt enim Deus verax, omnis autem* „ *homo mendax*. Et illi quidem qui audito Evan„ gelio credere noluerunt, inexcuſabiliores facti ſunt „ quam ſi nullum præconium veritatis audiſſent. Sed „ certum eſt eos apud præſcientiam Dei Abrahæ filios non fuiſſe, nec in illorum ſorte numeratos, de quibus dictum eſt, *Benedicentur in ſemine tuo omnes tribus terræ*. Credituros enim promiſit, qui dixit: *Et non docebit unuſquiſque proximum ſuum, & fratrem ſuum dicens: Cognoſce Dominum, quia omnes cognoſcent me a puſillo eorum uſque ad magnum*. Reconciliandos promiſit, qui dixit: *Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum memor non ero*. Obedituros promiſit, qui dixit: *Dabo illis viam alteram, & cor aliud, ut timeant me omnes dies*. Perſeveraturos promiſit, qui dixit: *Timorem meum dabo in cor eorum ne diſcedant a me, & viſitabo eos, ut bonos eos faciam*. Poſtremo omnes ſine cujuſquam exceptione promiſit, quo dixit. „ *Per me ipſum ju*„ *ro, niſi exiet de ore meo juſtitia, & verba mea non* „ *avertentur, quia mihi flectetur omne genu & con*„ *fitebitur omnis lingua Deo*. Hic ſi dicamus non „ fieri quod Deus juravit eſſe faciendum, falſitatem „ Deo (quod abſit) & mendacium adſcribimus Veri„ tati: Si autem ut pietas fideſque perſuadent, Dei „ verba non excidunt, & fit omnino quod ſtatuit: „ quomodo nobis veracis promiſſionis firmitas appa„ rebit, cum multa adhuc hominum millia dœmoniis „ ſerviant, & idolis genus flectant: niſi hujuſmodi „ denuntiationes Dei ſecundum illam incommutabi„ lem ſcientiam editas noverimus, in qua apud illum „ jam univerſitas humana diſcreta eſt, & ſive de „ bonis, ſive de malis loquatur, ita unius partis me„ minit, quaſi neminem hominum prætermittat? .... „ Habet ergo populus Dei plenitudinem ſuam: & „ quamvis magna pars hominum ſalvantis gratiam „ aut repellat, aut negligat; in electis tamen & præ„ ſcitis, atque ab omnium generalitate diſcretis ſpe„ cialis quædam cenſetur univerſitas, ut de toto „ mundo totus mundus liberatus, & de omnibus ho„ minibus omnes homines videantur aſſumti. „ An ex illo numero nos eſſe, an ad divinum illud fœdus nos pertinere opera noſtra probant? Apprehendit Deus manum noſtram, & eduxit nos per Chriſtum Jeſum Filium ſuum, non de terra Ægypti, ſed de peccati dominatione, de ſervitute diaboli, lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo Chriſtus, propitius fuit omnibus iniquitatibus noſtris, & propitius erit, modo Legem ejus diligamus, ac deinceps obſervemus, modo injurias nobis illatas ex animo dimittamus. Scrutemur corda noſtra, examinemus vitam noſtram. Diligimuſne Legem Dei? Num illi ex amore obedimus? Ad novum fœdus non pertinemus, niſi Lex Dei mentibus cordibuſque noſtris inſcripta ſit, niſi nova illa gratia in nobis ſplendeſcat, quæ facit ut in Dei præceptis ambulemus, ut illum corde & opere diligamus. *Dabo Leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas. Porro quid ſunt Leges Dei ab ipſo Deo ſcriptæ in cordibus, niſi ipſa præſentia Spiritus ſancti, qui eſt digitus Dei, quo præſente diffunditur caritas in cordibus noſtris, quæ plenitudo legis eſt, & præcepti finis?* Divinum illud fœdus quot Chriſtiani contemnunt, negligunt, faſtidiunt, & quantum in ipſis eſt, irritum faciunt, Legem Dei violando? Timeant illi ne Deus viciſſim ipſos contemnat & rejiciat, gratiaſque ſuas ac protectionem ipſis penitus auferat, *Quoniam ipſi non permanſerunt in teſtamento meo, & ego neglexi eos, dicit Dominus*. Factis probemus nos eſſe ejus populum, ſincere ac pure illum colendo, illique fideliter obediendo, propitium illum, faventem, protectorem, & remuneratorem habebimus: viſione ac fruitione ſui nos beatos in perpetuum efficiet. *Et ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum*.

Auctor. *De Vocat. Omn. Gentium ſub nomine S. Proſperi lib.* 1. *c.* 9. *Rom.* 3. 3.

*Geneſ.* 26. 31. 34.

Aliquid ſubintelligitur, forte ille adoraturos, aut ſibi obſecuturos promiſit. *Rom.* 14.

*S. Auguſt. lib. De Spiritu & Litt. cap.* 21.

13. *Dicendo autem novum, veteravit prius. Quod autem antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt*. Si Spiritus ſervitutis & timoris adhuc regnet in nobis, ſi pœnæ timore dumtaxat ab externo peccati opere abſtinemus, non vero dilectione juſtitiæ, nondum vetuſtatem exuimus, veteris Teſtamenti homines, non filii novi Teſtamenti ſumus, conſequenter nec heredes; niſi depoſita vetuſtate, nova per gratiam & caritatem efficiamur creatura, „ Novi fuimus, „ ſed heu, nunc inveteravimus, propterea ſumus „ prope interitum. Quomodo hoc ſenium amove„ bimus & depellemus? Lavacro quidem non poſſu„ mus, ſed poſſumus Pœnitentia: ſi quid ſit in nobis „ vetuſtum, abjiciamus; ſi qua ruga, ſi qua macula, „ ſi quæ ſordes, abluamur pœnitentiæ lacrymis, & „ pulcri reddamur, ut animæ noſtræ pulchritudinem, cujus auctor ipſe eſt ac reſtitutor, Deus diligat, de qua ſcriptum eſt: *Audi filia, & vide, & obliviſcere populum tuum & domum patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum*. Audi filia, ut mundes cor fide, & Deum videbis: *Beati enim mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Populi tui, populi Babyloniæ, patris quondam tui Diaboli, qui te fœdam genuit, cum peccatricem fecit, domui, mundo ſcilicet Dei inimico, ejuſque legibus ac moribus renuncia, & concupiſcet rex decorem tuum. *Rex tuus & ipſe eſt ſponſus tuus. Regi nubis Deo, ab illo dotata, ab illo decorata, ab illo redempta, ab illo ſanata. Quicquid habes unde illi placeas, ab illo habes*.

Ad novum Teſtamentum non pertinemus, niſi veterem hominem exuamus.

*S. Chryſoſt. Hom.* 14.

*Pſal.* 44. 11. 12.

*S. Auguſt. in Pſal.* 44. *N.* 25. & 26.

## CAPUT IX.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. *HAbuit quidem & prius juſtificatores culturæ, Sanctum ſeculare*. Primum illud fœdus, ſeu vetus Teſtamentum habuit varia præcepta externum Dei cultum, ceremoniaſque religionis ſpectantia, & Sanctuarium quod totius mundi figuram gerebat, ſive Sanctuarium terrenum. *Tabernaculum enim factum eſt primum in quo erant candelabra, & menſa & propoſitio panum, quæ dicuntur Sancta*. Pars enim

Græce; κοσμικὸν *mundanum*.

*Exod.* 26. 36.



prior Tabernaculi, quod conſtructum eſt, continebat candelabrum, & menſam, in qua panes exponebantur: & hæc pars vocabatur *Sancta*.

Candelabrum aureum, in plures ramos diſtinctum. *Theodoret.*

3. 4. *Poſt velamentum autem ſecundum, Tabernaculum, quod dicitur Sancta Sanctorum*. Poſt ſecundum autem velum, altera pars erat Tabernaculi, quæ vocatur *Sancta Sanctorum*. Sancta, vitam quæ in teris agitur: Sancta Sanctoram, formam vitæ quæ agitur in cœlis, ſignificabant. Velum autem interius, quod Sanctum dividebat a Sancto Sanctorum, firmamentum adumbrabat, hæc inferiora dividens a ſupernis. *Aureum habens thuribulum, & Arcam Teſtamenti circumtectam ex omni parte auro, in qua urna aurea habens Manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ Teſtamenti*. In ſecunda illa parte Tabernaculi, ſive in Sancto Sanctorum, vas erat, in quo thus adolebatur a Pontifice die ſolemni Expiationis, & Arca Teſtamenti auro circumtecta, habens Manna, & virgam Aaron, quæ germinaverat, & duas tabulas fœderis, quibus inſcriptus erat Decalogus. Nomine thuribuli, quod θυμιατήριον Græcus textus appellat, eruditi Commentatores Altare thymiamatis intelligunt, auro circumtectum, quod etſi non eſſet in adyto, ſive Sancto Sanctorum, ſed in prima parte Tabernaculi, quæ dicebatur *Sancta*, ut conſtat ex capite ultimo Exodi, tamen *Sancta Sanctorum* reſpiciebat, & propter illa erat, ut quotidiano ſuaviſſimi odoris ſuffitu locus ſacratiſſimus, & Arca Domini honorarentur, fumo ex Altari per ſuperiorem veli partem intrante. Sed coacta videtur illa expoſitio. Nam Sancta Sanctorum dicuntur habuiſſe thuribulum aureum, quo modo habuerunt Arcam; hæc autem erat intra velum in ipſo adyto. Alii thuribulum ſeu vas ad thus adolendum proprie ſignificari cenſent, in quod ſummus Sacerdos ignem ex alio thuribulo ſeu vaſe minus pretioſo, cum quo fuerat ex Sanctis ingreſſus, transfundebat cum thure & aromatibus, quæ plena manu injiciebat. Alii batillum quod erat in Altari thymiamatis, a ſummo Sacerdote tranſpoſitum fuiſſe conjiciunt in Sancta Sanctorum die ſolemni Expiationis, ut thus adoleret coram Arca. Et propter hunc uſum dici quod ſecundum Tabernaculum habuerit thuribulum aureum, quia illud habere dicimur, quod in noſtro eſt uſu. Hanc expoſitionem ex Verſione LXX. Interpretum cap. 16. Levitici confirmant, quæ ſic habet: „ Et ſumet thuribulum plenum „ carbonum ignis de Altari quod eſt coram Domino, „ & implebit manus incenſo compoſitionis ſubtilis, „ & inſeret intra velum. Et imponet incenſum ſu„ per ignem ante Dominum: & operiet vapor incenſi propitiatorium... & non morietur.

*Num.* 16. *Levit.* 16. Thuribulum aureum quid? & quomodo ad Sancta Sanctorum pertinuerit?

Major in eo difficultas eſt, quod Apoſtolus ait, fuiſſe in Arca urnam auream habentem Manna, & virgam Aaron, & tabulas Teſtamenti: cum tamen 1. *Reg.* 8. 9. & 2. *Paralipom.* 5. 10. & apud Joſephum *lib.* 8. *Antiquit.* cap. 2. aperte dicatur, *In Arca non erat aliud niſi duæ tabulæ lapideæ, quas poſuerat in ea Moyſes in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Iſrael, cum egrederentur de terra Ægypti*. Plenior iſtius nodi ſolvendi ratio eſt: præpoſitionem ἐν varie uſurpari, nec ſemper denotare rem quæ intra alterum eſt, ſed quæ juxta. Sic ementes & vendentes *in Templo* fuiſſe dicuntur. *Matt.* 21. 12. *Marci* 11. 15. *&c.* id eſt, in porticibus ejus. Sic Chriſtus paſſus dicitur *in Jeruſalem*, id eſt prope eam, in monte Calvariæ. Sic dictum ab Apoſtolo, hæc tria fuiſſe in Arca, urnam habentem Manna, & virgam Aaronis, & duas tabulas Teſtamenti, tabulas quidem ut intra Arcam incluſas, Manna vero & virgam ut juxta poſitas, *coram Domino*, ſecundum præceptum Dei Exod. 16. 33. *Sume vas unum, & mitte ibi man, quantum poteſt capere gomor, & repone coram Domino ad ſervandum in generationes veſtras*. Alii conjiciunt Moſis quidem temporibus ſolas tabulas Legis in Arca fuiſſe: ſed Jeremiæ tempore, cum Arca occultanda eſſet, in eam illatum fuiſſe Manna & virgam Aaronis: & Paulum qui optime inſtitutus erat a Gamaliele de rebus Judaicis, ex traditione id habuiſſe. Hanc reſponſionem refert potius quam adoptet Theophylactus. *Fortaſſis*, inquit, *ex traditione hoc habebat*.

An Manna & virga Aaronis proprie fuerint in Arca? Scripturæ conciliantur.

5. *Superque eam erant Cherubim gloriæ, obumbrantia Propitiatorium: de quibus non eſt modo dicendum per ſingula*. Super Arcam erant imagines Cherubim glorioſorum, ad ejus ornamentum, quæ Propitiatorium, ſeu opertorium Arcæ alis ſuis obumbrabant. Cherubim gloriæ dicuntur, quod multum majeſtatis & venerationis afferrent illi loco, in quo Deus præſentiam ſuam quodammodo exhibebat. De quibus ſingulatim diſſerendi, & myſteria in eis latentia exponendi, tempus non eſt.

6. 7. 8. *His vero ita compoſitis, in priori quidem Tabernaculo ſemper introibant Sacerdotes, ſacrificiorum officia conſummantes*. Quibus ſic aptatis & diſpoſitis, Sacerdotes quidem, ſacra Miniſteria obeuntes, quotidie introibant in prius Tabernaculum, ſive in Sancta. *In ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex, non ſine ſanguine, quem offerebat pro ſua & populi ignorantia*: In ſecundum autem Tabernaculum, ſcilicet in Sancta Sanctorum ſolus Pontifex ingrediebatur ſemel in anno ſolemni Expiationis die, non ſine ſanguine præſcriptarum victimarum, ſcilicet hirci & vituli quem offerebat pro ſeipſo, & pro peccatis ignorantiiſque populi. *Hoc ſignificante Spiritu ſancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore Tabernaculo habente ſtatum*. Per id autem quod in Sancta Sanctorum nemini patebat ingreſſus niſi ſoli Pontifici, ſignificavit Spiritus ſanctus, viam Sanctorum, id eſt gratiam novi Teſtamenti, per quam nobis aditus in cœlum eſt, nondum fuiſſe manifeſtatum, primo Tabernaculo conſiſtente, ſed ſub umbris veteris legis latuiſſe, & a paucis Spiritualibus, Teſtamenti heredibus, fuiſſe apprehenſam.

*Exod.* 30. 10. *Levit.* 16. 2.

9. 10. *Quæ parabola eſt temporis inſtantis: juxta quam munera & hoſtiæ offeruntur, quæ non poſſunt juxta conſcientiam perfectum facere ſervientem, ſolummodo in cibis & in potibus, & variis baptiſmatibus, & juſtitiis carnis, uſque ad tempus correctionis impoſitis*. Quæ figura imago erat eorum quæ nunc in Templo geruntur; id eſt, quæ quondam fiebant in Tabernaculo, ſimilia ſunt iis quæ nunc fiunt in Templo Hieroſolymitano a Judæis nondum ad Chriſti fidem converſis: ubi dona & ſacrificia offeruntur, quæ conſcientiam cultorum emundare, & interiorem hominem in illis perficere non poſſunt, veram illis conferendo juſtitiam: ſiquidem cultus ille maxima ex parte conſiſtit in potuum & ciborum diſcretione, & variis ablutionibus, & ceremoniis corporalibus & externis, quæ carnis, non animi munditiem ſpectabant: & quarum obſervatio præcepta fuerat uſque ad tempus adventus Chriſti, qui veterem illam legem impleturus erat, nova & perfectiore condita & promulgata.

Tempus quo hanc ſcribebat Epiſtolam indicat Apoſtolus, ut Gloſſa interlin & Biblia Regia & Complutenſia indicant.

Non ſolum cibi, ſed & potus quidam ſecundum Legem cenſebantur immundi, ex pollutione vaſorum, in quæ aliquid immundum inciderat. Præterea, vini abſtinentia Sacerdotibus tempore Miniſterii ſui, & Nazaræis præſcripta erat.

11. 12. *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius Tabernaculum non manufactum, id eſt non hujus creationis: neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem, introivit ſemel in Sancta æterna redemptione inventa*. Chriſtus autem Pontifex cœleſtium æternorumque bonorum, quæ in ſeculo futuro exſpectamus, cum in hunc mundum adveniſſet, ſemel introivit in Sanctuarium cœleſte, per Tabernaculum majus & excellentius, ſacratiſſimum ſcilicet corpus ſuum, quod quidem non manibus hominum factum eſt, nec via communi & ordinaria, ſed Spiritus ſancti virtute in utero Virginis conceptum & formatum. Neque cum alieno ſanguine hircorum & vitulorum in gloriæ ſuæ Sanctuarium introivit, ſed cum proprio ſanguine, poſtquam illo pro nobis effuſo ac in pretium dato, æternam redemptionem nobis acquiſivit.

13. 14. *Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi?* Quod ſi ſanguis hircorum & taurorum, & aſperſio aquæ in qua cinis vitulæ ſeu vaccæ rufæ dilutus eſt, ſanctificat homines contactu rei immundæ inquinatos, & ab ingreſſu Templi, Sacriſque, vel ceterorum hominum conſortio prohibitos, puritatem externam & carnalem illis tribuendo: quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum ſanctum ſeipſum obtulit Deo ut victimam immaculatam, emundabit conſcientiam noſtram a peccatis, quorum finis & ſtipendium mors eſt, ut Deo vivo in vera juſtitia & ſanctitate ſerviamus?

Græce, πνεύματος αἰωνίου, per *Spiritum æternum*. Syriaca Verſio, *Per Spiritum æternitatis*.

S. Ambroſ. lib. 1. *De Spiritu ſancto*, cap. 8. *Per Spiritum ſempiternum*.

15. *Et ideo novi teſtamenti Mediator eſt, ut morte intercedente in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento; repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hereditatis*. Quia novum illud fœdus non pecudum ſanguine, ad redemptionem & ſanctificationem hominum inſufficiente, ſanciendum fuit, propterea Jeſus Chriſtus novi Teſtamenti Mediator eſt, ut per mortem quam in cruce paſſus eſt, homines redimeret a peccatis durante ſtatu veteris Teſtamenti commiſſis, & æternam hereditatem a Deo promiſſam acciperent, qui ad eam gratuito & efficaciter vocati ſunt & electi.

16. 17. *Ubi enim teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris*. Ad confirmationem enim teſtamenti, utque ſuum conſequatur effectum, neceſſe eſt ut moriatur teſtator. Cum igitur fœdus novum a Chriſto ſancitum, ſimul teſtamentum ſit ab eo diſpoſitum, neceſſe erat ad ejus vim & confirmationem ut ille moreretur: alioqui promiſſam hereditatem conſequi non poterant, qui ad eam ſunt vocati. *Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt, alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt*. Quia teſta-

De peccatis eorum qui legem non acceperant hic non loquitur Apoſtolus, non quod pro horum etiam expiatione mortuus non ſit Chriſtus, qui *Dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* (1. Tim. 2. Sed quia ſcribens ad Hebræos, qui legem acceperant, de

*Sorum tantum peccatis & peccatorum redemptione hic agendum ſibi cenſuit.*

teſtamentum poſt mortem dumtaxat teſtatoris vim ac firmitatem habet : nec ratum habetur quamdiu vivit, cum illud mutare ac reſcindere poſſit.

Vocem Hebraicam *Berith*, quæ fœdus & teſtamentum promiſcue ſignificat, LXX. Interpretes, quorum Verſionem S. Paulus hac in Epiſtola ſecutus eſt, διαθήκην, ubique verterunt, non ſine divini Numinis afflatu. Unde Apoſtolus noſter conſiderans promiſſionem Dei de vita æterna conferenda per mortem Chriſti, adumbratam promiſſione & pacto de terra Canaam danda Iſaelitis, Teſtamentum aptius appellari quam fœdus, vocabulum illud uſurpat, ex eoque ſuum inſtruit ratiocinium.

18. 19. 20. *Unde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt*. Unde nec vetus quidem Teſtamentum ſine ſanguine ſancitum & confirmatum eſt, quia figura fuit fœderis, quod Chriſti auctoris ſui morte confirmandum erat. *Lecto enim omni mandato Legis a Moyſe univerſo populo, accipiens ſanguinem vitulorum & hircorum, cum aqua & lana coccinea, & hyſſopo, ipſum quoque librum, & omnem populum aſperſit, dicens : Hic ſanguis Teſtamenti, quod mandavit ad nos Deus*. Moyſes enim, cum omnia mandata Legis coram omni populo recitaſſet, accepit ſanguinem vitulorum & hircorum, aqua mixtum, & aſpergillum ex lana coccinea & hyſſopo compoſitum ; librumque Legis, & omnem populum aſperſit, dicens : Hic eſt ſanguis quo dedicatur & confirmatur fœdus, quod Deus ſuo mandato, & meo miniſterio nunc vobiſcum pepigit. Confer cum *Exod*. 24. 6. 8. & *Levit*. 14. 49. 50.

*Exod*. 40. & *Levit*. 8. 30. Joſephus *Antiquit. Lib*. 3. *cap*. 9. *S. Thomas, Lect*. 4.

21. 22. *Etiam tabernaculum, & omnia vaſa miniſterii ſanguine ſimiliter aſperſit*. Tabernaculum quoque & omnia vaſa ſeu inſtrumenta miniſterii ſacri, aſperſit ſanguine. Id partim ex Scriptura ſacra intellexit, partim ex majorum traditione Apoſtolus noverat. *Et omnia pene in ſanguine ſecundum Legem mundantur : & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio*. Et omnia fere, ſecundum Legem, ſanguine mundantur ab immunditia legali & typica : & ſine ſanguine non fit expiatio & remiſſio peccatorum. Reſtrictione utitur Apoſtolus, dicens : *Omnia pene in ſanguine ſecundum Legem mundantur*, quia nonnullæ purificationes fiebant, vel per ignem, vel per aquam ſolam. Quamquam & aqua expiationis non fiebat ſine ſanguine, quia fiebat ex cineribus vaccæ rufæ, cujus ſanguis prius fundebatur.

*Exod*. 19. 10. *Levit*. 16. 28. *Num*. 31. 23. *S. Thomas Lect*. 4.

23. *Neceſſe eſt ergo exemplaria quidem cœleſtium his mundari : ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis quam iſtis*. Neceſſe igitur erat figuras rerum cœleſtium, id eſt Tabernaculum, & ejus inſtrumenta ac vaſa, librum Legis, & populum, ſanguine animalium Deo immolatorum mundari. Cœlum autem ipſum, & res cœleſtes, Eccleſia, & animæ noſtræ, meliore hoſtia mundantur, quæ eſt Chriſtus in cruce paſſus & immolatus. Cœlum mundari mortis Chriſti ſacrificio Apoſtolus ait, quia per illud mundantur homines, illiſque datur aditus in cœlum, ſicut per legalem mundationem aditus dabatur in Sanctuarium. In eo autem quod ait, *melioribus hoſtiis*, enallage eſt numeri. Una enim Chriſti hoſtia omnium veteris Teſtamenti victimarum, quibus ceu typis adumbrabatur, virtutem infinite ſuperat.

*S. Thomas Lect*. 5.

24. 25. 26. *Non enim in manufacta Sancta Jeſus introivit, exemplaria verorum : ſed in ipſum cœlum, ut appareat nunc vultui Dei pro nobis*. Non enim introivit Jeſus in Sancta Sanctorum arte & manibus hominum facta, quæ figuræ tantum erant veri cœleſtiſque Sanctuarii : ſed in ipſum cœlum, ut ſeſe pro nobis coram Deo ſiſtat, non tantum coram Arca & Propitiatorio, ut veteris Teſtamenti Pontifices ; & ut Patrem pro nobis interpellet, quamdiu præſens ſeculum durabit. *Neque ut ſæpe offerat ſemetipſum, quemadmodum Pontifex intrat in Sancta per ſingulos annos in ſanguine alieno*. Neque etiam Chriſtus novi Teſtamenti Pontifex in cœlum ingreſſus eſt, ut iterum ac ſæpius offerat ſemetipſum Deo, quemadmodum Pontifex Aaronicus ingrediebatur in Sancta Sanctorum ſemel ſingulis annis in feſto Expiationis, ſanguinem victimarum inferens, non proprium. *Alioqui oportebat eum frequenter pati ab origine mundi* : Alioqui oportuiſſet ipſum frequenter pati & mori a conſtitutione mundi, cum oblatio illa ſine ſanguine non fiat. *Nunc autem ſemel in conſummatione ſeculorum, ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit*. Contra vero ſemel tantum apparuit ſeipſum offerens ut victimam ad abolendum peccatum, cum ultima mundi ætas decurrere cœpiſſet.

Chriſtus pro multis, nempe pro ſolis electis, quoad efficaciam, ultimumque & plenum ſuæ oblationis effectum, (conſecutionem dico ſalutis æternæ per ipſum) mortuus eſt : verumtamen *pro peccatis totius mundi* oblatus eſt, quoad ſufficientiam, non tantum pretii, illud ſincere pro omnium & ſingulorum redemptione offerentis.

27. 28. *Et quemadmodum ſtatutum eſt hominibus ſemel mori : poſt hæc autem judicium : ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata : ſecundo ſine peccato apparebit exſpectantibus ſe, in ſalutem*. Et ſicut juſto Dei decreto ſtatutum eſt ut omnes homines ſemel moriantur ; mortem autem ſequitur judicium de vitæ prioris operibus : ita & Chriſtus ſemel oblatus eſt, ut multorum peccata portans, & pro illis Patri ſatisfaciens, ea paſſione ſua ac morte penitus deleret : in ſecundo autem adventu apparebit in ſalutem eorum qui illum exſpectant, non portans peccata hominum, pro quorum expiatione iterum ſe offerat, ſed peccato in ſuis electis penitus profligato, ſe illis manifeſte conſpiciendum in perpetuum dabit.

---

## C A P U T XI.

### *Senſus Moralis.*

Myſticæ veteris Tabernaculi, & eorumque in ipſo erant, ſignificationes.

1. 2. H*Abuit quidem & prius juſtificationes culturæ Sanctum ſeculare*. Externa & corporalia pietatis exercitia, etſi bona ſint, ſi tamen caritate, quæ nos Deo conſecrat & conjungit, deſtituta ſint, ad Sanctuarium mundanum, terrenum, tranſitorium potius pertinent, quam ad cœleſte, ad quod ſola perducit caritas, ſine qua cetera non proſunt, nec Deo dicata & grata ſunt. Hæc cor noſtrum Dei tabernaculum, ſeu templum Sacerdotio Chriſti ſanctificatum efficit. Hac animati, nos advenæ & peregrini ſuper terram, & milites ad pugnam ſemper expediti, ſemper ad migrandum parati, corpus hoc mortale, quaſi tentorium circumferimus : *Velox eſt depoſitio tabernaculi mei*. In hoc tabernaculo Deum portamus, ſi chriſtiane & ſancte vivamus. *An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus Sancti, qui in vobis eſt ?*

2. *Petri* 1. 14. 1. *Cor*. 6.

Tabernaculum primum, Eccleſiæ militantis figura erat ; Tabernaculum ſecundum, figura Eccleſiæ triumphantis : & quicquid ad Tabernaculum ſive Templum pertinebat, quicquid ad ſervitutem Deo debitam, ea ſignificabat atque prænuntiabat, quæ propter æternam vitam fidelium in Chriſto & impleta credimus, & impleri cernimus, & implenda confidimus. Candelabrum aureum, in quos ſeptem erant rami, ſeptem dona Spiritus Sancti ſignificabat, Menſa, Altare ſanctum Eccleſiæ Chriſtianæ, in quo Euchariſtia, Corpus Chriſti, panis vitæ proponitur ad animarum fidelium efectionem. Id ſignificabant panes propoſitionis. *Et Menſa, & propoſitio panum*. *S. Auguſt.*

3. 4. 5. *Poſt velamentum autem ſecundum, Tabernaculum quod dicitur Sancta Sanctorum, aureum habens thuribulum, & Arcam Teſtamenti circumtectam*, &c. Typus hic erat perfectæ Religionis, quæ in terris incipit, & in cœlis æternum durabit. Thuribulum aureum ſunt corda Sanctorum caritate ferventia, ex quibus ſuaviſſimus ſuffitus orationum, gratiarum actionis & laudis ad Deum aſcendit. *Arca Teſtamenti*, Chriſtus eſt glorioſus & immortalis, plenitudinem gratiarum omnium & perfectionum continens, *habens Manna* : ſanctitatem & auctoritatem ſacerdotalem, *& virga Aaron* ; & duplicem Legem amoris Dei & proximi, *& tabulæ Teſtamenti*. Ibi gloriam ejus indeficienti voce laudant omnium ordinum Angeli, proclamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*. Quod ſignificant *Cherubim gloriæ obumbrantia Propitiatorium*. „ Paulo aliter S. Auguſtinus explicat „ magnum quod in his omnibus latet ſacramentum. „ Aurum quippe ſignificat ſapientiam, Arca ſignificat „ ſecretum Dei. In Arca juſſa ſunt poni Lex & „ Manna, & virga Aaron : in Lege præcepta ſunt, „ virga poteſtas ſignificatur, Manna gratia ; quia niſi „ cum gratia non eſt poteſtas præcepta faciendi. Verumtamen quia Lex a quovis proficiente non ex „ omni parte completur, propitiatorium eſt deſuper. „ Ad hoc enim opus eſt ut propitius ſit Deus, & ideo „ deſuper ponitur, quia *ſuperexaltat miſericordia judicium*. Duo vero Cherubin pennis ſuis obumbrant „ propitiatorium, id eſt, honorant velando, quoniam Myſteria iſta ibi ſunt : & invicem ſe attendunt, quia conſonant ; duo quippe Teſtamenta „ figurantur ; & vultus eorum ſunt in propitiatorium, quia miſericordiam Dei, in qua una ſpes „ eſt, valde commendant. Denique hinc ſe promiſit „ locuturum Deus ad Moyſen de medio Cherubim .... Porro ſi creatura rationalis in multitudine ſcientiæ (quoniam hanc interpretationem habent Cherubim) duobus ipſis animalibus ſignificatur ; ideo duo ſunt, ut ſocietatem caritatis commendent ; ideo pennis ſuis propitiatorium obumbrant, quia Deo, non ſibi tribuunt pennas ſuas, „ id eſt, Deum honorant virtutibus, quibus præſtant : & vultus eorum non ſunt niſi in propitiatorium, quia cuicumque profectui ad multitudinem „ ſcientiæ ſpes non eſt, niſi in miſericordia Dei. „ Angelorum imitatione in verum propitiatorium Chriſtum Jeſum ſemper reſpiciamus, una ſpes noſtra ſit in miſericordia Dei, qua unice indigemus, & quam

*S. Auguſt. Quæſt*. 105. *in Exodum*.

*Duobus animalibus*, id eſt duorum Cherubinorum figuris. Erant enim in Cherubim formæ quatuor, una bovis ſive vituli, altera leonis, altera aquilæ, alia hominis. *Ezech*. 10. 20. & *Apocal*. 4. 5. 6. Quæ ſymbola erant angelicarum proprietatum.

*Joan*. 14. 16.

non-



nonniſi per Chriſtum impetrare poſſumus : quicquid denique boni habemus aut operamur, totum ad Deum, ſine cujus gratia nihil boni ſalutaris poſſumus, referamus.

7. 8. *In ſecundo autem ſemel in anno ſolus Pontifex, non ſine ſanguine, quem offert pro ſua & populi ignorantia : Hoc ſignificante Spiritu Sancto, nondum propalatam eſſe Sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente ſtatum*. Nemo ad Deum accedere poteſt, niſi per Jeſum Chriſtum Sanctuarii cœleſtis unicum Pontificem. *Ego ſum via, veritas, & vita* (inquit) *Nemo venit ad Patrem niſi per me*. Nulla miſericordia, nulla ſalus, niſi per ejus ſanguinem ſperanda eſt. Illum intulit in Sancta Sanctorum cœleſtia, cum in cœlos glorioſus aſcendit. Illuc introivit, cum omnibus meritis vitæ, paſſionis ac mortis ſuæ, unicique & æterni ſacrificii. Sacrarium cœleſte nonniſi per ejus mortem hominibus reſeratum eſt. Chriſtus ſolus cum electis membris ſuis unus, in ſinum Dei introire poteſt. Capiti noſtro, Sacerdoti noſtro perpetua caritate adhæreamus. Chriſtianæ mortificationis ſacrificio cum illius oblatione conjuncto, ſacrificio bonorum operum, ſacrificio vitæ, mortiſque noſtræ, viam nobis in cœlum aperiamus ; lata ne incedamus via quæ ducit ad mortem, ſed arcta quæ ducit ad vitam. *Solus Pontifex ingrediens in Sancta Sanctorum, implebat figuram Chriſti Domini, qui primus aſcendit in cœlum, & ut adiri a nobis poſſet, effecit*, (inquit Theodoretus.)

Novi Teſtamenti Sanctuarium cum Sanctis Sanctorum Tabernaculi veteris comparatur. *S. Thomas Lect*. 3.

11. 12. *Chriſtus autem aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manufactum, id eſt, non hujus creationis : neque per ſanguinem hircorum aut vitulorum, ſed per proprium ſanguinem introivit ſemel in Sancta, æterna redemtione inventa*. Novi Teſtamenti Sanctuarium cum ſecundo veteris Lgis tabernaculo comparanti, magnum inter utrumque diſcrimen, & Chriſtianorum, qui Religionis noſtræ ſcientiam non negligunt, conſideratione digniſſimum videtur. Circa Tabernaculum Judaicum quinque conſiderari poſſunt. 1. Quis intrabat ? 2. Quo intrabat ? 3. Quomodo intrabat ? 4. Quando intrabat ? 5. Quem ob finem intrabat ? Totidem circa Sanctuarium cœleſte conſiderari poſſunt. 1. In Sancta Sanctorum Judaica intrabat Pontifex infirmus, peccato obnoxius, Pontifex bonorum temporalium, ſive Teſtamenti in quo bona temporalia promittebantur. *Si volueritis, & audieritis me*, (inquit Deus per Prophetam) *bona terræ comedetis*. In Sancta Sanctorum cœleſtia intravit Chriſtus Pontifex ſanctus, innocens, impollutus, incapax peccati, *Pontifex futurorum bonorum*, quæ Deus novi Teſtamenti filiis & heredibus promiſit ; Pontifex non negligens officii ſui, ſed *aſſiſtens* Patri ut interpellet pro nobis ; aſſiſtens nobis ut auxilietur. *A dextris eſt mihi, ne commovear*. 2. Pontifex Aaronicus intrabat in Sancta Sanctorum arte & manibus hominum fabrefacta ; Chriſtus in tabernaculum cæleſtis gloriæ, de quo Propheta : *Oculi tui videbunt Jeruſalem civitatem opulentam, tabernaculum quod nequaquam ultra transferri poterit*. Intravit in Sancta Sanctorum cæleſtia per tabernaculum corporis ſui, longe excellentius veteri, quia Spiritus Sancti, non hominis opus eſt, & *in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. 3. Pontifex Aaronicus in Sancta Sanctorum intrabat cum ſanguine animalium immolatorum : Chriſtus in Sancta Sanctorum cæleſtia intravit cum proprio ſanguine, quem pro noſtra ſalute effudit in cruce, de quo ipſe ait : *Hic eſt ſanguis meus novi Teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum*. 4. Pontifex Aaronicus ſemel quotannis intrabat, & officio functus recedebat : Chriſtus toto tempore ſemel intravit, numquam inde receſſurus, ſed ſui ſacerdotii functionem æternum impleturus. 5. Pontifex Aaronicus in Sancta Sanctorum intrabat, *ut offerret pro ſua & populi ignorantia* : Chriſtus in Sancta Sanctorum cæleſtia intravit ad offerendum non pro ſuis, ſed pro populi ſui peccatis, *Æterna redemptione inventa*, quam ipſe ſolus invenire potuit. „ Solus enim Beatæ „ Virginis natus eſt Filius abſque delicto, non extraneus „ ab hominum genere, ſed alienus a crimine, in quo „ illius ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditi, „ & perfecta eſſet innocentia, & vera natura ; cum „ de Adæ propagine unus exiſteret, in quo diabolus „ quod ſuum diceret, non haberet. Qui dum in eum „ ſævit, quem ſub peccati lege non tenuit, jus impiæ dominationis amiſit. Effuſio enim pro injuſtis „ ſanguinis juſti, tam potens fuit ad privilegium, „ tam dives ad pretium, ut ſi univerſitas captivorum „ in Redemptorem ſuum crederet, nullum tyrannica „ vincula retinerent. Quoniam ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit & gratia. Et cum ſub peccati præjudicio nati poteſtatem acceperint ad juſtitiam renaſcendi, validius donum factum eſt libertatis, quam debitum ſervitutis. „ Redemptionis æternæ participes effecti, ne nos diaboli ſervituti iterum peccando ſubjiciamus, Chriſtum Pontificem futurorum bonorum habentes, ne terreſtribus & perituris bonis inhæreamus & conglutinemur. Solus ille vere dives, qui juſtus eſt, qui heres Dei, & coheres Chriſti.

*Iſai*. 1. 19.

*Pſalm*. 15. 8.

*Iſai*. 33. 10.

*Coloſſ*. 2. 9.

*Matth*. 26.

*S. Leo M. Serm*. 61. *in Paſſione Dom*. 12. *cap*. 2.

Sacrificii Chriſti Jeſu dignitas & efficacia.

13. 14. *Si enim ſanguis hircorum & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis : quanto magis ſanguis Chriſti, qui per Spiritum Sanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis, ad ſerviendum Deo viventi ?* Sacrificii Chriſti Jeſu dignitatem quis digne recogitat, cujus Sacerdos & victima ipſe eſt Deus homo, ſacer ignis Spiritus Sanctus, virtus & efficacia infinita ? Vetera ſacrificia carnem tantum emundabant : Sanguis Chriſti in ejus ſacrificio Deo Patri oblatus, animas abluit, conſcientias purificat, totum hominem Deo conſecrat. Agni immaculati ſanguine purgati, ne iterum operibus mortuis animas noſtras inquinemus, ſed Deo viventi & vero ſerviamus. „ Peccator Deo viventi „ non ſervit, ſed opera quæ diligit pro Deo habet. „ Sic is qui ventri deditus eſt, ventrem Deum facit ; „ ſic avarus idolorum cultor eſt. Hujuſmodi igitur „ opera mortua ſunt, non ſolum quod a ſempiterna „ vita aliena ſint, verum etiam quod dum peraguntur, execrabilia ſint, atque ideo vana & mendacia, ut quæ nos ineſcant, & ſuavia videntur, „ cum non ſint. „ Sanguis Chriſti pretium eſt ſervorum, arrha ſponſæ, lavacrum inquinatorum, infirmorum remedium. Ad ipſum confugiamus, ut ejus virtute liberemur a ſervitute cupiditatum noſtrarum, emundemur a peccatis, ſanemur ab infirmitate ex illis reſidua, decoremur & ornemur ut ſponſæ, Deoque viventi ſerviamus, & illi uni placere ſtudeamus. Offeramus noſmetipſos Deo per Spiritum æternum, hoſtiam ſanctam, viventem, Deo placentem, unam cum Chriſto Jeſu victimam. Qui vult Deo vivo digne ſervire, vivat vita gratiæ neceſſe eſt. Nam *Secundum judicem populi, ſic & miniſtri ejus*.

*Theophylact*.

*Eccl*. 10. 2.

Solus Chriſtus Jeſus novi Teſtamenti per ſanguinem ſuum neceſſarius Mediator.

15. *Et ideo novi Teſtamenti Mediator eſt ; ut morte intercedente, in redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento, repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hereditatis*. Solus Chriſtus Jeſus novi Teſtamenti per ſanguinem ſuum neceſſarius Mediator eſt. „ Quamvis enim in conſpectu Domini multorum Sanctorum pretioſa mors „ fuerit, nullius tamen innocentis occiſio, propitiatio fuit mundi. Acceperunt juſti, non dederunt „ coronas, & de fidelium fortitudine exempla nata „ ſunt patientiæ, non dona juſtitiæ. Singulares quippe in ſingulis mortes fuerunt, nec alterius quiſquam debitum ſuo fine perſolvit ; cum inter filios „ hominum ſolus Dominus noſter Jeſus Chriſtus extiterit, in quo omnes crucifixi, omnes mortui, „ omnes ſepulti, omnes etiam ſint ſuſcitati. „ Omnium temporum Mediator eſt, nec ullum remedium contra peccatum fuit, etiam tempore Legis, niſi per ſanguinem & merita venturi Mediatoris, & per fidem in ipſum. *In redemptionem earum prævaricationum, quæ erant ſub priori Teſtamento*. Præclare S. Leo M. *Gratia Dei* (inquit) *qua ſemper univerſitas eſt juſtificata Sanctorum, aucta eſt Chriſto naſcente, non cœpta. Et hoc magnæ pietatis ſacramentum tam potens etiam in ſuis ſignificationibus fuit, ut non minus adepti ſint, qui in illud credidere promiſſum, quam qui ſuſcepere donatum*. Sanguis denique Mediatoris Chriſti Jeſu, pretium & pignus eſt beatitudinis fidelibus a Deo promiſſæ. *Repromiſſionem accipiant, qui vocati ſunt, æternæ hereditatis*. Dedit ſanguinem ſuum, & vitam ſuam Jeſus Chriſtus ut nos Deo reconciliaret ; demus bonum voluntatem, amorem, obedientiam, cupiditatum ac ſenſuum noſtrorum mortificationem, devotionis fervorem, ut reconciliationis hujus fructum conſequamur & conſervemus.

*S. Leo M. Serm*. 61.

*Serm*. 4. *in Nativ. Dom*.

16. 17. *Ubi enim Teſtamentum eſt, mors neceſſe eſt intercedat teſtatoris. Teſtamentum enim in mortuis confirmatum eſt : alioquin nondum valet, dum vivit qui teſtatus eſt*. Chriſtus novi fœderis Deum inter & homines Mediator, teſtamentum condidit, alios heredes inſtituit, alios exhæredes declaravit. De primis dixit : „ Pater, manifeſtavi nomen tuum hominibus quos dediſti mihi de mundo. Tui erant, & „ mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſervaverunt... „ pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum „ eorum in me : ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum „ ſint ; ut credat mundus quia tu me miſiſti. Et „ ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis : ut „ ſint unum, ſicut & nos unum ſumus..... Pater, „ quos dediſti mihi, volo ut ubi ſum ego, & illi ſint

*S. Chry. Hom*. 16. *Joan*. 17.

Teſtamentum Jeſu Chriſti. Excluduntur ab ejus hereditate, qui alieni ſunt a caritate.

„ mecum :

„ mecum : ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi : „ De exhæredibus vero dixit ; *Non pro mundo rogo , &c.* A Chriſti ergo hereditate excluduntur , quicumque diligunt mundum, quibus *concupiſcentia carnis , concupiſcentia oculorum , & ſuperbia vitæ* , amor voluptatum , divitiarum , honorum & gloriæ hujus mundi dominatur . Teſtator bona ſua heredibus relinquit , & aliqua interdum ab illis exigit : ita Chriſtus poſtquam cœleſtia bona electis ſuis promiſit , ab illis Mandatorum ſuorum exigit obſervantiam, imprimiſque magni caritatis Mandati , quod cetera complectitur , & quo Lex impletur. *Filioli , adhuc modicum vobiſcum ſum . Mandatum novum do vobis ; ut diligatis invicem , ſicut dilexi vos . In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis , ſi dilectionem habueritis ad invicem .* Qui alienus eſt a fraterna caritate , alienus erit a Chriſti hereditate . Chriſtus Teſtamenti novi idem teſtator & teſtis , cum Patre & Spiritu Sancto : *Ego* ( inquit ) *teſtimonium perhibeo de me ipſo , & teſtimonium perhibet de me qui miſit me Pater* . Et de Spiritu Sancto loquens : *Ille* , inquit , *teſtimonium perhibebit de me* . Teſtes etiam Apoſtolos adhibuit . *Et vos teſtimonium perhibebitis , quia ab initio mecum eſtis* . Hereditate indigni eramus , propterea Mediator noſter extitit , morteque ſua Patri pro nobis ſatisfaciens , illum nobis conciliavit . Offenderamus , mori debebamus . Pro nobis „ eſt mortuus , & fecit nos dignos teſtamento , qui „ digni eramus ſupplicio . O immenſi vim amoris ! „ Grato animo erga Jeſum Mediatorem noſtrum ſimus . Redamemus ſaltem eum , qui ſic prior dilexit nos .

1. Joan. 2. 15. 16.
Joan. 13. 33. 34. 35.
Joan. 8. 18.
Joan. 15. 26. 27.
S. Chryſoſt.

22. 23. *Et omnia pene in ſanguine ſecundum Legem mundantur : & ſine ſanguinis effuſione non fit remiſſio . Neceſſe eſt ergo exemplaria cœleſtium his mundari : ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis quam iſtis* . Vetera fuere typi & figuræ novorum . Si ergo Moyſes accepto ſanguine , eoque aqua commixto , & populum , & tabernaculum , & teſtamentum ipſum ſive Librum Legis aſpergebat , & qui polluti erant mundabantur : quid mirum ſi hoc in veritate factum eſt ? Typus Baptiſmatis erat aqua ; ſanguis victimarum , typus erat ſalutaris ſanguinis Chriſti Jeſu ; hyſſopi calor , gratiæ Spiritus Sancti ; lana coccinea , novi indumenti figura ; lignum cedrinum , impatibilis Divinitatis typus ; cinis denique vitulæ , ſanctæ humanitatis paſſionem adumbrabat . Solo hominis Dei ſanguine a peccatis mundari & Deo digni fieri homines poterant . Hoc aſpergitur & Liber Legis , & vaſa miniſterii , & tabernaculum . Quis Liber? Ipſi ſunt electi : Lex enim Dei ſcripta eſt in cordibus eorum , non atramento , ſed Spiritu Dei vivi . Quæ vaſa ? Ipſi , *vaſa in honorem* . Quod tabernaculum? Ipſi . *Vos enim eſtis templum Dei vivi , ſicut dicit Deus : Quoniam inhabitabo in illis , & inambulabo inter eos* . Hoc ſanguine nos non Moyſes , ſed Chriſtus aſperſit , verbo pro hyſſopo uſus : *Hic eſt ſanguis novi Teſtamenti in remiſſionem peccatorum* . „ Sanguis veterum victima„ rum ſolum mundabat corpus ; Sanguis Chriſti in„ greditur animam , non ſolum aſpergens , ſed etiam „ inſtar fontis irrigans . Ille ſolam corporis aſperge„ bat ſuperficiem : hic vero ipſi eſſentiæ animæ ad„ miſcetur , ipſam reddens robuſtam & caſtam , pul„ chram , & Deo amabilem . Chriſti ſanguine cœleſtes „ efficimur . „ *Ipſa autem cœleſtia melioribus hoſtiis quam iſtis* Noſtra ergo converſatio ſit in cœlis . Terrenis omnibus rebus ſuperiores ſimus cogitatione , amore , deſiderio . Quando Dominum in nobis per gratiam & caritatem habuerimus , anima noſtra cœlum erit omni ex parte purum & immaculatum , nebulis omnibus & tempeſtatibus ſuperius . Cœlum fieri , cœlum aſcendere , Deo frui , nemo Chriſtianus non deſiderat , nemo interrogatus non dicit , Volo : ſed voluntas inefficax non ſit . Rem aggrediamur , voluntati opera & laborem adjungamus , & Deum habebimus adjutorem . Si autem dormiamus , & opus laboremque fugiamus , cœleſtem hereditatem conſequi non poterimus . Cur ad hujus vitæ negotia tam ſtrenui , tam diligentes , tam laborioſi ſumus : ad negotium vero ſalutis noſtræ tam pigri , tam deſides ? Caveamus ne hereditas noſtra vertatur ad alienos , ſi Chriſti ſanguine abuti pergamus : ne a nobis auferatur regnum Dei , & detur genti facienti fructum ejus .

Solo hominis Dei ſanguine mundari poterant homines a peccatis.
1. Cor. 6. 16.
S. Chryſoſt.

24. 25. 26. *Non enim in manufacta Sancta Jeſus introivit , exemplaria verorum , ſed in ipſum cœlum , ut appareat nunc vultui Dei pro nobis* . „ Si verum „ eſt omnem Sacerdotem , ut Sacrificium offerat , „ ſtare , nec conſeſſor umquam , aut ejuſdem collega „ gloriæ poſſit intelligi cum Deo cui ſacrificat , quo„ modo non inuſitatus plane Sacerdos Chriſtus eſt , „ qui & in divinitatis throno conſidet , & tamen ut „ homo ſacra facit ? „ *Chriſtus Jeſus Catholicus Patris Sacerdos* in cælum intrans , non novam victimam , neque novum Sacrificium offert , ſed quam ſemel obtulit hoſtiam *ad deſtitutionem peccati* , pro nobis offerre pergit . Peccatum in nobis non deſtruit Sacerdos noſter ſine nobis . Ejus gratiæ cooperemur . Sanguinis ejus virtutem ac mediationem ne irritam faciamus . Offert pro nobis ſanguinem quem effudit , mortem quam paſſus eſt , vulnera quæ ſuſcepit : coram Deo nos ſiſtamus corde contrito & humiliato ; offeramus ipſi lacrymas vulnerati ſanguinem cordis ; corpus & regnum peccati perpetua Pœnitentia in nobis deſtruamus .

S. Cyrillus Alexand. lib. De Adorat. in Spiritu & Veritate .
Tertullian.

27. 28. *Et quemadmodum ſtatutum eſt omnibus hominibus ſemel mori , poſt hæc autem judicium : ſic & Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata : ſecundo ſine peccato apparebit exſpectantibus ſe in ſalutem* . Semel mori , magnum oraculum ; quando mori , magnum ſecretum ; in peccato mori , ſummum & irreparabile malum . Mortem ſequitur Judicium ſine appellatione , æternitas felix vel miſera ſine fine . Ad mortem nos quotidie præparemus Chriſtiane vivendo . Bona operemur ſine intermiſſione , ſine faſtidio ; mala hujus vitæ patienter toleremus , exhauriamus quotidiana peccata orationibus , jejuniis , eleemoſynis ; ſecundum Chriſti Jeſu adventum cum fiducia exſpectantes , quo *apparebit exſpectantibus ſe in ſalutem* . Vivamus ut ſervi fideles domini reditum expectantes ; ut caſtæ ſponſæ , dilecti ſponſi præſentiam deſiderantes , & in ejus abſentia ſuſpirantes & gementes . Expecta Dominum , & cuſtodi viam ejus , ſerva mandata ejus , ut hereditate capias terram viventium , & tibi appareat in ſalutem .

Ad mortem & judicium nos quotidie præparare debemus.

---

## C A P U T X.

### *Senſus Litteralis .*

1. *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum , non ipſam imaginem rerum , per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis , quas offerunt indeſinenter , numquam poteſt accedentes perfectos facere* . Capite ſuperiori oſtendit Apoſtolus Chriſtum aboleviſſe peccatum , æternamque redemptionem inveniſſe : nunc oſtendit legem cremonialem cum ſuis ſacrificiis id præſtare non potuiſſe . Cum enim Lex umbram ſolum habeat bonorum ſpiritualium & cæleſtium , ſcilicet veræ juſtitiæ , gratiarum , & donorum Spiritus ſancti , nec non vitæ ac beatitudinis æternæ , non ipſam rerum ſubſtantiam ac veritatem exhibeat ; numquam poteſt oblatione earumdem victimarum , ſcilicet vitulorum & hircorum , quos ſingulis annis aſſidue & jugiter offerunt Sacerdotes , vere juſtos & perfectos facere eos , qui ad Deum colendum accedunt .

S. Thomas Lect. 1.

2. 3. *Alioquin ceſſaſſent offerri ; ideo quod nullam haberent ultra conſcientiam peccati , cultores ſemel mundati . Sed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit* . Alioquin offerri deſiiſſent , cum ii qui hunc Deo cultum exhibent , ſemel a peccatis mundati & perfecte juſtificati ac ſanctificati , remiſſorum peccatorum ſibi amplius conſcii non eſſent . Cum enim peccatum ſit quoddam ſpirituale cæleſtibus oppoſitum , mundari non poteſt niſi per aliquod ſpirituale & cæleſte , cujus perpetua ſit virtus . Quod autem perpetuam habet virtutem , ſufficit ad peccatorum omnium , tam commiſſorum , quam committendorum remiſſionem & expiationem : & ideo ipſum iterari minime neceſſe eſt . Unde Chriſtus *una oblatione mundavit in æternum ſanctificatos* , ut inferius ait Apoſtolus noſter . Cum igitur in Sacrificiis , quæ ſolemni expiationis die offeruntur , fiat commemoratio & confeſſio publica peccatorum filiorum Iſrael a Pontifice utramque manum ſuper hircum emiſſarium imponente ; ſequitur his hoſtiis veram ac perfectam remiſſionem , veramque & interiorem juſtitiam collatam non fuiſſe , ſed legalem dumtaxat & typicam : quia remitti non poterant peccata , perfectaque juſtitia conferri niſi per ſacrificium infinitæ & perpetuæ virtutis , quale nullum erat in lege veteri .

Levit. 16. 21.

Ex hoc loco Apoſtoli argumentum inſtruunt Proteſtantes adverſus Miſſæ Sacrificium , quod ſi propitiatorium eſſet , vimque haberet ad remiſſionem peccatorum , jam ceſſaſſet offerri , quia nullam ultra conſcientiam haberent peccati cultores ſemel mundati ,

Proteſtantium objectio contra Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ſolvitur.

Hanc objectionem occupavit S. Chryſoſtomus , reſpondens , Miſſæ Sacrificium aliam oblationem non eſſe ab ea qua ſemetipſum Chriſtus pro nobis ſemel obtulit in cruce , ſed illius commemorationem . „ Offeri„ mus quidem ( *inquit* ) ſed ejus mortem revocamus „ in memoriam : & ipſa una eſt , non multæ . Quo„ niam ſemel fuit oblata , ſicut illata fuit in San„ cta Sanctorum . Eumdem enim ſemper offerimus : „ non nunc quidem alium , ſed ſemper eumdem . „ Quamobrem unum eſt Sacrificium . Quoniam multis „ in locis offertur , multi-ne ſunt Chriſti ? Nequa-

S. Chryſoſtom. Hom. 17.

„ quam ,



„ quam , ſed unus ubique Chriſtus , qui & hic eſt „ plenus , & illic plenus , unum corpus . Quomodo „ ergo multis in locis oblatus unum eſt corpus , „ & non multa corpora : ita etiam unum eſt Sacri„ ficium . Pontifex noſter ille eſt qui illam obtulit „ hoſtiam , quæ nos mundat . Illam nunc quoque „ offerimus , quæ tunc fuit oblata . Hoc fit in re„ cordationem ejus quod tunc factum eſt . Hoc faci„ te , inquit , in meam commemorationem . “ Non aliam hoſtiam , ſicut veteris Teſtamenti Pontifex , ſed eamdem ſemper offerimus , ſemel ejuſdem hoſtiæ ac Sacrificii commemorationem facimus .

Luc. 22.

4. 5. 6. 7. *Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata* . Impoſſibile eſt enim ſanguine brutorum animalium deleri & tolli peccata , quaſi eorum immolatio ita per ſe grata ſit Deo , ut propter eam peccata remittat illis pro quibus offeruntur , eoſque vere ac perfecte juſtos efficiat . *Ideo ingrediens mundum dicit : Hoſtiam & oblationem noluiſti : corpus autem aptaſti mihi* . Ideo Chriſtus mundum ingrediens per Incarnationem dicit , Sacrificia cruenta animalium , & oblationes incruentas thuris , placentarum , panum , &c. rejeciſti , ut figuras , adveniente , tempore quo veritas illuceſceret : illa , ut inſufficientia & invalida ad hominem tibi reconciliandum , & ad veram juſtitiam illi conferendam , tibi deinceps offerri noluiſti , o Pater ; corpus autem per Incarnationem formaſti mihi , quo tibi obedire , & immolari poſſem . *Holocautomata & pro peccato non tibi placuerunt* . Holocauſta , & victimæ pro peccato expiando oblatæ , tibi gratæ & acceptæ ex ſeipſis non fuerunt : *Tunc dixi : Ecce venio : in capite libri ſcriptum eſt de me : Ut faciam , Deus , voluntatem tuam* . Propterea dixi : Ecce venio ( ſicut in libro de me ſcriptum eſt , in Lege ſcilicet ac Prophetis ) ut faciam voluntatem tuam , Deus .

Confer cum Jerem. 11. 15. & Michea 6. 7.
Pſalm. 39.

Quod ex Pſalmo 39. ſecundum Verſionem LXX. Interpretum profert Apoſtolus noſter , *Hoſtiam & oblationem noluiſti , corpus autem aptaſti mihi* , ſecundum aliam Verſionem ſic legitur : *Aures autem perfeciſti mihi* . SS. Ambroſius , Auguſtinus , Theodoretus , Euthymius , Sixtina Editio , & plerique optimæ notæ Codices Græci cum Apoſtolo habent , ζωμα , corpus . Utrobique idem ſenſus eſt , Chriſtum ſcilicet ad obediendum Patri ab initio conceptionis ſuæ fuiſſe paratiſſimum . Pſalmum autem illum de Chriſto , ſaltem ſecundum ſublimiorem ac propheticum ſenſum ex Spiritus ſancti intentione & conſilio intelligendum eſſe , Apoſtolus aperte ſignificat .

Secundum textum Hebraic. *In volumine libri* , ſive in libro involuto . Solebant enim veteres , non tantum Hebræi , ſed etiam Ethnici , ad ſcribendum uti membranis , quæ in rotundum convolvebantur , in morem corticis , vel cylindri .

8. 9. *Superius dicens : Quia hoſtias , & oblationes , & holocautomata pro peccato noluiſti , nec placita ſunt tibi , quæ ſecundum legem offeruntur : Tunc dixi : Ecce venio , ut faciam , Deus voluntatem tuam : aufert primum , ut ſequens ſtatuat* . Cum prius dixiſſet , Noluiſti amplius & gratas non habuiſti hoſtias , oblationes , holocauſta , & ſacrificia pro peccato , quæ ſecundum legem offeruntur : hæc ( inquam ) tibi ex ſe non placuerunt : tunc dixi : Præſto ſum ut me pro omnium peccatis immolem ceu victimam te dignam , tibique acceptam . Aufert & abrogat primum genus ſacrificiorum , ut novum genus ſacrificii , ſui nempe corporis & ſanguinis ſtatuat : abrogat veterem Legem , ut Novam condat .

Vetera ſacrificia ex ſe non placuerunt Deo , ſed tantum ex fide offerentium , & ut typi ſacrificii Chriſti.

10. *In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem Corporis Jeſu Chriſti ſemel* . Quæ Dei voluntas nos ſanctificavit per oblationem Corporis Jeſu Chriſti ſemel peractam .

Secundum Græcum textum , & Syriacam Verſionem , & multos Codices Latinos , legendum eſt : *Tunc dixit* .
*Numer.* 18.

11. 12. 13. 14. *Et omnis quidem Sacerdos præſto eſt quotidie miniſtrans , & eaſdem ſæpe offerens hoſtias , quæ numquam poſſunt auferre peccata* . Et quidem omnis Sacerdos Leviticus ſtat quotidie ut ſacris operetur , & eaſdem ſæpe offerens hoſtias ( agnos in ſacrificio matutino & veſpertino , &c. ) quæ proinde invalidæ ſunt & inſufficientes ad expianda peccata . *Hic autem unam pro peccatis offerens hoſtiam , in ſempiternum ſedet in dextera Dei* . Chriſtus autem cum unam pro peccatis hoſtiam , ſemetipſum ſcilicet in cruce obtulerit , non amplius ſtat miniſtrans , ut Sacerdos legalis , ſed in perpetuum ſedet in dextera Dei glorioſus , *De cetero exſpectans , donec ponantur inimici ejus ſcabellum pedum ejus* . Expectans quod implendum ſupereſt , ut omnes inimici ejus illi ſubjiciantur quaſi pedibus calcandi , interimque cum Patre regnans . *Una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos* . Una enim ſui ipſius cruenta oblatione in cruce , perfectos reddidit omnes qui ſanctificantur , id eſt , omnes omnium temporum electos , quibus ut ſacrificii ſui ſanctitatem confert perpetuo duraturam .

Græcæ , προσενέγκα quod participium præteriti vim habet , *cum obtuliſſet* ,
De Chriſto ut homine loquitur.

15. 16. 17. *Conteſtatur autem nos & Spiritus ſanctus* . Idque nobis Spiritus ſanctus declarat . *Poſtquam enim dixit : Hoc autem Teſtamentum quod teſtabor ad illos , dicit Dominus , Dabo leges meas in cordibus eorum , & in mentibus eorum ſuperſcribam eas : Et peccatorum eorum , & iniquitatum eorum jam non recordabor amplius* . Poſtquam enim prædixiſſet : Hoc eſt fœdus quod paciſcar cum eis : Imprimam leges meas in cordibus eorum , & mentibus eorum inſcribam eas : addit : Et peccatorum eorum , tametſi graviſſimorum , jam non recordabor , ut ea ipſis imputem , & propter hæc illos puniam .

Jerem. 31. 33.

18. *Ubi autem horum remiſſio : jam non eſt oblatio pro peccato* . Porro cum peccata plene ac perfecte remiſſa ſunt , jam non eſt neceſſaria altera hoſtia , qua novum pretium illis remittendis comparetur , ſed ſolum neceſſaria eſt applicatio pretii ſemel a Chriſto patiente & moriente oblati . Hæc itaque vis eſt Apoſtolici ratiocinii : Remiſſio peccatorum , promiſſio eſt novo Teſtamento peculiaris . Quæ cum præſtanda ſit per oblationem Chriſti Novi Teſtamenti Conditoris ac Mediatoris in cruce peractam : conſequens eſt legalia Sacrificia Chriſto moriente deſinere debuiſſe .

19. 20. 21. 22. *Habentes itaque , fratres , fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti , quam initiavit nobis viam novam , & viventem , per velamen , id eſt , carnem ſuam , & Sacerdotem magnum ſuper domum Dei : Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei , aſperſi corda a conſcientia mala , & abluti corpus aqua munda* . Itaque , fratres , cum data ſit nobis fiducia introeundi in Sanctuarium cæleſte per ſanguinem Chriſti pro nobis effuſum : quam viam in Sancta Sanctorum cæleſtia nobis aperuit ac dedicavit , viam novam nullius ante tritam veſtigiis : ineamus , viam quæ ducit ad vitam æternam , in quam nos introducit per carnem ſuam , cujus typus erat velamen per quod veteris Teſtamenti ſummus Sacerdos in Sancta Sanctorum ingrediebatur : Et cum habeamus Sacerdotem Magnum Jeſum Chriſtum , ſuper domum Dei , Eccleſiam ſcilicet , tam militantem , quam triumphantem , conſtitutum ; accedamus ad eum puro & ſincero corde , cum plena certiſſimaque fide promiſſorum Dei ; mundatis cordibus a ſordibus peccatorum per interiorem aſperſionem Sanguinis Chriſti ; & aquam Baptiſmi , cujus tanta vis eſt , ut corpus tangat , & animam abluat .

Aliud Apoſtolus ad aſperſiones & ablutiones legales , velut typos , quibus iſta , de qua loquitur , interior aſperſio , Novi Teſtamenti tempore per virtutem & merita ſanguinis Jeſu Chriſti facienda ſignificabatur. *Aqua munda* dicitur , vel , quod mundos faciat , vel quod non habeat admixtum ſanguinem , ut aqua illa expiationis legalis , cui mixtus erat cinis vaccæ ru[illegible]. Confer cum Ezech. 36. 25.

23. 24. 25. *Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem ( fidelis enim eſt qui repromiſit )* . Spem innixam fidei , quam in Baptiſmo profeſſi ſumus , firmam & inconcuſſam retineamus & conſervemus ( fidelis eſt enim & verax in promiſſis ſuis , qui nobis promiſit ingreſſum in Sanctuarium cœleſte ) . *Et conſideremus invicem in provocationem caritatis , & bonorum operum* . Et nos invicem benevole obſervemus , & alter alterius ſpiritali profectui & ſaluti conſulamus , nos ad caritatis officia & ad bona opera mutuo excitantes . *Non deſerentes collectionem noſtram , ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam , ſed conſolantes , & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem* . Ne Conventus Eccleſiaſticos & Synaxes deſeramus , ſive ab iis nos ſubducamus , ut multi conſuevere , ſive metu perſecutionum , ſive ex tepore & negligentia , ſive ex faſtu & ſuperbia . Vel , Non deficientes ab Eccleſia per ſchiſma aut apoſtaſiam : quin potius , adhortamini vos mutuo ad patientiam , quoties convenitis , & alter alterum conſolamini in perſecutionibus & afflictionibus , quæ vos premunt : & tanto magis hoc facite , quanto videritis diem adventus Domini & futuræ retributionis appropinquare .

26. 27. *Voluntarie enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis , jam non relinquitur pro peccatis hoſtia : Terribilis autem quædam exſpectatio judicii & ignis æmulatio , quæ conſumptura eſt adverſarios* . Si enim voluntarie peccemus , poſt acceptam veritatis notitiam , poſt fidem Chriſti ſuſceptam , perceptumque baptiſmum , ſi ( inquam ) non ex ignorantia , vel infirmitate , ſed ex malitia & deſtinata voluntate graviter peccamus , non eſt ſecundo baptiſmati locus , quo iterum ſicut prius a peccatis abluamur , & ab omni etiam pœnæ reatu ſolvamur , Chriſti paſſione & ſacrificio ſuam omnem virtutem in nobis exſerente . Vel ; ſi peccato apoſtaſiæ quo fides & religio Chriſtiana ſemel ſuſceptæ prorſus abjiciuntur , peccemus , Chriſti mortem , ſemel pro peccatis noſtris oblatam , nobis inutilem reddentes : non eſt quod iteratam ejuſdem hoſtiæ oblationem expectemus , id eſt , ut iterum pro nobis crucifigatur Filius Dei : quod hujuſcemodi lapſus gravitas expoſcere videretur . Non negat itaque Apoſtolus quod graviſſima peccata poſt baptiſmum commiſſa remitti per Pœnitentiam non poſſint , qui Novatianorum error fuit , ſed quod non tam facile remitti poſſint , ſicut per Baptiſmum dimittuntur . Sed ita peccantibus nihil expectandum eſt niſi terribile Dei Judicium , ( ſi in peccatis perſeverent ) & ardor ignis ultoris , qui Dei inimicos æterna combuſtione cruciaturus eſt .

S. Chryſoſt. Hom. 20.
S. Aug. in Expoſit. Inchoata . Epiſt. ad Rom. Theophylact.
S. Thomas .

28. 29. *Irritam quis faciens Legem Moyſi , ſine ulla miſeratione duobus vel tribus teſtibus moritur : Quanto magis putatis deteriora mereri ſupplicia , qui Filium*

Deuteron. 13. 5. & cap. 17. 2. & ſeq.



Dei

*Dei conculcaverit, & Sanguinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Qui Legem Moyſi violaverit, perpetrando crimen aliquod ex iis, quibus mortis pœna in ipſa Lege conſtituta eſt: Vel, Qui Legem Moyſi abjecerit, Judaiſmum deſerendo, ut Deos alienos colat, duorum aut trium teſtimonio morte damnatur, idque ſine miſericordia, ita ut nec ſummus Sacerdos, nec Rex, nec Senatus ignoſcendi habeant poteſtatem: quanto gravioribus dignus ſuppliciis judicabitur, qui Filium Dei extremo contemptui habens, conculcaverit, & Sanguinem quo novum fœdus ſancitum & confirmatum eſt, & cujus virtute ſanctificatus fuit, ut vilem ac profanum habuerit, ac nihili fecerit; & Spiritum ſanctum gratiarum omnium & donorum ſpiritualium largitorem contumelia affecerit?

*Deuter. 12. 35. Ibid. Verſ. 36. & Pſ. 134. 14.*

30. 31. *Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, & ego retribuam.* Novimus enim quam verax ſit & potens Deus, qui dixit: Mihi vindicta reſervata eſt, & illam repetam, debitaſque pœnas retribuam tempore conſtituto. *Et iterum: Quia judicabit Dominus populum ſuum.* Et rurſus ſcriptum eſt: Dominus juſtum judicium exercebit in populum ſuum, tam veterem, quam novum, & ſevere puniet fœderis cum illo initi contemptores & violatores. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*, qui animam & corpus perdere poteſt in gehennam ignis æterni.

*Matth. 10. 18.*

32. 33. 34. *Rememoramini autem priſtinos dies, in quibus illuminati magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum.* In memoriam revocate priſtinum tempus, quo divina fidei luce perfuſi, & Baptiſmo luſtrati, ingens rerum adverſarum certamen pro Chriſti nomine ſuſtinuiſtis. *Et in altero quidem, opprobriis & tribulationibus ſpectaculum facti; in altero autem, ſocii taliter converſantium effecti.* Partim quidem opprobriis & tribulationibus palam vexati, ac velut in theatrum producti; partim vero ſocii & conſortes facti eorum qui hæc paſſi ſunt. *Nam & vinctis compaſſi eſtis, & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam.* Nam iis qui propter Chriſtum in vinculis erant, ex animo condoluiſtis, & bonorum veſtrorum directionem cum gaudio pertuliſtis, cognoſcentes vobis meliores divitias reliquas eſſe, quæ invitis eripi non poſſunt, gratiam, virtutes, bona vitæ æternæ, theſaurum non deficientem in cœlis.

Secundum Græcum textum, τοῖς δεσμοῖς μου ἀντεπαθήσατε, *Vinculis meis compaſſi eſtis.*

35. 36. 37. *Nolite itaque amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.* Ne igitur abjiciatis ſpem ac fiduciam, qua ſubnixi, tam ardua, tam dura, tam indigna pro Chriſti nomine toleraſtis; quæ quidem fiducia, & libera Chriſtianæ Religionis inter tot adverſa profeſſio, magno præmio a Deo remuneranda eſt. *Patientia enim vobis, neceſſaria eſt: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.* Vobis enim patientia & longanimitate opus eſt, ut implentes voluntatem Dei, bona ab illo promiſſa obtineatis. *Adhuc enim modicum aliquantulum, Qui venturus eſt, veniet, & non tardabit.* Adhuc enim tantillum, tantillum (inquam) temporis vobis exſpectandum eſt, & Chriſtus proculdubio veniet mundum judicaturus, & fidem veſtram, bona opera, ac patientiam remuneraturus.

*Habacuch. 2. 3. ſecundum LXX.*

38. *Juſtus autem meus ex fide vivet: Quod ſi ſubtraxerit ſe, non placebit animæ meæ.* Juſtus ex fide vivet, eaque ſuſtentabitur ne inter adverſa deficiat, ſed cum patientia bona promiſſa expectans, ad finem uſque perſeveret. Quod ſi metu perſecutionum defecerit, ac tentationibus ſuccubuerit, ſive in fide hæſitans, ſive ab evangelicis præceptis deflectens, a juſtitia ſua excidet, mihique amplius non placebit.

Pronomen, *meus*, ſecundum Textum Græcum, redundat. Pronomen μου apud Prophetam legitur ſecundum Verſionem LXX. Interpretum, ſed refertur ad nomen πίστεως, non ad δίκαιος, ut ſit ſenſus: *juſtus ex fide mea vivet.* Quod *Euſebius* lib. 6. *Demonſt. Evang.* cap. 16. *S. Hieron. Comment. in Habac. Theodoret.* in eumdem Prophetam, & ante illos *S. Cyprian.* lib. 1. & 3. *Teſtimon. ad Quirinum*, confirmant.

39. *Nos autem non ſumus ſubtractionis filii in perditionem, ſed fidei in acquiſitionem animæ.* Nos autem in Chriſtum credentes, & promiſſis ejus confidentes, longe aliter affecti ſumus, quam ut nos ſubtrahamus a Deo per incredulitatem, inobedientiam, impatientiam, vel ignaviam, quod nobis in ruinam & perditionem cederet: ſed firmi forteſque ſtamus in fide, ad ſalutem animarum.

Dictionem *filii* redundare, ex Græco textu compertum eſt.

## CAPUT X.

### *Senſus Moralis.*

Comparatio Sacrificii Chriſti cum Sacrificiis Judaicis.

1. 2. *Umbram enim habens Lex futurorum bonorum, non ipſam imaginem rerum, per ſingulos annos eiſdem ipſis hoſtiis, quas offerunt indeſinenter, numquam poteſt accedentes perfectos facere*, &c. Judæi typos & umbras futurorum bonorum magna veneratione proſequebantur: nos ipſam rerum veritatem parviſacimus & negligimus. Illas bonorum futurorum umbras laudabiliter ac pie conſectabantur, cum a Deo eſſent inſtitutæ, & ad Religionem, uſque ad Chriſti, quem ſignificabant, adventum pertinerent: Nos alias umbras ſectamur, vanitatem, mendacium, peccatum, res caducas & perituras, divitias, honores, voluptates, quæ ad Deum non ducunt, ut Legis ceremoniæ, ſed ab eo avertunt, & a futurorum bonorum conſecutione nos impediunt. Tranſeunt ſicut umbra. *Filii hominum, uſquequo gravi corde*, magis quam Judæi? *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Sacrificium multiplex habebant; nos unicum, ſcilicet Sacrificium Chriſti. Illi Sacrificium expiationis ſingulis annis iterabant, ejuſdem ſpeciei victimas offerentes, quæ accedentes ad Deum juſtos & perfectos facere non poterant. Nos quotidie eamdem victimam Deo offerimus, Chriſtum Filium ejus in Altari, ad noſtrorum remiſſionem peccatorum, minori, heu! pietate ac præparatione, quam Judæi veteres illas victimas offerrent: cum tamen ſalutaris hæc Hoſtia perfectos faciat accedentes cum debitis diſpoſitionibus. Veterum Sacrificiorum repetitio per novarum oblationem victimarum, eorum infirmitatem & inefficaciam ad peccatorum expiationem oſtendebat: repetitio quotidiana Sacrificii Chriſti in Altari, per ejuſdem hoſtiæ ſemper viventis & jam immortalis oblationem, infinitæ illius efficaciæ & virtutis argumentum eſt, quæ numquam exhauritur, ſed quotidie nobis applicatur ad expiationem peccatorum, mortem ejus commemorantibus, ſi vere pœnitentes ſimus, quicumque offerimus, vel ſumimus; ſi vere mundati, & *nullam habentes ultra conſcientiam peccati:* aut certe peccati actualem depoſuerimus affectum, quicumque Sacrificio, adſiſtimus. Multi hujus Sacrificii ſemel toto anno ſunt participes, alii bis, alii ſæpe. Qui vero Deo magis accepti, an „ qui ſemel, an qui ſæpe, an qui raro? Nec hi, nec illi; ſed qui pura conſcientia & mundo corde, quorum vita nulli eſt obnoxia reprehenſioni: qui ſunt hujuſmodi, ſemper accedant; qui non ſunt hujuſmodi, ne ſemel quidem: quoniam ſibi ſumunt judicium & condemnationem, & ſupplicium. Nec mireris. Sicut enim alimentum quod natura vim habet nutriendi, ſi ab eo ſumatur qui malis cibis & pravis humoribus plenus eſt, omnia perdit & corrumpit, & morbi fit occaſio: ita hæc veneranda Myſteria. Frueris menſa ſpirituali, menſa regali, & iterum os tuum luto inquinas Ungis unguento, & rurſus imples fætore. Dic mihi, cum poſt annum es particeps Communionis, exiſtimas ne quadraginta dies tibi ſufficere ad emundationem peccatorum totius temporis: & cum rurſus præterierit hebdomada, te dedis prioribus?

Diſpoſitio ad ſanctam Communionem. *S. Chryſ. Hom. 17. in hanc Epiſt.*

Congrua Pœnitentia ſola peccatorum commemoratione non peragitur.

3. *Sed in ipſis commemoratio peccatorum per ſingulos annos fit.* Plurimorum Chriſtianorum Pœnitentia ad annuam peccatorum commemorationem coram Sacerdote revocatur. Confeſſione totum Pœnitentiæ negotium peragi putant. Veram & ſinceram contritionem de peccatis ex amore pœnitente profectam non habent, ſatisfactionem congruam Deo exhibere non curant. Timendum certe eſt peccatorum remiſſionem non obtineant ob impœnitentiam cordis. *Exomologeſis eſt, qua delictum Domino noſtrum confitemur, non quidem ut ignaro, ſed quatenus ſatisfactio confeſſione diſponitur, confeſſione pœnitentia naſcitur, pœnitentia Deus mitigatur.* Falſæ Pœnitentiæ ut plurimum ſignum eſt frequens in eadem peccata relapſus. *Irriſor eſt, & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet, nec videtur Deum poſcere ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus.* Hinc tritum illud S. Ambroſii: „ Facilius inveni qui innocentiam ſervaverint, quam qui congruam egerint pœnitentiam... Renuntiandum ſæculo eſt, ſomno ipſi minus indulgendum quam natura poſtulat, interpellandus eſt gemitibus, interrumpendus eſt ſuſpiriis, ſequeſtrandus orationibus: vivendum ita ut vitali huic moriamur uſui; ſe ipſum homo ſibi abneget, & totus mutetur.... Unde bene Dominus ait. Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum ſibi, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. *Etenim qui mortui & ſepulti ſunt in Chriſto, non debent iterum velut viventes de hoc mundo decedere.* Ne tetigeritis, inquit,

*Tertul. lib. De Pœnit. cap. 9.*

*S. Iſidorus Hiſpal. lib. 2. De Offic. cap. 16. S. Amb. lib. 2. De Pœnit. cap. 10.*

*Coloſſ. 2. 20.*



*quit*, neque contaminaveritis, quæ ſunt omnia ad corruptelam ipſo uſu, *eo quod ipſe hujus vitæ uſus corruptela ſit integritatis.*

5. 6. 7. 8. 9. *Ideo ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti: Corpus autem aptaſti mihi. Holocautomata pro peccatis non tibi placuerunt: Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me; Ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* „ Diabolus nos in primi parentis radice ſupplantans, ſub captivitate ſua quaſi juſte tenuit hominem, qui libero arbitrio conditus, ei injuſta ſuadenti conſenſit. Ad vitam namque conditus in libertate propriæ voluntatis, ſponte ſua factus eſt debitor mortis. Delenda ergo erat talis culpa, ſed niſi per ſacrificium deleri non poterat. Quærendum erat ſacrificium: Sed quale ſacrificium poterat pro abſolvendis hominibus inveniri? Neque etenim juſtum fuit ut pro rationali homine brutorum animalium victimæ cæderentur, neque illorum ſanguis vim habebat eluendi & expiandi peccata. *Impoſſibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Ego ſi bruta animalia, id eſt, pro homine dignæ victimæ non fuerunt: requirendus erat homo, qui pro hominibus offerri debuiſſet, ut pro rationali peccatore rationalis hoſtia mactaretur. Sed quid, quod homo ſine peccato inveniri non poterat, & oblata pro nobis hoſtia quando nos a peccato mundare potuiſſet, ſi ipſa hoſtia peccati contagione non careret, ſi inquinata quippe inquinatos mundare non potuiſſet? Ergo ut rationalis eſſet hoſtia, homo fuerat offerendus: ut vero a peccatis mundaret hominem, homo & ſine peccato. Sed quis eſſet ſine peccato homo, ſi ex peccati commixtione deſcenderet? Proinde venit propter nos in uterum Virginis Filius Dei, ibi pro nobis factus eſt homo. Sumta eſt ab illo natura, non culpa. *Fecit pro nobis Sacrificium, corpus ſuum exhibuit pro peccatoribus victimam ſine peccato, quæ & humanitate mori, & juſtitia mundare potuiſſet.* Ideo ab exortu ſuo ſe ipſum pro nobis immolandum obtulit Patri, uſque ad paſſionem effectus victima. *Ideo ingrediens mundum dicit: Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Holocautomata, & pro peccato non tibi placuerunt: Tunc dixi, Ecce venio... Ut faciam, Deus, voluntatem tuam.* Chriſtum in Mundum ingredientem ut Sacerdos noſter, victima noſtra, & ſacrificium noſtrum ſit, adoremus, & imitari ſtudeamus. Primas mentis ſuæ cogitationes, primos cordis ſui motus Deo conſecrat. Se ipſum ſupremæ ejus Majeſtati totum offert ad ejus voluntatem implendam. Id facere & nos tenebamur, cum primum ratione uti cœpimus. Illud ne implevimus officium? Impleamus ſaltem in principio cujuſque diei; in principio omnium operum noſtrorum, illa Deo conſecrantes & offerentes per Jeſum Chriſtum, ut nobis ſalutaria ſint, Filius Dei naturam noſtram aſſumpſit, ut in ſe haberet quod Patri offerret in Sacrificium. *Hoſtiam & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi.* Corda & corpora noſtra Deo in ſacrificium offeramus *Hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem.* Non vult Deus ſacrificium trucidati pecoris, ſed vult ſacrificium contriti cordis. „ Homo Dei nomine conſecratus & Deo votus, in quantum mundo moritur ut Deo vivat, ſacrificium eſt... Nam & hoc ad miſericordiam pertinet, quam quiſque in ſe ipſum facit. Propterea ſcriptum eſt: *Miſerere animæ tuæ placens Deo.* Corpus etiam noſtrum cum per temperantiam caſtigamus, ſi hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra noſtra arma iniquitatis peccato, ſed arma juſtitiæ Deo, ſacrificium eſt..... Si ergo corpus, quo inferiore tamquam famulo, vel tamquam inſtrumento utitur anima, cum ejus bonus & rectus uſus ad Deum refertur, ſacrificium eſt; quanto magis anima ipſa cum ſe refert ad Deum, ut igne amoris ejus accenſa, formam concupiſcentiæ ſæcularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ ſubdita reformetur, hinc ei placens, quod ex ejus pulcritudine acceperit, fit ſacrificium? Chriſtus Jeſus in mundum venit ut faceret voluntatem Patris. *Ecce venio* (inquit) *ut faciam voluntatem tuam.* Et nos ideo in mundum venimus, ad hoc a Deo creati ſumus, ut voluntatem ejus faciamus, ut eam diligamus, ut eam conſulamus, eique in omnibus vitæ eventibus, gravioribuſque negotiis nos conformemus. Dicamus cum Propheta: *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* „ Tu es totum meum, quia tu es Deus meus. Patrem quæram propter hereditatem? *Tu es Deus meus:* non ſolum dator hereditatis, ſed ipſa hereditas. Dominum quæram propter redemptionem? *Tu es Deus meus.* Patronum quæram propter liberationem? Tu es Deus meus. Poſtremo creatus recreari cupio? *Tu es Deus meus*, qui Creator meus, qui creaſti me per Verbum tuum, & recreaſti me per Verbum. Sed creaſti me per Verbum Deum manentem apud te; recreaſti per Verbum carnem factum propter nos. *Doce* ergo *me ut faciam voluntatem tuam, quoniam tu es Deus meus.* Si non me docueris, faciam voluntatem meam, & deſeret me Deus meus. *Doce me?* Non enim tu es Deus meus, & ego ero magiſter meus. Videte quemadmodum gratia commendetur. Hoc tenete, hoc imbibite, hoc vobis de corde nullus excutiat: ne habeatis zelum Dei, ſed non ſecundum ſcientiam: ne ignorantes Dei juſtitiam, & veſtram volentes conſtituere, juſtitiæ Dei non ſitis ſubjecti.

*S. Greg. M. lib. 17. Mor. c. 18.*

Solus Chriſtus Jeſus digna pro noſtrorum expiatione peccatorum victima.

Chriſtus Jeſus ſeipſum ut victimam pro nobis offerens Deo patri ut primum ingreditur mundum, nobis imitandus.

*S. Thomas 1. 2. Quæſt. 89. Art. 6. ad 3. & alibi.*

*Rom. 12. 1.*

*S. Auguſt. lib. 10. De Civit. Dei, cap. 6.*

*Eccl. 30. 24.*

*Pſal. 142. 10.*

*S. Auguſt. in hunc Pſalm.*

10. 14. *In qua voluntate ſanctificati ſumus per oblationem corporis Jeſu Chriſti ſemel.... Una enim oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* Aperte oſtendit Apoſtolus Dei voluntatem eſſe hominum ſalutem. Hoc etiam dixit Dominus: *Sic enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Dei voluntas unica eſt noſtræ ſanctificationis origo, voluntas miſericors, & omnino gratuita. Oblatio vero Corporis Jeſu Chriſti ſanctificationis noſtræ medium eſt neceſſarium. Hoc ſacrificio omnia Dei conſilia implentur, regnum Jeſu Chriſti conſtituitur, peccati & diaboli imperium deſtruitur, electorum ſalus in ſempiternum conſummatur. Adorandum illud Sacrificium ſemel oblatum eſt in cruce immolatione cruenta, infinities offertur in commemorationem mortis ejus ad Altare ſanctum immolatione incruenta. Sacrificii Corporis Chriſti participes ſumus, in ejus corpore ſumus: „ Perfectum eſt nobis corpus, perficiamur in corpore. Caveamus ne a ſanctitate excidamus quam ſanguine ſuo nobis acquiſivit. Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei: Siquidem Hæc eſt voluntas Dei, ſanctificatio noſtra.

Dei voluntas hominum ſalus.

*Theodoret. Joan. 3.*

*S. Auguſt. in Pſ. 39. N. 1. 2. Cor. 7. 1.*

16. 17. 18. *Hoc autem teſtamentum quod teſtabor ad illos, dicit Dominus, Dabo leges meas in cordibus eorum, & in mentibus eorum ſuperſcribam eas: Et peccatorum & iniquitatum eorum jam non recordabor amplius.* Quanta Dei Novum Teſtamentum condentis erga electos ſuos beneficia? 1. Homines ſub lege ſervos, per gratiam ſuam liberos & filios facit. Legem novam mentibus eorum per Spiritum ſuum imprimit, & cordibus eorum per Filii ſui Jeſu Chriſti Sanguinem inſcribit, facitque ut eam diligant & impleant. 2. Omnia peccata illis remittit ob meritum ſacrificii Filii ſui. *In quo habemus redemptionem per ſanguinem ejus remiſſionem peccatorum.* 3. Electos ſuos ad pacem æternam regni cœleſtis perducit, ubi neceſſarium amplius non erit expiationis ſacrificium. *Ubi autem horum remiſſio, jam non eſt oblatio pro peccato.* Tunc autem remiſſio peccatorum conſummabitur, *quando tolletur materia tota peccandi; quando corruptio induet incorruptionem; quando mortalitas immortalitatem conſequetur; quando peccati caro efficietur caro totius ſanctitatis; quando terrena ſervitus cœleſti dominatione mutabitur; quando militia humana divinum promovebitur ad regnum.* Tunc Chriſtus Eccleſiæ dicturus eſt (in die ſcilicet Judicii) *Dimittuntur tibi peccata tua, quia dilexiſti multum.*

Dei Novum Teſtamentum condentis beneficia erga electos.

*Ephеſ. 1.*

*S. Petrus Chryſol. Serm. 95.*

19. 20. 21. 22. *Habentes igitur, Fratres, fiduciam introeundi in Sanguine Chriſti, quam initiavit nobis viam novam & viventem per velamen, id eſt carnem ſuam, & Sacerdotem Magnum ſuper domum Dei.* Velamen templi, figura erat carnis Chriſti. Sicut enim velum operiebat Sancta Sanctorum, & tamen ingreſſum illuc præbebat ſummo Sacerdoti, ab illorum vero aditu populum prohibebat: ita caro Chriſti divinitatem quodammodo obtegebat: latebat enim in homine Deus: & quandiu mortalem vitam egit in terris, cœlum nondum patebat hominibus: verum carne Chriſti vulneribus & morte conſciſſa, in cujus rei typum velum templi eo moriente in duas partes ſciſſum eſt; nobis patuit aditus in Sanctuarium cœleſte, Chriſto nobis iter pandente. *Aſcendit pandens iter ante eos.* Velamen carnem dominicam vocavit, ait Theodoretus, per eam enim aditum in Sancta Sanctorum conſequimur. „ *Quemadmodum enim Legis Sacerdos per velamen in Sancta Sanctorum introibat, nec ut aliter ingrederetur fieri poterat: ita qui in Dominum crediderunt, per Sanctiſſimi Corporis participationem cœleſtem civitatem adipiſcuntur.* Per vivificam Chriſti carnem patet nobis aditus in cœlum, non aliter, quia non ſufficit fides divinitatis, ſed neceſſaria eſt ad ſalutem & fides dominicæ Incarnationis. *Creditis in Deum*, inquit, *& in me credite.* Hæc via nova, vivens, & ſancta, quam nobis initiavit & dedicavit. Hæc via per quam tranſire non poterit, qui pollutus eſt, quæ dicit ipſa de ſe, *Ego ſum via.* Corpus Chriſti plagis confixum in paſſione, & redivivum, renovatum, glorioſum in reſur-

Velum templi, figura carnis Chriſti.

*Matt. 27.*

*Michea 2.*

*Theodoret. in hunc locum.*

*S. Thomas, Lect. 2.*

*Joan. 14.*

*Iſai. 35.*

reſurrectione, via nova & vivens eſt, qua ad cœlum pervenitur. Hinc diſcamus, moriendum eſſe peccato, mundo, nobis ipſis, & vita Chriſti, vita nova vivendum, ut Caput noſtrum & Sacerdotem Magnum in cœlos ſequamur. Illuc enim vero vita mollis & voluptaria non perducit. Electi ex omnibus gentibus ſtantes in cœleſti Jeruſalem ante thronum Dei & Agni, amicti ſtolis albis, & palmas manibus præferentes. *Venerunt de tribulatione magna, & laverunt ſtolas ſuas, & dealbaverunt eas in ſanguine Agni.*

*Apocal. 7. 14.*

Cum quibus diſpoſitionibus ad Deum accedendum eſt?

22. 23. 24. *Accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aſperſi corda a conſcientia mala, & abluti corpus aqua munda. Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem (fidelis enim eſt qui repromiſit.) Et conſiderantes invicem in provocationem caritatis & bonorum operum.* Ad Sanctuarium cœleſte, ad thronum gratiæ, ad Chriſtum Jeſum Mediatorem noſtrum & Sacerdotem Magnum accedamus a mundi corruptione recedentes, ejuſque vetuſtati ac pravis moribus renuntiantes. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo.* Accedamus corde puro, ſincero, ſimplici, doli experte, minime fucato. Procul ſit a nobis duplicitas cordis, hypocriſis, ſimulatio, qua homines quidem decipere, Deum vero fallere non poſſumus, qui intimos cordis affectus novit. Pura intentione Deum quæramus, illique propter ipſum unum ſerviamus. Ambulemus coram Deo *in veritate & in corde perfecto*. Hoc autem fit, quando opus concordat cordi. *Cum vero corde.* Accedamus cum fide pura, integra, invariabili, perfecta, omnem hæſitationem excludente, omnia quæ revelata ſunt a Deo, & ab Eccleſia ut talia proponuntur, ſimpliciter & obedienter credentes. Accedamus fide per caritatem formata, ſine qua plena non eſt, ſiquidem *plenitudo legis dilectio*. Sine caritate fides eſſe poteſt, ſed plena & perfecta eſſe non poteſt. *Cum plenitudine fidei.* Accedamus munda conſcientia, pacti quod inivimus cum Deo in Baptiſmate memores, & gratiam in eo acceptam ſumma fidelitate conſervantes, aut amiſſam recuperare continua & laborioſa Pœnitentia ſatagentes. Aliter enim in Sanctuarium cœleſte patere nobis non poteſt aditus. *Aſperſi corda a conſcientia munda; & abluti corpus aqua munda.* Terrenorum bonorum, gloriæ ſæcularis, dignitatum, divitiarum cupiditate vacui, æternorum dumtaxat bonorum deſiderio ſuccenſi accedamus. Per fidem Chriſti datur nobis ſpes ſalutis æternæ, & introitus in cœlum. Reſurrectionem mortuorum & vitam æternam nos credere & exſpectare profitemur. „ In „ ea ſpe ſtabiles ſimus. *Teneamus ſpei noſtræ confeſſionem indeclinabilem.* Fit autem illa confeſſio per „ opera, per quæ tenditur ad res ſperatas. Tene „ igitur quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Ab ea confeſſione nec proſpera, nec adverſa te declinare compellant. *Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Ad id autem non juvabit, qui promiſit, ſi ejus auxilium humiliter & ferventer imploremus. Fidelis enim eſt, & verax, qui dixit: *Ubi ego ſum, illic & miniſter meus erit.* Implebit certiſſime quod promiſit, modo faciamus fideliter quod præcepit. Fidei denique plenitudini, & ſpei firmitati, ſolicitudinem, zelumque caritatis in ſalute proximorum promovenda adjungamus. *Conſideremus invicem in provocatione caritatis & bonorum operum.* Conſiderate aliorum virtutes, ut eas imitemini; Miſerias, ut ſublevetis; animi infirmitates, ut compatiamini, & fraterna caritate curetis, admonendo, obſecrando, benevole & leniter corripiendo, & languentes ac deſides verbis & exemplis ad bona opera provocando. *Et mandavit illis unicuique de proximo ſuo.* Id autem præcipue ſpectat Paſtores, & Patres familias, qui velut paſtores ſuper filios & domeſticos ſuos a Deo ſunt conſtituti.

*1. Joan. 2. 15.*
*Iſai. 39.*
*S. Thomas Lect. 2.*
*Apocal. 4.*
*Iſai. 30.*
*Eccli. 17. 12.*

25. *Non deſerentes collectionem noſtram, ſicut conſuetudinis eſt quibuſdam, ſed conſolantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem.* Qui diſſidia, ſchiſmata, conventicula, partes in Eccleſia faciunt, Chriſtiano nomine indigni ſunt. Non habet Chriſti caritatem, qui Eccleſiæ non diligit unitatem. „ Quam ſibi pacem promittunt inimici fratrum? „ Quæ ſacrificia celebrare ſe credunt æmuli Sacer„ dotum? An ſecum eſſe Chriſtum, cum collecti „ fuerint, opinantur, qui extra Chriſti Eccleſiam „ colliguntur? Tales, etiam ſi occiſi in confeſſione „ nominis fuerint, macula iſta nec ſanguine abluitur. Inexplicabilis & gravis culpa diſcordiæ nec „ paſſione purgatur. Eſſe Martyr non poteſt, qui in „ Eccleſia non eſt. Ad regnum pervenire non poterit, qui eam quæ regnatura eſt, derelinquit. Ec„ cleſiæ unitas ſtudiis omnibus ſervanda & procuranda eſt. Hanc fovent Eccleſiaſtici conventus Parochiarum ad Sacrificium, quo Paſtor oves ſibi commiſſas cum Chriſto, & per Chriſtum offert, Deumque illis propitium reddit; ad verbum Dei ex ipſius Paſtoris ore audiendum; ad preces publicas fundendas, quarum major vis & efficacia; ad providendum egenis & infirmis ejuſdem Parochiæ fratribus. Hanc fidelium collectionem Tertullianus magnifice commendat. „ Corpus ſumus, *inquit*, de conſcientia Religionis, & „ diſciplinæ unitate, & ſpei fœdere. Coimus ad „ Deum, quaſi manu facta precationibus ambiamus. „ Hæc vis Deo grata eſt.... Coimus ad litterarum „ divinarum commemorationem, ſi quid præſentium „ temporum qualitas præmonere cogit, aut recognoſcere, certe fidem ſanctis vocibus paſcimus, ſpem „ erigimus, fiduciam figimus, diſciplinam præceptorum nihilominus inculcationibus denſamus. Ibidem „ etiam exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina. Etiam ſi quod arcæ genus eſt... Modicam „ unuſquiſque ſtipem menſtrua die, vel cum velit, „ & ſi modo velit, & ſi modo poſſit, apponit. Nam „ nemo compellitur, ſed ſponte confert. Hæc quaſi „ depoſita pietatis ſunt, quæ egenis alendis, humandiſque, & pueris ac puellis re ac parentibus deſtitutis, jamque domeſticis ſenibus, item naufragis, „ & ſi qui in metallis, & ſi qui in inſulis vel cuſtodiis, dumtaxat ex cauſa Dei ſectæ, alumni con„ feſſionis ſuæ fiunt, " diſpenſantur. Ab his conventibus qui ex contemptu, ex ſuperbia, ex negligentia, ex nimio ad res temporales affectu, ex propenſione ad ſeculi voluptates, ex Paſtorum odio, ex pauperum faſtidio, vel ſtudio ſingularitatis ſe ſubtrahunt, medium ad fovendam unitatem, ad nutriendam caritatem, ad animarum ſuarum ſanctificationem, ad mutuam conſolationem ab Apoſtolis & Apoſtolicis Viris inſtitutum negligunt; & neglecti officii Chriſto vivorum & mortuorum judici reddituri ſunt rationem. Non deſerentes collectionem noſtram, ſed conſolantes, & tanto magis quanto videritis appropinquantem diem.

*S. Cyprian. lib. de Unitate Eccleſiæ.*

Eccleſiaſtici Parochiarum Conventus frequentandi.

Tertullian. Apolog. 39.

26. 27. 28. 29. *Voluntarie peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia, terribilis autem quædam exſpectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios.* Longe graviora ſunt peccata quæ a Chriſtianis poſt Baptiſmum committuntur, iis quæ a Paganis, vel Judæis perpetrantur; Primo, quod per ignorantiam facta ſint peccata, quæ Baptiſmum præcedunt, & ab infidelibus committuntur: quæ vero poſt Baptiſmum a Chriſtianis, mentem ſupponant Evangelii luce illuminatam. „ Quicquid ab infideli „ committitur, inter peccata ignorantiæ deputatur, „ nam etſi ſciat ſe peccaſſe cum peccat, neſcit ta„ men examinare pondus peccati. Neſcit enim illud „ non poſſe expiari, niſi per mortem Hominis Dei. „ Caligo itaque hujuſmodi ignorantiæ ſupra modum „ levigat immanitatem culpæ. Chriſtiani vero qui „ ſe cognoſcunt redemptos a morte per mortem Chri„ ſti, proculdubio non poſſunt per hujuſmodi igno„ rantiam excuſari. Ad plenam itaque ſatisfactionem „ pro peccato illis hoſtia conceditur, iſtis omnino „ non relinquitur. *Voluntarie peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Secundo, graviora ſunt peccata poſt Baptiſmum commiſſa propter ingrati animi vitium, & pacti cum Deo initi violationem, ob gratiæ contemptum. Qui poſt Baptiſmum lethaliter peccat, fœdus Chriſti Sanguine firmatum, quantum in ipſo eſt, reſcindit, & irritum facit; Filium Dei conculcat, Spiritui ſancto contumeliam facit. Chriſtus in ſua Lege, in verbo ſuo, in promiſſis, in Sacrificio ſuo, in Sacramentis ſuis vilipenditur. Spiritus ſanctus in templo ſuo, quod nos ſumus, in donis ſuis, in Perſona ſua, injuria afficitur. Quo ſupplicio digni ſunt ſic peccantes Chriſtiani, & Pœnitentiam perpetuam non agentes? Gratiam optimi Mediatoris abjecerunt, iram implacabilis Judicis experientur. Filii eſſe noluerunt, punientur ut inimici. Fruſtra ſperent remiſſionem peccatorum per ſanguinem Chriſti, niſi virtutem illius ſibi applicari per Pœnitentiam curent. Non enim denuo illis applicari per Baptiſmum poteſt. *Non relinquitur pro peccatis hoſtia;* Sed manet illos *Terribilis quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios.* Terribile judicium, ubi judex nec decipi poteſt, nec flecti. Formidabilis pœna, qua ignis æmulator injurias Dei in ejus adverſariis æternum vindicabit. „ Irritam quis faciens le„ gem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus vel tribus „ teſtibus moritur: quanto putatis deteriora mereri „ ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & San„ guinem Teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſan„ ctificatus eſt, & Spiritui gratiæ contumeliam fe„ cerit?" Quanto Chriſtus excellentior Moyſe, Filius Dei ſervo fideli; tanto Lex Evangelica excellentior Lege Moyſi. Hujus tranſgreſſor convictus ſine ulla miſeratione damnatur: graviora itaque mere-

tur

Graviora ſunt peccata quæ a Chriſtianis committuntur, iis quæ a Paganis vel Judæis perpetrantur.

*Richardus a ſancto Victore lib. De Poteſtate ligandi & ſolvendi.*

*S. Chryſoſt. Hom. 20. Theopylact. S. Thomas Lect. 3.*



tur ſupplicia Legis Evangelicæ prævaricator. Is enim Filium Dei vilipendit & conculcat, non obediendo ejus mandatis, non vivendo ſecundum ejus doctrinam, illi diabolum præponit. Sanguinem Chriſti pollutum ducit, qui ejus virtute in Baptiſmo ablutus, & in Sacramento Euchariſtiæ ipſius ſubſtantia refectus, in eadem, vel graviora, aut æque gravia peccata relabitur, præſertim in peccata impudicitiæ. „ Quando enim ſumentes impollutum Corpus & San„ guinem Chriſti, in cœno ac luto corporalis im„ puritatis carnem noſtram, quæ illud ſumpſit, vo„ lutamus, nonne Filium Dei conculcamus? Lutum „ enim corpore dominico non adeo indignum eſt ut „ impudicitia. Spiritui ſancto denique contumeliam „ facit, qui poſt Baptiſmum lethaliter peccat. Qui „ enim beneficio collato abutitur, injuria afficit eum „ qui contulit. Fecit te filium Dei; tu vero ſervus „ efficeris pravarum cupiditatum & peccati. Venit „ ut in te velut in templo ſuo habitaret; tu vero „ ipſo contriſtato, expulſo, extincto, diabolum tibi „ ſuperinducis. Nonne iſta eſt contumelia Spiritus „ ſancti? Quid tibi exſpectandum, niſi pœnitentiam „ agas, niſi judicium ſine miſericordia, pœna ſine „ fine?" Irritum feciſti Sanguinem Chriſti, qui pro te mortuus eſt in cruce ut miſericordiæ victima: incides in manus Dei vindicis, ut victima juſtitiæ ejus, æterno igne ſalienda, igne ſapiente, igne inquiſitore, igne æmulatore, urente, & non conſumente. In æterno Dei peccaſti: in æterno Dei cruciabere. Numquam voluiſti carere peccato: numquam carebis ſupplicio. Veniet Deus ultionum, & vindicabit perſeverantes in nequitia ſua, ingratos prærogationi miſericordiæ ipſius, ingratos patientiæ ipſius, theſaurizantes ſibi iram in die iræ & revelationis juſti judicii Dei, qui reddet unicuique ſecundum opera ejus. Nunc donat peccata pœnitenti; non parcet poſtea contemnenti. *Judicabit Dominus populum ſuum:* multo magis inimicos. *Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis.*

32. 33. 34. 35. *Rememoramini priſtinos dies, in quibus illuminati, magnum certamen ſuſtinuiſtis paſſionum. Et in altero quidem, opprobriis & tribulationibus ſpectaculum facti: in altero autem, ſocii taliter converſantium effecti.* Hæc ſors Chriſtianorum eſt, pati mala temporalia, & ſperare bona ſempiterna. Chriſtianus homo, *quia Chriſtianus eſt, aliquid plus paſſurus eſt in hoc ſeculo.* Spectaculum Deo dignum Chriſtianus cum rebus adverſus dimicans, opprobria, injurias, bonorum jacturam, calumnias, non tantum cum patientia, ſed cum gaudio ſuſtinens, ad mortem ipſam alacriter oppetendam paratiſſimus, potius quam ob officio ſuo, & fide quam Deo debet, ſe ſubtrahat. Bonorum temporalium damna illum immodice non affligunt, qui bonorum longe meliorum, & æternorum certam ſpem habet, qui Deo dives eſt. „ Nam „ & rapinam bonorum veſtrorum cum gaudio ſuſce„ piſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & ma„ nentem ſubſtantiam. Nolite itaque amittere confi„ dentiam veſtram, quæ magnam habet remunera„ tionem. *Quod patitur bonus Chriſtianus,* non eſt „ pœna, militia eſt. Fortitudo enim infirmitatibus „ roboratur, & calamitas ſæpius diſciplina virtutis „ eſt: vires denique & mentis & corporis ſine labo„ ris exercitatione torpeſcunt... Nobis Deus nec „ non poteſt ſubvenire, nec deſpicit; cum *ſit* & „ omnium rector, & amator ſuorum: ſed in adverſis „ unumquemque explorat & examinat; ingenium „ ſingulorum periculis penſitat, uſque ad extremam „ mortem voluntatem hominis ſciſcitatur, nihil ſibi „ poſſe perire ſecurus. Itaque ut aurum ignibus, ſic „ nos diſcriminibus arguimur. Quam pulcrum ſpe„ ctaculum Deo, cum Chriſtianus cum dolore con„ greditur!... Quis non miles ſub oculis Impera„ toris audacius periculum provocet? Nemo enim „ præmium percipit ante experimentum: & Impera„ tor tamen, quod non habet non dat: non poteſt „ propagare vitam, poteſt honeſtare militiam. At „ enim Dei miles nec in dolore deſeritur, nec morte „ finitur. Sic Chriſtianus miſer videri poteſt, non „ poteſt inveniri." Modicæ fidei eſt, quem Dei promiſſa in adverſis non conſolantur, non corroborant. In adverſis eſſe patientem, non murmurare, non frangi, non tepeſcere ac languere, neceſſe eſt, utile, glorioſum. Sic enim voluntatem Dei implemus, ſic æterna præmia promeremur. *Patientia enim vobis neceſſaria eſt: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promiſſionem.*

Quod boni Chriſtiani patiuntur, non eſt pœna, ſed militia & probatio.

*S. Aug. Serm. 46. De Paſtoribus.*

*Minucius Felix in Octavio.*

C A P U T XI.

*Senſus Litteralis.*

1. E*St autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Fides baſis eſt & fundamentum, cui ſpes noſtra, ſive ſalus quam ſperamus, tota innititur. Sive, ſubſtantia, quia futura bona, cœleſtia, & æterna: quæ ſunt objectum ſpei noſtræ, in nobis quodam modo ſubſiſtere facit, de illis adeo certos nos reddens ac ſi re ipſa jam præſtita eſſent, ac manibus tenerentur. Certa etiam & convincens probatio eſt rerum quæ non videntur, id eſt, quæ nec ſenſu percipi, nec ratione comprehendi poſſunt: quas tam certo mentis noſtræ oculis repræſentat, quam ſi corporis oculis conſpicerentur.

*S. Aug. Tract. 79. & 95. in Joan.* legit *Fides eſt ſubſtantia ſperantium.* Sed Verſio noſtra Græco Textui magis convenit.

2. *In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt Senes.* Per fidem antiqui Patres bonum atque honorificum a Deo teſtimonium habuere, quod juſti fuerint, & Deo placuerint.

3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent.* Per fidem intelligimus, quod Philoſophi naturali ratione aſſequi non potuerunt, niſi pauci admodum, & imperfecte, mundum eſſe conditum ſolo Dei imperio; & omnia quæ viſibilia ſunt, formata fuiſſe ab eo, cum nihil antea viſibile eſſet. Vel, omnia viſibilia condita eſſe ex inviſibilibus, id eſt, ex mole illa rudi & indigeſta, tenebris horrida atque informi, primo die creata, quam Sapiens vocat *Materiam inviſam*, vel *informem*. Vel, omnia extantia condita eſſe ex nulla materia præjacente, ſed ex nihilo, ſecundum idæas inviſibiles & æternas in Dei mente exiſtentes.

4. *Fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain obtulit Deo: per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo: & per illam defunctus adhuc loquitur.* Fide Abel meliorem & pretioſiorem hoſtiam obtulit Deo, quam Cain, & ob meritum fidei declaratus eſt juſtus, Deo ipſo teſtimonium perhibente, quod grata & accepta ſibi eſſent ejus munera; & propterea in præſens uſque tempus celebratur, & a piis omnibus laudatur ac prædicatur. Vel, propter illam occiſus a fratre, ſanguinis ſui clamore poſt mortem loquitur.

*Sap. 11. 12. S. Thomas in Commentar. Geneſ. 4. 4. Matth. 23. 35.*

Muneribus Abelis teſtimonium perhibuiſſe Deum igne cœleſti, quo illa conſumſit, S. Hieronymus cenſet in *Tradit. Hebraic.* & ex Verſione Theodotionis confirmat, quæ ſic habet: *Inflammavit Dominus ſuper Sacrificium ejus.*

5. *Fide Henoch tranſlatus eſt, ne videret mortem, & non inveniebatur, quia tranſtulit illum Deus: ante tranſlationem teſtimonium habuit placuiſſe Deo.* Henoch fidei merito tranſlatus eſt ne moreretur; nec amplius in mundo viſus eſt, quia Deus ex hominum conſortio illum tranſtulit in locum nobis ignotum: Scriptura enim teſtatur illum placuiſſe Deo, ſive coram Deo ambulaſſe, id eſt illi adhæſiſſe, & in omnibus ejus voluntati conſenſiſſe, ac paruiſſe.

*Geneſ. 5. 24. Eccl. 44. 16.*

De raptu Henoc vide Diſſert. 5. noſtram in *Hiſtor. Eccleſ. Veteris Teſta. primæ Mundi Ætatis.*

6. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit.* Nemo autem placere Deo poteſt ſine fide, quæ totius juſtitiæ fundamentum eſt. Illum enim qui ad Deum colendum accedit, & pio voluntatis affectu in illum ut finem ſuum ultimum ſummumque bonum tendit, credere neceſſe eſt imprimis quod Deus exiſtat: & quod illum religioſe colentibus, illique placere & obedire per omnia ſtudentibus, præmia æterna retribuat. Quamvis porro Philoſophi naturali ratione Dei cognoſcere poſſent exiſtentiam, non tamen cognitione ſalutari, qua ex pio voluntatis affectu, omnibus, quæ Deus loquitur, humiliter ac obedienter mentem ſuam ſubjicit homo, ſive aliunde ſint nota, ſive non. „ Nam & ad ea „ quæ de Deo ratione humana inveſtigari poſſunt, „ neceſſarium fuit homines inſtrui revelatione divi„ na: quia veritas de Deo per rationem inveſtigata, „ a paucis, & per longum tempus, & cum admixtio„ ne multorum errorum proveniret: a cujus tamen „ veritatis cognitione dependet tota hominis ſalus, „ quæ in Deo eſt. Ut igitur ſalus hominibus & convenientius & certius proveniat, neceſſarium fuit ut de divinis, atque inprimis de exiſtentia, ac providentia juſtitiaque Dei in bonorum remuneratione & malorum punitione, per divinam revelationem edocerentur.

Bonorum operum meritum.

Duplicis iſtius veritatis, ſcilicet Deum exiſtere, & remuneratorem eſſe, fidem explicitam ad ſalutem olim ſufficientem fuiſſe, & tempore novæ Legis ſufficere ad ſalutem, error eſt *Ambroſii Catharini.*

*S. Thomas. 1. p. q. 1. art. 1.*

7. *Fide Noe, reſponſo accepto de iis quæ adhuc non videbantur: metuens, aptavit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnavit mundum: & juſtitiæ quæ per fidem eſt, heres eſt inſtitutus.* Noe divina revelatione admonitus de iis quæ nullus homo prævidere poterat, & quæ incredibilia videbantur, nempe de futuro totius orbis diluvio, idque metuens, impulſus fide qua divino credidit oraculo, fabricavit arcam in ſalutem familiæ ſuæ, ut eam a diluvio ſervaret. Fideque ſua damnavit mundum incredulum: & heres factus eſt juſtitiæ, quæ ex fide naſcitur, eamque velut divinum patrimonium in domo ſua conſervavit, & ad poſteros tranſmiſit.

*Geneſ. 6. 1. Petri 2.*

8. 9.

*Geneſ. 12. 17. Act. 7. 3. 4. c. 1.*

8. 9. 10. *Fide, qui vocatur Abraham, obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem: & exit, neſciens quo iret.* Is cui Deus Abrahamo nomen fecit, fide, qua credebat Dei promiſſis excitatus ac impulſus, obedivit illi præcipienti ut exiret de patria ſua in terram quam ipſe in poſteris ſuis erat poſſeſſurus, id eſt in Terram Canaan: & exiit e Chaldæa, neſciens quo iret, ſive quam ſedem habiturus eſſet. „ Fide demoratus, eſt in Terra repro„ miſſionis, tamquam in aliena, in caſulis habitando, „ cum Iſaac & Jacob coheredibus repromiſſionis „ ejuſdem. “ Fide commoratus eſt in Terra quam ipſi promiſerat Deus, tamquam in terra aliena, ut advena, non ut civis & inquilinus, habitando in tabernaculis, non in fixis domibus, quod pariter fecerunt Iſaac & Jacob, ad quos eadem promiſſio terræ Canaan pertinebat; in eorum poſteris implenda. *Exſpectabat enim fundamenta habentem Civitatem: cujus artifex & conditor Deus.* Exſpectabat enim Civitatem firmiſſimo & inconcuſſo fundamento ſuperædificatam, cœleſtem nempe Jeruſalem: cujus architectus & conditor eſt Deus. Quam quidem Civitatem in Terra promiſſa quaſi in typo, fidei oculis intuebatur.

Cœleſtem Patriam vocat Civitatem fundamenta habentem, eam tabernaculis opponens, quæ fundamenta non habent, ſed prout uſus tulerit, quolibet, transferuntur, clavis tantummodo figenda ac refigenda.

De fide Abrahæ quidam exponunt, non de fide Saræ quæ primum riſit, & dubitavit, *Geneſ.* 1. Verum & illam a Deo reprehenſam & a viro edoctam crediſſe, ex Apoſtoli verbis colligitur, atque ita cenſent *S. Chryloſt. Hom.* 23. & *Theodoret.*

11. 12. *Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptionem ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit eſſe eum qui repromiſerat.* Ipſa etjam Sara, cum eſſet ſterilis, ætatemque generationi aptam longe prætergreſſa, utpote nonagenaria; fide accepit a Deo virtutem concipiendi filium, quia veracem & conſtantem in promiſſis credidit eſſe Deum qui promiſerat. „ Propter quod & ab uno „ orti ſunt (& hoc emortuo) tamquam ſidera cœli „ in multitudinem, & ſicut arena quæ eſt ad oram „ maris, innumerabilis. „ Propter quam Abrahami & Saræ fidem, ab uno homine, ſcilicet Abrahamo, viribus effœto, tanta orta eſt liberorum poſteritas, ut multitudinem ſiderum, & innumerabilem arenam, quæ eſt in littore maris, æquaret.

Hyperbolica locutio.

*Geneſ. 23. 4. Geneſ. 47. 8.*

13. 14. *Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed a longe eas aſpicientes, & ſalutantes, & confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram.* In fide defuncti ſunt ſancti illi Patriarchæ, Abraham, Iſaac, & Jacob, cum Terram promiſſam non accepiſſent, ſed a longe aſpexiſſet oculis fidei, ut navigantes terram deſideratam a longe ſalutant. In poſteris enim ſuis implendam promiſſionem certo credebant & confidebant, Dei veracitate innixi. Interim vero ſe hoſpites & peregrinos eſſe ſuper terram confitebantur. *Advena ſum & peregrinus apud vos: date mihi jus ſepulcri vobiſcum* (ait Abraham ad filios Heth.) *Dies peregrinationis meæ centum triginta annorum ſunt, parvi & mali, & non pervenerunt uſque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati ſunt* (ait Jacob ad Pharaonem.) *Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere.* Qui ſe peregrinos & advenas dicunt, palam ſignificant ſe patriam quærere. Nemo enim in patria ſua peregrinus aut hoſpes eſt.

15. 16. *Et ſi quidem ipſius meminiſſent de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi.* Et quidem ſi illam deſideraſſent, de qua exierant, ſcilicet Chaldæam, facile ad eam reverti poterant. *Nunc autem meliorem appetunt, id eſt cœleſtem.* At vero meliorem appetebant, non terrenam, ſed cœleſtem, *Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum: paravit enim illis civitatem.* Ideo non dedignatur Deus ſeipſum vocare Deum eorum. Illis enim paravit civitatem, quam fide intuebantur, ſpe exſpectabant, & votis ardentiſſimis deſiderabant, Jeruſalem cœleſtem.

*Exod. 3. 6. 15.*

17. 18. 19. *Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur, & unigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones; Ad quem dictum eſt: Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen: Arbitrans quia & a mortuis ſuſcitare potens eſt Deus: unde eum & in parabolam accepit.* Abraham fide ſuadente & impellente obtulit, ac revera immolare paratus fuit Iſaacum victimam Deo, fidem ſuam & obedientiam exploranti, ut eas notas faceret ad perpetuum fidelium exemplum: & unigenitum ex Sara libera uxore, ſolamque vi promiſſionis natum unicum heredem, maximeque dilectum offerebat. Ille (inquam) cui factæ erant a Deo promiſſiones in Iſaaci poſteritate implendæ, de ſemine benedicto, de ſemine vocando in Iſaac, & de benedicendis omnibus gentibus in illo ſemine, *Ad quem dictum eſt, In Iſaac vocabitur tibi ſemen*, filium unicum offerre non dubitavit. Cum autem multa cogitanti nullus alius occurreret modus, quo Deus impleret promiſſa, quæ in Iſaac implenda minime dubitabat, ſecum reputavit Deum poſſe filium ſuum, poſtquam immolatus ac mortuus eſſet, ad vitam revocare, ſi non eſſet alius modus quo ſuam promiſſionem impleret. Et hæc fides eo admirabilior fuit, quod eo tempore nullum adhuc haberetur exemplum hominis a mortuis excitati. Unde & illum in ſymbolum & typum reſurrectionis accepit. *Promto enim patris animo interemptus, ejus qui cædem prohibuit, voce revixit. In eo autem ſalutiferæ quoque paſſionis Chriſti adumbratus eſt typus.* Unde & Dominus dicebat Judæis: *Abraham pater veſter exultavit ut videret diem meum, vidit & gaviſus eſt.*

*Theodoret.*

*Joan. 8.*

*Geneſ. 27. 33. 37.*

20. *Fide & de futuris benedixit Iſaac Jacob, & Eſau.* Iſaac filiis ſuis Jacob & Eſau fide benedixit, prædicens illis bona futura, terrena quidem & temporalia, ſed ſpiritualium, cœleſtium, & æternorum typos. Has autem de futuris benedictiones prædicendo & promittendo ſanctus Patriarcha filiis non dediſſet, niſi crediſiſſet fore ut res verba ſequerentur.

21. *Fide Jacob moriens ſingulos filiorum Joſeph benedixit, & adoravit faſtigium virgæ ejus.* Jacob morti proximus ſingulis filiis Joſeph, ſcilicet Ephraim & Manaſſe fide benedixit, minorem majori præponens, & magna bona promittens, quorum nihil adhuc apparebat: & profunde caput inclinavit ante faſtigium virgæ quam gerebat ipſe Joſeph ut Ægypti Prorex, Chriſtum cujus ille typus erat, & regiam Chriſti poteſtatem, quam fide prævidebat, adorans: Regnum etiam Ephraim, & decem tribuum ſubjectionem ſignificans. Vel, Deum adoravit, baculo ſuo innixus. Secundum Græcum Textum, cui Syriaca Verſio conſonat: *Et adoravit ad faſtigium virgæ ejus.*

Geneſis 48. in Vulgata noſtra legimus: *Adoravit Iſrael Deum, converſus ad lectuli caput.* Sed S. Paulus Verſionem LXX. Interpretum ſecutus eſt. Facilis eſt hujus cum Hebræo textu conciliatio. Jacob quo majorem Deo reverentiam exhiberet, ex lecto ſurrexit, ſcipionique ſuo innixus Deum ad lectuli caput adoravit. Deinde conſedit in lectulo, in quo filiis ſuis benedixit, *finitiſque mandatis quibus filios inſtruebat, collegit pedes ſuos ſuper lectulum*, ut ſcriptum eſt *Geneſ.* 49. 32.

*Geneſ. 50. 23. 24.*

22. *Fide Joſeph moriens, de profectione filiorum Iſrael memoratus eſt, & de oſſibus ſuis mandavit.* Joſeph Patriarcha & Propheta, in cujus animum poteſtas ac fœlicitas ſumma oblivionem aut neglectum promiſſionum Dei non induxit, morti proximus fide prædixit egreſſum filiorum Iſrael ex Ægypto, qui poſt ducentos annos congit, eorumque introductionem in Terram promiſſam: & in teſtimonium fidei quam adhibuit divinæ promiſſioni Patribus factæ, oſſa ſua ex Ægypto illuc transferri mandavit.

*Exod. 1. 22. & c. 2. 3. 4. Act. 7. 20. Joſephus lib. 2. Antiquit. c. 5.* ſcribit; Moyſis parentes divino oraculo monitos, ex ipſis oriturum puerum, qui populo ſuo libertatis auctor eſſet.

23. *Fide Moyſes, natus, occultatus eſt menſibus tribus a parentibus ſuis, eo quod vidiſſent elegantem infantem, & non timuerunt Regis edictum.* Fide parentum. Moyſe, cum natus eſſet, ab illis occultatus eſt menſibus tribus: eo quod divinis promiſſionibus de liberatione populi Dei ab Ægyptiaca ſervitute, & introductione in Terram Canaan credentes, ex admirabili pueri venuſtate, illum ad bonum aliquod & grande opus ſibi Deo datum confiderent. Et *Deo gratum* eſſe, qui proinde curam illius gereret, illumque ſervaret, non dubitantes, Regis edictum de pueris recens natis in flumen projicendis non timuerunt: ſed fides eorum vicit metum omnem. Quem & poſtea, cum ultra celare non poſſent, ejuſdem impulſu fidei expoſuerunt in carecto ripæ fluminis, ſtante procul ſorore ejus, & conſiderante rei eventum, quem divinæ providentiæ commiſerant.

*Exod. 1. 10. 11. 12. Act. 7. 21. & ſeq.*

24. 25. 26. *Fide, Moyſes, grandis factus, negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem: majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem.* Fide Moyſes vir factus, ſprevit honorem ſibi celatum ut filius adoptivus Thermutidis filiæ Pharaonis diceretur: ſeque Hebræum eſſe palam profeſſus eſt relicta Aula, ad fratres ſuos Hebræos viſitandos, & res illorum ut proprias reſpiciens, & interficies Ægyptium in ſignum liberationis Hebræorum, quo facto ſibi periculum capitis arceſſivit. Et potius elegit mala perpeti cum populo Dei, quam brevi delectatione frui; quæ ſine peccato eſſe non poterat, ſi Aulæ divitias, honores, delicias fratrum ſaluti & liberationi ſuæ gentis præpoſuiſſet. Tandem probra & contumelias, quæ typus erant opprobriorum quæ Chriſtus in ſe & in membris ſuis paſſurus erat, & quas ipſe in Chriſtum fide reſpiciens ſibi imminere noverat, & a ſuis popularibus paſſus eſt, ut Chriſtus a Judæis, majorem theſaurum arbitratus eſt divitiis Ægyptiorum, quibus quiete frui poterat. Oculis enim fidei bona cœleſtia & æterna intuebatur, quæ Deus cultoribus ſuis ut præmium laborum & bonorum operum ſe redditurum promiſit.

*Exod. 2. 13. 14. S. Chryſoſtom. Hom. 26. Theodoret. Theophylact.*

*Exod. 10. 28. 29.*

27. *Fide reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem Regis: Inviſibilem enim tamquam videns ſuſtinuit.* Fide reliquit Ægyptum, inde populum Iſrael educens,



cens, non veritus Regis furorem. Forti enim & conſtanti animo fuit, ad mala quæque ſuſtinenda paratiſſimus, ut qui oculis fidei videret inviſibilem Deum, expeditionis ſuæ ducem, adjutorem ſuum ac remuneratorem.

*Exod. 12.*

28. *Fide celebravit Paſcha, & ſanguinis effuſionem: ne qui vaſtabat primitiva, tangeret eos.* Fide promiſſionis divinæ Moyſes Paſcha celebravit ritu a Deo præſcripto, immolando & comedendo agnum, & populo ut celebraret auctor fuit: & effuſum agni ſanguinem juſſit aſpergi ab unoquoque ſuper utrumque poſtem & ſuperliminare domus ſuæ, ſecundum Dei mandatum: ne Angelus exterminator omnia primogenita Ægypti, ab homine uſque ad pecus, perimens, quemquam Iſraelitarum læderet. Sine fide enim quomodo crediſiſſet exterminium & mortem primogenitorum agne ſanguine prohiberi? Sed per typum prævidebat veritatem, & mortis Dominicæ potentiam cogitabat.

*Theodoret.*

*Exod. 14.*

29. *Fide tranſierunt Mare Rubrum, tamquam per aridam terram: quod experti Ægyptii, devorati ſunt.* Iſraelitæ per Mare Rubrum, aquis hinc inde murorum cryſtallinorum inſtar conſiſtentibus, Fide animati tranſierunt, ea fiducia ac ſecuritate, qua per aridam, tritamque viam inceſſiſſent: quod cum tentaſſent Ægyptii, aquis in concava redeuntibus abſorpti ſunt.

*Joſue 6.*

30. *Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem.* Fide Joſue, Levitarum, & Iſraelitici populi in Terram promiſſam introducti, muri Jericho ubis munitiſſimæ corruerunt, cum illam ſeptem diebus circumiviſſent cum Arca fœderis, & tubis ſacerdotalibus. Dei enim, qui id præceperat, promiſſioni credentes, mœnia die ſeptima corruere viderunt, tubarum ſonitu cum fide edito, machinarum inſtar propugnacula evertente.

*Joſue 2. 9. & ſeq. Jacobi 2. 25.*

31. *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis: excipiens exploratores cum pace.* Rahab Jerichuntina meretrix, fide qua ſuſcepit & tutos præſtitit Iſraelitici populi exploratores, cum vitæ ſuæ periculo, ſervata eſt a communi civium ſuorum incredulorum exitio. Credidit enim unum eſſe Deum verum, cujus cultores erant Iſraelitæ, qui & in Ægypto, & in Arabiæ deſertis locis, res tam miras in eorum gratiam patraſſet: nec dubitavit quin Deus Terram Canaan illis traditurus eſſet.

*Lib. Judic. & libr. Reg.*

In his fuiſſe peccata non negat Apoſtolus, ſed ea tantum commemorat, quæ ex fide geſſerunt, innuens eorum peccata, eadem ipſa fide, qua Deo placuerunt, expiata fuiſſe. Temporum ordinem in eorum commemoratione Apoſtolous non ſervat.

32. 33. 34. 35. *Et quid adhuc dicam? Deficiet enim me tempus enarrantem de Gedeon, Barac, Samſon, Jephte, David, Samuel, & Prophetis.* Quid opus eſt ut hac de re loquar amplius? Plena eſt talium exemplorum tota Scriptura. Deficiet me tempus, ſi commemorare voluero quæ per fidem præclare geſta ſunt a Gedeone, Barac, Samſone, Jephte, Samuele, Davide, & Prophetis ceteris: quibus Deus voluntatem ſuam ſignificavit per afflatum, per vocem, interdum & per viſa; & illi fidem habentes, res magnas ſuſceperunt & geſſerunt. *Qui per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum.* Qui per fidem Dei & promiſſionum ejus, expugnaverunt & obtinuerunt regna Cananæorum, Philiſtæorum, Ammonitarum, Medianitarum, Moabitarum, Syrorum, &c. ſcilicet Joſue, Barac, Gedeon, Jephte, Samuel, & David: juſta exercuerunt judicia, ut Samuel, David, &c. adepti ſunt bona ipſis promiſſa, cum temporalia, tum ſpiritualia: obturaverunt ora leonum, ut Daniel. *Extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii, convaluerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum:* Vim ignis compeſcuerunt, ne illis noceret, nempe Ananias Azarias, & Miſael: hoſtiles gladios evaſerunt, David Saulis, Elias & Michæas Achabi, Eliſæus Jorami: a morbis convaluere, ut Ezechias: exterorum exercitus in fugam verterunt, & caſtra dejecerunt, ut laudati Judices, David, & Mathatiæ filii, Judas, Jonathas, & Simon Machabæi. *Acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos.* Et mulieribus filios ſuos reddiderunt, quos a morte excitaverunt. Sic Elias viduæ Sareptanæ, Eliſæus Sunamitidis filium, virtute fidei ſuæ excitarunt. *Alii autem diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem.* Alii crudelibus tormentis vexati, fuſtibus cæſi, cute capitis detracta cruciati, ut Machabæi martyres, noluerunt præſentem vitam redimere oblata conditione receſſus a cultu & Lege Dei, ut meliorem immortalemque vitam in reſurrectione invenirent. Hæc autem ſuplicia conſtanter paſſi ſunt, fide & ſpe futurorum æternorumque bonorum animati.

Græce, ἐτυμπανίσθησαν *tympanorum more fuſtibus percuſſi*, vel, *diſtracti atque diſtenti, ut corium in tympano diſtenditur. Judic.* 16. *4. Reg.* 3. 23. *3. Reg.* 21. 13. *2. Paralipom.* 24. 21. *Matt.* 21. 35. & *cap.* 23. 27. *S. Hieron. in fine libri* 15. *Commentar. in Iſaiam*:

His verbis, *tentati ſunt*, in Syriaca Verſione nihil reſpondet: nec ea S. Chryſoſt. & Theophylact. in Commentariis ſuis agnoſcunt. Ireptitia eſſe conjicit Eſtius, cui ne aſſenſus præbeatur, prohibet ſumma Græcorum Codicum concordia verbum ἐπειράσθησαν, habentium, id eſt *Tentati ſunt.*

36. 37. 38. *Alii vero ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt.* Alii rurſus paſſi ſunt ludibria, ut Samſon, Eliſæus, &c. alii verbera, ut Michæas & Jeremias; alii vinculis adſtricti, & carceribus incluſi, ut iidem, & alii. Lapidati ſunt tamquam anathemata, ut Naboth, Zacharias Sacerdos Joiadæ filius & alii. Serra diſſecti ſunt, ut Iſaias a Manaſſe rege, ſecundum traditionem Hebræorum, quam ſequitur S. Hieronymus. Tentati ſunt, ſeu variis & exquiſitis tribulationibus probati & exercitati, ut Job, & alii. Alii gladio cæſi occubuerunt. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti.* Oberrare compulſi ſunt, ut perſecutionem fugerent, ovinis & caprinis pellibus induti, vili habitu & ruſticano, rebus neceſſariis deſtituti, ad anguſtias redacti, & variis perſecutionibus jactati. *Quibus dignus non erat mundus; in ſolitudinibus errantes, in montibus, in ſpeluncis, & in cavernis terræ.* Quorum conſuetudine & beneficiis digna non erat malorum ſocietas, in locis in viis & aſperis errare coacti ſunt, in montibus, ſpeluncis, & cavernis latitare, ut Elias, Eliſæus, & plurimi Prophetæ, qui ne domos quidem habebant, ſed ligna exſcindentes, ſibi tuguria in ſolitudine conſtruebant.

39. 40. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem.* Et hi omnes teſtimonium juſtitiæ in Scripturis conſecuti merito fidei, plenam ac perfectam remunerationem Sanctis a Deo promiſſam nondum acceperunt. *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur:* Deus enim nobis ſingulariter favens, noluit eos ſine nobis conſummatam beatitudinem conſequi. Omnium enim Sanctorum tam veteris quidam novi Teſtamenti glorioſa conſummatio in Deo ſub uno capite, fiet in reſurrectione generali. „ Acceperunt „ jam ſingulas ſtolas, ſed non veſtientur duplicibus, „ donec veſtiamur & nos. Stola enim prima ipſa eſt „ felicitas & requies animarum: ſecunda vero im„ mortalitas & gloria corporum. Neque vero præſtari decet integram beatitudinem, donec ſit homo integer cui detur, nec perfectione donari Eccleſiam imperfectam. *Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ: & dictum eſt illis ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conſervi eorum & fratres eorum.*

*S. Bernardus Serm. 3. in Feſto omnium Sanctorum. Apoc. 6. 11.*

---

## C A P U T XI.

### *Senſus Moralis.*

*Fidei notio, & elogium.*

1. 2. EST *autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.* Nihil manſoria dilectione amare, niſi quod ſperatur: nihil ſperare, niſi quod creditur: credere quæ non videntur, hominis Chriſtiani caracter eſt. *Fides eſt quod non vides credere, veritas quod crediſti videre.* Conviction eſt, non opinio, non æſtimatio. *Totum quod in ea eſt certa ac ſolida veritate ſubnixum, oraculis & miraculis divinitus perſuaſum, ſtabilitum & conſecratum partu Virginis, ſanguine Redemptoris, gloria reſurgentis. Teſtimonia iſta credibilia facta ſunt nimis.* Fides ſpiritalis ædificii fundamentum eſt, vitæ ſpiritualis initium, *primogenita cordis noſtri.* „ Spes „ & caritas germanæ fidei ſorores. Dicit fides: Pa„ rata ſunt magna & inexcogitabilia bona a Deo fi„ delibus ſuis. Dicit ſpes: Mihi illa ſervantur. Dicit „ caritas: Curro ad illa.

*S. Aug. Tract. 40. in Joann. S. Bernard. Tract. de Erroribus Abalardi, cap. 4. S. Aug. Serm. 8. De Decem Plagis, & decem Præcept.*

*Fides argumentum non apparentium.* Ad credenda quæ non vidimus, movere debent quæ nunc impleta conſpicimus. „ An vobis inane vel leve videtur, & „ nullum vel parvum putatis eſſe miraculum divi„ num, quod in nomine unius Crucifixi univerſum „ genus currit humanum? Non vidiſtis quod prædi„ ctum & impletum eſt de humana Chriſti nativita„ te, *Ecce Virgo concipiet in utero & pariet filium:* „ ſed videtis quod prædictum & impletum eſt ad „ Abraham Dei verbum, *In ſemine tuo benedicentur* „ *omnes gentes.* Non videtis quod de mirabilibus „ Chriſti prædictum eſt: *Venite, & videte opera* „ *Domini, quæ poſuit prodigia ſuper terram:* ſed vi„ detis quod prædictum eſt, *Dominus dixit ad me,* „ *Filius meus es tu, ego hodie genui te; Poſtula a* „ *me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & poſ-* „ *ſeſſionem tuam terminos terræ.* Non vidiſtis quod „ prædictum & impletum eſt de paſſione Chriſti. „ *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumera-* „ *verunt omnia oſſa mea, &c.* Sed videtis quod in „ eodem Pſalmo prædictum eſt, & nunc apparet „ impletum, *Reminiſcentur & convertentur ad Do-* „ *minum univerſi fines terræ, & adorabunt in conſpe-* „ *ctu ejus univerſæ familiæ gentium; quoniam Do-* „ *mini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium.* Non „ vidiſtis quod de reſurrectione Chriſti prædictum „ atque completum eſt. *Ego dormivi, & ſomnum* „ *cœpi, & exſurrexi, quia Dominus ſuſcepit me.* Sed „ videtis ejus Eccleſiam, de qua ſimiliter dictum & „ im-

*S. Bernard. ſerm. 10. in Pſalm. 90. Iſai. 7. 14. Geneſ. 22. 1. 8. Pſal. 45. 9. Pſ. 2. 7. & 8. Pſal. 31. 17. S. Aug. lib. De Fide rerum quæ non videntur, cap. 4. & 5.*

,, impletum eſt: *Domine, ad te gentes venient ab ex-*
*Pſalm. 3. 6.* *tremis terræ, & dicent: Vere mendacium poſſederunt Patres noſtri, vanitatem quæ eis non profuit. Numquid faciet ſibi homo Deos, & ipſi non ſunt Dii?*
*Jerem. 16. 19.* ,, Non vidiſtis, quod prædictum & impletum eſt de
,, Aſcenſione Chriſti, *Exaltare ſuper cœlos Deus:*
,, ſed videtis quod continuo ſequitur, *Et ſuper omnem*
,, *terram gloria tua*. Illa de Chriſto jam facta atque
,, tranſacta omnia non vidiſtis, ſed iſta præſentia in
*Pſalm. 107. 6.* ,, ejus Eccleſia videre vos non negatis. Utraque vo-
,, bis prædicta monſtramus: utraque autem vobis im-
,, pleta propterea demonſtrare videnda non poſſu-
,, mus, quia revocare in conſpectum præterita non
,, valemus. Sed quemadmodum voluntates amico-
,, rum, quæ non videntur, creduntur per indicia
,, quæ videntur: ſic Eccleſia quæ nunc videtur,
,, omnium quæ non videntur, ſed in eis litteris ubi
,, & ipſa eſt prædicta monſtrantur, & Judex eſt
,, præteritorum, & prænuntia futurorum... Cur ergo
,, res primas & noviſſimas, quæ non videmus, non
,, credamus, cum teſtes utrarumque res medias, quas
,, videmus, habeamus, atque in Propheticis libris &
,, primas, & medias, & noviſſimas vel audiamus
,, prænuntiatas, antequam fierent, vel legamus....
,, In nobis nutriatur & creſcat hæc fides in dilectio-
,, ne animata, quæ juſtitiæ & omnium meritorum
,, radix fuit in ſanctis Patriarchis, qui ante Chriſti
,, Incarnationem Deo placuerunt. *In hac enim teſtimonium conſecuti ſunt Senes.*

Fides Creationis.

3. *Fide intelligimus aptata eſſe ſecula verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent.* Tria per fidem de cautione Mundi Chriſtiani cognoſcunt, quæ Philoſophi rationis lumine perfecte cognoſcere non potuerunt. 1. ,, Quis creaturas fecerit. 2. Per quid fece-
*S. Aug. lib. 11. De Civit. Dei, cap. 21.* ,, rit. 3. Quare fecerit. Quis fecit? Deus omnipo-
,, tens. Per quid fecit? Per Sapientiam ſuam, per
,, Verbum ſuum, per Filium ſuum. Propter quid
,, fecit? Propter ſemetipſum, ut earum ultimum fi-
,, nem, & ſummum bonum, ad quod omnia referri
,, neceſſe eſt, quæ illius participatione bona ſunt.
,, Nec auctor eſt excellentior Deo, nec ars efficacior
,, Dei Verbo, nec cauſſa melior quam ut bonum
,, crearetur a Deo bono. Fide creationis illuſtrati, Deo gratias immortales agere debemus, quod nos bonitate ſua omnipotenti e nihilo produxerit, infinitis creaturis poſſibilibus in eo relictis: noſque ad imaginem & ſimilitudinem ſuam condiderit. Per Verbum ſuum, per Filium ſuum nos condidit, in quo res omnes ante creationem velut in Idæa, archetypo, & exemplari inviſibiliter ſubſiſtebant & vivebant. Divinum illud exemplar debemus imitari, ut imago & ſimilitudo Dei per peccatum in nobis detrita reformetur & perficiatur. Cavere debemus ne Creatori noſtro ſimus ingrati, & exiſtentia, vita, ratione, libertate animæque & corporis facultatibus, in ejus offenſam & injuriam abutamur, cui totum debemus
*Tertullian.* quod ſumus. Vigilemus ne diabolus *divinæ imaginis prædo* ejus lineamenta in nobis obliteret, ſeu potius ne obliteremus nos ipſi, ejus tentationibus conſentientes, ut Adamus & Eva primi generis parentes: qui propterea inter illos, qui teſtimonio fidei probati inventi ſunt non commemorantur quod ille fidem Deo debitam primus violaverit, illa vero mendacii patri, quam Dei verbo credere maluerit. Deus omnia propter nos creavit, nos propter ſeipſum, ut eum colamus, ipſique ſerviamus. Cæteris itaque rebus creatis uti debemus, ejus munere, velut adminiculis, ut in ipſum tendamus; illo vero uno frui, qui finis ultimus noſter eſt, ſummumque bonum noſtrum, hoc nomine præ omnibus, & ſuper omnia diligen-
*S. Aug. lib. 11. De Civit. Dei, cap. 25.* dum. Solo Deo frui, creaturis ſecundum ejus legem uti debemus. ,, Ea re frui dicimur, quæ nos non
,, ad aliud referenda per ſeipſam delectat; uti vero
,, ea re, quam propter aliud quærimus. ,, *Unde temporalibus magis utendum eſt, quam fruendum, ut frui mereamur æternis. Non ſicut perverſi, qui frui volunt nummo, uti autem Deo; quoniam non nummum propter Deum impendunt, ſed Deum propter nummum colunt.* Deo indivulſe adhæreamus, auctori noſtro, magiſtro noſtro, ſummo bono, finique noſtro. *Si natura noſtra eſſet a nobis, profecto & noſtram nos genuiſſemus ſapientiam, nec eam doctrina, id eſt, aliunde diſcendo, percipere curaremus; & noſter amor a nobis profectus, & ad nos relatus, ad beate vivendum ſufficeret, nec bono alio quo frueremur ullo indigeret: Nunc vero quia natura noſtra ut eſſet, Deum habet auctorem; procul dubio ut vera ſapiamus, ipſum debemus habere doctorem; ipſum etiam ut beati ſimus, ſuavitatis intimæ largitorem.*

4. *Fide plurimam hoſtiam Abel, quam Cain obtulit Deo. Per quam teſtimonium conſecutus eſt eſſe juſtus, teſtimonium perhibente muneribus ejus Deo: & per illam defunctus adhuc loquitur.* Abel primus Juſtus, primus fidei Prædicator, primus Martyr, fidei ſuæ merito ac lumine, in ſacrificio ſuo promiſſionem ac typum veræ hoſtiæ pro ipſo & omni humano genere immolandæ cognovit, ipſeque morte ſua typus multo dignior Sacrificii Chriſti Jeſu factus eſt. Poſt mortem loquitur fidei ſuæ ac pietatis exemplo, noſque docet ut in recognitionem ſummi Dei dominii, & ingrati animi ſignificationem pro ſumma ejus in nos bonitate, offeramus illi quæ in bonis noſtris meliora ſunt, inprimiſque nos ipſos. Fidem & innocentiam Abel imitemur, ad quem, & ad munera ejus Deus reſpexit: non malignitatem, avaritiam, & invidiam Cain, quem, & ejus munera Deus non reſpexit, quia male dividebat, ,, dans Deo aliquid ſuum, ſibi
,, autem ſeipſum. Quod omnes faciunt, qui non
,, Dei, ſed ſuam faciunt voluntatem, id eſt, non *S. Auguſtin. lib. 13. De Civit. Dei, cap. 8.*
,, recto, ſed perverſo corde viventes, offerunt ta-
,, men Deo munus, quo putant eum redimi, ut eo-
,, rum non opituletur ſanandis pravis cupiditatibus,
,, ſed implendis.

5. 6. *Fide Henoch tranſlatus eſt ne videret mortem, & non inveniebatur, quia tranſtulit illum Deus: ante tranſlationem enim teſtimonium habuit placuiſſe Deo. Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo,* &c. Fides pietatis & juſtitiæ fundamentum eſt. Hac ſuſtentatur anima ut inter improbos innocentiam ſervet, ut in rebus adverſis tolerandis conſtans, in vincendis tentationibus fortis, nuſquam a vera pietate & Dei obſequio deficiat, ſed illi placere ſtudeat in omnibus. Nomen Henoch *dedicationem* ſignificat.
,, Hujus tranſlatio noſtræ dedicationis eſt præfigura- *S. Aug. lib. 15. De Civ. Dei, cap. 19.*
,, tæ dilatio. Quæ quidem jam facta eſt in Chriſto
,, capite noſtro, qui ſic reſurrexit, ut non moriatur
,, ulterius, ſed etiam ipſe tranſlatus eſt: reſtat autem
,, altera dedicatio univerſæ domus, cujus ipſe Chri-
,, ſtus eſt fundamentum, quæ differtur in finem,
,, quando erit omnium reſurrectio, non moriturum
,, amplius. Felices interim animæ, quas divinæ vocationis gratia transfert a ſeculo nequam & ducit in ſolitudinem, ut ſerventur a morte peccati, & non inveniantur in mundo, in quo omnia vanitas. Felices, qui inde tranſlati ſunt a teneris annis, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio illos deciperet! Felices, ſi nec affectu in ſeculum redeant, glorioſæ æternitatis candidati! Inter homines ſeculo deditos non inveniantur, niſi ut verbo & exemplo Antichriſtum expugnent, jam in membris ſuis veritati, pietati, & juſtitiæ infeſtum; de quo ſcriptum eſt: *Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt.* *1. Joann. 2. 18.* Tranſlati ſunt de morte ad vitam, quicumque Deum & fratres diligunt. *1. Joann. 3. 14.* Compendiaria felicis tranſlationis via, dilectio. *Qui non diligit, manet in morte.*

Fides Noe.

7. *Fide Noe reſponſo accepto de iis quæ adhuc non videbantur, metuens aptavit arcam in ſalutem domus ſuæ, per quam damnavit Mundum: & juſtitiæ, quæ per fidem eſt, hæres eſt inſtitutus.* Diluvium Baptiſmi typum, Arcam Eccleſiæ figuram, Noe fide intellexit. *1. Petri 3. 20.* Baptiſmum, quod fidei Sacramentum eſt, & ſecunda hominis nativitas, diluvio adumbratum teſtatur Apoſtolorum Princeps. Arcam Eccleſiæ typum fuiſſe, Patres omnes aſſerunt. Extra arcam quicumque inventi ſunt, perierunt: extra Eccleſiam nemo ſalutem conſequitur. ,, Addiderim, Noe & ejus fa-
,, miliam, fuiſſe figuram Civitatis Dei in hoc mundo *S. Aug. lib. 15. De Civit. Dei, cap. 36.*
,, peregrinantis, id eſt Eccleſiæ, quæ fit ſalva per
,, lignum, in quo pependit Mediator Dei & homi-
,, num homo Chriſtus Jeſus. Fidem judiciorum Dei, quorum Noe præco fuit, habeamus; credendo timebimus, timendo cavebimus, cavendo ſalvi erimus. Fides noſtra ſit efficax ad media ſalutis noſtræ quærenda & eligenda. Dei mandatis obediamus, jubentis ut fabricemus arcam, ut ſalutem noſtram operemur. In id opus cum incumbemus, Mundus forte nos deſpiciet, ac ludibrio habebit ut ſtultos, ut fanaticos, ut ſegreges a civilitatis jucunditate: ſed dies veniet quo mundum judicabimus & damnabimus; & heredes erimus bonorum æternorum, juſtitiæ fidei promiſſorum.

8. 9. 10. *Fide qui vocatur Abraham obedivit in locum exire, quem accepturus erat in hereditatem, & exiit neſciens quo iret. Fide demoratus eſt in Terra repromiſſionis, tamquam in aliena, in caſulis habitando, cum Iſaac & Jacob coheredibus repromiſſionis ejuſdem. Exſpectabat enim fundamenta habentem civitatem: cujus artifex & conditor Deus.*

Abrahami fides imitanda.

Abraham pater credentium, fidei ac virtutum ex ea promanantium exemplar fuit tertia mundi ætate. Si Abrahæ filii, id eſt fidei ejus imitatores ſumus, opera Abrahæ faciamus, ſimiles fidei fructus proferamus. 1. Simplici & prompto animo obediamus Dei verbo ac mandatis. 2. Nobis ipſis, patriæ, cognationi, mundo, temporalibuſque bonis renunciare propter Deum parati ſimus. Illis nimio ne hæreamus & conglutinemur affectu, ſed animo exeamus: immo & re ipſa, ſi a Deo vocemur, & ſalus noſtra in ſummo periculo verſetur.

*S. Ambroſ. lib. 1. De Abraham, cap. 2. Exire de converſatione terrena, & ſecularibus oblectamentis, & ſuperioris vitæ moribus atque actibus debemus.*



3. Divinæ providentiæ directioni ac regimini, Deique adorandæ voluntati nos committamus, gratiam ejus ac protectionem nobis non defuturam confidentes, ſi illi uni placere ſtudeamus, ſi illi fideliter ac perſeveranter ſerviendi, ſi omnia quæ nos ab illo avertere ac ſeparare poſſent, fugiendi propoſitum habeamus. 4. Conſiderare ac gerere nos debemus ut peregrinos & advenas ſuper terram, ut exules mundi, ut cœli Cives. Terra enim regio aliena eſt iis qui ex fide vivunt: Patriam & Civitatem inquirunt cœleſtem; fundamentum habentem Civitatem; cujus artifex & conditor Deus. 5. Parati omni tempore eſſe debemus ad migrandum ex hac vita, ad deponendum corpus corruptibile & mortale, velut tentorium viatoris. 6. Vitam immortalem, beatam, æternam in cœlis ex fide viva deſiderare & exſpectare; ſuper flumina Babylonis ſedere & flere, dum recordamur Sion:
*Pſalm. 38. 19.* Deo ex intimo cordis affectu dicere: *Advena ego ſum ſum apud te & peregrinus*. Quid eſt, *advena & peregrinus?* ,, Unde migraturus ſum, non ubi per-
*S. Aug. in hunc Pſalm.* ,, petuo manſurus. Ubi perpetuo ſum manſurus, di-
,, catur domus mea: unde migraturus ſum, inqui-
,, linus ſum: ſed tamen apud Deum meum ſum in-
,, quilinus, apud quem domo accepta manſurus ſum.
,, Sed quæ domus eſt quo migrandum eſt. Reco-
,, gnoſcite illam domum de qua dicit Apoſtolus,
,, *Habitationem habemus ex Deo, domum non ma-*
*2. Cor. 5.* ,, *nufactam, æternam in cœlis*. Advena & peregrinus
,, non eſt in æterna domo. Hic autem ubi dicturus
,, eſt Dominus domus, Migra, & quando dicturus
,, eſt neſcis, paratus eſto. Deſiderando autem do-
,, mum æternam, paratus eris. Nec ſuccenſeas ei,
*2. Cor. 5.* ,, quia cum vult dicit, Migra. Non enim cautionem
,, tecum fecit, & placito quodam ſe obſtrinxit, &
,, conductor domus acceſſiſti certa penſione ad cer-
,, tum tempus: Quando vult Dominus ejus migra-
,, turus es. Ideo enim gratis manes. Suſpiremus ad
,, illam Patriam & Civitatem quæ in ſanctis Ange-
,, lis ſurſum eſt, De qua ſi quæratur unde ſit, Deus
*S. Aug. l. 11. De Civ. Dei, cap. 24.* ,, eam condidit: ſi unde ſit ſapiens, a Deo illumina-
,, tur: ſi unde ſit felix, Deo fruitur: ſubſiſtens mo-
,, dificatur, contemplans illuſtratur, inhærens jucun-
,, datur; eſt, videt, amat; in æternitate Dei viget,
,, in veritate Dei lucet, in bonitate Dei gaudet.
Hanc Abraham fide intuebatur: quapropter ad unam Dei vocem reliquit patriam, cognationem, amicos, bona temporalia, ut in terra aliena velut advena, peregrinus, & exul viveret. O hominem vere ante Chriſti tempora Chriſtianum! Ante Evangelia Evangelicum; Ante Apoſtolos Apoſtolicum.

11. 12. *Fide & ipſa Sara ſterilis virtutem in conceptionem ſeminis accepit, etiam præter tempus ætatis: quoniam fidelem credidit eſſe eum, qui repromiſerat. Propter quod & ab uno orti ſunt (& hoc emortuo) tanquam ſidera cœli in multitudinem.*

Bonorum operum fæcunditas.

Habent & mulieres quod imitentur exemplar fidei & devotionis in Sara. Felix conjugium, in quo vir & uxor ad mutuam ſanctificationem collaborant; Sara ſterilis fœcunditatem merito fidei a Deo obtinet. Fidei Abrahæ æmulatrix, benedictionis eſt particeps, ut ex caſto eorum conſortio poſteri naſcantur innumeri, in quibus numeretur & Chriſtus, *in quo omnes gentes benedicantur*. Fœcunditas carnis benedictio eſt matrimonii, ſanctis etiam conjugibus optanda: ſed ſpiritualis fœcunditas longe dignior, & deſiderabilior. Huic omnis ætas oportuna eſt. Sterilis eſt voluntas humana reſpectu bonorum operum, liberum arbitrium peccato emortuum eſt & vigore deſtitutum: ſed Deus Eccleſiæ & animæ fideli, qua-
*Iſai. 54. 1.* rum typus erat Sara, dixit: *Lætare ſterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis*: Credamus fidelem eſſe eum qui repromiſit: Gratia ejus impotentiam noſtram fœcundabit, celeſte ſemen recipiemus, & virtutem concipiendi & pariendi virtutes & bona opera. Nihil ex nobis ipſis nos poſſe agnoſcamus & confiteamur: *Dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum*. Spirituali ſolatio perfundemur ut Sara, cujus riſum indicium futuri magis quam incredulitatis Sanctus Ambroſius
*S. Ambroſ. l. De Abraham cap. 5.* arbitratur. *Riſit enim licet adhuc neſciens quid rideret, quod publicam eſſet in Iſaac paritura lætitiam. Ideo negavit ſe riſiſſe, quia ignoravit: adeo riſit quia prophetavit.*

Fides deſiderium bonorum æternorum, contemptum temporalium parit.

13. 14. 15. 16. *Juxta fidem defuncti ſunt omnes iſti, non acceptis repromiſſionibus, ſed a longe eas aſpicientes & ſalutantes, & confitentes quia peregrini & hoſpites ſunt ſuper terram. Qui enim hæc dicunt, ſignificant ſe patriam inquirere.* Deus electorum ſuorum fidem uſque ad mortem exercet, ut eam glorioſa immortalitate remuneret. Se bona a Deo promiſſa non accepturos noverunt, quandiu a Domino peregrinantur. Quia dulcis eſt eis patriæ recordatio, amara eſt peregrinatio, & tota die tribulatio. Cœleſtem patriam fide intuentur, ſpe ſalutant, ad eam tendunt & currunt caritate. Fides plena & perfecta cor juſtorum ita replet bonorum inviſibilium & æternorum deſiderio & amore, ut viſibilium & temporalium obliviſcantur, & ea parviſaciant, ut ad ea quæ propter Deum reliquerunt, redire nunquam in animum inducant. *Et ſi quidem ipſius meminiſſent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi*, Sponte ſe opibus, honoribus, voluptatibus renuntiaſſe oſtendunt, quibus frui poſſent, ſi vellent. Non enim ſine dolore amittitur, quod cum amore poſſidetur. Felix commutatio, qua Deus ſe ipſum donat in ſupplementum eorum quæ fideles ejus pro ejus amore reliquerunt! *Nihil habemus niſi Chriſtum. Et vide ſi nihil habeamus qui omnia habentem habemus*. Quam electis ſuis præparat civitatem, ſinus ejus eſt. *Nunc autem meliorem appetunt, id eſt cœleſtem.* Hanc & nos efficaciter appetamus, ad eam tendamus per bona opera, per mundi contemptum, cujus exemplum ſancti illi Patriarchæ, quorum fidem Apoſtolus commendat, aliique Sancti qui poſt Chriſti Incarnationem vixerunt; & tanquam ſidera in cœlo fulgent, nobis præbuere. ,, Ecce mundus, qui diligitur, fugit.

*S. Paulinus Epiſt. 5. Ad Severum.*

,, Sancti illi florentem mundum mentis deſpectu cal- *S. Gregor. M. Hom. 28. in Evang.*
,, caverunt. Erat vita longa, ſalus continua, opu-
,, lentia in rebus, fœcunditas in propagine, tranquil-
,, litas in diuturna pace: & tamen cum in ſe ipſo
,, floreret, jam in eorum cordibus mundus aruerat.
,, Ecce jam mundus in ſe ipſo aruit, & adhuc in
,, cordibus noſtris floret. Ubique mors, ubique lu-
,, ctus, ubique deſolatio, undique percutimur, undi-
,, que amaritudinibus replemur; & tamen cæca mente
,, carnalis concupiſcentiæ, ipſas ejus amaritudines
,, amamus, fugientem ſequimur, labenti inhære-
,, mus. Et quia labentem retinere non poſſumus, cum
,, ipſo labimur, quem cadentem tenemus. Aliquando
,, nos mundus retraxit a Deo: nunc tantis plagis
,, plenus eſt, ut ipſe nos jam mundus mittat ad
,, Deum. Penſate ergo quia nulla ſunt quæ tempo-
,, raliter currunt. Finis temporalium oſtendit quam
,, nihil ſit quod tranſire potuit. In æternitatis igitur
,, amore cor figamus. Non erubeſcamus Dei ſervos
,, fide & operibus palam nos profiteri, qui non con-
,, funditur vocari Deus noſter. Servos ſuos fideles adeo magnifacit, ut de illis etiam glorietur cœli & terræ Dominus. *Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum.*

Abrahæ fides in dilecti filii immolatione.

17. 18. 19. *Fide obtulit Abraham Iſaac, cum tentaretur, & unigenitum offerebat, qui ſuſceperat repromiſſiones; ad quem dictum eſt: Quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen: Arbitrans quia & a mortuis ſuſcitare potens eſt Deus.* ,, Tentatus eſt Abraham de immolan- *S. Aug. l. 16. De Civ. Dei, c. 32. Lege & Serm. 2. alias De Tempore 72.*
,, do dilectiſſimo filio Iſaac, ut pia ejus obedientia
,, probaretur, ſæculis in notitiam proferenda, non
,, Deo. Neque enim omnis eſt culpanda tentatio,
quia & gratulanda eſt qua fit probatio. *Et plerumque aliter animus humanus ſibi ipſi innoteſcere non poteſt, niſi vires ſuas ſibi, non verbo, ſed experimento, tentatione quodam modo interrogante, reſpondeat: ubi ſi Dei munus agnoverit, tunc pius eſt, tunc ſolidatur firmitate gratiæ, non inflatur inanitate jactantiæ.* Quam generoſa ſancti hujus Patriarchæ fides, qua filium ſuum unigenitum, miraculo conceptum, per quem numeroſæ poſteritatis patrem ipſum futurum Deus promiſerat, quem tenerrimo diligebat amore, Deo obtulit, & immolare paratus fuit! Quam ſimplex, quam firma fides, quæ & ad obedientiam ſine cunctatione impulit, & ad credendum divinis promiſſis, quæ filii morte reſcindi videbantur, omni dubitatione remota induxit & firmavit. *Dei promiſſionem pater pius fideliter tenens, quia per hunc oportebat impleri, quem Deus jubebat occidi, non hæſitavit quod ſibi reddi poterat immolatus, qui dari potuit non ſperatus*. Propterea ipſum recepit incolumen, in ſimilitudinem ejus. *Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* *Rom. 8. 32.* ,, Propterea &
,, Iſaac, ſicut Dominus crucem ſuam, ita ſibi ligna
,, ad victimæ locum, quibus fuerat imponendus, ipſe
,, portavit. Poſtremo quia Iſaac occidi non oporte-
,, bat, poſtea quam eſt pater ferire prohibitus, *quis*
,, *erat ille aries, quo immolato impletum eſt ſignificativo ſanguine ſacrificium? Nempe quando eum vidit Abraham, cornibus in frutice tenebatur. Quis ergo illo figurabatur, niſi Jeſus, antequam immolaretur ſpinis Judaicis coronatus?* Quicquid Scriptura dicit de
,, Abraham, & factum eſt, & Prophetia eſt. Vi-
,, dete Abraham patientia fortem, devotione con-
,, ſtantem; non cum aliqua fera luctantem, ſed cum
,, natura pugnantem. Devotio dicebat, Percute:
,, pietas clamabat, Parce. Illa revocabat, iſta pro-
,, vocabat. Verum quia *divino intonante præcepto*
,, *obediendum* eſſe noverat, *non diſputandum*, Exten-
,, dit manum, & arripuit gladium, ut immolaret

*S. Aug. Geneſ.* 22. Auctor antiquus Sermo. nis 2. *De Immolatione Iſaac*, inter Auguſtinianos alias *De Tempore* 73. nunc in Append. 7.

„ filium ſuum. *Et ecce Angelus Domini de cœlo clamavit, dicens: Non extendas manum tuam ſuper puerum, neque facias illi quidquam: Nunc cognovi quod timeas Deum, & non pepercisti unigenito filio tuo propter me*. Parce, (inquit) devote pater, parricida ſine crimine parce. Tuum ſacrificium quod paraveras intendi, ego quod juſſeram ut obtuliſſes accepi. In voto probavi, quod in facto renui. Acceptavi votum, nec repuli ſacrificium. Laudo fidem, nec reprobo pietatem, nec tibi patior inferri orbitatem. Perfecta ſunt omnia, & ſalva ſunt univerſa. Abrahæ fidem Chriſtiani parentes imitentur, cum Deus filios eorum ad ſe vocat aut morte naturali, aut myſtica, eos a mundo ſeparans, fide aſcendant in montem Domini, illique filios ſuos offerant, cujus ſunt magis quam illorum.

*Origenes Hom.* 8. *in Geneſim.*

„ Multi eſtis patres in Eccleſia Dei, num aliquis veſtrum ex ſacræ hiſtoriæ narratione tantum conſtantiæ, tantum animi robur acquirit, ut cum forte amittitur filius morte communi & omnibus debita, etiam ſi ſit unicus, etiam ſi ſit dilectus, adducat ſibi, in exemplum Abraham, & magnanimitatem ejus ante oculos ponat. Et quidem a te non exigitur ut ipſe alliges filium, ipſe conſtringas, ipſe gladium pares, ipſe unicum jugules. Propoſito ſaltem & mente conſtans eſto, fide fixus, lætus offer filium Deo. *Eſto ſacerdos animæ filii tui. Sacerdotem autem immolantem Deo non decet flere*. Ait Dominus in Evangelia: ſi filii eſtis, opera Abrahæ *facite*. Iſtud eſt opus Abrahæ. Facite opera quæ fecit Abraham, ſed non cum triſtitia; *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Quicumque Chriſtiani ſumus, Abrahæ fidem & obedientiam imitemur. Cum Dei manifeſta voluntas eſt, naturam non audiamus, impoſſibilitatem ne prætexamus, difficultates & incommoda ne allegemus. Jubente Deo, ſummæ ipſius Majeſtati offeramus in ſacrificium quod nobis charius eſt. Non amittitur quod offertur Deo. Eccleſiaſtici, Religioſique Viri exemplo Abrahami diſcant Prælatis ac Superioribus ſuis *obedire libenter, ſimpliciter, hilariter, velociter, humiliter, indeſinenter*.

Obedientiæ caracteres.

*S. Bern. Serm.* 41. *De Diverſis.*

„ Meminerint tamen obedientiam quæ Deo ſpeciatim debita eſt, nunquam humano arbitrio temperandam, ſed incommutabili conſervandam propoſito. Dilectum Iſaac, dona etiam excellentiora, ſpiritualia exercitia etiam ſuaviora, ſtudia, quietem, contemplationis delicias, Deo per Epiſcopos & Prælatos jubente & vocante, immolare ne cunctentur, dicentes: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*. „ Porro invenire eſt homines ſemel quidem, non ſecundo paratos. Si dixerit cuipiam Deus, *Ejice ancillam & filium ejus*, dico autem opera carnis, non cunctatur. Si dixerit, *Immola mihi filium tuum, quem diligis Iſaac*: hoc plane jam patienter audire non poteſt, ut fraternæ utilitatis aut unitatis gratia, ſpiritualis ſuſtinere videatur ſtudii detrimenta. Quidni abjiciat facile ſervus Chriſti quicquid ad corpoream pertineat voluptatem? *At vero ſpirituali jucunditate æquanimiter fraudari, quando aut obedientia cogit, aut fraternæ caritatis ratio poſtulat, hoc plane magnum & Deo gratum offerre eſt holocauſtum. Memento tamen non Iſaac in hoc ſacrificio, ſed arietem contumaciæ jugulari*.

*Pſal.* 56. *S. Bern. Serm.* 79. *De Diverſis.*

20. *Fide & de futuris benedixit Iſaac Jacob & Eſau*. Iſaac filiis ſuis benedicens, credidit Myſteriis, quæ Deus ipſi in figura revelavit. Benedictio Jacob, prædicatio Chriſti eſt in omnibus gentibus. „ Hoc fit, hoc agitur. Lex & Prophetia eſt Iſaac: etiam per os Judæorum Chriſtus ab illa benedicitur velut a neſciente, quia ipſa neſcitur. Odore nominis Chriſti, ſicut ager, mundus impletur: ejus eſt benedictio de rore cœli, hoc eſt de verborum pluvia divinorum; & de ubertate terræ, hoc eſt, de congregatione populorum: ejus eſt multitudo frumenti & vini, hoc eſt, multitudo quam colligit frumentum & vinum in Sacramento Corporis & Sanguinis ejus. Ei ſerviunt gentes, ipſum adorant Principes. Ipſe eſt Dominus fratris ſui, quia Populus ejus dominatur Judæis. Ipſum adorant filii patris ejus, hoc eſt, filii Abrahæ ſecundum fidem, quia & ipſe filius eſt Abrahæ ſecundum carnem. Ipſum qui maledixerit, maledictus; & qui benedixerit, benedictus eſt. Chriſtus, inquam, noſter, etiam ex ore Judæorum, quamvis errantium, ſed tamen Legem Prophetaſque cantantium benedicitur, id eſt, veraciter dicitur; & alius benedici putatur, qui ab eis errantibus expectatur. Ecce benedictionem promiſſam repetente majore, expaveſcit Iſaac, & alium pro alio ſe benedixiſſe cognoſcens miratur, & quiſnam ille ſit, percunctatur: nec tamen ſe deceptum eſſe conqueritur; immo confeſtim revelato ſibi intus in corde magno ſacramento devitat indignationem, confirmat benedictionem. Quis non hic maledictionem potius expectaret irati, ſi hæc non ſuperna inſpiratione, ſed terreno more gererentur? *O res geſtas, ſed prophetice geſtor; in terra ſed cœlitus; per homines, ſed divinitus!* Jacob electorum, Eſau reproborum typus. Benedictio de rore cœli, bona cœleſtia, ſpiritualia, æterna, pars electorum eſt. Reproborum portio, bona temporalia, quæ ut finem ſuum concupiſcunt, & in quorum fruitione conquieſcunt. Qui bonis ſpiritualibus neglectis, terrena quærunt, & temporalem fortunam ac felicitatem ſtudiis omnibus conſectantur, de cœleſti & æterna hereditate parum ſolliciti, reprobationis characterem præ ſe ferunt, filii hominum, non filii Dei.

Benedictio Jacob a patre Iſaac, prophetia eſt.

S. *Aug. lib.* 16. *De Civ. Dei*, *cap.* 37.

*Geneſ.* 27.

21. *Fide Jacob moriens, ſingulos filiorum Joſeph benedixit, & adoravit faſtigium virgæ ejus*. Chriſtianæ fides adoptionis præſignificata eſt adoptione filiorum Joſeph a Jacob Patriarcha. Populi Gentilis præ Judaico electio, Ephraimi junioris præ Manaſſe natu majore benedictione adumbrata eſt. Manuum commutatio in illa benedictione prophetica fuit. Aſſumptio utriuſque ad hereditatem Terræ Canaan cum filiis Jacob, ita ut æquo jure cum illis Terram divideret, & ſuæ quiſque Tribus caput eſſet, prædeſtinationem gratuitam & ſecundum beneplacitum divinæ voluntatis, electorem ad gloriam & ad gratiam ſignificat: in qua nulla naturæ, & donorum naturalium; nulla meritorum ratio habetur. *Electi ſunt ad regnandum cum Chriſto... per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum ſuorum, quia gratia illis eſt omne meritum*. Jacob denique in Joſeph filio ſuo tamquam in typo Chriſtum proſpexit, & in virga Joſeph regiam Chriſti poteſtatem agnovit, virgæque faſtigium ſeu caput adoravit, quia *Caput Chriſti Deus*. Hæc Myſteria in ſpiritu fidei, gratiarum actionis, & laudis meditemur. Chriſtum regem adoremus, ejuſque ſceptro ſeu virgæ directionis nos ex amore ſubjiciamus.

Myſteria in benedictione filiorum Joſeph a Patriarcha Jacob.

*S. Aug. l.* 16. *De Civit. Dei cap.* 42.

*S. Aug. l.* 5. *De Correp. & Grat. Cap.* 7.

22. *Fide Joſeph, moriens, de profectione filiorum Iſrael memoratus eſt, & de oſſibus ſuis mandavit*. Joſeph Ægypti Prorex, advenam & peregrinum ſe profitetur, de oſſibus ſuis in Terram Promiſſam transferendis dat mandata, de reſurrectione religioſe cogitat, tranſitum Eccleſiæ primogenitorum in cœlos fide proſpicit: Ab ipſo diſcamus ſic tranſire per bona temporalia, ut non amittamus æterna: fidei vivæ pios affectus in nobis ad mortem uſque excitemus, ſecundum illam vivamus, in ipſa moriamur, ad ſanctam illam Civitatem etiam in ſumma proſperitate ſuſpirantes & tendentes, *cujus rex veritas, cujus lex caritas, cujus modus æternitas*.

Chriſtianus in ſumma etiam proſperitate ad cœleſtem civitatem ſuſpirat, *S. Aug. Epiſt.* 138. *alias* 5. *Ad Marcellinum, Cap.* 5.

Moyſes Chriſti typus inſignis.

23. 24. 25. 26. *Fide Moyſes, natus, occultatus eſt menſibus tribus a parentibus ſuis.... Fide Moyſes grandis factus negavit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem: majores divitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem*. Moſis nativitas novi Legislatoris & Liberatoris Iſrael ac Gentium nativitatem prænuntiat. Moſem natum Pharao perſequitur: Chriſtum natum Herodes. Illum parentes menſibus tribus in Ægypto abſcondunt: cum iſto parentes in Ægyptum fugiunt, ut eum a cæde infantibus Bethleemitis ab Herode inferenda ſalvent. Moſes puer elegans & pulcher: Chriſtus præ filiis hominum ſpecioſus. Moſis parentes ad ipſum tradendum, occidendum, ſeu mergendum in Nilum Edicto Pharaonis nec metu mortis compelli potuere: *Et non timuerunt Regis edictum*: S. Martyres compelli non potuerunt Principum Ethnicorum Edictis ut a Chriſti fide deficerent: Scientes *magis obediendum eſſe Deo quam hominibus*. Et nos æternæ pulchritudinis amore vitam corporis potius exponamus, quam Deum offendamus, & Chriſtum in nobis ſpiritaliter natum occidamus. Moyſes grandis factus gloriam honoreſque mundi ſprevit, Chriſtumque Regiæ dignitati, & originis ſuæ gloriæ toto vitæ ſuæ mortalis tempore renuntiantem, & ſeſe exinanientem, fide proſpiciens, adoptionem filiæ Pharaonis parvipendit, tot ante Chriſti ortum ſæculis animo jam dicens quod poſtea Sanctus Paulus: *Verumtamen omnia detrimentum feci, & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam, & inveniar in illo, non habens meam juſtitiam quæ ex lege eſt, ſed illam quæ ex fide eſt Chriſti Jeſu*. Seculi gloriæ honoribus, voluptatibus, crucem Chriſti, pœnitentiæ labores, gaudium evangelicum præponamus, ut Chriſti crucifixi diſcipuli & filii, quem fide intuitus Moyſes, & imitari ſexdecim ante ſecula geſtiens, *magis elegit affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem*. Gloria mundi brevis, gaudium impiorum ad inſtar puncti. Momentaneum eſt quod delectat, æternum quod cruciat. Contumelias propter Chriſtum patiamur cum gaudio: hæc enim fide-

Moyſis fides

Philipp. 3. 2.

*Job.* 20. 5.



*2. Petri* 4. 14.

fidelium gloria. *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: Quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus ſpiritus, ſuper vos requieſcit*. Chriſti paupertatem, & gratiæ ejus ac virtutum inæſtimabiles divitias omnibus terræ opibus præponamus. Cœlum æternaque bona expectantibus, terreni theſauri vileſcunt. Chriſtianorum theſaurus, portio, hereditas, totum, unus Deus eſt. Id Chriſti Spiritu ac fide Moyſes noverat: ideo *Majores divitias æſtimavit theſauro Ægyptiorum improperium Chriſti: aſpiciebat enim in remunerationem*.

27. *Fide reliquit Ægyptum, non veritus animoſitatem Regis: Invisibilem enim tanquam videns ſuſtinuit*. Cum ſalutis noſtræ bonum poſtulat ut mundum relinquamus, nihil nos remorari debet. Omnes difficultates, impedimenta omnia fide vincenda ſunt: per calcatum patrem, per calcatam matrem pergendum, ſiccis oculis ad vexillum crucis evolandum eſt. Si carnis oculis objiciatur quod terret aut demulcet: oculis fidei in Deum vocantem intendamus, qui præſentiſſimum feret auxilium. Ejus intuitu mala omnia nobis in pii propoſiti executione toleranda ſuſtineamus, ut Moyſes, qui perinde quaſi videret Deum ſecum converſantem, ſic omnia conſtanter tolerabat. Plurimum enim ad patientiam confert, habere ſemper in mente Deum. *Providebam Dominum in conſpectu meo ſemper*, ait David, *quoniam a dextris eſt mihi ne commovear*.

Adverſa omnia intuitu Dei toleranda.

S. Hieron.

Theophylact. *Pſal.* 15.

28. *Fide celebravit Paſcha, & ſanguinis effuſionem: ne qui vaſtabat primitiva tangeret eos*. Nulla ſalus in die iræ & juſti judicii Dei, niſi per ſanguinem Agni, Virtute illius in cruce pro nobis effuſi, & in ſacrificio quotidiano Euchariſtiæ pro nobis oblati, liberamur ab exterminatore. Illo abluimur in Baptiſmo, in ſancta Communione potamur & ſpiritaliter inebriamur. Paſcha celebramus, quoties ad ſacram Communionem accedimus. Ad eam accedamus fide viva: Sanguine Agni immaculati utrumque poſtem & ſuperliminare domus noſtræ ungamus. „ Sanguis Domini in utroque poſte ponitur, quando non ſolum ore corporis, ſed etiam ore cordis hauritur. In utroque poſte Sanguis Agni eſt poſitus, quando Sacramentum paſſionis illius cum ore ad redemptionem ſumitur, ad imitationem quoque intenta mente cogitatur. Nam qui ſic Redemptoris ſui Sanguinem accipit, ut imitari paſſionem illius necdum velit, in uno poſte ſanguinem poſuit, qui etiam in ſuperliminaribus domorum ponendus eſt. Quid enim ſpiritaliter domos, niſi mentes noſtras accipimus, in quibus per cogitationem inhabitamus? Cujus domus ſuperliminare eſt ipſa intentio, quæ præeminet actioni. Qui ergo intentionem cogitationis ſuæ ad imitationem Dominicæ paſſionis dirigit, in ſuperliminari domus Agni ſanguinem ponit.

Chriſti Sanguis nos liberat ab exterminatore.

*S. Gregor. M. Hom.* 12. *in Evang.*

29. *Fide tranſierunt Mare rubrum tanquam per aridam terram: quod experti Ægyptii, devorati ſunt*. Quæ contigerunt Iſraelitis, Myſteriorum noſtrorum figuræ fuerunt, & ad fidem noſtram nutriendam ſunt opportuna. „ Populus Iſrael ſub Pharaonis & Ægyptiorum dominatione: Populus Chriſtianus ante fidem prædeſtinatus jam Deo, & adhuc ſerviens dœmonibus & diabolo principi eorum: ecce populus ſubjugatus Ægyptiis, ſerviens peccatis ſuis. Liberatur populus ad Ægyptiis per Moyſen: liberatur populus a præterita vita peccatorum per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Tranſit populus ille per Mare rubrum: iſte per Baptiſmum. Moriuntur in Mari rubro omnes inimici populi illius: moriuntur in Baptiſmo omnia peccata noſtra. Poſt Mare illud rubrum non continuo patria datur, nec tanquam jam hoſtes deſint, ſecure triumphatur, ſed reſtat eremi ſolitudo, reſtant hoſtes inſidiantes in via: ſic & poſt Baptiſmum reſtat vita Chriſtiana in tentationibus. In illa eremo ſuſpirabatur patriæ promiſſæ: quid aliud Chriſtiani ſuſpirant jam abluti Baptimo?... Mortui ſunt hoſtes in Baptiſmo, ſed inſequentes a tergo. Omnia præterita peccata in lavacro abſorpta ac deleta ſunt: quibus modo tentamur, non a tergo inſequuntur, ſed in via inſidiantur. Poſt Baptiſmum, & alia Sacramenta habemus in hujus eremi via ſed quidam ad ſalutem illa accipiunt, fide viva & ſincera pietate diſpoſiti: alii ad perniciem, qui nimirum ſub Pharaone militant, & affectu adhuc ſerviunt peccato & diabolo. Fides enim, & infidelitas; devotio, & fictio; pietas, & temeritas, idem ſæpe tentant, ſed exitu longe diſpari. Multi tranſeunt, ut Ægyptii, non per Mare ad regnum, ſed in Mari ad interitum.

Tranſitus Iſraelitarum per Mare Rubrum noſtrorum Myſteriorum figura. *S. Aug. Enarrat. in Pſ.* 72. *n.* 5.

30. *Fide muri Jericho corruerunt, circuitu dierum ſeptem*. Jericho mundi infidelis & impii typus. Arca fœderis, ſanctæ humanitatis Jeſu Chriſti, Novi Teſtamenti, & Eccleſiæ figura; tubæ ſacerdotales, prædicationis Evangelicæ; ſeptem dierum circuitus, durationis ſeculorum, quam ſabbatum æternæ quietis conſequetur. Voce ergo Prædicatorum Evangelii, & credentium fide ac precibus, per totum mundum idololatriæ & impietatis munitiones corruere cœperunt, & corruent omnino, Teſtamento Dei totum orbem terrarum circumeunte ut in fine temporum mors noviſſima inimica deſtruatur, & ex impiorum perditione unica domus tamquam unica Eccleſia liberetur, mundata a turpitudine fornicationis, per feneſtram confeſſionis, in ſanguine remiſſionis. Cooperemur & nos fide ac precibus aſſiduis everſioni munitionum & affectuum preſentis ſæculi in nobis. Hoc opus eſt Spiritus ſancti, ſeptem dona ſua in nobis diffundentis, nec non fidei noſtræ & orationis coram arca Domini. „ Quid enim nunc aliud agit annuntiatio regni cœlorum, quam circumactio arcæ ſignificavit, niſi ut omnia munimenta mortalis vitæ, id eſt, omnis ſpes hujus ſeculi, quæ reſiſtit ſpei futuri ſeculi, in dono ſeptenario Spiritus ſancti per liberum arbitrium deſtruatur? Ob hoc enim circumeunte arca, non impulſu violento illi muri ceciderunt, ſed ſponte.

Everſio murorum Jericho, cujus rei typus?

*S. Aug. l.* 12. *Contra Fauſtum, cap.* 31.

*Idem Ep.* 55. *alias* 119. *Januar. cap.* 8.

31. *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores cum pace*. Contexit fides vulnera peccati, mulierem ab exitio temporali ac æterno fidei ſapientia liberavit. „ Hanc Spiritus ſancti afflatu ſanctis Patriarchis adjungit Apoſtolus, ut fidei potentiam oſtendat, & Judæorum deprimat ſupercilium. Sexcenta enim eorum millia propter infidelitatem in deſerto conſumpta ſunt, nulla ex legali inſtitutione utilitate percepta. Hæc vero quæ & ab Abraham cognatione procul aberat, & aliena erat a legalibus inſtitutis, & libidinoſe magnam vitæ ſuæ partem tranſegerat, per fidem eſt ſalutem conſecuta, & Eccleſiæ figara fuit. Quemadmodum enim illa exploratores cum fide ſuſcepit, ita etiam Eccleſia Apoſtolos: & quemadmodum illa ſignum ſalutis accepit funem coccineum, ita etiam Eccleſia per ſanguinem Domini æterna bona eſt adepta.

Rahab Eccleſiæ figura. *Theodoret. in comment.*

32. 33. 34. *Per fidem vicerunt regna, operati ſunt juſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladii*, &c. Pudeat nos minorem ac debiliorem fidem poſt incarnationem, mortem, ac reſurrectionem Chriſti, & propagata jam per totum orbem Eccleſia habere, quam illi Sancti tempore Legis naturæ & ſcriptæ, quo myſteria fidei in umbris dumtaxat & figuris illis revelabantur. Per fidem vicamus Mundum & Principem hujus mundi. *Hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra*. Jus cuique ſuum tribuamus, nemini injuriam inferentes, neminem circumvenientes, vel fraudantes. Vitam inſtituamus ſecundum Evangelii præcepta, fidem operibus juſtitiæ comprobantes & ornantes. Fide reſiſtamus diabolo, qui leonis rugientis inſtar circuit quærens quem devoret. Concupiſcentiæ ignem Pœnitentiæ lacrymis cum fide conjunctis extinguamus. Fidei virtute convaleſcamus ex infirmitate in nobis ex peccato relicta. Tentationes quas offert mundus, quas ſuggerit Malignus, repellamus; ut iram Dei, gladio comparatam effugiamus; æternaque bona conſequamur, quæ Deus fidelibus ſuis, & illum diligentibus promiſit ac præparavit.

35. 36. 37. *Alii autem diſtenti ſunt non ſuſcipientes redemptionem, ut meliorem invenirent reſurrectionem. Alii vero ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt, circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti*. Chriſtianæ fidei perfectio eſt, gloriam in ignominia & ludibriis, gaudium in doloribus, libertatem in vinculis & carceribus, veras divitias in egeſtate, delicias in tormentis, vitam in morte invenire. *Duo ſunt miracula fidei*, ait Sanctus Chryſoſtomus, *quod & magna efficit, & magna patitur, & quod ſe nihil pati exiſtimat*. Generoſa & fortis eſt, ideo magna efficit; patiens eſt, ideo magna patitur; humilis eſt, ideo ſe nihil pati arbitratur.

*S. Chryſoſtom. Hom.* 27.

38. *Quibus dignis non erat mundus*. Sanctorum conſortio indignus eſt mundus. Illos cum perſequitur, & fugere compellit, Dei judicium in ſeipſum exequitur; benedictionem a ſe repellit. *Noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.....* Si mundus univerſus indignus eſt Sanctis, quid partem in mundo quæris! *Injuria tua eſt, ſi hic acceperis mercedem*. Teipſum nullius pretii eſſe oſtendis, ſi mundum te dignum arbitraris.

*S. Chryſoſtom. Theophylact.*

„ *In ſolitudinibus errantes*. Sanctorum ſeceſſu mundus deſertum incultum, invium, inaquoſum; ſolitudo fit paradiſus deliciarum, ubi tamquam redolentium ſpecies pigmentorum, vel rutilantes flores aromatum, ſic fragrantia ſpirant odoramenta virtutum. Ibi roſæ caritatis igneo rubore flammeſcunt.

Auctor Tractatus *De Laudibus* ſub nomine. *S. Baſilii editi.*

„ ſcunt, Ibi lilia caſtitatis niveo candore candeſcunt; „ ubi etiam humilitatis violæ, dum imis contentæ „ ſunt, nullis flatibus impelluntur. Ibi myrrha per„ fectæ mortificationis non ſolum carnis, ſed quod „ glorioſius eſt, propriæ voluntatis exundat, & thus „ aſſiduæ orationis indeſinenter emanat, & igne „ digni amoris ſuaviter ardet .... Solitaria vita „ cœleſtis doctrinæ ſchola eſt, ac divinarum artium „ diſciplina, Illic Deus eſt totum quod diſcitur, „ via qua tenditur, totum per quod ad ſummæ „ Veritatis notitiam pervenitur .... Eremus ſan„ ctarum mentium delectatio: & intimi guſtus in„ exhauſta dulcedo ... Felix commercium, ubi ter„ renis cœleſtia, tranſitoriis mutantur æterna. Feli„ ces nundinæ, ubi vænalis æterna vita proponitur, „ ad quam emendam, etiamſi eſt minimum quid, „ ſolum ſufficit quod habetur: ubi brevis afflictio „ carnis emit cœleſte convivium, & exiguæ lacry„ mæ riſum promerentur ſempiternum .... Soli„ tudo campus divini prælii, ſpiritualis arx certa„ minis, Angelorum ſpectaculum, palæſtra fortiter „ dimicantium luctatorum; ubi ſpiritus cum carne „ congreditur, & fortis ab infirmo ſuperatur .... „ O eremus mors vitiorum, fomes & vita virtutum, „ te Lex attollit, te Prophetia miratur, & quicum„ que ad perfectionem pervenerint, tuum cognove„ runt præconium. Tibi Moyſes debet bis acceptæ „ Legis Decalogum. Per te Elias novit Domini per„ tranſeuntis excurſum, Per te Eliſæus duplicem „ Magiſtri ſortitus eſt ſpiritum. Salvator mundi Præ„ curſorem ſuum tui accolam fecit. Felices, quos fides a mundo ſeparat, & in ſolitudinem perducit, uni Deo victuros, uni æternitati laboraturos!

*S. Chryſoſt. Hom.* 28. *& Theophylact.*

39. 40. *Et hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem, Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non ſine nobis conſummarentur*, Non ait Apoſtolus, Ut non ſine nobis coronarentur: ſed, *Ut non ſine nobis conſummarentur*. Beatitudinis perfectionem & conſummationem totum electorum corpus ſimul accipiet. Sed jam nunc arrhabonem & pignus honoris habent, Unde enim ſanctis poteſtas auxiliandi invocantibus ſe? Unde ipſis fiducia intercedendi? Nec injuſtus illis cenſendus eſt Deus, ſi nos anteverterint laboribus, in coronis autem nos exſpectent. Nam & illis hoc gratum eſt, ut cum fratribus conſummentur. Corpus unum omnes ſumus, Majorem porro corpori voluptatem honoremque præbet, ſi communiter ſecundum omnia membra ſua coronetur. Deus eſt Pater liberorum amantiſſimus, qui varios habet filios. Quorum alii quidem perfectis operibus ſuis ex agris celerius redeunt, alii vero laborantes adhuc ibi perſiſtunt, Dedit iis qui primum laborarunt, prægustationem quamdam, mandans eis ut ad perfectum uſque convivium fratres exſpectent, qui humani cum ſint, læti exſpectant, ut in commune exhilarentur. Dei providentiam ac ſummam bonitatem noſtri amantiſſimam adoremus, laudemus, glorificemus: Sanctos veneremur, diligamus, imitemur, qui bonis fratrum tamquam ſuis lætantur.

## CAPUT XII.

### *Senſus Litteralis.*

Græce; ἐπερίστατον, *tenaciter inhærens* vel *facile circumſtans, & implicans inſtar laquei.*

1. *IDeoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen*. Cum igitur tantam habeamus multitudinem teſtium nubis inſtar circumfuſam, qui dictis & factis teſtati ſunt quanta ſit vis & utilitas fidei, deponamus omnia impedimenta, quæ nos graves & tardos efficiunt, & laqueos peccati nos circumſtantes, quibus implicari facile eſt, caveamus: Vel, inſitam nobis concupiſcentiam mortificantes, curramus in ſtadio quod ſumus ingreſſi, ut ad bravium nobis propoſitum pertingamus, patienter & conſtanter ſuſtinendo moleſtias, labores, & difficultates certaminis.

Græce, ὃς ἀντὶ τῆς προκειμένης αὐτῷ χαρᾶς *pro ſibi propoſito gaudio*, ſeu *loco ſibi propoſiti gaudii*. Favet Syriaca Verſio. *S. Greg. Naz. apud Oecume.*

2. *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſionem contempta, atque in dextra ſedis Dei ſedet*. Conjicientes oculos in Jeſum certaminis noſtri præſidem, fideique noſtræ auctorem, conſummatorem, & præmiatorem; qui loco gaudii, quo frui poterat, vitam degens ab omni moleſtia immunem, crucem ſuſtinuit, ignominiam ſupplicii non veritus; & nunc ſedet ad dexteram Patis, merito Paſſionis ſuper omnem creaturam exaltatus. Vel, Cui cum liberum fuiſſet manere in propria gloria, non ſolum exinanivit ſemetipſum uſque ad formam ſervi, ſed & crucem ſuſtinuit ignominia contempta.

3. 4. *Recogitate enim eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem: ut ne fatigemini animis veſtris deficientes*. Serio igitur ac ſedulo cogitate qualis quantuſque ſit Jeſus, qui talem ac tantam ſuſtinuit contradictionem ab improbis & ſceleratis hominibus adverſus illum conjuratis & ſævientibus, ne ſimilia patientes, defatigemini & fatiſcatis præ languore & animi diſſolutione. *Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis, adverſus peccatum repugnantes*. Etſi in Chriſtiana militia multa jam paſſi eſtis, nondum tamen adverſus peccatum pugnaſtis uſque ad ſanguinem effuſionem.

Proſopopeia qua peccatum fingitur ut hoſtis nos tentationibus ſuis oppugnans, cui reſiſtere totis viribus debemus, illudque expugnare, ne animæ noſtræ mortem inferat.

5. 6. *Et obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tamquam filiis loquitur, dicens: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris*. Num immemores eſtis exhortationis, quæ ad vos tamquam Dei filios dirigitur? Fili mi, (inquit Scriptura) ne negligas, vel oderis caſtigationem qua te Dominus erudit ac emendat: neque animo deficias, dum ab eo corriperis. *Quem enim diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit*. Quoſcumque enim Deus diligit, caſtigat; & flagellis erudit & corripit eos omnes, quos in filios adoptat.

*Proverb.* 3. 11. 12. *ſecundum Verſionem LXX. Interpretum.* SecundumHebraicum textum, ex S. Hieronymi Verſione: *Et quaſi pater in filio complacet ſibi*; ſenſu nequaquam diverſo.

7. 8. *In diſciplina perſeverate. Tamquam filiis vobis offert ſe Deus: Qui enim filius, quem non corripit pater?* Afflictiones, quas vobis Dominus ad diſciplinam & correptionem immittit, perſeveranter ſuſtinete. Erga vos ſe gerit Deus tamquam erga filios. Quis enim filius eſt, quem ſapiens pater non corripiat & caſtiget, ſaltem in ætate puerili, quæ nobis ſub Deo durat, quamdiu mortalem vitam agimus? *Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes: ergo adulteri, & non filii eſtis*. Quod ſi paternæ diſciplinæ ſeu caſtigationi ſubducere vos vultis, cui ſubjecti fuerunt omnes qui Deo placuerunt; ergo germani filii Dei non eſtis, ſed adulterini.

Secundum Græcum; *Si caſtigationem ſuſtinetis, tamquam filiis offert ſe vobis Deus*. Solus Deus animas creat, & creando corporibus infundit Confer cum Eccleſiaſtis 12. 7. *Revertatur pulvis in erram ſuam, unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.*

9. 10. *Deinde patres quidem carnis noſtræ eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, & vivemus?* Si Patres carnis noſtræ reveriti ſumus, cum nos caſtigarent, & eorum reverentia adducti ſumus ad officium; nonne multo juſtius ſubjicere nos debemus, Patri Spirituum, ſive animarum Deo, ut ab eo veram æternamque vitam conſequamur? *Et illi quidem in tempore paucorum dierum, ſecundum voluntatem ſuam erudiebant nos: hic autem ad id quod utile eſt in recipiendo ſanctificationem ejus*. Et parentes quidem noſtri pro arbitrio ſuo caſtigabant nos, propter hanc vitam, cujus breve tempus eſt, ut recte nos in ea gerere diſceremus: Deus autem nos caſtigat propter verum bonum noſtrum, ut ea diſcamus & faciamus quæ vere nobis utilia & ſalutaria ſunt, ut ſanctitatis ejus participes ſimus.

11. *Omnis autem diſciplina: in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ*. Omnis quidem hujuſmodi caſtigatio, cum primum a Deo infligitur, humano ſenſui acerba & injucunda videtur: ſed poſtea fructus ſuaviſſimos juſtitiæ pariet iis, quos Deus per afflictiones exercuerit: quibus fructibus & in hac vita, & in futuro ſeculo, tranquille perfruentur. Fructus juſtitiæ, profectus eſt in juſtitia & ſanctitate, & bravium beatitudinis & pacis æternæ, ſeu *juſtitiæ corona* electis parata.

*Iſai.* 35. 3.

12. 13. *Propter quod, remiſſas manus, & ſoluta genua, erigite*. Quapropter manus languentes & torpentes erigite ad bona opera; & genua debilia roborate, ut alacriter in via Dei curratis, nec afflictionibus concidatis. *Et greſſus rectos facite pedibus veſtris: ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur*. Rectam Chriſtianiſmi viam cum in fide, tum in moribus tenete; & date operam ut ſi quis veſtrum in via Domini vacillat & claudicat, ab ea non penitus aberret; ſed potius ſanetur, adhibitis doctrinæ, conſolationis, exhortationis & pœnitentiæ pharmacis.

*Prov.* 4. 26.

14. *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum*. Pacem proſequimini, & cum omnibus habete & ſervate (quantum fieri poteſt) & ſanctimoniam, ſive animi vitæque puritatem, ſine qua nemo ad æternam beatitudinem quæ in Dei viſione conſiſtit, pervenire poteſt.

τὸν ἁγιασμόν, *Sanctimonia* porro nomine Græci Interpretes *continentiam* intellexerunt quæ & in matrimonio ſervanda eſt, ut *thorus* ſit *immaculatus*.

15. *Contemplantes ne quis deſit gratia Dei: ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi*. Attendite ne quis gratiæ Dei non reſpondendo, ab illa excidat, ne illi reſiſtat, ne divinas inſpirationes fruſtretur; ne aliqua radix amara, pravorum dogmatum, corruptorumque morum germina ſurſum emittens, bonum ſemen impediat, lætamque meſſem interturbet; ne malæ doctrinæ contagio, aut vitæ depravatæ exemplo, multi inquinentur & corrumpantur. Hac Apoſtoli ſententia, „ Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei, *Janſeniana* „ *hæreſis diſerte refellitur*, Gratiam enim etſi non „ habea-



*Deut.* 29. 18. Confer cum *Galat.* 2. 9. *S. Thomas in Commentar. iſtius cap. Lect.* 3. *Apocal.* 3. 1. *Tim.* 1. Janſeniana hæreſis refellitur.

„ habeatur ex meritis (alioquin gratia non eſſet gra„ tia) tamen oportet quod homo faciat quod in ſe „ eſt. Deus autem voluntate ſua liberaliſſime dat „ eam omni præparanti ſe. Ecce ſto ad oſtium, & „ pulſo (*inquit*) ſi quis aperuerit mihi, intrabo ad „ eum. *Et*, Vult omnes homines ſalvos fieri, Et „ ideo gratia Dei nulli deeſt, ſed omnibus, quantum „ in ſe eſt, ſe communicat; ſicut nec Sol deeſt ocu„ lis cæcis, Objiciet quiſpiam: Si gratia datur non ponenti obicem, habere gratiam pendet ex libero arbitrio, non ex electione Dei, qui error eſt Pelagii. Reſpondet S. Thomas: „ Hoc ipſum quod aliquis non „ ponit obicem, ex gratia procedere, unde ſi quis „ ponat, & tamen cor ejus moveatur ad obicem re„ movendum, hoc eſt ex dono gratiæ Dei vocantis „ per miſericordiam ſuam. Hoc autem donum gratiæ „ non eſt gratum faciens. Quod autem a quibuſdam „ removetur iſtud obſtaculum, hoc eſt ex miſericor„ dia Dei: Quod autem non removetur, hoc eſt ex „ juſtitia ejus.

16. *Ne quis fornicator, aut profanus ut Eſau: qui propter unam eſcam vendidit primogenita ſua*. Attendite ne quis fornicator ſit inter vos, aut profanus ut Eſau, qui datum a Deo honorem primogenituræ juſque ad benedictionem paternam vendidit pro una eſca. Singulare autem Dei donum contemnere, profani, vecordis, & ingrati hominis eſt: præſertim vero ſancti parentis benedictionem, quæ non ſolum temporalia, ſed inprimis ſpiritualia bona illi a Deo erat impetratura.

Eſau profanum vocari propter primogenituræ ſuæ venditionem, aliqui Interpretes cenſent, quod primogenituræ annexum eſſet Sacerdotium ante Legem, ut tradunt Hebræi, ac propterea jus primogenituræ vendi ſine ſimonia non potuiſſe, utpote cui res ſpiritualis annexa erat. Verum Traditio illa Hebræorum valde incerta eſt, nullum in Scriptura ſacra fundamentum habet, de illa quaſi de re dubia loquitur S. Thomas Secunda Secundæ, Quæſt. 87. Art. 1. ad 3. *Dicitur* (inquit) *quod primogeniti erant Sacerdotes*.

*Geneſ.* 27. 35. 37. 40. Pronomen *eam*, non refertur ad Pœnitentiam ſed a benedictionem, ſive ad benedictionis retractationem

17. *Scitote enim quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam*. Scitis enim quod volens poſtea conſequi benedictionem paternam, ut primogenitus & primus heres, repulſam tulit a Patre, nec ab eo impetrare potuit retractationem benedictionis præcipuæ Jacob fratri ſuo natu minori datæ, quamvis Iſaacum obſecraſſet cum lachrymis, ut reſcinderet quod actum erat, ſibique ut futuro familiæ domino & heredi benediceret.

Hæc omnia Angelorum miniſterio geſta & exhibita. Vide *Exod.* 19. & 20. & *Deut.* 4.

18. 19. 20. 21. *Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excuſaverunt ſe, ne eis fieret verbum*. Ad ſanctimoniam ſectandam tanto magis tenemini, quod ad vetus Teſtamentum jam non pertinetis, nec eſtis ſub Lege, ſed ſub Gratia. Non enim acceſſiſtis ad montem corporeum & ſenſibilem, qualis eſt Mons Sina, in quo Lex data eſt, ad montem accenſo igne, turbine, caligine, procella, fulguribus, clangore tubæ, & voce humana verba fundente terrificum; quam qui audierunt, deprecati ſunt ne Deus illis amplius loqueretur, cujus terribilem vocem ferre non poterant, ſed per internuntium ac interpretem Moyſen ſua eis mandata ſignificaret. *Non enim portabant quod dicebatur: Etſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur*. Ferre enim non poterant terribilem illam Dei comminationem: Si vel beſtia tetigerit montem, lapidibus obruetur. Dicebant enim apud ſe: ſi hoc fiat bruto & innoxio animali ob ſolum montis contactum, quid nobis futurum, quibus Lex datur, ſi ea violaverimus? *Et ita terribile erat quod videbatur? Moyſes dixit: Exterritus ſum, & tremebundus*. Et adeo terribile erat quod ſenſibus objiciebatur, ut Moyſes ipſe ingenti pavore ac tremore ſe correptum profiteretur, quamvis timore non dejiceretur ex animi ſtatu, quia timor erat filialis, non ſervilis: ſed alios bono animo eſſe, & in Domino confidere juberet.

*Aut confodietur jaculis. Exod.* 19. 13. Græce, φανταζόμενον, *quod viſum apparebat*. Hæc verba Moyſis ex Scriptura non habentur, ſed ea ex Majorum traditione habuit Apoſtolus.

Α᾿γγέλων πανήγυριν *Angelorum cœtum*. *Theodoret.*

22. 23. 24. *Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & civitatem Dei viventis, Jeruſalem cœleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam*. Sed tanquam novi Teſtamenti filii, per fidem acceſſiſtis ad Eccleſiam per Montem Sion typice ſignificatam, ad civitatem Dei viventis, nempe Jeruſalem cœleſtem, cujus conditor non homo mortalis, ſed æternus Deus, vivus & verus: ad multorum millium Angelorum lætiſſimum conventum, ut cum illis æternum vivatis. *Et Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & judicem omnium Deum, & Spiritus juſtorum perfectorum?* Adſciti eſtis in ſocietatem eorum, qui præ cæteris mortalibus electi ſunt a Deo, & ab aliis ſeparati, tamquam primogeniti; & in cœlis conſcripti tanquam æternæ beatitudinis hæredes. Per fidem & charitatem acceſſiſtis cum fiducia ad Deum omnium juſtum judicem, qui vobis reddet coronam juſtitiæ, perſecutoribus autem veſtris juſta ſupplicia. Acceſſiſtis ſpe, caritate, communione ad Spiritus juſtorum, qui æterna gloria in cœlis perfruuntur, *Et Teſtamenti novi mediatorem Jeſum, & Sanguinis aſperſionem, melius loquentem quam Abel*. Per fidem denique acceſſiſtis ad Jeſum Chriſtum novi fœderis Mediatorem, & ad Sanguinem ejus, quo fideles aſperguntur & ſanctificantur, melius loquentem quam ſanguis Abel. Sanguis enim Abel vindictam contra fratricidam clamabat: Chriſti vero Sanguis miſericordiam, veniam & vitam pro nobis poſtulat, meretur, & in nobis operatur.

Juſti, qui beatifica Dei viſione fruuntur, perfecti ſunt & conſummati ſecundum animam: Juſti in Purgatorio detenti nondum plene perfecti ſunt.

25. *Videte ne recuſetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum qui ſuper terram loquebatur: multo magis nos, qui de cœlis loquentem nobis avertimus*. Cavete ne Chriſtum per ſanguinem ſuum, & per Evangelii ſui Miniſtros loquentem, voſque ad ſalutem invitantem, contemnatis ac repudietis. Si enim illi pœnam non effugerunt, qui Deum ipſis in terra, id eſt, e monte Sinai loquentem ac Legem dantem, non obediendo contempſerunt: multo magis nos rei erimus, & gravioribus obnoxii ſuppliciis, qui Chriſtum e cœlo nobis nunc loquentem averſamur & rejicimus per incredulitatem & contumaciam.

*S. Auguſt.* 3. *De Trinit. cap. ultimo. Aggai* 2. 7. *ſecundum Verſionem LXX. Interpres.*

26. *Cujus vox movit terram tunc: nunc autem repromittit dicens: Adhuc ſemel, & ego movebo non ſolum terram, ſed & cœlum*. Cujus vox, ſcilicet Chriſti Dei per angelum terribiliter loquentis in nube, & Legem dantis in monte Sinai, terram tunc commovit, & Iſraelitas ad radices montis ſtantes terrore concuſſit: nunc autem, id eſt, tempore novi Teſtamenti, denuntiat quod facturus eſt, dicens: Adhuc modicum tempus reſtat, & ego non ſolum terram, ſed & cœlum commovebo in noviſſimo adventu meo ad judicium. Prophetæ locum ad primum Chriſti adventum pertinentem Apoſtolus ad ſecundum extendit & accommodat. Cœlum autem & terra in primo Chriſti adventu commota ſunt, miraculis in ejus nativitate & morte factis, idololatriæ everſione, legalium ceremoniarum abrogatione, Evangelii per mundum univerſum prædicatione, & gentium ad Chriſti fidem converſione Vide S. Auguſtinum locum illum Prophetæ partim de primo Chriſti adventu exponentem, partim de noviſſimo. *Aggæus Chriſtum & Eccleſiam apertius brevitate prophetat*: „ Hæc „ dicit Dominus exercituum; Adhuc unum modicum „ eſt, & ego commovebo cœlum & terram, mare, „ & aridam, & omnes gentes, & veniet Deſideratus „ cunctis gentibus, Hæc Prophetia jam completa „ partim cernitur, partim ſperatur in fine complen„ da, Movit enim cœlum Angelorum & ſiderum te„ ſtimonio, quando incarnatus eſt Chriſtus. Movit „ terram ingenti miraculo de ipſo Virginis partu: „ Movit mare & aridam, cum & in inſulis, & in „ orbe toto Chriſtus annuntiatur. Ita moveri omnes „ gentes videmus ad fidem. Jam vero quod ſequi„ tur, *Et veniet Deſideratus cunctis gentibus*, de „ noviſſimo ejus exſpectatur adventu. Ut enim de„ ſideratus eſſet expectantibus, oportuit eum dile„ ctum eſſe credentibus. “ De ſecundo Chriſti adventu locum Prophetæ & Apoſtoli pariter exponit Sanctus Thomas. S. vero Hieronymus Prophetæ oraculum de primo adventu interpretatur.

*S. Auguſtin. lib.* 18. *De Civit. Dei, cap.* 35. & 45.

*S. Hieron. Comment. in Aggæum.*

27. *Quod autem, Adhuc ſemel, dicit; declarat mobilium translationum tanquam factorum, ut maneant quæ ſunt immobilia*. Quod autem dicit Dominus: *Adhuc ſemel*, declarat ſe elementa, cœli & terræ nomine ſignificat, concuſſurum, & in aliam faciem tranſmutaturum, ut quæ iis ſuccedent, cœli novi & terra nova, maneant, in alium ſtatum non amplius commutanda. Dicitur autem, *tanquam factorum*, ad ſignificandum quod Chriſto facile ſit commovere & tranſmutare cœlum & terram, utpote quæ ab ipſo condita ſunt. Et hæc quidem expoſitio Prophetico & Apoſtolico loco convenit, ſi ad ſecundum Chriſti adventum referatur. Si vero ad primum, ſenſus eſt: Quod dicit, *Adhuc ſemel*, declarat ſe tranſlaturum & abrogaturum ea, quæ mutabilia ſunt, ut ad tempus inſtituta, nempe veteris legis ceremonias, tabernaculum, Sancta ſanctorum, Arcam, &c. ut permaneant ea quæ firmo Dei Decreto ſtant immobilia, ſcilicet Eccleſiæ Chriſtianæ Sacramenta, & tota Lex nova, cui nulla alia ſuccedet uſque ad finem mundi: Sanctuarium denique cœleſte, quod Chriſti & beatorum ſedes eſt.

*S. Chryſoſt. Theodoret. Theophylact. S. Thomas.* primæ expoſitionis auctores.

28. 29. *Itaque regnum immobile ſuſcipientes, habemus gratiam, per quam ſerviamus placentes Deo, cum metu & reverentia*. Ideo ſpe regnum immobile & perpetuum apprehendentes, gratiam Chriſtianiſmi ſedulo conſervemus, nec ullis tentationibus ab ea

Secundum Græcum & Syriacam Verſionem *habeamus gratiam*.

*Deuteron.* 4. 24. *Dominus Deus tuus ignis conſumens eſt, Deus æmulator.*

ea excidamus, & per eam colamus Deum cum religioſo timore & reverentia ſummæ illius majeſtati debita, illique placeamus. *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt*. Deus enim noſter inſtar ignis conſumentis accerrime & celerrime punit impios, fidei deſertores, & legis Evangelicæ tranſgreſſores.

---

## C A P U T XII.

### *Senſus Moralis.*

Exempla Sanctorum imitanda.

1. I*Deoque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus, & circumſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen.* Inter multiplices gratias quas Dei miſericordia nobis confert ad ſalutem, non poſtremum tenent locum ſanctorum exempla. Teſtes nobis ſunt paternæ bonitatis Dei erga eos qui ipſi fideliter ſerviunt, & in ipſo confidunt: teſtes virtutis & meritorum fidei: teſtes certaminum Eccleſiæ, quibus ad pacem & beatitudinem æternam pervenitur. Verum metuere debemus ne teſtes ſurgant adverſum nos in judicio Dei, ſi illos imitari negligamus. Bonorum enim exemplorum fructus non eſt ſterilis & odioſa admiratio & laudatio, ſed fidelis & ſedula imitatio Sanctorum. Illorum exemplis animati, deponamus omne pondus, omnes terrenos affectus, omnia peccata perpetrata, quæ niſi Pœnitentia diluantur, ſuo mox pondere ad alia trahunt. Deponamus omnem terreſtrium negotiorum ſarcinam, & curas illis admixtas, quæ nos ad res terrenas deprimunt, illiſque conglutinant, ne ad cœleſtia per fidem, ſpem, & caritatem nos erigamus & Deo inhæreamus. Abjiciamus omnia ſpiritualis curſus impedimenta. Qui enim currere vult, ab omni ſarcina ſit expeditus neceſſe eſt. Deponamus circumſtans nos peccatum: concupiſcentiam nobis innatam, ſemperque nos ad peccatum inclinantem, impugnare, mortificare, debilitare non ceſſemus; ut deſtruatur in nobis corpus peccati. Vitemus occaſiones peccati a mundo, a carne, a dæmone nobis oblatas, undique nos circumſtantes, laqueos expanſos & abſconditos, quibus facile eſt ut implicemur & captivi teneamur. *In via hac qua ambulabam, abſconderunt laqueum mihi*. „ In via Chriſti laquei a „ dextris, laquei a ſiniſtris: laquei a dextris, proſperitas ſæculi; laquei a ſiniſtris, adverſitas ſæculi: laquei a dextris, promiſſiones: laquei a ſiniſtris, „ terrores. Tu in medio laqueorum ingredere, a „ via noli recedere: nec promiſſio te capiat, nec „ terror elidat. “ Ab his quæ curſum ſpiritualem remorantur & impediunt, cave. Facile conflatur ac gignitur peccatum. Etenim oculus ineſcatur, auditus demulcetur, tactus titillatur, lingua facillime labitur, & cogitatio ad malum eſt celerrima. Verumtamen facile eſt, ſi modo velimus, vincere peccatum. Occaſiones fugendæ. *Nam qui amat periculum, in illo peribit*. Viam ſalutis ingrediamur, in ea progrediamur, curramus, perſeveremus. Ne tædio nos afficiant, ne frangant ac dejiciant animum tribulationes, ſed patientia nos confirmet ad curſum alacriter conſummandum, ut Deo dicere poſſimus in hora mortis noſtræ: *Viam mandatorum tuorum cucurri . . . curſum conſummavi, fidem ſervavi*. Curſum illum ſibi propoſitum habuit ac ſuſcepit omnis Chriſtianus, cum renuntiavit vitæ veteri, & profeſſus eſt novam in Baptiſmo. Curſus iſte certamen eſt, quia non ſine adverſariis curritur, qui currentem impediant, remorentur, dejiciant, & a via aberrare faciant, quantum poſſunt. Pugnandum continuo, ſine intermiſſione currendum eſt, & patienter expectandum præmium in fine curſus & certaminis conferendum ab agonotheta Deo, corona juſtitiæ, quam reddet nobis in illa die juſtus Judex. *Per patientiam* igitur *curramus ad propoſitum nobis certamen*. Nos difficultates non deterreant, ſed Sanctorum exempla provocent. Gratiæ vocem audiamus intus nobis dicentem: *Tu non poteris quod iſti, quod iſtæ? An vero iſti & iſtæ in ſemetipſis poſſunt, ac in Domino Deo ſuo?*

*Theophylact.* — *Pſalm.* 141. 4. — *S. Auguſt.* — *Theodoret.* — *Theophylact.* — *Pſal.* 118. 32. — 2. *Tim.* 4. 7. — *S. Auguſt. lib.* 7. *Confeſſ. cap.* 11.

Chriſtus Jeſus exemplar patientiæ noſtræ.

2. *Aſpicientes in auctorem fidei, & conſummatorem Jeſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta, atque in dextera ſedis Dei ſedet*. Magno fortique animo ſimus in certamine fidei, conſiderantes caput noſtrum & agonethetem Jeſum Chriſtum, qui patientiæ noſtræ exemplar eſt in cruce, quam pro nobis pertulit; virtus noſtra per gratiam quam nobis promeritus eſt & largitur; auctor & conſummator fidei noſtræ, quam donavit, conſervat, auget, perficit; corona laborum noſtrorum, ad dexteram Dei ſedens, noſque ad beatitudinis ſuæ conſortium admittens, ſi crucem, afflictiones, opprobria nobis a peccatoribus illata conſtanti ac læto animo feramus. *Si Patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domeſticos ejus? Non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum, neque ſervus major domino ſuo*. Oculos igitur in Chriſto defigamus, ut in via ſalutis, in ſtadio Chriſtianæ perfectionis currere diſcamus. „ Sicut enim „ in omnibus artibus & certaminibus ad Magiſtros „ aſpicientes, in mente artem imprimimus, & regu„ las ſumimus: ita hic ſi velimus currere, & recte „ currendi regulas diſcere, aſpiciamus auctorem fi„ dei & conſummatorem Jeſum. Licebat ei nihil pati „ ſi voluiſſet, *Qui peccatum non fecit, nec inven„ tus eſt dolus in ore ejus*. Erat ei promptum, ſi „ voluiſſet, non venire ad crucem. *Poteſtatem ha„ beo*, inquit, *ponendi animam meam, & iterum „ ſumendi eam*. Si ergo cui minime neceſſe erat cru„ cifigi, propter nos fuit crucifixus, quanto magis „ par eſt ut omnia propter ipſum fortiter ſuſtinea„ mus, *Qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, con„ fuſione contempta?* Eſto quod mortuus ſit, ad hoc „ enim venerat. Numquid vero morti ſubeundæ et„ iam contumeliis opus fuerat? Sed *Sanguinari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat*. Ignominioſam mortem elegit, ut nos humanæ gloriæ contemptum doceret. Mori voluit in cruce, propoſito gaudio, ut cruces & afflictiones voluptatibus ac deliciis præponere ipſius exemplo diſcamus, & cum Apoſtolis exultemus, ſi digni habeamur pro nomine Jeſu contumeliam pati. Opprobria paſſus eſt ratione generis. *Nonne*, inquiebant, *hic eſt fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, & fratres ejus Jacobus & Joſeph, & Simon & Judas? & ſorores ejus nonne omnes apud nos ſunt?* Contumeliam paſſus eſt ratione patriæ. *A Galilæa*, inquiebant, *Propheta non ſurgit . . . . . A Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?* Contumelias paſſus eſt ratione vitæ & converſationis. *Ecce* (inquiebant) *homo vorax & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus*. Contumeliam paſſus eſt ratione doctrinæ. *Seducit turbas* (inquiebant) contumelias paſſus eſt & ratione miraculorum. *In Beelzebub principe Dæmoniorum ejicit Dæmonia*. Contumelias paſſus eſt in paſſione ſua a Sacerdotibus, a Scribis & Phariſæis, a militibus, a plebe. *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta*, Id ne mireris. *Salvatoris* enim *gaudium eſt ſalus hominum*. Pro hac paſſionem ſubiit, & poſt paſſionem ſedet cum Patre qui eum genuit. *Atque in dextera ſedis Dei ſedet*. Poteſt itaque nobis præmium rependere pro afflictionibus ſuis nomine toleratis. *Aſpiciamus in auctorem fidei & conſummatorem Jeſum*, qui fundat Eccleſiam in fide, in gloria conſummat. Cujus typus fuit Zorobabel, de quo ſcriptum eſt: *Manus Zorobabel fundaverunt domum iſtam, & manus ejus perficient eam*. Videmus nunc per ſpeculum & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, ait Apoſtolus noſter. Contemplatio eſt merces fidei, cui mercedi per fidem corda mundantur, ait S. Auguſtinus. Si vis ſalvari, reſpice in faciem Chriſti crucifixi: In paſſione autem ejus tria conſideranda ſunt. 1. Quid contempſit, 2. Quid ſubſtinuit. 3. Quid promeruit. Contempſit gaudium terrenum, oblatum a populo eum Regem ſibi conſtituere volente. Crucem ſuſtinuit, ſe ipſum ad mortem uſque ignominioſiſſimam humilians, *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem, confuſione contempta*. Promeruit ſibi ſeſſionem ad dexteram Patris, nominiſque ſui exaltationem: nobis gratiam & gloriam. Premii ſui ac regni participes nos faciet, ſi cum illo patiamur. *Atque in dextera ſedis Dei ſedet*.

*Iſai.* 53. — *Joan.* 10. — *Tertullian.* — *Matt.* 13. 56. — *Joan.* 7. 52. — *Joan.* 1. 46. — *Matt.* 11. 19. — *Joan.* 7. 12. — *Matt.* 12. 24. — *Theodoret.* — *Zachar.* 4. 9. — 1. *Cor.* 13. — *S. Auguſt. lib.* 1. *De Trinit.* c. 10. — *S. Thomas. Lect.* 1.

Tria in paſſione Chriſti conſideranda.

Paſſionis Chriſti fructuoſa meditatio.

3. 4. *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit a peccatoribus adverſum ſemetipſum contradictionem, ut ne fatigemini animis veſtris deficientes*. Non ſemel, non obiter; non perfunctorie & negligenter, non ſteriliter; ſed ſæpius, ſtudioſe, cum affectu pietatis, cum fructu, paſſionem Chriſti meditemini. *Recogitate* quis paſſus eſt, quæ paſſus, a quibus paſſus. Chriſtus Dei filius unigenitus, verus Deus, Dominus noſter, Dominus virtutum, Rex gloriæ, Pontifex innocens, impollutus, Sanctus, Sanctorum, paſſus eſt non ſolum in membris ſuis, ut ante incarnationem, origine mundi, ſed in propria perſona, *adverſus ſemetipſum*. Paſſus eſt contradictionem tam multiplicem; tam gravem, tam ignominioſam; contumelias, improperia, ludibria, blaſphemias, verbera in faciem & ſputa, clamores apud Pilatum, comparationem cum Barabba latrone & homicida, mortem in cruce, in medio latronum. *Talem contradictionem*. Paſſus eſt Creator a creaturis ſuis, dominus omnium a ſervis, juſtus *a peccatoribus*. Jeſum Chriſtum, & hunc crucifixum recogitate, in quo omnium virtutum documenta & exempla habetis, caritatis, humilitatis, patientiæ, obedientiæ, perſeverantiæ: ita ut lignum in quo fixa erant membra morientis, etiam *cathedra fuerit magiſtri docentis*. In paſſione Chriſti Jeſu recogitate opus, modum, cauſam. *In opere patentia, in*

*S. Auguſt. Tract.* 119. *in Joan.* — *S. Bernard. Serm. De Paſſione Dom pro Feria* 4. *Hebdomadæ ſancta.*



*modo humilitas, in cauſa caritas commendatur*. Chriſti paſſio remedium eſt adverſus concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. Quomodo enim non illius patientiæ recordatio omnem arceat voluptatem? Quomodo non illius humilitatis conſideratio ſuperbiam vitæ prorſus extundat? Nam caritas illa plane digna cujus meditatio ſic mentem occupet, ſic totam ſibi vendicet animam, ut omnino vitium curioſitatis exſufflet. Fortis igitur contra hæc paſſio Salvatoris. *Recogitare eum*, ut virtutem animique fortitudinem, & ſolatium in tribulationibus ex ejus paſſione & cruce hauriatis. *Ut ne fatigemini, animis veſtris deficientes*. Si paſſio Chriſti ad memoriam revocatur, nihil adeo durum quod non æquanimiter toleretur. Ne ergo animo deficiamus, ſed exemplo Chriſti Jeſu, ad mortem uſque laboremus, ut in nobis regnum peccati deſtruatur. *Nondum enim uſque ad ſanguinem reſtitiſtis, adverſus peccatum repugnantes*. Peccatum quaſi hoſtis capitalis nos vincere & ſuplantare conatur, diabolo, carne, mundo, ſuppetias ferentibus. Illi totis viribus reſiſtendum cum labore & lucta, qualis eſt athletarum in paleſtris. In afflictionibus, in cruce, ad mortem uſque, fortiter & patienter perſeverandum eſt, potius quam a fide, a juſtitia, a lege Dei deficiamus. Via crucis, via virtutis eſt, via quietis æternæ & beatitudinis, via a Chriſto Jeſu trita & demonſtrata. „ *Si quis* (inquit) *non tollit „ crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*. „ Si es diſcipulus, imitare Magiſtrum ſi autem ipſe „ quidem venit per afflictionem, tu autem per quie„ tem & remiſſionem, non eadem via ingrederis „ qua ille eſt ingreſſus, ſed alia. Quomodo ergo „ ſequeris non ſequens? Quomodo eris diſcipulus, „ non ſequens Magiſtrum? Magna res eſt afflictio: „ peccata delet, noſque ut Dei athletas roborat „ & confirmat. Quid vero (inquies) ſi everterit „ & perdiderit? Non hoc facit afflictio, ſed no„ ſtra ignavia. Si ſobrii ſumus, ſi Deum oremus „ ut non ſinat nos tentari plus quam ferre poſſu„ mus, ſi ei ſemper adhæreamus, fortiter ſtabimus „ in acie, & ſalutis noſtræ hoſtes expugnabimus ac „ vincemus. Quamdiu Jeſum Chriſtum habuerimus „ adjutorem, etiamſi omnibus ventis vehementius „ ſpirarint tentationes, erunt nobis palea & folium „ quod leviter per aerem rapitur & diſſipatur. Unde Apoſtolus noſter alibi ait: *Sed in his omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos*.

*S. Thomas. Lect.* 1. — *S. Chryſoſt. Hom.* 28. — *Rom.* 8. 37.

Afflictiones divini erga nos amoris ſunt argumenta.

5. 6. 7. 8. 9. 10. *Et obliti eſtis conſolationis, quæ vobis tanquam filiis loquitur: Fili mi, noli negligere diſciplinam Domini: neque fatigeris, dum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit*. Qui afflictiones inquieto & impatienti animo ferunt, Deum ſpectare videntur ut inimicum qui nos perſequitur ut perdat, non ut patrem, qui nos caſtigat ut erudiat, ſeque dignos faciat. Tribulationes amoris ipſius magis quam iræ argumenta ſunt. Hæc noſtræ in Chriſto adoptionis conditio eſt, adverſa pati, crucem ferre. Si natura innocens & recta, ut creata eſt perſeveraſſet, Deus pater optimus, æquiſſimuſque judex duram adeo conditionem filiis ſuis non imponeret. Afflictiones igitur humili & patienti animo tolerate, ut flagella miſericordiſſimi patris. Patres ſolent legitimos filios inſtituere, & ſi eos videant flagellari a magiſtris, non ægre ferunt. Vident enim fructum, qui ex caſtigatione naſcitur. Nothos autem & illegitimos filios contemnunt & negligunt, nec pari eos cura dignos cenſent. Si ergo vos quoque diſciplinam declinatis, non eſtis in numero filiorum. *In diſciplina perſeverate. Tanquam filiis vobis offert ſe Deus: qui enim filius quem non corripit pater? quod ſi extra diſciplinam eſtis, cujus participes facti ſunt omnes: ergo adulteri & non filii eſtis*. „ Ne te ſine flagello ſperes „ futurum, niſi forte cogites exheredari. Flagellat „ omnem filium quem recipit. Ita ne omnem? Et„ iam Unicus ſine peccato, non tamen ſine flagello. „ Unicus ille de Patris ſubſtantia natus, æqualis Pa„ tri in forma Dei, non habebat unde flagellaretur; *ad hoc carne indutus eſt, ut ſine flagello non eſſet. Qui ergo flagellat Unicum ſine peccato, numquid relinquit adoptivum cum peccato?* Si exceptus es a paſſione *flagellorum, exceptus es a numero filiorum*. „ Flagellat enim omnem filum quem recipit. „ *Hoc enim juſtum eſt, ut qui de priſtina felicitate Paradiſi propter contumacem deliciarum appetentiam demiſſi ſumus, per humilem moleſtiarum patientiam recipiamur: fugaces mala faciendo, reduces mala patiendo; ibi contra juſtitiam facientes, hic pro juſtitia patientes*. Parentes noſtros ſecundum carnem reveremur, & ab illis diſciplinam & correptionem ſuſcipimus: multo magis animarum noſtrarum Creatorem debemus revereri, & tanquam filii dociles & obedientes ejus correptionem ſuſcipere & manum flagellantis oſculari. Et parentes quidem noſtri erudiebunt nos in rebus ad vitam iſtam temporalem pertinentibus, ſecundum voluntatem ſuam, quandoque pravam, vitia ſua ſæpe nobis afflantes, nec ea præſertim nos docere ſatagentes, quæ ad æternam ſalutem conſequendam conducunt. Deus autem nos caſtigat ut ſuæ nos participes faciat ſanctitatis. „ Patres quidem carnis „ noſtræ eruditores habuimus, & reverebamur eos: „ non multo magis obtemperabimus Patri ſpirituum, „ & vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum „ dierum, ſecundum voluntatem ſuam erudiebant „ nos: hic autem ad id quod utile eſt in recipiendo ſanctificationem ejus. „ Diſciplina ergo Dei ſemper „ utilis eſt ac ſalutaris, ſemper ad ſanctificationem noſtram ordinata. „ Nam cum expellit ſocordiam, „ cum malam cupiditatem, cum amorem rerum quæ „ ad hanc vitam pertinent; cum animam ad Deum „ convertit, cum rerum omnium terrenarum con„ temptum & faſtidium in nobis efficit, nonne ſan„ ctificationem in nobis operatur.

*Theodoret.* — *S. Auguſt. in Pſal.* 31. *n.* 26. *idem. Serm.* 46. *De Paſtoribus cap.* 5. — *Idem lib. De Patientia, cap.* 14. — *S. Chryſoſt. Hom.* 29.

Afflictiones ſalutares.

11. *Omnis autem diſciplina, in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris: poſtea autem fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddit juſtitiæ*. De Medicina judicium ferendum non eſt ex amaritudine, ſed ex virtute & fine propter quem datur. Deus ſummus animarum medicus diligit hominem, in quo febrem peccati & pravarum cupiditatum perſequitur. Afflictiones, ſive exteriores, ſive interiores, quas providentiæ ſuæ ſapientiſſimo conſilio nobis immittit, medicinæ ſunt, de quibus non eſt judicandum ex amaritudine, & mœrore quem parere videtur in hac vita, ſed ex fructu juſtitiæ puriſſimo, & ſuaviſſimo, quem in æterna pace colligent & guſtabunt, qui per afflictiones hic probati fuerint & exercitati. Inchoatæ & provectæ juſtitiæ fructus in hac vita habetur cum perturbatione exteriorum incommodorum, & tentationum interiorum, & ideo non eſt pacatiſſimus: in gloria vero fructus conſummatæ juſtitiæ cum æterna pace conjunctus erit: ſiquidem nihil interitus erit remordens conſcientiam, nihil impellens ad culpam, nihil exterius contriſtans. Fructus igitur erit pacatus in tranquillitate conſcientiæ: pacatior in ſuſceptione primæ ſtolæ, pacatiſſimus in ſuſceptione ſecundæ, quæ gloria immortalis corporis eſt. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, in requie opulenta* (ait Dominus per Prophetam.)

*S. Thomas in Comment. Lect.* 2.

Paſtorum vigilantia & zelus infirmos excitare & confirmare debet.

12. 13. *Propter quod, remiſſas manus, & ſoluta genua erigite. Et greſſus rectos facite pedibus veſtris: ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur*. Cum afflictionum probatio, quæ fortes roborat, infirmorum animos ut plurimum debilitet ac dejiciat, in id incumbere debet Paſtorum vigilantia & zelus, ut ipſorum animos erigant & confirment. 1. Illorum in bonis operibus diligentiam, in oratione aſſiduitatem & ſervorem, in via perfectionis evangelicæ decurrenda conſtantiam, in fide firmitatem, in vitando peccato cautionem, in reſiſtendo tentationibus fidelitatem excitent. Manus remiſſæ dicuntur, quæ vacant a bonis operibus: ideo erigendæ ſunt per rectam intentionem ad operandum ea quæ Deo placent. *Remiſſas manus erigite*. Hinc Propheta ait: *Levemus corda noſtra cum manibus ad Deum*. Cor etenim cum manibus levat, qui orationem ſuam operibus roborat. Quiſquis autem orat tantum, cor levat, & manus remittit. Egeſtatem animæ remiſſio manuum, ſeu bonorum operum negligentia, manuum elevatio, ſeu bona opera, ſpiritales divitias pariunt. *Egeſtatem operata eſt manus remiſſa:* (ait Sapiens) *manus autem fortium divitias parat*. In hujus rei ſignum, Moyſe manus extollente, vincebat Iſrael; manus vero remittente, ſuperabat Amalech. Genibus totum pondus corporis ſuſtentatur. Habent ergo genua diſſoluta, qui adverſa fortiter non tolerant. Hos igitur adhortari debent Paſtores, ut *ſoluta genua* erigant. Sic ipſis conveniet quod ſancto viro Job tribuitur elogium: *Ecce docuiſti multos, & manus laſſas roboraſti: Vacillantes confirmaverunt ſermones tui, & genua trementia confortaſti*. Peccatum eſt obliquitas, quædam curvitas, & claudicatio ſpiritualis. Triplex autem eſt obliquitas. 1. In affectu 2. In operatione. 3. in mente. Pedes recti, affectiones rectæ. *Greſſus rectos facite pedibus veſtris*. Legis divinæ regulam immutabilem ſequimini, ut neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram, neque in proſperis, neque in adverſis declinetis. *Ut non claudicans quis erret, magis autem ſanetur* per gratiam medicinalem Salvatoris, a quo vera eſt animarum ſanitas. *Sana me, Domine, & ſanabor*. In adverſis ergo ad illum confugias; *Qui ſanat omnes infirmitates tuas*. Sanitas corporis conſiſtit in contemperatione humorum: ſanitas animæ in ordinatione affectuum.

*S. Tomas. Lect.* 3. *Jerem. Thren.* 3. — *S. Gregor. lib.* 18. *Moral. cap.* 5. — *Exod.* 17. — *Job.* 4. 3. 4. — *Jerem.* 17. 14.

14. 15. 16. *Pacem ſequimini cum omnibus, & ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum*. Caritas & pax,

*Joann. 14. S. Chriſoſt. Hom. 31.*

Caritas & pax, hominis Chriſtiani characteres.

pax, Chriſtianiſmi characteres. Propterea Chriſtus ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem.* Pax non ſolum optanda & diligenda, ſed perſequenda, cum procul eſt, omnibuſque ſtudiis enitendum ut eam ad nos ipſos attrahamus, comprehendamus, & retineamus, non ſolum cum amicis, ſed etiam cum inimicis, quantum in nobis eſt, illam ſervantes. *Cum omnibus.* Cum amatoribus pacis, cum hominibus manſuetis pacem ſervare facile eſt, id ipſi ethnici faciunt: ſed cum inimicis & perſecutoribus ſuis pacem habere, proprium eſt hominis Chriſtiani. *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus.* Pax Chriſti, clavis eſt cœli: ſed ut Dei beata viſione perfrui mereamur, quæ ſanctorum dumtaxat eſt tota merces, puritas animi & corporis ſervanda eſt, & immaculatos ab hoc ſeculo cuſtodire nos debemus. *Et ſanctimoniam, ſine qua nemo videbit Deum.* Unde Chriſtus ait: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Sanctimoniam ergo & continentiam ſervate, quicumque nomine Chriſtiano cenſemini: alioqui de veſtra ſalute actum eſt, in æternum peribitis: *Sanctimoniam* Apoſtolus *appellavit continentiam. Hanc autem recte exercere poſſunt etiam qui matrimonium contraxerunt.* HONORABILES *enim nuptiæ, & thorus immaculatus: fornicatores autem & adulteros Deus condemnabit.* Gratiæ Dei nei ne deſimus, quæ nobis non deeſt, niſi ſanctis ejus inſpirationibus ponamus obicem: ad noſtra attendamus officia; Patri non ſolum obſequamur, ſed & adulemur (ſi cum Tertulliano ſic loqui fas eſt) *Contemplantes ne quis deſit gratiæ Dei.* Ut ſervemus caritatem, amarulentiam, inimicitias, diſſenſiones, uſque ad minimas fibras ex animis noſtris evellamus ac reſecemus. *Ne qua radix amaritudinis ſurſum germinans impediat, & per illam inquinentur multi.* Modicum fermentum totam maſſam inficit: radix amaritudinis plurimos inquinat & corrumpit. Radicem amaritudinis & *mala dogmata, & depravatam vitam* vocat Apoſtolus, interprete Theodoreto.

*Pſalm. 119. 6.* — *Matth. 5.* — *Theodoret.*

Sanctimoniam ſeu continentiam ſervare; gratiæ Dei nunquam deeſſe, hominis Chriſtiani officium eſt.

16. 17. *Ne quis fornicator aut profanus aut Eſau: qui propter unam eſcam vendidit primitiva ſua. Scitote enim quoniam & poſtea cupiens hereditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis inquiſiſſet eam.* Quot in hoc mundo fornicatores, non corpore ſolum, ſed multo plures mente, qui Chriſto vero & unico animarum chriſtianarum ſponſo datam fidem violantes, cor ſuum creaturarum amori proſtituunt? Quot helluones, & ventri dediti, aut libidini, qui propter momentanea voluntatem jus ſuum ad cæleſtem & æternam hæreditatem dimittunt? Profanatio, eſt rerum divinarum contemptus. Illas qui non curat, terrenis & tranſitoriis affixus, contemnit. Hic reprobationis caracter eſt. Qui ita ſunt affecti, omni benedictione ſpirituali privantur, nec inveniunt pœnitentiæ locum. Deum igitur quæramus, dum inveniri poteſt, invocemus eum dum prope eſt. „ Preces noſtræ, lachrymæ, pœnitentia, fictæ non „ ſint & fallaces, ut pœnitentia & lacrymæ Eſau, „ qui peccatum ſuum non flevit, ſed proſperum Ja- „ cob ſucceſſum. *Oderat enim Eſau Jacob pro benedictione qua benedixerat ei pater: dixitque in corde ſuo: Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum.* Pœnitentiæ locum non inveniunt, qui eam non agunt ut oportet. Illæ tantum lacrymæ veniam promerentur, quæ ex fonte caritatis oriuntur. *Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei.*

Pœnitentia & lacrymæ fallaces, benedictionem Dei non obtinent. — *Theophylact.* — *Theodoret.* — *Geneſ. 27. 41.* — *S. Auguſt.*

18. 19. 20. 21. *Non enim acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem, & turbinem, & calliginem, & procellam, & tubæ ſonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excuſaverunt ſe, ne eis fieret verbum.* Terribilia erant quæ in monte Sina facta ſunt, ignis qui videbatur, & fumus quoquoverſus circumcurſans, & caligo, & tenebræ, & procella, & tubæ ſonitus terribilis, & tantus ex eis timor incuſſus eſt, ut non ſolus populus dixerit divino Prophetæ, *Loquere tu ad nos, & ne loquatur ad nos Deus*: ſed ipſe etiam Legislator timore affectus dixerit, *Exterritus ſum & tremebundus.* Typus hic eſt hominis adhuc ſub lege, nondum ſub gratia conſtituti, peccatoris cum Deo nondum reconciliati. Jus ad Deum accedendi non habet, divini furoris ignem ad ultionem criminum ſuorum accenſum videt ac timet, in tenebris & caligine verſatur, ad vocem Dei ſupplicii & mortis æternæ pœnas intentantis contremiſcit; per brutas cupiditates jumentis inſipientibus ſimilis, ab acceſſu montis ſancti prohibetur: *Et ſi beſtia tetigerit montem, lapidabitur.* Vox Dei terribilis peccatori. Sola caritas ſervilem timorem legis foras mittit. Non pœnæ timor, ſed ſola juſtitiæ dilectio filios Dei facit, quibus jus eſt accedendi ad ipſum per ſanguinem Chriſti. *Tota differentia duorum teſtamentorum, timor & amor.*

*Theodoret.*

Typus hominis adhuc ſub lege, nondum ſub gratia conſtituti.

*S. Auguſt.*

22. 23. 24. *Sed acceſſiſtis ad Sion montem, & Civitatem Dei viventis Jeruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, & judicem omnium Deum, & ſpiritus juſtorum perfectorum, & teſtamenti novi Mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel.* O nos felices, qui ad Eccleſiam Dei vivi per gratiam Chriſti vocati ſumus & acceſſimus? Ad Eccleſiam viſibilem inſtar *Montis* altiſſimi; ad Eccleſiam unam inſtar *Civitatis*, cujus partes omnes Spiritu Dei connectuntur; ad Eccleſiam ſanctam ut *Cœleſtem Jeruſalem*, ratione religionis, adorationis in ſpiritu & veritate, Sacrificii in quo Chriſtus offertur & ſe ipſum offert, idem Sacerdos & victima, & ratione caritatis: ad Eccleſiam Catholicam quæ & *Angelos* ſanctos, & omnium ſeculorum homines juſtos complectitur: *Et multorum millium angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum; qui conſcripti ſunt in cœlis.* Veteres Iſraelitæ ne verba quidem Angeli, Dei nomine loquentis, ſuſtinere poterant, neque monti Sinai appropinquare audebant: Nobis autem ipſum Judicem, id eſt Chriſtum, adire datum eſt, cui Pater omne judicium dedit: *& judicem univerſorum Deum.* Ad illum accedamus cum timore, quia Judex noſter eſt; ſed timor caſtus ſit, & cum fiducia conjunctus, quia Salvator noſter & Mediator eſt, Sacerdos noſter, victima noſtra, cujus ſanguis Dei miſericordiam pro nobis exorat. *Et Teſtamenti novi Mediatorem Jeſum, & ſanguinis aſperſionem melius loquentem quam Abel.* Deo gratias agamus immortales, qui nos Eccleſiæ ſuæ membra fecit, nobiſque Chriſtum Caput, Pontificem, Mediatorem, & Advocatum dedit. Eccleſiam audiamus & diligamus, parati pro ejus fide ac veritate, unitate, ac libertate vitam cum ſanguine profundere.

Ad Eccleſiam vocatum eſſe, magna felicitas.

Ad Chriſtum accendendum eſt cum timore & fiducia.

25. 29. *Videte ne recuſetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recuſantes eum qui ſuper terram loquebatur: multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis avertimus.* Veteribus Iſraelitis Deus non de cœlo, Sed de Sina Monte Legem dedit: Chriſtus in cœlis ad dexteram Patris ſedens Spiritum Sanctum miſit, ut legem Dei in cordibus fidelium ſcriberet. Illum & exterius loquentem per Evangelii Prædicatores, & interius per ſanctas inſpirationes, qui contempſerint, longe gravioribus ſuppliciis punientur quam veteres illi Iſraelitæ, qui Deum internuntio Moyſe ipſis loquentem ſpreverunt, illiuſque mandatis obſequi recuſarunt. *Etenim Deus noſter ignis conſumens eſt.* Deus noſter ignis eſt conſcientias peccatorum purificans, & ſui caritate corda noſtra ſuccedens. Ignis eſt juſtos illuminans, & in iis conſumens lignum, fœnum, ſtipulam, quæ ſuper Chriſtum fundamentum ſuperædificant, id eſt leviora peccata, Ignis eſt conſumens peccatores legi ſuæ rebelles, novique fœderis, Chriſti ſui ſanguine ſanciti violatores æterna morte, qua non deſtruuntur, ſed reficiuntur, ut numquam careant ſupplicio, qui numquam voluerunt carere peccato, Qui Deum habere non meruerit remuneratorem, experietur vindicem. *Deus noſter ignis conſumens eſt, Deus æmulator.* „ Conſumit enim veterem vitam divinus amor, „ & innovat hominem: ut ex eo quod Deus ignis „ conſumens eſt, faciat ut eum nos amemus; ex „ eo autem quod Deus eſt æmulator, ipſe nos amet. „ Nolite ergo timere ignem, quod eſt Deus: ſed „ timete ignem quem iniquis paravit Deus.

Pœna eorum qui Dei vocem non audiunt.

*Deut. 3. 24. S. Aug. lib. contra Adimantum, c. 13.*

---

## CAPUT XIII.

### *Senſus Litteralis,*

1. 2. C*Aritas fraternitatis maneat in vobis.* Caritatem erga fratres, id eſt, erga Chriſtianos omnes, conſtanter ſervate, ac perſeveranter exercete. *Et hoſpitalitatem nolite oblivisci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis.* Hoſpitalitatem nolite negligere, per hanc enim quidam, ſcilicet Abraham, & Loth, inſcii Angelos exceperunt hoſpitio.

*Geneſ. 18. & 19.*

3. *Mementote vinctorum, tamquam ſimul vincti; & laborantium, tamquam & ipſi in corpore morantes.* Fratribus qui propter nomen Jeſu Chriſti ſunt in vinculis eo affectu compatimini & ſubvenite, ac ſi cum illis vincti eſſetis: & afflictis, ſeu morbo, ſeu quibuſvis aliis malis corporalibus, tamquam & ipſi iiſdem malis obnoxii conditione corporis animalis & mortalis.

4. *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores autem, & adulteros judicabit Deus.* Connubium ſuum honorent omnes qui matrimonio juncti ſunt, nec thorum conjugalem libidinibus polluant. Fornicatores autem, & multo magis adulteros Deus damnabit.

Hoc loco abutuntur hæretici, ut matrimonium illis etiam qui caſtitatem Deo voverunt, licitum & honeſtum eſſe probent. Simplex fornicatio peccatum æterna morte dignum.



5. 6. *Sint mores ſine avaritia, contenti præſentibus: Ipſe enim dixit: Non te deſeram, neque derelinquam.* Ab avaritia alieni eſtote, nec egeſtatis metu aut prætextu plus æquo ſtudeatis rei augendæ & pecuniæ quærendæ: Sed contenti ſitis ſorte veſtra, & iis quæ habetis, ſeu quæ veſtræ neceſſitati ſufficiunt, nec ditiores fieri appetatis. Deus enim dixit. Nequaquam te deſeram, aut curam tui abjiciam. *Ita ut confidenter dicamus: Domine mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo.* Quamobrem cum fiduciam in Deum dicimus: Dominus mihi adjutor eſt in omnibus neceſſitatibus meis, in omnibus afflictionibus & periculis; ſpero fore ut numquam mihi deſit: ideoque non timeo mala quæ mihi homines improbi inferre poſſunt. Certus ſum enim omnia, diſponente Deo, in bonum ſalutis meæ ceſſura.

*Deut. 2. 1. 6. 8. Joſue 1. 5.* ſecundum Verſionem LXX. *Pſalm. 36. 25. Prov. 20. 3. Pſal. 117. 6.*

7. *Memento Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei, quorum intuentes exitum converſationis, imitamini fidem.* Apoſtolorum, Epiſcoporum, Paſtorum, ac Doctorum veſtrorum exempla in memoriam revocate, qui vobis doctrinam fidei tradiderunt, ut conſiderantes quem habuerint exitum vitæ, ſanctæque converſationis finem, Evangelii veritati ſanguine ſuo teſtimonium perhibentes, eorum fidem & conſtantiam imitemini.

Stephani primi Diaconi Jacobi fratris Joannis, & Jacobi fratris Domini, qui Martyrium Hieroſolymis obierant. *S. Ambroſ. lib. 5. de Fide cap. 1. Theophylact.*

8. *Jeſus Chriſtus heri, & hodie: ipſe & in ſecula,* Jeſus Chriſtus idem eſt qui ab æterno fuit Dei Filius, qui nunc eſt, & in æternum permanebit: idem ipſe eſt, immutabile fidei veſtræ objectum ac fundamentum, idem ipſe verus & æternus Deus, idem virtute, bonitate, ac beneficentia in ſuos, ſemper illis adſiſtens, eoſque adjuvans ad conſummationem uſque ſeculi. *Heri*, propter æternitatem, *Hodie*, propter corporis ſuſceptionem, *in ſecula*, quia alius expectandus non eſt: ſed unus Mediator eſt, promiſſus ante legem, & ſub lege, miſſus ac datus in temporis plenitudine.

9. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum enim eſt gratia ſtabilire cor, non eſcis: quæ non profuerunt ambulantibus in eis.* Ne vos circumferri ſinatis, & a doctrinæ evangelicæ veritate abduci varietate humanarum opinionum, & ab Apoſtolica doctrina alienarum. Melius enim eſt gratia & ſpiritualibus donis, quæ Chriſtus novi Teſtamenti Mediator nobis attulit ac dedit, cor ſtabilire ac firmare, quam legalibus obſervantiis & diſcretione ciborum, quam tradidit Moyſes; quæ nihil contulit ad veram juſtitiam ac ſanctitatem his qui illam ſcrupuloſe obſervarunt.

10. 11. 12. *Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt.* Habemus altare veteri multo præſtantius: illud enim hujus eſt umbra: Illud hoſtias rationis expertes recipiebat, in hoc hoſtia rationalis & divina, vivificum Chriſti Domini corpus incruente Sacrificio immolatur: de quo nullus illorum Sacerdotum ac Miniſtrorum, qui judaico Tabernaculo inſerviunt, jus habet comedendi. „ Quid eſt tam ſacrilegum, *ait* „ *Optimus Milevitanus contra Donatiſtas*, quam Al- „ taria Dei, (in quibus & vos obtuliſtis) frangere, „ radere, removere, in quibus vota populi, & mem- „ bra Chriſti portata ſunt: quo Deus omnipotens in- „ vocatus ſit, quo poſtulatus deſcendit Spiritus San- „ ctus: unde a multis pignus ſalutis æternæ & tutela „ fidei, & ſpes reſurrectionis accepta eſt. Altaria, „ in quibus fraternitatis munera non juſſit Salvator „ poni, niſi quæ eſſent de pace condita? Quid eſt „ enim Altare, niſi ſedes corporis & ſanguinis Chri- „ ſti? . . . Quid vos offenderat Chriſtus, cujus illic „ per certa momenta corpus & ſanguis habitabat? „ Quid vos offendiſtis etiam vos ipſi, ut illa altaria „ frangeretis, in quibus ante nos per longa tempo- „ rum ſpatia, ſancte (ut arbitramini) obtuliſtis, dum „ impie perſequimini manus noſtras illic ubi corpus „ Chriſti habitabat, feriſtis & veſtras. Hoc modo „ Judæos eſtis imitati. Illi injecerunt manus Chriſto „ in cruce; a vobis percuſſus eſt in Altari. De victima in hoc novæ Legis Altari immolata fas non eſt edere veteris Tabernaculi Miniſtris. *Quorum enim animalium infertur ſanguis pro peccato in Sancta per Pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra.* Corpora enim animalium, ſcilicet hirci & vituli, quorum ſanguis in Sancta ſanctorum per Pontificem pro peccato totius populi inferebatur ſolemni generalis Expiationis die, ritu holocauſti cremabuntur extra caſtra, ita ut Sacerdotes de carnibus eorum non comederent. Sacerdotes igitur Levitici, & legalia adhuc ſervantes, non habent jus edendi victimam quæ in altari noſtro immolatur & offertur. *Propter quod & Jeſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Et quia vetera illa ſacrificia typi erant ſacrificii Chriſti, ut veritas figuræ reſponderet, Chriſtus pro totius mundi peccatis paſſus ſanguinem quidem ſuum in Sancta ſanctorum cœleſtia intulit Patri, tamquam ſummus novæ Legis Pontifex, ut populum ſuum Iſraeliticum, & omnes gentes in hereditatem ſibi datas a Patre, mundaret a peccatis & ſanctificaret: crucifixus autem eſt extra portam Jeruſalem. „ *Memoriam itaque illius ſacrificii* „ *perficientes noſtri Sacerdotes, ſanguinem Domini in* „ *noſtra Sancta, & ad Altare tamquam in cœlum* „ *ferunt. Hanc ob rem Legis Sacerdotibus non licet* „ *ex hoc Altari edere, tamquam alienigenis, & qui* „ *ſupra mundum hunc non ſapiant.*

Eccleſia Chriſtiana verum habet altare; igitur & verum ſacrificium.

*Optatus Milevit. lib. 6.*

Realis præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Altari Eccleſiæ Catholicæ.

*Levit. 24. 24. & N. 19.*

*Theophylact.*

13. 14. *Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes.* Exeamus igitur & nos ad eum quodammodo extra caſtra, ab inſtitutis legalibus recedamus, ignominiam crucis ejus portantes, & pro ejus nomine opprobriis affici non recuſantes. *Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*: Nos enim Chriſtiani non habemus in hoc mundo fixam & ſtabilem civitatem, ſed ad eam ardenti deſiderio tendimus & properamus, quæ nobis in futuro promittitur, ſcilicet ad Jeruſalem cœleſtem.

*Theodoret.*

15. *Per ipſum ergo offeramus Hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt fructum labiorum confitentium nomini ejus.* Per Chriſtum igitur tamquam Pontificem & Mediatorem noſtrum Deo ſemper offeramus ſacrificium laudis & gratiarum actionis, qui fructus eſt labiorum nomen ejus celebrantium, pro incomparabili beneficio, quo nos per ſanguinem Filii ſui ſanctificavit.

16. *Beneficentiæ autem & communionis nolite oblivisci: talibus enim hoſtiis promeretur Deus.* Caritatis officia exercere, & pauperum fratrum inopiam bonorum veſtrorum communicatione ſublevare minime negligatis: talibus enim hoſtiis, magis quam legalibus, placatur & conciliatur Deus; his Deo placemus, illumque promeremur, laude ſcilicet ac beneficentia.

17. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes: Hoc enim non expedit vobis.* Doctoribus veſtris, Epiſcopis, Paſtoribus, & Præpoſitis Eccleſiaſticis parete, & eorum mandatis ſubjacete, non ſolum in iis quæ doctrinam fidei ſpectant, ſed etiam in iis quæ ſunt regiminis & diſciplinæ. Ipſi enim ſolicite vigilant intelligentes Deo ſe redditurus eſſe rationem pro animabus veſtris, quarum curam & regimen ipſis commiſit. Agite ergo ut hoc officio fungantur cum gaudio, & non gementes ob inobedientiam veſtram. Hoc enim vobis perniciosum eſſet, iramque Dei, gemitus illorum exaudientis, in vos concitaret.

18. 19. *Orate pro nobis: confidimus enim quia bonam conſcientiam habemus in omnibus bene volentes converſari.* Deum pro me orate. Confido enim, teſtimonio conſcientiæ meæ fretus, quod in omnibus bene converſari ſtudeam, unam Dei gloriam, & ſalutem animarum quærens, nec ullum dictis aut factis cuiquam præbens offendiculum. *Amplius autem deprecor vos hoc facere, quo celerius reſtituar vobis.* Ut autem id faciatis, id eſt pro me preces ad Deum fundatis, impenſius vos obſecero, ut celerius vobis reddar ad profectum veſtrum, communeque ſolatium noſtrum.

20. 21. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Paſtorem Magnum ovium, in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram ſe per Jeſum Chriſtum, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum, Amen.* Deus pacis auctor & amator, qui a morte ad vitam ſuſcitavit Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, qui per ſanguinem æterni teſtamenti, id eſt ſuum, quem pro ſuis ovibus fudit, magnus animarum Paſtor effectus eſt, vos aptet, confirmet, ac perficiat ad omne opus bonum, donecque ut ejus voluntatem faciatis: in vobiſque per gratiam ſuam operetur quod ei placeat, meritis Filii ſui Jeſu Chriſti, cui ſit gloria ſempiterna. Amen.

Novum Teſtamentum æternum vocat Apoſtolus, quod aliud non ſit poſt hac futurum & quia in eo æterna bona promittuntur.

22. *Rogo autem vos, fratres, ut ſufferatis verbum ſolatii. Etenim perpaucis ſcripſi vobis.* Rogo vos, fratres, æquo lubentique animo admittite quæ dixi vobis ad conſolationem veſtram. Quo minus enim gravis vobis eſſem, quæ multis dici poterant, in pauca contraxi.

23. *Cognoſcite fratrem noſtrum Timotheum dimiſſum: cum quo (ſi celerius venerit) videbo vos.* Scitote Timotheum a vinculis ſolutum eſſe, vel miſſum a me ad aliqua negotia Miniſterium Apoſtolicum ſpectantia: qui ſi ad me cito redierit, illo comite vos inviſam, alioqui ſine eo ad vos iturus, moræ longioris impatiens.

24. *Salutate omnes Præpoſitos veſtros, & omnes Sanctos*. Omnibus Epiſcopis & Paſtoribus veſtris, maxime per Judæam & Syriam, & omnibus, qui ſunt apud vos Chriſtianis, ſalutem nomine meo dicite. *Salutant vos de Italia fratres*. Qui Chriſti fidem in Italia profitentur, vobis pariter ſalutem dicunt.

25. *Gratia cum omnibus vobis. Amen*. Vobis omnibus Dei gratiam, & omnia dona ſalutis adprecor. Ita fiat.

---

## CAPUT XIII.

### *Senſus Moralis.*

Fraterna caritas præcipua Chriſtianorum nota.

1. *Caritas fraternitatis maneat in vobis*. Caritatem fraternam ſervare ſtudeamus in terris, qua fiet ut regnemus in cœlis. Numquid caritas ubi odia, rixæ, diſſenſiones, lites, invidiæ? Fratres ſumus in Chriſto Jeſu, ne ſint jurgia & diſſidia inter nos. Qui non diligit fratrem ſuum Chriſtianum; ejuſdem corporis membrum, ejuſdem regni coheredem, quem videt, quomodo Deum diligere poteſt, quem non videt? Manetne in illo caritas, qui in pauperes durus eſt & immiſericors? ,, Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem neceſſitatem habere & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? Igitur non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. *Mutua dilectio præcipua Chriſtianorum nota*. Vide, *inquiebant Ethnici*, ut invicem ſe diligant, & ut pro alterutro mori ſint parati.

1. Joan. 3. 17. 18. — Tertullian. Apolog. c. 29.

Hoſpitalitas exercenda.

2. *Et Hoſpitalitatem nolite oblivviſci, per hanc enim latuerunt quidam, Angelis hoſpitio receptis*: Erga alienigenas & peregrinos hoſpitalitas exercetur, cum illorum neceſſitatibus ſubvenitur. Non ſolum Angelos, ſed Dominum Angelorum ſuſcipimus, & ſublevamus, cum pauperibus extraneis & ignotis benefacimus. Ait enim, ,, Hoſpes eram, & collegiſtis me.... Amen dico vobis, quandiu feciſtis uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis. *Apud primorum ſeculorum Chriſtianos* conteſſeratio *vigebat* Hoſpitalitatis... bona eſt hoſpitalitas, habet mercedem ſuam, primum humanæ gratiæ, deinde remunerationis divinæ. Omnes in hoc mundo hoſpites ſumus; ad tempus enim habitandi habemus hoſpitium: emigramus propere. Caveamus ne ſi nos duri aut negligentes fuerimus in recipiendis hoſpitibus, etiam nobis poſt vitæ iſtius curſum Sanctorum hoſpitia denegentur. Unde in Evangelio Salvator dicit: Facite vobis amicos de iniquo mammona, qui vos recipiant in æterna tabernacula ſua.... *Sed pauperiem prætendis. Non opes a te hoſpes requirit, ſed gratiam; non ornatum convivium, ſed cibum obvium*. Melior eſt hoſpitalitas cum oleribus ad amicitiam & gratiam, quam ſi vitulos occidas ad præſepia cum inimicitiis. ,, Hæc grata hominibus & accepta Deo. Unde Dominus Jeſus in Evangelio eum quicumque dederit hoſpiti potum aquæ frigidæ, cœleſtium aſſerit præmiorum non exſortem futurum.... Deinde qui ſcis an Deum ſuſcipias, cum hoſpitem putas? Abraham dum peregrinantibus defert hoſpitum, Deum atque Angelos ejus hoſpitio ſuſcepit: quamvis & cum hoſpitem ſuſcipis, ſuſcipias Deum, ſicut ſcriptum in Evangelio legis.... Unius horæ hoſpitio vidua illa quæ ſuſcepit Eliam, & exiguo cibo pavit, perpetuum toto tempore famis invenit alimentum, & mercedem accepit mirabilem, ut numquam de hydria farina deficeret. Eliſeus quoque defuncti pignoris reſuſcitatione donata, ſolvit hoſpitii penſionem.

Matt. 25. — Tertullian. — S. Ambroſ. lib. 1. De Abraham c. 5. n. 34. 35. — Luc. 16. 9. — Prov. 15. 17. — Matt. 10. 42.

Matrimonii bona & ſanctus uſus.

4. *Honorabile conubium in omnibus, & thorus immaculatus. Fornicatores autem & adulteros judicabit Deus*. Propter tria bona matrimonio honos habendus eſt, prolem, fidem, Sacramentum. Propter Sacramentum, ut nullum ſit divortium; propter fidem, ut nullum ſit adulterium, propter prolem, ut in uſu matrimonii conjuges prolem ſancte educandam quærant, non voluptatem. Sacramenti ſanctitatem revereantur conjuges, gratiam non negligant, fidem caſtitatis ſibi ſervent, matrimonio ſancte utantur, filios in timore Domini inſtituant. *Bonum ſunt nuptiæ, in quibus tanto meliores ſunt conjugati, quanto caſtiores ac fideliores Deum timent, maxime ſi filios, quos carnaliter deſiderant, etiam ſpiritualiter nutriant*. Thorum immaculatum ſervent conjugati, non ſolum a fornicationibus & adulteriis, quæ ſunt flagitia damnabilia. *Fornicatores* enim *& adulteros judicabit Deus*: verum etiam ab illis exceſſibus concumbendi, qui non fiunt cauſa prolis voluntate dominante; ſed cauſa voluptatis vincente libidine. ,, Admonendi ſunt conjuges ut cum viciſſim quæ ſunt alterius cogitant, ſic eorum quiſque placere ſtudeat conjugi, ut non diſpliceat Conditori, ſic ea quæ hujus mundi ſunt agant, ut tamen appetere quæ Dei ſunt non omittant: ſic de bonis præſentibus gaudeant, ut tamen ſolicita intentione mala æterna pertimeſcant: ſic de malis temporalibus lugeant, ut tamen conſolatione integra ſpem in bonis perennibus figant.... Itaque animus Chriſtianorum conjugum & infirmus & fidelis, qui & plene cuncta corporalia deſpicere non valet, & tamen æternis ſe conjungere per deſiderium valet: quamvis in delectatione carnis interim jaceat, ſupernæ ſpei refectione convaleſcat. Et ſi habet quæ mundi ſunt in uſu itineris, ſperet quæ Dei ſunt in fructu perventionis. Admonendi ſunt conjuges, ut ea in quibus ſibi aliquando diſplicent, & patientes invicem tolerent, & exhortantes invicem ſalvent. Scriptum namque eſt: *Invicem onera veſtra portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti*. Lex quippe Chriſti caritas eſt: quia ille nobis & largiter ſua bona contulit, & æquanimiter mala noſtra portavit. ,, Tunc ergo Legem Chriſti imitando complemus, quando & noſtra bona benigne conferimus, & noſtrorum mala pie ſuſtinemus. Admonendi ſunt conjuges, ut ſuſcipiendæ prolis ſe meminerint cauſa conjunctos, & cum immoderatæ admixtioni ſervientes, propagationis articulum in uſum transferunt voluptatis, perpendant quod licet extra non exeant, in ipſo tamen conjugio conjugii jura tranſcendunt. Unde neceſſe eſt ut crebris orationibus deleant quod pulchram copulæ ſpeciem admixtis voluptatibus fœdant."

S. Aug. l. De Bono Conjug. cap. 20. — Idem l. 1. De nuptiis & concupiſc. c. 24. — S. Gregor. M. paſtoral. p. 3. Admonit. 28. — Galat. 6.

Avaritia fugienda.

5. 6. *Sint mores ſine avaritia, contenti præſentibus: Ipſe enim dixit, Non te deſeram, neque derelinquam*. Quiſquis divitias perituras & terrenas amat, ſed ad regnum cœleſte & æternum vocatum eſſe non cogitat. In Dei familiam adoptati ſumus; hujus filii non noſtris meritis, ſed ipſius gratia ſumus. ,, Nimis grave eſt & nimis horribile, ut avaritia nos teneat in terris; cum illi dicamus, Pater noſter, qui es in cœlis, cujus deſiderio viliſcunt omnia; nec nata nobis ſunt inter quæ nati ſumus, quia propter illum renati ſumus. Sint hæc ad neceſſitatis uſum, non ad caritatis affectum: ſint tamquam ſtabulum viatoris, non prædium poſſeſſoris. Refice, & tranſi. Iter agis: attende ad quem veniſti, quia Magnus eſt qui ad te venit.

S. Aug. Serm. 177. alias 10. inter editos ex majoris Carthuſiæ Mſſ.

*Sint mores ſine avaritia, contenti præſentibus*. ,, Quare præſentibus? Quia Nihil intulimus in hunc mundum, nec auferre aliquid poſſumus: Ideo præſentibus, non futuris. Sed quæ res decipit hominem ad avaritiæ computum? Quid ſi diu vivo? Qui dat vitam, dat unde vita ſuſtentetur. *Ipſe enim dixit: Non te deſeram, neque derelinquam*. Illis ſemper ſuccurrit, qui in ipſo confidunt, etſi non eo ſemper quo deſiderant modo, eo certe qui ipſorum ſaluti convenientior eſt. *Dominus mihi adjutor, non timebo quid faciat mihi homo*. ,, Poſtremo ſint reditus, quare quæritur & theſaurus? ,, Redit aliquid de negotio, redit aliquid de artificio, redit aliquid de precio, ſufficiat, non theſaurizetur; ne ubi pones theſaurum tuum, ibi remaneat & cor tuum, & ut ſurſum ſit fruſtra audias, falſumque reſpondeas. Quando enim reſpondes ad illud ſacratiſſimum verbum, * & voce ſubſcribis, ab ipſo corde intus non accuſaris? Quamvis preſſum & oppreſſum cor tuum, non tibi intus dicit, Sub terra me ponis; quare mentiris? Nonne ibi ſum, ubi theſaurus tuus?

1. Tim. 6. 7.

* *Surſum corda. ℟. Habemus ad Dominum.*

Fides invariabilis.

9. *Jeſus Chriſtus heri & hodie: ipſe & in ſæcula. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Optimum eſt enim gratia ſtabilire cor*. Chriſtus Jeſus fidei noſtræ auctor & conſummator ſemper idem, in perſona ſua, in proprietatibus officiiſque ſuis, in doctrina ſua immutabilis. Objectum fidei noſtræ divina veritas invariabilis eſt. Fides itaque noſtra una ſine diviſione, pura ſine peregrinarum doctrinarum permixtione, immutabilis ſine variatione & novitate eſſe debet. ,, Si ſemper Chriſtus, & prior omnibus, æque veritas ſempiterna & antiqua res. Viderint ergo quibus novum eſt quod ſibi vetus eſt. Hæreſes non tam novitas quam veritas revincit. Quodcumque adverſus veritatem ſapit, hoc erit hæreſis... Regula fidei una omnino eſt, ſola immobilis, & irreformabilis. *Apoſtolos Domini habemus auctores, & hinc dirigimus præſcriptionem*: Si Dominus Jeſus Apoſtolos miſit ad prædicandum, alios non eſſe recipiendos Prædicatores quam Chriſtus inſtituit; quia nec alius Patrem novit niſi Filius, & cui Filius revelavit, nec aliis videtur revelaſſe Filius, quam Apoſtolis, quos miſit ad prædicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem prædicaverint, id eſt, quid illis Chriſtus revelaverit, & hic præſcribam non aliter probari debere, niſi per eaſdem Eccleſias, quas ipſi Apoſtoli condiderunt, ipſi eis prædicando, tam viva voce, quam per Epiſtolas poſtea. Si hæc ita ſunt, conſtat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & orginalibus fidei conſpiret, veritati deputandam; ſine dubio tenentem quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo accepit: omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei. Ad fidem Dei gratia vocati ſumus: hæc ut in nobis augeatur, firmetur, & per caritatem operetur Deum oremus, Fides fundit orationem: fuſa oratio impetrat fidei firmitatem.

Tertull. l. De Virginibus Velandis, c. 1. — Idem, l. De Præſcrip. c. 21.



10. 11. 12. *Habemus Altare, de quo edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo deſerviunt*. Altare cruenti Sacrificii quo Chriſtus ſemel ſeipſum obtulit & immolavit pro peccatis totius mundi, crux eſt. *Propter quod & Jeſus, ut ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt*. Altare Sacrificii Euchariſtici & incruenti, eſt Menſa Dominica, de qua percipitur a fidelibus Corpus & Sanguis Chriſti; de qua alibi ait Apoſtolus noſter: *Non poteſtis Menſæ Domini participes eſſe, & menſæ dæmoniorum*. Altare cœleſte & æternum, ſolumque Deo dignum, ipſa perſona eſt Jeſu Chriſti Filii Dei. In hoc altari victimam ſuam, ſanctam ſcilicet humanitatem ſuam, ſanguinem ſuum pretioſum, in Sancta illatum, perenniter offert Deo Patri. Hoc *altare aureum* eſt, *quod eſt ante thronum Dei*, in quo preces noſtras & vota Deo offerimus. Crucis fructum non percipiunt Judæi, Legis figuris addicti. Ab Altari Eccleſiæ ſeu Menſa Dominica alieni ſunt Hæretici, qui Sacro-ſanctum Euchariſtiæ Sacrificium impugnant, & figuram ſubſtituunt Dominici Corporis & Sanguinis realiter, quamvis incruento modo, in illo immolati veritati. Ab altari cæleſti excommunicantur Catholici, qui Altare & Sacrificium Eccleſiæ ſacrilega Communione, & irreverentia profanare non verentur. De hoc enim altari edere non habent poteſtatem, qui Tabernaculo corporis deſerviunt, qui carnales delectationes ſequuntur, de quibus ait Apoſtolus noſter: *Carnis curam ne feceritis in deſideriis*. Carneles homines libidini & ventri dediti, judicium ſibi manducant & bibunt, cum ad Menſam Domini accedunt.

S. Thomas. Lect. 2. in hoc cap. — 1. Cor. 10. — Apocal. 8. 3. — Rom. 13.

13. 14. *Exeamus igitur ad eum extra caſtra, improperium ejus portantes*. Mundum affectu relinquamus, animo exeamus ex hominum carnalium ſocietate, eorum pravis operibus non communicantes, extra ſenſus corporis progrediamur, fide, ſpe, & caritate ad Jeſum Crucifixum accedentes, illum ſequamur, illi adhæreamus, ejus diſcipuli videri & eſſe non erubeſcamus, ejus crucem & opprobria cum gaudio toleremus, beatos nos exiſtimantes, ſi pro ejus nomine & gloria aliquid patiamur, adimplentes ea quæ deſunt paſſionum ejus in corpore noſtro. *Non enim habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*. Rebus igitur hujus mundi manſoria dilectione non inhæreamus ut cives, ſed illis utamur tranſitoria neceſſitate, ut hoſpites & peregrini. Suſpiremus & tendamus operibus bonis, ſancta converſatione, ferventibus deſideriis ad ſupernam Jeruſalem patriam noſtram. *Qui non gemit peregrinus, non gaudebit civis, quia deſiderium non eſt in illo.... Etſi corpus veſtrum adhuc in Babylonia tenetur, cor veſtrum ad Jeruſalem præmittatur*. Etſi hic abundarent vobis omnia, etſi daretur vobis ſecuritas quod non perirent, etſi diceret Deus, Æternus in his eris, æterna tecum erunt iſta, ſed faciem meam non videbis, gauderetis ne in illis bonis? Reſpondeat vobis cor veſtrum: reſpondeat fides, ſpes, caritas, quæ in vobis eſſe cœpit: ſi quis dicat, Abundant mihi iſta, bene mihi eſt, nihil amplius quæro: *Nondum cæpit eſſe amator Dei, nondum cæpit ſuſpirare tamquam peregrinus*. Recedant omnia ſeductoria, recedant blandimenta falſa, recedant ea quæ nobis quotidie dicunt, *Ubi eſt Deus tuus*? Effundamus ſuper nos animam noſtram, confiteamur in lacrymis, gemamus in confeſſionibus, in miſeriis ſuſpiremus. *Quicquid nobis adeſt præter Deum noſtrum, non eſt dulce. Nolumus omnia quæ dedit, ſi non dat ſe ipſum qui omnia dedit*. Utamur itaque hoc mundo, tamquam non utamur, quia *Non habemus hic manentem civitatem, ſed futuram inquirimus*.

S. Chryſoſt. Homil. 33. Theophylact. — S. Auguſt. in Pſ. 148. n. 4. — Idem, in Pſalmo 85. n. 11.

Sacrificium laudis & caritatis.

15. 16. *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium nomini ejus*. Chriſtus Jeſus Religionis noſtræ ſummus æternuſque Pontifex, templum, altare, victima, ſacrificium. Ipſum ergo, & nos per ipſum Deo ſemper offeramus. Per ipſum offeramus Deo ſacrificium laudis, adorationis & gratiarum actionis, ut omnium bonorum primo principio & ultimo fini. Hoc juge ſacrificium, Moſaicæ legis ſacrificiis longe præſtantius, & Deo multo gratius, de quo ait: *Sacrificium laudis honorificabit me*. Etſi vero ſacrificium iſtud ſit fructus labiorum nomini ſancto Dei confitentium, non tamen Deo acceptum eſt, niſi & corde offeratur, & opera voci conſentiant. ,, Si male vivis, & bona dicis, nondum laudas. Si meritis tuis tribuis quod bene vivis, nondum laudas. Si alios contempſeris, teque *inſtar Phariſæi* ſuperextuleris, Deum non laudas. Nemo Deum laudat (ut par eſt) niſi qui bene vivit; quia ſi laudat, non ſolum lingua laudat, ſed & vita cum lingua conſentit. *Immola Deo ſacrificium laudis*. O ſacrificium gratuitum! Non emi quod offerrem, ſed tu donaſti, *Domine*: nam nec hoc haberem. *Immola Deo ſacrificium laudis*. Et hæc immolatio ſacrificii laudis, gratias agere illi a quo habes quicquid boni habes, & cujus miſericordia tibi dimittitur quicquid tuum mali habes. Offeramus etiam Deo per Jeſum Chriſtum ſacrificium caritatis, condonando proximis injurias, eorum infirmitatibus compatiendo, eorum defectus tolerando, eorum inopiæ ac miſeriis ſubveniendo. *Beneficientiæ autem & communioris nolite oblivviſci. Talibus enim hoſtiis promeretur Deus*. ,, Deus bonis noſtris non eget, totumque quo recte colitur, non ipſi prodeſt, ſed homini. Neque enim fonti ſe quiſquam dixerit profuiſſe, ſi biberit; aut luci, ſi viderit. Nec quod ab antiquis Patribus talia ſacrificia facta ſunt in victimis pecorum, quæ nunc Dei populus legit, non facit, aliud intelligendum eſt, niſi rebus illis eas res fuiſſe ſignificatas, quæ aguntur in nobis ad hoc ut inhæreamus Deo, & ad eumdem finem proximo conſulamus." ,, Proinde verum ſacrificium eſt omne opus quod agitur ut ſancta ſocietate inhæreamus Deo, relatum ſcilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati eſſe poſſimus. Unde & ipſa miſericordia qua homini ſubvenitur, ſi propter Deum ſit, verum ſacrificium eſt.

Pſal. 49. — S. Auguſt. in eumdem Pſal. — S. Auguſt. lib. 10. De Civit. Dei, c. 5. & 19.

Paſtorem & ovium officia.

17. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes, hoc enim non expedit vobis*. Timeant Paſtores, reſideant, vigilent, laborent jugiter pro ſalute animarum, quarum regimen ipſis a Chriſto commiſſum eſt, quaſi rationem reddituri, ſi illorum negligentia, ignavia, & pravis exemplis pereant. Timeant & oves, ne inobedientia ſua, indocilitate, & impœnitentia jugum Paſtoralis ſolicitudinis aggravent. Illis certe expedit ut Paſtores miniſterium ſuum obeant cum gaudio, non cum triſtitia & gemitu. ,, Quando faciunt iſta cum gaudio? Quando vident homines proficere in verbis Dei. Quando laborat cum gaudio operarius in agro? Quando attendit arborem, & fructum videt, Quando attendit ſegetem, & frugum in area proſpicit ubertatem: non ſine cauſſa laboravit, non ſine cauſſa dorſum curvavit, non ſine cauſſa manus attrivit, non ſine cauſſa frigus & æſtum toleravit. Hoc eſt quod ait Apoſtolus, *Ut cum gaudio hoc faciant; & non gementes, hoc enim non expedit vobis*. Non dixit, Non illis expedit; ſed Non expedit vobis. Nam Præpoſiti quando contriſtantur de malis veſtris, expedit illis; ipſa triſtitia prodeſt illis; ſed non expedit vobis. Nihil autem nobis volumus expedire, quod non expedit vobis (ait S. Auguſtinus.) Simul ergo in Dominico agro, Fratres, bonum operemur, ut ſimul de mercede gaudeamus.

S. Aug. Serm. 81. alias 16. De Verb. Dom. cap. 12.

20. 21. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Paſtorem magnum ovium, in ſanguine teſtamenti æterni, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, aptet vos in omni bono, ut faciatis ejus voluntatem: faciens in vobis quod placeat coram ſe per Jeſum Chriſtum, cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum*. Sacerdos cui reconciliationis miniſterium commiſſum eſt, ſe pro Deo pacis legatione ad homines fungi cogitet, nec illos ad pacem admittat, niſi certus ſit eos inimicitias depoſuiſſe, alioquin *Falſa & irrita pax eſt, periculoſa dantibus, nihil accipientibus profutura*. Infirmitatem ſuam in miniſterio tam ſublimi conſiderent Paſtores; agnoſcant virtutem qua Deus ſuſcitavit a mortuis Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, per ipſos ut infirmos indignoſque miniſtros ſuſcitare peccatores a morte peccati, Chriſtum ſanguine ſuo magni Paſtoris animarum, Mediatoris Dei & hominum, Pontificis æterni Eccleſiæ ſuæ dignitatem promeritum & conſecutum eſſe meminerint: ac proinde ſe dignos non eſſe Paſtorum nomine & officio, niſi parati ſint ad omnia bona temporalia exponenda, & ad mala omnia perferenda, denique ad vitam ipſam cum ſanguine profundendam pro ſalute ovium illorum curæ commiſſarum. Cum vero illas proficere vident, certo perſuaſum habeant Deum bonum omne quod pertinet ad ſalutem vitæ æternæ operari & in ovi-

S. Cyprian.

bus & in Paſtoribus : Gratiam proinde ipſius & pro ſe, & pro ovibus aſſidua & ferventi oratione, quotidianoque Sacrificio implorent, ſubditos & Præpoſitos *aptet in omni bono*. Voluntatem Dei in omnibus ſibi faciendam proponant, illumque obſecrent, ut illam in ipſis impleat: *Faciens in vobis quod placeat coram ſe* ; id per unum Mediatorem *Jeſum Chriſtum* ſe impetraturos ſperent & confidant. Tandem nullum alium finem ſibi proponant in ſacri Miniſterii functionibus quam gloriam Dei: *cui eſt gloria in ſæcula ſæculorum*.

Gratiæ fideliter reſpondendum.

25. *Gratia cum omnibus vobis*. *Amen*. Gratiam, qua nihil excellentius, nihil optabilius eſt, id eſt miſericordiam & amicitiam Dei, animæ ſanctificationem, Spiritus ſancti & donorum ejus participationem, omnibus ovibus ſuis adprecatur bonus animarum Paſtor. Omnibus, quia caritas ejus omnes complectitur. *Gratia cum omnibus vobis*. Quomodo autem gratia erit vobiſcum? „ Si eam injuria non af„ feceritis, ſi non indigne ea vivatis. Perſeverat „ enim apud nos, quando oprea bona habemus: „ avolat autem a nobis, quando ſecundum mandata „ ejus qui hanc nobis impertiit, non vivimus. Faxit „ Chriſtus ut gratiam illam, & quanta per illam ac„ ceperimus, agnoſcentes, non cum injuria ejus qui „ tanta nobis bona largitus eſt, vivamus; ſed per „ bona opera glorificantes illum, adeoque common„ ſtrantes quod non in ingratos ac beneficii imme„ mores gratiam iſtam effuderit, teneamus haudqua„ quam diminutam in animabus noſtris, in ipſo „ Chriſto benefactore animarum noſtrarum. Cui ſem„ piterna laus, honor & gloria. AMEN.

*S. Chryſoſt. Homil. 34. Theophylact.*

COM-



# COMMENTARIUS
## LITTERALIS ET MORALIS
## IN EPISTOLAM CATHOLICAM
# S. JACOBI APOSTOLI.

## *PROLOGUS.*

EPISTOLIS ſancti pauli in Sacrarum Scripturarum Canone ſubjunguntur ſeptem Epiſtolæ SS. Apoſtolorum Jacobi, Petri, Joannis, & Judæ, quæ propterea *Canonicæ* dicuntur, quod paris ſint in Eccleſia auctoritatis, & quod regulas ac præcepta tradant vitæ ſecundum Chriſtum inſtituendæ. Veteri autem in ſcriptione *Catholicæ* vocantur, quod non ad unius Civitatis Eccleſiam, aut ad unum hominem ſcribantur ( exceptis duabus poſtremis S. Joannis Epiſtolis ) ſed generatim ad Fideles in varias regiones diſperſos. De his S. Hieronymus ad Paulinum ſcribit: *Jacobus, Petrus, Joannes. Judas: ſeptem Epiſtolas ediderunt, tam myſticas, quam ſuccinctas, & breves pariter ac longas: breves in verbis, longas in ſententiis, ut rarus ſit, qui non in earum lectione cæcuciat*. Varius eſt illarum ordo apud veteres. S. Jacobi Epiſtola in hodiernis Codicibus Græcis, Syriacis, Latinis, prima inter Catholicas ponitur, eoque recenſetur ordine in Concilio Laodiceno, a S. Hieronymo, & a Gelaſio I. Romano Pontifice. Etſi vero de illa fuerit olim a nonnullis dubitatum, ut Euſebius & S. Hieronymus teſtantur, a plurimis tamen & nobilioribus Eccleſiis conſtanter habita eſt ut Canonica, ut conſtat ex SS. Athanaſio, Cyrillo Hieroſolym. Gregorio Nazianz. Amphilochio, Hieronymo, Auguſtino, Innocentio I, & ex Conciliis Laodiceno, Carthaginenſi III. Romano ſub Gelaſio I. Eugenio IV. in Concilio Florentino in Decreto pro Inſtructione Armenorum, & Tridentino. Sub ſancti Jacobi nomine laudatur ab Origene, SS. Athanaſio, Baſilio, Hilario, Ambroſio, Epiphano, Hieronymo, ab Auctore librorum *De Vocatione Gentium*, &c. Hanc igitur Epiſtolam Hæreſiarcha Lutherus *ſtramineam* impie vocat ac rejicit, quam Calvinus repudiare non auſus eſt.

*SS. Athanaſ. in Synopſi. Cyrill. Hier. Cath. 4. & 7. Greg. Naziaz. Carm. De Scrip. Canon. S. Aug. l. 1. De Doct. Chriſt. c. 8. Inn. 1. Ep. ad Exuper. Conc. Laod. Can. 60. Carth. 5. can. 47. Orig. Hom. 3. in Exod. & in c. 5. Ep. ad Rom. S. Ath. Orat. 4. Contr. Arian. S. Hil. l. 4. De Trin. S. Baſi. l. 3. De Bapt. c. 2. 5. Epiph. Hæreſ. 70. S. Hieron. Contra Jovin. & l. 2. contra Pelag. Auct. l. De Vocat. Gent. lib. 5.*

Hujus auctor Epiſtolæ Jacobus Minor, Alphæi filius, cui & Cleophæ nomen, & Mariæ ſororis Deiparæ Virginis; frater, id eſt, cognatus Domini, Joſe & Judæ Apoſtoli germanus, primus Hieroſolymorum Epiſcopus, quem unum ex duodecim Apoſtolis fuiſſe conſtat ex S. Paulo Epiſt. Ad Galatas, Cap. 1. Verſ. 19. *Deinde* ( inquit ) *poſt annos tres veni Jeroſolymam videre Petrum.... alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Jacobum fratrem Domini*. Quo teſtimonio Græci recentiores refelluntur, qui Jacobum fratrem Domini a Jacobo Alphæi, Apoſtolo, diſtinguunt.

Quod ſpectat Epiſtolæ hujus argumentum, in his præcipue verſatur. 1. Chriſtianos ad patientiam & modeſtiam erudit, a vana confidentia revocat, ad petendam a Deo ſapientiam hortatur. 2. Fidem ſine operibus nihil ad ſalutem prodeſſe docet, contra Simonianos tum re recentes hæreticos. 3. Linguæ mala recenſet, quam gubernare difficillimum eſt. 4. Concupiſcentiis non eſſe obſequendum, temeraria judicia fugienda. Divitibus pauperum oppreſſoribus gravem a Deo comminatur ultionem. A Juramento deterret. Unctionis Extremæ promulgat Sacramentum. Orationis efficaciam oſtendit.

## CAPUT I.

### *Senſus Litteralis.*

1. *JAcobus Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti ſervus, duodecim Tribubus, quæ ſunt in diſperſione, ſalutem*. Jacobus ſervus Dei Patris, & Filii ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti, in Apoſtolatus & Epiſcopatus Miniſterio & functionibus, Chriſtianis ex Iſraelitico populo in varias orbis regiones diſperſis, ſalutem æternam animæ, omniaque bona ad illam conducentia adprecatur. Quod ſe Apoſtolum non inſcribat Jacobus, non mirum, cum nec S. Joannes, nec S. Judas in Epiſtolis ſuis nomen illud honorificum ſibi tribuant. Id humilitatis & modeſtiæ illorum argumentum. Salutationis vero formula ſimilis eſt illi, quam Apoſtoli adhibent in Epiſtola ad Eccleſias Gentium, Act. 15. *Apoſtoli, & ſeniores fratres, his qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ, fratribus ex Gentibus, ſalutem*.

Eraſmi, & Cajectani objectiones diſſlantur.

2. 3. 4. *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur. Patientia autem opus perfectum habet,* * *ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes*. Fratres mei, ejuſdem fidei conſortes, in eamdem hereditatem cœleſtem mecum vocati, ſummo gaudio ſpiritus exultate, cum variis afflictionibus & perſecutionibus vexamini, ut rapina bonorum, contumeliis, exilio, carcere, morte. Perſuaſum habete, Deum qui variis afflictionibus fidem veſtram probat, patientiam, quam in vobis operatur, aliquando coronaturum. Patientia autem veſtra perfecta ſit in opere ſuo, ad finem uſque vitæ perſeverans, & cum eorum; qui vos perſequuntur, dilectione conjuncta: ita ut ipſi perfecti & integri ſitis omnibus virtutum ac bonorum operum partibus, nihilque vobis deſit eorum quæ ad vitæ Chriſtianæ perfectionem ſunt neceſſaria.

* Græce ἐργωντέλειον ἐχέτω, *Opus perfectum, habeas*, non, ἔχει, *habet*, ut obſervat *Oecumenius*.

5. *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, &* * *non improperat: & dabitur ei*. Si quis veſtrum ſapientia indiget, quæ rerum divinarum pia & practica ſcientia eſt, qua quidem nemo eſt qui non indigeat, poſtulet illam a Deo, qui dona ſua omnibus liberaliter diſtribuit, & non exprobrat priora beneficia, nec petentibus improperat importunitatem, ſed ſemper eſt ad dandum paratiſſimus. Dabit ergo ſapientiam poſtulantibus, ſi quo par eſt modo petatur.

* Græce ἀπλῶς, *ſimpliciter, & candide*.

6. 7. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans: qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui a vento movetur & circumfertur*. Orationem autem fundat fide animatam, nullatenus diſceptans aut dubitans de potentia, aut paterna erga nos benevolentia, providentia, ſeu miſericordia, aut fidelitate Dei in promiſſionibus adimplendis. Qui enim hæſitat, incredulitate ac diffidentia fluctuans, ſimilis eſt aquæ maris, quæ a ventis agitata, huc illuc jactatur & circumfertur. De fide igitur divinæ promiſſionis, qua dixit, *Petite & accipietis, omnis qui petit, accipit*; non de fide ſpeciali, qua nos certo exaudiendos in omnibus quæ petierimus, credere debere, noſtri temporis hæretici commenti ſunt, hic locus intelligendus eſt. Fides quidem divinæ promiſſionis ac veracitatis, fiduciam adjunctam habet, fiducia hæſitationem excludit, ſed tamen abſolutam certitutinem non parit impetrandi quod petimus, cum certi omnino non ſimus an bene petamus ( quæ conditio promiſſionis divinæ eſt adnexa. ) *Non ergo æſtimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino*. Ille ergo cujus fides dubia, cujus inſtabilis fiducia eſt, non exiſtimet ſe impetraturum a Domino aliquid quod ad ſalutem æternam conducibile ſit. Confer cum Marci. 9. 22. *Si pore- credere, omnia poſſibilia ſunt credenti*. Huic tamen conditioni Deus adſtrictus non eſt, qui temporalia beneficia quandoque conceſſit iis quorum fides imperfecta erat, editis in eorum gratiam miraculis ad gloriam ſuam manifeſtandam. Sic filium reguli in Capharnaum ſanavit, qui tamen in fide hæſitabat, non credens Chriſtum filio ſuo ſalutem dare poſſe, niſi præſens eſſet corpore.

Cui

*Joan. 4. 46.*

Cui propterea dixit Dominus: *Niſi ſigna & prodigia videritis, non creditis.*

8. *Vir † duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.* Vir animo diviſus, inter diverſas ſententias & voluntates fluctuans, ſive in Dogmatibus, ſive in Morali practica Religionis, qui partim Deo confidit, partim diffidit, partim credit, partim hæſitat, quaſi duos habens animos, inconſtans eſt & lubricus in omnibus actionibus ſuis, quas in certum ſcopum non dirigit, ſed pro affectuum varietate modo huc, modo illuc rapitur: adeoque & in oratione ſua inſtabilis eſt, Deoque firmiter non inhærens, nihil ab ipſo impetrat.

† Græce, δίψυχος, quaſi *bianimis*.

9. 10. 11. *Glorietur autem frater humilis in exaltatione ſua; Dives autem * in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit.* † Si quis inter vos Chriſtianos abjectæ ſortis eſt, pauper, afflictus, hominum contemptui, odio, injuriis expoſitus, ne doleat vicem ſuam, ſed de ſublimitate ſua, de felicitate vocationis ſuæ, de dignitate quæ nomine Chriſtiani ſignificatur, glorietur & exultet. Dives autem ſubmiſſum & modeſtum gerat animum, pudefiat, ſibique diſpliceat, conſiderans vilitatem ſuam, fortiſque ſuæ inſtabilitatem: ſicut enim flos herbæ cito gratiam ſuæ venuſtatis amittit: ita homo dives cum omni gloria quam ei divitiæ pepererunt, brevi evaneſcet, nec ultra hanc vita durabit. *Exortus eſt enim ſol cum ardore, & areſecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultus * ejus deperiit: ita & dives in itineribus ſuis marceſcet:* Quemadmodum enim ſolis æſtu atque ardore areſcit herba, & omnis ejus flos decidit, ita ut decoris ejus nullum remaneat veſtigium: ita dives in ſtudiis ſuis & actionibus, quibus ad divitias, honores, voluptates, ac temporalem proſperitatem contendit, emarceſcet, ac peribit.

* Ellipſis ſeu vocis omiſſio verbo contrariæ ſignificationis ſupplenda.
* *Eccli.* 14. 18. *Iſa.* 40. 6. 7. *Oecumenis.*
* Τὸ πρόσωπον *facies*, ſeu *aſpectus*. Metaphorica locutio, qua externa ſpecies cujuſque rei facies dici ſolet.

12. *Beatus vir qui ſuffert tentationem: quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, † quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Beatus qui patienter tolerat afflictionem, perſecutionem, & quicquid adverſi Deus illi immiſerit, ſive per ſe ipſum, ſive per homines malos: quia cum probata fuerit ejus virtus in ſtadio Chriſtianæ patientiæ, coronam æternæ vitæ obtinebit, quam Deus promiſit iis qui diligunt eum. Nulli autem magis diligunt, quam qui pro eo patiuntur.

† Merita bonorum operum. Principium & fons meriti caritas; fundamentum, divina promiſſio.

13. *Nemo cum tentatur, dicat, Quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator * malorum eſt: ipſe autem neminem tentat.* Nemo cum externis aut internis afflictionibus ad peccatum incitatur, nempe ad impatientiam, diffidentiam, deſertionem fidei, &c. exiſtimet ſe a Deo tentari, ſive ad peccatum impelli. Ut enim Deus ad peccandum incitari non poteſt, cum ſit ipſa ſanctitas, ita nec quemquam incitat ad peccatum.

* Ἀπείραστος *intentabilis*, malis tentari nequit. Vide Oecumenium.

14. 15. 16. *Unuſquiſque vero tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* Unuſquiſque vero tentatura propria concupiſcentia, qua abſtrahitur a bono, & allicitur ad malum. Abſtrahit decipiendo, & mentem corrumpendo, allicit per voluptatem. *Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero cum conſummatum fuerit, * generat mortem.* Deinde poſtquam concupiſcentia conceperit, conſenſum aliquem, tametſi imperfectum nec plene deliberatum, a ſpiritu ſurripiendo blanditiis ſuis, parit peccatum: peccatum vero cum fuerit conſummatum, ſive interius pleno & abſoluto conſenſu, ſive exterius ipſo opere, generat mortem æternam. *Nolite itaque errare, fratres mei dilectiſſimi.* Abſit igitur a vobis, fratres cariſſimi, tam execrandus error, ut Deum exiſtimetis auctorem eſſe tentationum, quibus ad peccatum incitamur.

* Conſumari dicitur peccatum, non modo cum reipſa perpetratur extrinſecus, ſed cum ei intus in animo præbetur aſſenſus. Unde Chriſtus ait: *Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo.* Matt. 5. 29.

17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis † obumbratio.* Omnis gratia excellens, & omne donum perfectum, quod nempe nos bonos facit, & ad vitam æternam perducit, e cœlo eſt, a Deo omnis boni auctore, & veritatis juſtitiæque omnis fonte: qui nulli obnoxius eſt mutationi, ut Sol qui ab Oriente in Occidentem, ab uno Tropico in alium movetur; nullius viciſſitudinis ſeu converſionis obumbrationi, ut Soli accidit, qui objectis corporibus majores aut minores umbras facit, prout ad nos magis accedit vel recedit. Deus enim immutabilis eſt, & nullius rei interpoſitione vis luminis ejus impediri poteſt, quo minus beneficentiæ ſuæ radios diffundat quocumque voluerit.

* S. *Aug. l.* 11. *De Civ. Dei.* c. 20. & alibi legit, *nec momenti obumbratio*: ſed Verſio noſtra omnibus Codicibus Græcis, & Verſioni Syriacæ conſentanea eſt. Ῥοπῆς *momentum*, pro τροπῆς quod *converſionem* ſignificat, legiſſe videtur Interpres, quo uſus eſt S. Aug. ut Vir Eruditus conjicit.

18. *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium * aliquod creaturæ ejus.* Non noſtris meritis, provocatus, ſed ſolo beneplacito ac benignitate voluntatis ſuæ genuit nos verbo veritatis Evangelicæ per fidem, quod donum ejus eſt, inſcepto; ut ejus filii, novique homines, & primitiæ quædam creaturarum ejus eſſemus, id eſt, præſtantiſſima & ſelecta totius humani generis portio, quæ Deo offeratur & conſecretur.

Ἀπαρχήν τινα *primitias quaſdam.*

* Græcus Textus habet ἴστε, *itaque*, pro Latinus Interpr. legiſſe videtur, ἴστε *ſcitis*.

* Confer cum Eccli. 5. 13.

19. 20. 21. *Sicitis †, fratres mei dilectiſſimi. Sit autem omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* Itaque, fratres mei dilecti, ſit omnis homo velox, promptus, diligens, docilis ad audiendum verbum veritatis, tardus autem ad loquendum de rebus divinis, & de religionis doctrina, quam prius diſcat, quam doceat. Ne ſit etiam ad iram præceps, ſed ab ea ſibi temperet quantum poterit, linguam cohibendo, & contentiones fugiendo, *Ira enim viri Dei juſtitiam non operatur.* Vir enim iratus non implet mandata Dei, non facit quod juſtum & Deo gratum eſt. *Propter quod abjicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in manſuetudine * ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.* Quapropter abjicientes omnes ſordes peccati, & exſtirpantes mala vitiorum germina, quæ impedire poſſent boni ſeminis in cordibus veſtris ortum & incrementum: cum manſuetudine & docilitate ſuſcipite verbum Dei, quod in vobis ſeminatum & inſitum eſt Apoſtolica prædicatione, & Spiritus ſancti gratia operante: Quod verbum animas veſtras ad ſalutem æternam perducere poteſt.

† *Eſto manſuetus ad audiendum verbum, ut intelligas.*
* Confer cum Rom. 2. 13.
* Παραλογιζόμενοι *fallacibus argumentis, more Sophiſtarum vos ipſos decipientes.* Fides ſine operibus nihil prodeſt.

22. 23. 24. *Eſtote autem factores verbi; & non auditores tantum, * fallentes † voſmetipſos.* Verbum illud ſalutare obſervate, & quod docet ac præcipit, exequi ſtudete, nec exiſtimetis verbum auditum & per fidem ſuſceptum, ſine bonis operibus ad ſalutem ſufficere, ſophiſticis argumentis voſmetipſos decipientes. *Quia ſi quis auditos eſt verbi, & non factor, hic comparatur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: Conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.* Si quis verbi auditor eſt dumtaxat, & non obſervator, ſimilis eſt homini conſpicienti in ſpeculo vultum ſuum nativum: qui oculis vix in illud conjectis, abit, formæ ſuæ incurioſus & velut immemor, decorem & ornatum penitus negligit.

25. *Qui autem proſpexerit * in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliviosus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit.* Qui autem penitus introſpexerit legem perfectam, id eſt legem Chriſti, legem gratiæ, quæ perficit & juſtificat homines, & quæ lex eſt libertatis, a jugo legalium ceremoniarum ſolvens eos qui legi ſerviebant in ſpiritu timoris, & qua lex eſt caritatis, quæ liberos facit, qui (inquam) ad legem evangelicam ſtudioſe & aſſidue attenderit, non perfunctorie tantum audiens quod ſtatim obliviſcatur, ſed in corde conſervans, & opere implens quæ in ea præcipiuntur: hic ex operibus ſuis beatus erit, juſtitiam in præſenti, & felicitatem æternam, quæ merces eſt bonorum operum, in futuro ſæculo poſſeſſurus.

* Παρακύψας, a verbo παρακύπτειν, quod ſignificat, *ſe inclinare* & quaſi *procumbere penitus introſpicendi ſtudio*.

26. *Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio.* Si quis autem ſibi religioſus eſſe videtur & pius Dei cultor, nec tamen linguam ſuam quaſi injecto frœno cohibet a vitiis, quæ illius intemperantia & impotentia committi ſolent, ſeipſum fallit, ejuſque religio inanis eſt & infrugifera.

27. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.* Religio pietaſque ſincera & ſancta coram Deo Patre noſtro duabus maxime rebus perficitur, beneficentia & caritatis officiis, quibus viduis, pupillis, aliiſque omnis generis afflictis, ſubvenitur; & vitæ puritate, qua Chriſtianus ſe a mundi contagione, pravis exemplis, cupiditatibus, voluptatibus, regnantibuſque peccatis immaculatum ſervare debet, ut Deo placeat.

---

# C A P U T I.

## *Senſus Moralis.*

2. 3. 4. *Omne gaudium exiſtimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis; ſcientes quod probatio fidei veſtræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, ut ſitis perfecti & integri, in nullo deficientes.* Mala & afflictiones hujus vitæ, gratiæ ſunt & beneficia; quibus Deus electos ſuos a reprobis ut plurimum diſcernit. Cum gaudio igitur ſuſcipiendæ ſunt de manu Domini, quia per illas Deus fidem ſuorum, caritatemque probat, illoſque purgat, ſicut aurum per ignem probatur & purgatur, ut efficiat illos dignos ſe. Ideo Apoſtoli, & Martyres cum gaudio perſecutiones, pro-

Afflictiones Dei beneficia ſunt, propter quæ gratias ipſi agere debemus.



ſcriptiones, opprobria, exilia, tormenta, mortem ipſam pro Chriſti nomine patiebantur. *Ibant gaudentes a conſpectu concilii, quoniam digni habiti ſunt, pro nomine Jeſu contumeliam pati.* Perſuaſum ſcilicet ipſis erat, nobiſque ex eadem fide viventibus, & eadem ſpe animatis perſuaſum pariter eſſe debet, quod *Id quod in præſenti eſt momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Et quod *Non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Gaudium perfectum hominis vere Chriſtiani eſt, pro Chriſto pati: gaudii enim æterni ſemen eſt. Hinc Dominus Diſcipulos ſuos docens ait: *Beati eſtis cum maledixerint vobis; & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adverſum vos mentientes, propter me: gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.* Hinc Sanctus Petrus: *Communicantes* (inquit) *Chriſti paſſionibus, gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exſultantes.* Tribulatio eſt probatio fidei, exercitatio patientiæ. Perfecta patientia Chriſtianiſmi perfectio eſt. Tunc vero perfecta patientia eſt, cum ex caritate res adverſæ tolerantur, & cum in eos qui mala nobis inferunt ipſa caritas exercetur. Caritas enim eſt quæ reliquarum virtutum opera format & perficit. Denique patientia opus perfectum habet, cum ceteris comitata virtutibus ad finem uſque perſeverat; ut in adventu Domini inveniamur perfecti & integri, nulloque boni operis ad ſalutem, ſecundum ſtatum noſtrum neceſſarii, genere deſtituti.

*Act.* 5. 41. — 2. *Cor.* 4. 17. — *Rom.* 8. 19. — *Matt.* 5. 11. — 1. *Petri* 4. 13.

„ Late patet patiæ virtus, & ubertas ejus & largitas de unius quidem nominis fonte proficiſcitur, „ ſed exundantibus venis per multa gloriarum genera diffunditur; nec proficere aliquid in actibus „ noſtris poteſt ad conſummandam laudem, niſi inde „ conſummationis accipiat firmitatem. Patientia eſt „ quæ nos Deo & commendat & ſervat: ipſa eſt „ quæ iram temperat, quæ linguam frænat, quæ „ mentem gubernat, pacem cuſtodit, diſciplinam regit, libidinis impetum frangit, tumoris violentiam „ comprimit, incendium ſimultatis extinguit, coercet „ potentiam divitum, inopiam pauperum refovet: „ tuetur in virginibus beatam integritatem, in viduis laborioſam caſtitatem, in conjunctis & maritatis individuam caritatem: facit humiles in proſperis, in adverſis fortes, contra injurias & contumelias mites: docet delinquentibus cito ignoſcere; „ ſi ipſe delinquas, diu & multum rogare: tentationes expugnat, perſecutiones tolerat, paſſiones & „ martyria conſummat. Ipſa eſt quæ fidei noſtræ „ fundamenta firmiter munit: ipſa eſt quæ incrementa ſpei ſublimiter provehit: ipſa actum dirigit, „ ut tenere poſſimus viam Chriſti, dum per ejus „ tolerantiam gradimur; ipſa efficit ut perſeveremus „ filii Dei, dum patientiam Patris imitamur.

S. *Cyprian. lib. De Bono Patientiæ.*

5. 6. 7. *Si quis autem veſtrum indiget ſapientia, poſtulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.* Quis ſapientia non indiget? Nemo certe mortalium tam ſapiens eſt, cui non plurimum adhuc ſapientiæ deſit. Qui ſe perfecte, aut a ſe ipſo ſapientem exiſtimat, ſtultiſſimus eſt. Sapientia quæ rerum divinarum pia cognitio eſt, qua intelligitur quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens & perfecta, qua cognoſcuntur ea quæ ad ſalutem, neceſſaria ſunt, & utilia, ſive fidem, ſive mores, & cujuſque perſonæ & conditionis officia ſpectent, non ſpeculativa tantum, ſed practica notitia, quæ non eſt merum & frigidum lumen intellectus, ſed Dei amore voluntatem accendit, quæ rerum ſpiritualium & cœleſtium ſapore guſtum interioris hominis afficit, ut non ſapiant illi quæ mundi ſunt, ſed quæ Dei: ſapientia quæ ad mores ſecundum legem Dei componendos refertur; quæ docet adverſa omnia forti conſtantique animo propter Deum ad finem uſque vitæ toleranda, crucem eſſe ſummum hominis Chriſtiani in hac vita mortali bonum; afflictiones, ſive a Deo immediate, ſive per homines malos immiſſas, eſſe juſtam gaudii materiam: hæc, inquam, ſapientia nec in ſcolis Philoſophorum dicitur, nec in conſiliis Politicorum, ſed in ſola Chriſti ſchola. Hæc ſapientia Dei donum eſt; cœleſte hoc donum, fructus orationis ferventis, humilis, perſeverantis. Unuſquiſque igitur ſapientiam poſtulet a Deo, qui ſolus illam dare poteſt: *Qui dat omnibus*, ſine diſcretione ſexuum, gentium, ætatum, conditionum; omnibus qui donum tam excellens ab illo poſtulant ut oportet, ac dignum eſt; dat ſimpliciter, nihil aliud ſpectans quam juſtas cauſas dandi, quales ſunt inopia & humilitas petentis. Dat *affluenter*, largiter, non parce: merita ſupplicum excedit & vota. *Dilata os tuum, & impplebo illud.* Expande ſinum cordis tui, & illud cœleſtibus bonis cumulatiſſime implebo. Dat gratuito, ex mera benignitate & propenſione ad benefaciendum, non commemorans priora beneficia, non exprobrans petentibus nequitiam, importunitatem, nimis crebras petitiones, ut plerique divites ſolent, quæſitis excuſationibus ut vel non donent in poſterum, vel parcius donent: *& non improperat.* Nihil prohibet quin ad Deum accedamus, veram ſapientiam, & omne gratiæ nobis neceſſariæ genus poſtulaturi, ſi quidem ad effundenda in ſupplices miſericordiæ ſuæ dona paratus ſemper eſt. *Et dabitur ei.* Nam (ut ait Propheta, cui conſentit Apoſtolus) *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet eos.* Poſtulemus igitur a Deo ſapientiam, quæ nobis neceſſaria eſt ad vitam noſtram in via Dei dirigendam, & accipiemus, modo petamus cum fide veritatis & verbi & promiſſionis Dei, cum fiducia impetrandi a paterna ejus bonitate quod in nomine Filii ejus Jeſu Chriſti petimus, non hæſitantes, ut olim Moſes virga percutiens rupem, & ad eam loqui recuſans ut aquas educeret; & ut Petrus ſuper aquas ambulans: ſed firma fide credentes ut Abraham, quod quæcumque promiſit Deus, potens eſt & facere. *Poſtulet autem in fide nihil hæſitans. Qui enim hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris, qui a vento movetur & circumfertur.* Qui cum diffidentia orat, Deum tentat, ideoque non impetrat quod petit. Qui navigans in mari contrariis ventis jactatur, & in ſaxa, cotes, ſyrteſque impellitur, ad portum appellere non poteſt. *Fides fons eſt orationis. Si fides deficit, oratio perit, Fides fundit orationem, fuſa oratio impetrat fidei firmitatem.*

Vera ſapientia a Deo poſtulanda.

Cum fide & fiducia impetrandi orandum eſt.

*Pſ.* 80. 1. — *Num.* 20. 10. 11. — *Matt.* 14. 31. — *Rom.* 4. 18. — S. *Aug. Serm.* 115. *al.* 36. *De Verb. Dom.*

8. *Vir duplex animo, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.* Qui diverſas inter ſententias voluntateſque fluctuat in materia Religionis aut Moralis Chriſtianæ, verbo Dei, Scripturæ ſacræ ſcilicet ac Traditionis auctoritati ac regulis certiſſimis, & indeficientibus Eccleſiæ oraculis inhærere recuſans, duplex eſt animo, & incoſtans in omnibus viis ſuis. Qui certum vitæ genus ac inſtitutum non amplectuntur, ſed hæſitant ſemper quid eligant, nunc in hoc propenſi, nunc in illud, duplices ſunt animo, & inconſtantes in omnibus actionibus ſuis, quas certum in ſcopum non dirigunt, ſed prout diverſis affectibus feruntur, ita varias ineunt, actionumque nunc ad Deum promoventium, nunc ab illo abducentium varietate implicantur. Duplex eſt animo, qui partim Deo, partim mundo deditus eſt, Evangelium cum ſeculi moribus conciliare fruſtra ſtudens, illis ſimilis quibus Elias ait; *Uſquequo claudicatis in duas partes? Si Dominus eſt Deus, ſequimini eum: ſi autem Baal ſequimini illum.* Qui partim Deo confidens, partim diffidens orat, de propria induſtria, Potentum patrociniis, amicorum commendationibus, præſumptitiis meritis magis ſperans quam de Dei potentia, bonitate, fidelitate, magis innixus brachio carnis, quam brachio virtutis Domini, duplex eſt animo, & inconſtans in omnibus viis ſuis. Aſſentator, hypocrita, qui in corde & corde loquitur & nectit dolos, duplex eſt animo, divinam ſimplicitatem inhonorat, inconſtans eſt in omnibus viis ſuis.

Qui duplices animo; & in omnibus viis ſuis inconſtantes.

3. *Reg.* 18. 21.

9. 10. 11. *Glorietur frater humilis in exaltatione ſua; Dives autem in humilitate ſua, quoniam ſicut flos fœni tranſibit.* Humiliatio, vera Chriſtianorum gloria & celſitudo eſt. Obſcuritas generis, vilitas conditionis, bonorum temporalium inopia, indecora & triſtia eſſe non poſſunt homini, qui inter Dei filios cenſetur adoptionis gratia, qui Jeſu Chriſti frater eſt & coheres, Angelorum ſocius, ſolo Deo dives. Pudeat vero divitem, quod rebus terrenis inhæreat, & gloriam brevi tranſituram diligat, qui ad cœleſtia æternaque bona vocatus a Deo eſt. Fides ipſi aperiat oculos, ut cognoſcat opum ſuarum abundantiam, ædium & pretioſæ ſupellectilis magnificentiam, veſtium, currum, equorum pompam, numeroſum famulitium, menſas exquiſitiſſimis epulis inſtructas, meram eſſe vanitatem; totum illum divitiarum apparatum, & terrenæ magnitudinis ſplendorem tranſiturum ut florem agri. *Exortus eſt ſol cum ardore, & areſecit fœnum, & flos ejus decidit, & decor vultus ejus deperiit: ita & dives in itineribus ſuis marceſcet.* Quam diverſum eſt illud Spiritus ſancti de terrena divitum felicitate judicium a judicio carnalium hominum, & mundo deditorum! Divites quaſi flores ſpecioſi videntur in agro hujus mundi, ſed mane effloreſcunt, veſpere decidunt & areſcunt, & ipſa die pereunt omnes cogitationes, & omnia conſilia eorum. Cognoſcent aliquando ſæculi divites quam inaniter gloriati ſint & exultaverint de divitiis ſuis ac potentia, ſed heu! tarde nimis & inutiliter cognoſcent, diſcentes cum æterno gemitu: *Quid nobis profuit ſuperbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tamquam umbra, & tamquam nuntius percurrens; & tamquam navis quæ pertranſit fluctuantem aquam: cujus cum præ-*

Humiliatio vera Chriſtianorum gloria.

Divitiarum vanitas.

*Pſalm.* 145. — *Sap.* 5. 8. & *ſeq.*

*præterierit, non eſt veſtigium invenire: aut tamquam avis, quæ tranſvolat in aere, cujus nullum invenitur argumentum itineris, ſed tantum ſonitus alarum verberans levem ventum: aut tamquam ſagitta emiſſa in locum deſtinatum, diviſus aer continuo in ſe recluſus eſt, ut ignoretur tranſitus illius: ſic & nos nati continuo deſinimus eſſe: & virtutis quidem nullum ſignum valuimus oſtendere: in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Talia dixerunt in inferno: quoniam ſpes impii tamquam lanugo eſt, quæ a vento tollitur, & tamquam ſpuma gracilis, quæ a procella diſpergitur: & tamquam fumus, qui a vento diffuſus eſt, & tamquam memoria hoſpitis unius diei prætereuntis. Juſti autem*, qui gloriam ſuam exemplo Chriſti in humilitate poſuerunt, *in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum, & cogitatio illorum apud Altiſſimum: Ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini.* Miſeri ergo & miſerandi divites, qui de divitiis ſuis gloriantur, quibus creſcentibus creſcit ſpiritualis inopia, niſi illis bene utantur, & ab illis cor abſtrahant: quæ amatoribus ſuis, quanto fuerint ampliores, non afferunt ſatietatem, ſed inflammant cupiditatem: quæ fulcimenta ſunt infirmitatis, non ornamenta poteſtatis: quarum vermis ſuperbia. Quæ malos, cum offeruntur, excæcant; cum auferuntur, cruciant. Quæ maximæ parti divitum ſunt inſtrumenta vitiorum. Quæ ab amatoribus ſæculi plenæ deliciarum putantur, plenæ ſunt periculorum. Dives in regnum cœlorum intrare non poteſt niſi ſit ſpiritu pauper & humilis. Divites igitur hanc unam habent exultandi rationem, ſi Deus illos humiliet, ne extollantur; ſi illis humilitatem & caritatem donet, ut ſancte divitiis utantur. *Dives autem in humilitate ſua.*

*S. Auguſtin.*

Merces æternæ patientiæ in rebus adverſis.

12. *Beatus vir qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Non qui divitiis abundant, non quibus omnia proſpere ſuccedunt, non qui ſummis honoribus, & deliciis fruuntur, ſed qui adverſitates hujus ſæculi & afflictiones patienter ſuſtinent, qui illas de manu Dei, ut flagella patris erudientis & probantis ſuſcipiunt, ejus voluntatem adorantes, eique ſe humiliter ſubjicientes, beati ſunt, jam pignus æternæ vitæ poſſidentes, invictam patientiam. Vere beati quibus coronam æternæ gloriæ pretio tam exiguo comparare datum eſt. Hæc & gratia eſt filiis Dei per Chriſtum Jeſum miſericorditer promiſſa, & tamquam merces ex ipſius Dei promiſſione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda: Probationis tempus breve eſt: æternitas remunerationis ſine fine erit. Verum ſuſtinendæ ſunt afflictiones cum dilectione Dei, ut obtineatur corona ſoli dilectioni promiſſa. *Quam repromiſit Deus diligentibus ſe.* Patitur ut malefactor, aut certe ut Philoſophus, non vero ut Chriſtianus, qui ſine caritate patitur. Denique perſeverandum eſt uſque in finem in dilectione Dei & patientia, ut obtineatur æternæ vitæ corona. Hac enim conditione a Deo promiſſa eſt. *Eſto*, inquit, *fidelis uſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Id fidei lumine noverat & profitebatur vir ſanctus Tobias ita Deum orans: *Hoc pro certo habet omnis qui te colit, quod vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur; ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur: etſi in correptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit ..... Non enim delectaris in perditionibus noſtris: quia poſt tempeſtatem, tranquillum facis, & poſt lacrymationem & fletum exultationem infundis.*

*Apocal. 2. 10.*

*Tobiæ 3. 21. & 22.*

Tentatio probationis a Deo eſt, non tentatio ſeductionis.

13. 14. 15. *Nemo cum tentatur, dicat, Quoniam a Deo tentatur: Deus enim intentator malorum eſt: ipſe autem neminem tentat.* Tentatio quidem probationis a Deo eſt, non tentatio ſeductionis, & impulſis ad malum. Eam ad bonum electorum ſuorum permittit, ordinatque Deus, non immittit. Avertere a ſe non poteſt, quos propter ſe condidit. Quibus eſſe dedit ut primum principium, illos ad ſe trahit ut ultimus finis. Summa & infinita bonitas, mali principium eſſe non poteſt; *Neceſſe* quidem *eſt ut quo auxiliante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur:* „ Sed ut gratia Dei non adjuvemur, in „ nobis cauſa eſt, non in Deo. Niſi enim fecerimus „ caſum, ille a nobis non facit occaſum. Omnium „ tentationum noſtrarum principium in nobis eſt; do„ meſticus hoſtis, concupiſcentia. Omnium peccatorum noſtrorum principium corrupta voluntas, ſine cujus conſenſu diabolus nobis nocere non poteſt. Canis efferus eſt, ſuadere poteſt, latrare poteſt, mordere non poteſt niſi volentem. *Unuſquiſque tentatur a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus.* Quinque tentationis gradus diſtinguunt viri Theologi. 1. Concupiſcentiæ voluntatem ad peccatum invitantis illecebram & ſenſum, qui rationem omnino antevertit. Primus ille motus concupiſcentiæ, quamvis ſit malum, & primi peccati fœtus, non tamen proprie peccatum eſt. 2. Cum obrepente delectatione tangitur & afficitur tantiſper animus non ſatis pervigil, & delectationem oblatam repellere aliquantulum negligit, peccatum concipitur velut furtivo delectabilis objecti complexu, ſed veniale peccatum eſt ob imperfectum voluntatis conſenſum, rationiſque non plene deliberantis inconſiderantiam. 3. Cum abſolutus & deliberatus conſenſus eſt vel in ipſam delectationem peccati quod mente volvitur, etſi opere externo minime conſummetur, partus eſt peccati, monſtrum horrendum, Deo inviſum, homini exitiale naſcitur. *Deinde concupiſcentia cum conceperit, parit peccatum.* 4. Sequitur occaſione data exterior peccati conſummatio, quæ per frequentiam actuum habitum generat, & corpus peccati roborat. 5. Mors animæ fructus eſt peccati, mors autem æterna & animæ & corporis pœna peccati eſt quod Pœnitentia in hac vita non eluitur. *Peccatum vero cum conſummatum fuerit, generat mortem.* Qui in primo gradu non contremiſcit, ad poſtremum facile pervenit. Concupiſcentiæ ergo, quæ filia peccati eſt, & cum illi ad illicita conſentitur, peccatorum mater multorum, ab initio reſiſtamus: cum adhuc „ parvula eſt cupiditas, antequam robur accipiat „ adverſum te mala conſuetudo, allide illam. Sed „ times ne alliſa non moriatur, ad petram allide, „ Petra autem erat Chriſtus. *Beatus qui tenebit, &* „ *allidet parvulos ſuos ad petram.* Ne abſtraharis a „ concupiſcentia: noli conſentire concupiſcentiæ tuæ. „ Non eſt unde concipiat niſi de te. Surrexit con„ cupiſcentia: nega te illi, noli eam ſequi. Noli „ dare conſenſionis amplexum, ne plangas partum: „ quia ſi conſenſeris, concipit. Cum concupiſcentia „ conceperit, parit peccatum. Nondum times: Pec„ catum generat mortem: vel mortem time. Si „ peccatum non times, time quo perducit peccatum. „ Dulce peccatum, ſed amara mors. Principium tentationis, peccati, & mortis in nobis eſt. Ad Chriſti Salvatoris gratiam confugiamus, qua tentationes vincuntur, peccata delentur, a morte æterna pœnitentes liberantur.

*Innocentius I. in Epiſt. ad Concil. Afric. S. Thomas. S. Auguſt.*

Quinque tentationis gradus.

Concupiſcentiæ ab initio reſiſtendum.

*Pſalm. 136. 9. S. Auguſtin. in hunc Pſal.*

*S. Auguſt. Serm. 58. alias Hom. 40. inter 50. c. 8.*

17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum, deſurſum eſt, deſcendens a Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Omne donum naturæ, gratiæ, & gloriæ a Deo eſt. Talenta naturalia ingenii, memoriæ, doctrinæ, induſtriæ, facundiæ & eloquentiæ, a Deo ſunt: ſed hæc bonis & malis ſunt communia, nec hominem per ſe juvant ad æternam ſalutem, ſed bonus illorum uſus, qui ex gratia Chriſti Salvatoris eſt. Gratia vero, fides, ſpes, caritas, ceteræque virtutes Chriſtianæ, dona ſunt perfecta & per ſe expetenda: Hæc meritis operum ſuorum aut naturæ viribus non conſequitur homo, qui nihil habet ex ſe præter peccatum, ignorantiam, & infirmitatem. „ Unde homini „ placere Deo, niſi a Deo, Unde homini bona vita „ niſi a fonte vitæ? Unde homini illuminatio, niſi „ ab æterno lumine? Ad humanas mentes mutabiles „ de fonte immutabili dona gratiarum virtutumque deſcendunt, quæ & ipſas immutabiles quodam modo faciant. Cum autem a bono mutantur in malum, hæc mutatio non eſt a Patre luminum, ſed ab hominibus qui a Sole juſtitiæ oculos avertunt, & diligunt magis tenebras quam lucem. Ergo *Accedite ad eum, & illuminamini.* „ Fons eſt vitæ, accede, bibe, & vi„ ve; lumen eſt, accede, cape, & vide. Si non „ influat ille, ſiccus eris. Nec ſanctorum patientia „ Martyrum ab ipſis eſt. *In Domino* (inquiunt) „ *laudabitur anima mea, quoniam ab ipſo patientia* „ *mea.* Quare ergo mea? Sinum aperui, & libenter „ accepi; ab ipſo mea. Et ab ipſo, & mea; & quia „ ab ipſo, ideo tutius mea. Mea eſt, ſed a me mihi „ non eſt. Ut habeam donum meum, agnoſco dato„ rem Deum. Nam ſi non agnoſco datorem Deum, „ tollit Deus bonum ſuum, & remanet malum meum, „ per arbitrium meum.

Dona gratiæ ſola Dei miſericordia & bonitate conſequimur.

*S. Auguſt. Serm. 284. alias 1. inter editos ex majoris Carthuſiæ Mſſ.*

*Pſalm. 33. 6.*

*Pſalm. 61. 6.*

28. *Voluntarie enim genuit nos verbo veritatis, ut ſimus initium aliquod creaturæ ejus.* Miſericordia Dei & amor gratuitus, omnemque meritorum noſtrorum prænotionem antevertens voluntatis ejus beneplacitum, fons eſt adoptionis & regenerationis noſtræ, qua filii Dei nominamur & ſumus. Novæ iſtius ac myſticæ generationis ſemen eſt verbum veritatis, quo fides in cordibus noſtris paritur. Hoc verbo Sacramentum Baptiſmi vim habet nos ſanctificandi & conſecrandi Deo velut primitias electas, & a maſſa peccatrice ſeparatas. Patrem ac Deum noſtrum diligamus, qui nos per amorem genuit & principatum in creatura nobis divina illa adoptione contulit. *Dedit poteſtatem filios Dei fieri his qui credunt in nomine ejus, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Verbo veritatis, quo regenerati ſumus, nu-

Adoptionis noſtræ in filios Dei fons, & ſemen.

*Joann. 1.*

tria-



triamur, ut vita gratiæ conſervetur in nobis. Hic panis eſt filiorum Dei, panis quotidianus & ſuperſubſtantialis, quem nobis dari a Deo poſtulamus. Vitam, quam a Deo propter ipſum accepimus, totam illi conſecremus. Primitias ad profanos uſus converti, piaculum eſt. Non peccato, non mundo, non nobis ipſis, ſed uni Deo vivamus, ut novæ creaturæ initium in nobis perficiatur & conſummetur in gloria.

19. 20. 21. *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* 1. Verbum Dei ardenti ſtudio, ſumma animi docilitate, prompta obedientia audiendum ac ſuſcipiendum eſt. *Sit omnis homo velox ad audiendum.* 2. Os pravis, noxiis, vanis & inutilibus ſermonibus claudendum, ut verbum Dei meditemur in ſilentio cordis, longe a tumultibus ſæculi. „ Tardus ad lo„ quendum, *Hic veri Sapientis character.* Audiens „ ſapiens, ſapientior erit. *Et*, Qui moderatur, ſer„ mones ſuos, doctus & prudens eſt. *Veritatem au-* „ *dire & diſcere, multo tutius eſt quam docere.* Ut „ diſcamus ergo invitare nos debet ſuavitas veritatis, „ ut autem doceamus, cogere neceſſitas caritatis; „ ubi potius optandum eſt, ut tranſeat iſta neceſ„ ſitas, qua hominem docet aliquid homo, & ſimus „ omnes docibiles Dei: quamvis & hoc ſimus cum „ ea quæ ad veram pietatem pertinent diſcimus, et„ iam quando illa docere videtur homo. Quia *Ne-* „ *que qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Cum itaque ſi Deus in„ crementum non daret, nihil eſſent Apoſtoli plan„ tatores & rigatores; quanto magis ego vel tu, vel „ quilibet hujus temporis homines, quando nobis vi„ demur eſſe Doctores?" Animo tandem tranquillo & a perturbationibus libero, præſertim ab ira, audiendum & retinendum eſt verbum Dei. *Et tardus ad iram.* Cum enim ira ſit filia ſuperbiæ, mater inimicitiarum, contentionum, ultionum, pacis & unitatis inimica, a tramite Chriſtianæ juſtitiæ, quæ ſine caritate, humilitate, docilitate, & manſuetudine nulla eſt, hominem longe abducit. *Ira enim viri juſtitiam Dei non operatur.* Verbum Dei germen ſalutis eſt, ſed ut fructum ſuum pariat, neceſſe eſt ut ſuſcipiatur corde mundo, humili, manſueto, tranquillo. *Propter quod abjicientes omnem immunditiam, & abundantiam malitiæ, in manſuetudine ſuſcipite inſitum verbum, quod poteſt ſalvare animas veſtras.* Rami inutiles arboris infructuoſæ reſecandi ſunt, & vulnus (ut ita loquar) in ea faciendum, ut arboris fructiferæ ſurculus inſeratur, illamque hac inſitione fructiferam faciat. Ita ut verbum Dei cordibus noſtris inſeratur & ad bonorum operum fructum ferendum nos diſponat, reſecandæ ſunt prius veteris Adami cupiditates, & deſideria inutilia & noxia, ac ſollicitudines hujus vitæ, quæ ſacrum germen ſuffocare poſſunt: tentationibus fortiter reſiſtendum, quibus illud evellere conantur noſtræ ſalutis inimici.

Diſpoſitiones ad verbum Dei cum fructu audiendum.

*Proverb. 1. 5.*

*Proverb. 17. 27.*

*S. Aug. lib. De Dulcitii Quæſtionibus.*

22. 23. 24. 25. *Eſtote autem factores verbi, & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos.* Qui audit verbum Dei, & præcepta ejus non obſervat, ſibi damnationem arceſſit. *Beati* enim *qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* Ille ſolus veritatem amat, qui illam ad praxim ex caritate revocat. Verbum Dei prædicatum Verbo Dei increato & æterno ſimile in eo eſſe debet, quod *non ſit Verbum qualecumque, ſed ſpirans amorem.* Amor autem otioſus & infructuoſus, amor non eſt. Da vacantem amorem, & nihil operantem. Se ipſum fallit, qui ſe Deum amare putat, cujus voluntati ac mandatis contradicit. Verbum Dei fidele ſpeculum eſt in quo ſeſe conſiderare debet Anima Chriſtiana, ut cognoſcat qualis ſit, qualis eſſe debeat, quid ſibi deſit. In eo non obiter ac perfunctorie ſe intueri debet, ut vir incurioſus & negligens. Sed ut mulier, quæ diu ſtat ante ſpeculum velut ab eo petens conſilium formæ, & vel minimas abſtergens maculas, ſuppleníque quod deeſt decori ſuo & ornatui. Ita Chriſtianus quiſque conſiderare ſe debet in verbo ac lege Dei, conſcientiæ maculas, quas per illam recognoſcit, diligenter abſtergere, ſtudioſe attendere quid deſit interioris hominis ſui decori & ornatui, defectibus ſuis emendandis & ſupplendis operam efficacem dare, ut Deo placeat. *Si quis auditor eſt verbi, & non factor: hic comparantur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo: conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt qualis fuerit.* Lex vetus rudimentum eſt Evangelii, lex infirmorum, lex incipientium, lex ſervorum, quæ malorum temporalium timore, & ſpe bonorum hujus vitæ, ducit ſubditos: Evangelium vero lex fortium eſt, lex perfectorum, lex filiorum, quæ vera bona, veraque mala nota facit hominibus, quæ ad caritatem tota revocatur & collineat, quæ veram libertatem, æternamque felicitatem parit. Sola obſervatio Evangelii animam liberat a ſervitute peccati, a maledictione legis, a morte æterna. Evangelii præcepta implent, & ſecundum illa vitam ſuam componunt, qui illud aſſidue meditantur, & in illud ceu in regulam ſuam introſpiciunt. Porrò non ſufficit aliquando in Evangelii meditatione verſari, ſed in ea toto vitæ tempore perſeverandum eſt; illud ex parte implere non ſufficit, ſed omnia illius præcepta obſervanda ſunt; illud per vices, & certis temporibus obſervare ſatis non eſt ad ſalutem, ſed in ejus fideli obſervantia ad mortem uſque permanendum eſt. *Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor oblivioſus factus, ſed factor operis: hic beatus in facto ſuo erit.* „ Quis fi„ delium neſciat, quibus virtutibus ſtudere, & qui„ bus debeat vitiis repugnare? Quis conſcientiæ ſuæ „ aut tam gratioſus, aut tam imperitus eſt arbiter, „ qui ignoret quid a ſe auferri, aut quid in ſe opor„ teat augeri? Nemo quippe ita rationis eſt alienus, „ qui aut converſationis ſuæ non intelligat qualita„ tem, aut cordis ſui ſecreta non noverit. *Non* „ *ergo per omnia ſibi placet, nec ſe ſecundum carnis oblectamenta dijudicet; ſed omnem conſuetudinem ſuam in divinorum præceptorum lance conſtituat: ubi cum alia jubeantur ut fiant, alia interdicantur ut non fiant, juſto ſe trutinalit examine, qui vitæ ſuæ mores ex utriuſque ponderis comparatione penſaverit. Artifex enim miſericordia Dei ſplendidiſſimum in mandatis ſuis condidit ſpeculum, in quo homo faciem ſuæ mentis inſpiceret, & quam conformis imagini Dei, aut quam diſſimilis eſſet agnoſceret.*

*Luc. 11. 28.*

*S. Thomas.*

Evangelicæ legis aſſidua meditatio & obſervantia perſeverans.

*S. Leo, M. Ser. 48. in Quadrageſ. 11.*

26. *Si quis autem putat ſe religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio.* Qui linguam ſuam non coercent ac refrænant, etſi ſpeciem pietatis habeant, veritatem pietatis abnegant, & omnium bonorum operum ſuorum fructum amittunt. Ex abundantia cordis os loquitur. Depravationem cordis probat intemperantia linguæ, & levitas, vanitas, maledicentia, ſeu quævis alia pravitas, effreniſque licentia ſermonis. *Labia imprudentium ſtulta narrabunt: verba autem prudentium ſtatera ponderabuntur. In ore fatuorum cor illorum; & in corde ſapientium os illorum.* Verus Dei cultor os ſuum a loquacitate, obtrectationibus, contentionibus, rixis, aliiſque linguæ vitiis cohibet, ne velut unguenti fragrantia in vaſe diſcooperto, ita bonus odor pietatis omniumque virtutum in ejus animo diſſipetur ac evaneſcat, Hinc Salomon ait: „ Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam: „ qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet „ mala... Labia ſtulti miſcent ſe rixis: & os ejus „ jurgia provocat. Os ſtulti contritio ejus: & labia ipſius ruina animæ ejus. *Religioſos ac bonos Chriſtianos quis dixerit homines, de quibus Spiritus ſanctus per os Davidis ait?* „ Sepulcrum patens eſt guttur „ eorum, linguis ſuis doloſe agebant, venenum aſpi„ dum ſub labiis eorum; Quorum os maledictione & „ amaritudine plenum eſt..... Viam pacis non co„ gnoverunt, non eſt timor Dei ante oculos eorum. Qui linguam ſuam non cuſtodit, animam ſuam, & quicquid in ea eſt ſpiritualium bonorum, hoſtium direptioni exponit. Sicut enim rupto muro, atque aperta janua, libere in urbem aut arcem irruunt hoſtes, & omnia deprædantur: ita cum omittitur oris ac linguæ cuſtodia, & animæ quaſi janua effreni loquacitate aperitur, vitia ſeſe in animam inſinuant, arcem rationis occupant, & quicquid in illa erat virtutis ac meriti deſtruunt. Unde Rex Propheta Deum ſupplex orat ut ori ſuo ac linguæ firmam apponat gratiæ ſuæ cuſtodiam. *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiæ.* Et ſapiens: *Quis dabit ori meo cuſtodiam, & ſuper labia mea ſignaculum certum, ne forte cadam ab eo, & lingua mea perdat me?*

Lingua refrænanda.

*Eccl. 22. 28. 19.*

*Proverb. 13. 3. & c. 18. 6. 7.*

*Pſalm. 13. 3.*

*Pſalm. 140. 3.*

*Eccl. 22. 33.*

27. *Religio munda & immaculata apud Deum & Patrem, hæc eſt: Viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſæculo.* Externa pietatis opera, quæ hominum oculos ſplendore ſuo præſtringunt, religioſum probumque Chriſtianum non faciunt, niſi a corde mundo & immaculato oriantur. Cor autem immaculatum facit amor Dei, cor immundum amor ſæculi. Qui diligit mundum, & ea quæ ſunt in mundo: Qui divitias, honores voluptates amat & conſectatur: qui fruitur utendis, & utitur fruendis, quæ ſumma perverſitas eſt, vitam nomine Chriſtiano dignam non ducit. Chriſtianæ juſtitiæ partes duæ ſunt, *Declinare a malo, & facere bonum.* A malo declinat, qui ſe a contagione ſæculi purum, & immaculatum ſervat. Bonum facit, qui pupillorum, viduarum, omniumque indigentium miſerias pro viribus ſublevat. Perfecta beneficentia duobus conſtat, benevolentia, & liberalitate. Non enim ſatis eſt bene

Probi Religioſique Chriſtiani caracteres.



velle,

S. Ambroſ. lib. 1. De Officiis, cap. 30.
2. Cor. 9. 7.

,, velle, ſed etiam benefacere oportet : nec ſatis eſt ,, benefacere, niſi id ex bono fonte, id eſt, ex bona ,, voluntate proficiſcatur: *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Nec illa perfecta eſt liberalitas, ſi jactantiæ cauſa magis quam miſericordiæ largiaris. ,, Affectus tuus nomen imponit operi tuo: quomodo ,, a te proficiſcitur, ſic æſtimatur. Perfecta liberalitas ,, fide, cauſa, loco, tempore commendetur; ut primum opereris circa domeſticos fidei. Grandis culpa, ſi ſciente te, fidelis egeat : ſi ſcias eum ſine ,, ſumptu eſſe, famem tolerare, ærumnam perpeti, ,, qui præſertim egere erubeſcat : ſi in cauſam ceciderit aut captivitatis ſuorum, aut calumniæ, & non ,, adjuves: ſi ſit in carcere, & pœnis, & ſuppliciis ,, propter debitum aliquod juſtus excrucietur ( Nam ,, etſi omnibus debetur miſericordia, tamen juſto amplius ). Omnibus quidem debemus miſericordiam : ,, ſed quia plerique fraude eam quærunt, & adfingunt ærumnam; ideo ubi cauſa manifeſtatur, perſona cognoſcitur, tempus urget, largius ſe debet ,, profundere miſericordia. Eſt etiam illa probanda ,, liberalitas, ut proximos ſeminis tui non deſpicias, ,, ſi egere cognoſcas. Melius eſt enim ut ipſe ſubvenias tuis, quibus pudor eſt ab aliis ſumptum depoſcere, aut alicui poſtulare ſubſidium neceſſitati. ,, Chriſtiano ſunt indigni nomine, qui Chriſto in ,, pauperibus egenti non ſuccurrunt. Qui pupillis & viduis patrocinatur & ſubvenit, Deum imitatur, de quo ſcriptum eſt : *Pupillum & viduam ſuſcipiet*: & Dei miſericordiam promeretur. *In judicando eſto pupillis miſericors ut pater* ( ait Sapiens ) *& pro viro matri illorum : & eris tu velut filius Altiſſimi obediens, & miſerebitur tui magis quam mater*.

Pſal. 145. 9.
Eccl. 4. 10. 11.

## C A P U T II.

*Senſus Litteralis.*

* Græce, προσωποληψίαις.
Perſonarum acceptio quomodo lege Dei prohibitum.

1. 2. 3. 4. F*Ratres mei, nolite in perſonarum acceptione * habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriæ*. Fidem quam habetis de Domini noſtri Jeſu Chriſti gloria, reſpectibus perſonarum & qualitatum, nihil ad rem Chriſti pertinentium, ſerviliter ſubjicere nolite. Perſonarum acceptionem in conventibus Eccleſiaſticis, & in bonis ſpiritualibus, aut honoribus Eccleſiæ diſpenſandis, Apoſtolus noſter prohibet. Acceptio autem perſonarum eſt, alios aliis præferre ob ea quæ ad Religionem Chriſtianam non pertinent : ſicut in judiciis perſonarum acceptio eſt, ubi alia reſpicit Judex, quam quæ ſunt in cauſæ meritis. *Etenim ſi introierit in conventum * veſtrum vir annulum aureum habens * in veſte candida, introierit autem & pauper in ſordido habitu, Et intendatis in eum qui indutus eſt veſte præclara, & dicatis ei: Tu ſede hic bene : pauperi autem dicatis: Tu ſta illic; aut ſede ſub ſcabello pedum meorum: nonne judicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis judices cogitationum iniquarum?* Si enim in Cœtum veſtrum, cum ad cultum Dei, ad divinos Sermones audiendos, ad Eccleſiæ negotia convenitis, aliquis ingrediatur annulum aureum digito geſtans, & veſte ſplendida indutus, introeat etiam pauper vili veſte indutus, & ſuſpicientes eum, qui cultu eleganti ore nitet, dicatis ei: Tu ſede hic loco honorato: pauperi vero dicatis: Tu ſta illic, procul, aut ſede ad pedes meos: nonne ex carnali affectu & mundana opinione diſcrimen feciſtis inter divitem & pauperem, non ex fidei & conſcientiæ regulis? Nonne inique judicaſtis eum eſſe magis honorandum qui ſit ditior, aut genere clarior, non qui virtutibus & meritis inſignior & commendatior?

Εἰς τὴν συναγωγήν. quo vocabulo cœlum ſacrum hic ſignificari, doctiores interpretes cenſent.
* Χρυσοδακτύλιος, *annulum aureum digito gerens*, non, fibulam autem in veſte, ut interpretatur CardinalisBaronius ad annum Dom. 34.

5. 6 7. *Audite, fratres mei dilectiſſimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe?* Nonne Deus elegit plurimos qui in hoc mundo pauperes erant, ut eos fide, ceteriſque donis ſpiritualibus divites faceret, heredeſque regni æterni, quod ipſum diligentibus repromiſit? *Vos autem exhonoraſtis pauperem*. Vos autem e contrario pauperes contemptui habetis. *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad judicia?* Nonne divites opibus ſuis ac potentia confiſi vos opprimunt, & pauperes qui ſunt inter vos, trahunt ad tribunalia infidelium, ut ſpecie juris vos ſpolient? *Nonne ipſi blaſphemant bonum nomen, quod invocatum eſt ſuper vos?* Nonne ipſi in cauſa ſunt improbitate ſua, avaritia, inhumanitate & duritia in pauperes, ut blaſphemetur a Gentibus ſanctum nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, a quo vocamini Chriſtiani?

Levit. 19. 18.
Matt. 22. 39.

8. 9. *Si tamen legem perficitis regalem ſecundum Scripturas : Diliges proximum tuum ſicut teipſum : benefacitis*. Si tamen divites honoratis abſque pauperum injuria & contemptu, nec ex humano reſpectu, ſed ex caritate, qua proximum ſicut nos ipſos diligi præcipit lex Dei, qui eſt Rex Regum, bene facitis. *Si autem perſonas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quaſi tranſgreſſores*. Si vero perſonas reſpicitis divites honorando præ pauperibus, ac ſolo conditionum intuitu, ſola divitiarum habita ratione id facitis, peccatum committitis, voſque lex ipſa caritatis redarguit & damnat ut tranſgreſſores.

Locus difficillimus, de quo S. Auguſt. S. Hieronymi ſententiam rogavit.

10. 11. *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*. Quicumque omnia legis præcepta ſervaverit, graviter autem peccaverit adverſus unum ex præcipuis legis mandatis, reus factus eſt violatæ legis, quæ omnium præceptorum collectio eſt, adeoque obnoxius pœnæ, quæ in Legis tranſgreſſores eſt conſtituta, id eſt æternæ maledictioni, ſecundum illam Moſis & Apoſtoli ſententiam, *Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea*. Non eſt reus omnium ſigillatim & diſtributive ( ut loquuntur Theologi ) ita ut fornicator ſit reus homicidii, furti, ſacrilegii Sed &c. reus eſt omnium collective, id eſt, reus violatæ legis, quæ omnia complectitur. Lex tota eſt quaſi una veſtis, quæ tota violatur, ſi vel unam ex ea partem demas; quaſi harmonia in muſica, quæ tota corrumpitur, ſi vel unica vox diſſonet; quaſi catena aurea, quæ tota rupta eſt, ſi vel unicum annulum abrumpas; velut pactum, quod totum irritum fit, ſi vel una ex multis ipſius conditionibus violetur. Unius tranſgreſſione præcepti tota lex violatur, quamvis non totum legis, ſicut homicidio totus homo occiditur, non totum hominis. Qui vel unum præceptum tranſgreditur, peccat in legis totius auctorem, & jubentis auctoritatem contemnit, quæ in omnibus præceptis eadem eſt. Non minus igitur peccati reus eſt, quam qui omnia violat; nec reliquorum obſervatio eum a pœna violationi unius præcepti debita liberat : quamvis non ſit æquale peccatum, nec æqualis pœna ejus qui unum dumtaxat præceptum violaverit, & ejus qui omnia & ſingula tranſgreſſus fuerit, ut oſtendit S. Hieronymus. Denique qui in uno offendit, eatenus eſt reus omnium, quatenus contra caritatem peccat, quæ ſumma legis eſt. ,, Nemo *enim* peccat, niſi adverſus illam faciendo, quia Non adulterabis, Non homicidium facies, Non furaberis, ,, Non concupiſces, & ſi quod eſt aliud mandatum, ,, in hoc ſermone recapitulatur, Diliges proximum ,, tuum ſicut teipſum. Dilectio proximi, malum non ,, operatur. Plenitudo autem legis caritas. Nemo ,, autem diligit proximum, niſi diligens Deum, & ,, hoc, quantum poteſt, proximo impendat, quem ,, diligit tamquam ſeipſum, ut & ille diligat Deum, ,, quem ſi ipſe non diligit, nec ſe, nec proximum ,, diligit. Ac per hoc qui totam legem ſervaverit, ,, ſi in uno offenderit, fit omnium reus; quia contra ,, caritatem facit, unde tota lex pendet. Reus itaque fit omnium, faciendo contra eam, in qua pendent omnia. *Subdit Apoſtolus noſter*: Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit, Non occides. Quod ,, ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis. Idem Deus divina ſua lege adulterium ac homicidium æque prohibet ; is igitur legi non obtemperat, qui alteri præcepto paret, alterum tranſgreditur; quin imo legis contemptor & violator eſt. Omnia enim præcepta unum veluti corpus legis conſtituunt : unde quemadmodum uno membro amputato, truncum ac mutilum remanet corpus : Ita uno legis præcepto contempto lex violata cenſetur.

Deut. 27. 26.
Galat. 3. 10.
S. Hieronym. Dial. 1. Contra Pelagianos.
S. Auguſt. Ep. 167. alias 29. ad S. Hieron. cap. 5.

12. 13. *Sic loquimini, & ſic facite, ſicut per legem libertatis incipientes judicari*. * Omnes ſermones veſtros, omniaque opera ſic inſtituite, ordinate, dirigite, tamquam per legem Evangelicam, qua per Chriſti gratiam, liberati eſtis & a peccati ſervitute, & a jugo Moſaicæ Legis, proxime judicandi. *Judicium enim ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam*. Qui enim miſericordes in proximum non fuerint, ſine miſericordia judicabuntur a Deo. *Superexaltat † autem miſericordia judicium*. Miſericordia vero quam homo Chriſtianus in proximum exercuerit, ſummi Judicis ſeveritati prævalebit, & victrix ejus quodam modo evadet, gratiam ab eo quaſi extorquens. Græcus Textus habet: κατακαυχᾶζαι καὶ ἔλεον κρίσεως, id eſt, ,, Gloriatur autem miſericordia adverſus judicium, *hoc eſt*, Vincit, expugnat, obtundit. *Siriaca Verſio*: Exaltabimini per miſericordiam ,, ſuper judicium. *Æthiopica*: Et gloriabitur tantum ,, ille in die judicii, qui fecit miſericordiam.

* Μέλλοντες κρίνεσθαι, *futuri judicari*, ſeu *judicandi*.
† Legendum, *ſuperexaltat*. viri eruditi conjiciunt: quomodo legit S. Auguſt. *Epiſt. 167. ad S. Hieron.* & *Epiſt. 157. alias 89. ad Hilarium*. Qui tamen *lib. 9. Confeſſ.* cap. 13. *lib. 2. De Peccat. merit. & remiſſ. cap.* 3. & 7. legit. *ſuperexaltat*, Libro vero 4. *Contra Jul. c. 8. ſuperexultat*.

14. *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſalvare eum?* Quid proderit homini ad juſtitiam & ad vitam æternam conſequendam, ſi fidem habeat, ac illam ſe habere glorietur, ſi bonis operibus deſtituta ſit? Numquid poterit fides informis, otioſa,





Oecumenius. Fides qua in Deum creditur, ſine bonis operibus non ſufficit ad ſalutem.
Catholicum dogma contra Simonianorum hæreſim
Rom. 3. 28. Oecumenius. S. Aug. lib. De Fide & Operibus.
Galat. 5. 6.
1. Cor. 13. 2.
Fides ſine operibus vera quidem, ſed informis Dogma Catholicum contra Lutherum & Calvinum.

& ſterilis illum ad ſalutem æternam perducere? Minime gentium. Neque vero S. Jacobus ab Apoſtolo Paulo diſſentit, ad Romanos ſcribente: *Arbitramur juſtificari hominem ex fide ſine operibus Legis*. Paulus enim de ſimplici aſſenſu fidei non loquitur, quo dæmones etiam credere dicuntur, ſed de fide quæ eſt ex affectu, quæ bonis operibus nequaquam deſtituitur, quod Abrahami probat exemplum: ſed hominem juſtificari ſine operibus Legis, id eſt, ſine circumciſione, Sabbatorum obſervatione, ceteriſque purificationibus, docet. Nec fidem ſufficere aſſerit ad juſtitiam, & ſalutem æternam, niſi *quæ per dilectionem operatur*. Hæc enim ſola neminem perire permittit. Unde alibi ait: *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferens, caritatem autem non habuero, nihil ſum*. Denique hominem ex fide juſtificari ſine operibus Legis, quæ Mediatoris fidem antecedunt S. Paulus docet, a quo Jacobus Apoſtolus non diſſentit, cum loquatur de operibus fidem conſequentibus, & ex ea profectis, atque ab ea directis.

*Græcus Textus Vulgatur habet, ἐκ τῶν ἔργων *ex operibus tuis*: ſed antiquum Mſs. Alexan. unum ex Mſ. Roberti Stephani, quin etiam Beza & Colinæus, lectioni Vulgatæ Latinæ ſuffragantur ſicut & Syriaca Verſio, & Æthiopica & Arabica Erpenii.

15. 16. 17. *Si autem frater & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano; dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini: non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?* Si quis Chriſtianus, aut ſi qua Chriſtiana non habeant unde veſtiantur, nec unde in diem vivant, veſtramque opem ac beneficentiam implorantibus reſpondeat aliquis veſtrum, Bene vobis ſit, victum & veſtitum Deus vobis provideat; nec dederitis eis quæ alendo & tegendo corpori neceſſaria ſunt, quid hæc bona vota & verba proderunt indigentibus? *Sic & fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa*. Ita fides bonis operibus deſtituta, ſecundum ſeipſam mortua eſt, quia caret vita caritatis, nec prodeſt credenti ad juſtitiam & vitam æternam conſequendam.

18. *Sed dicet quis : Tu fidem habes, & ego opera habeo. Oſtende mihi fidem tuam * ſine operibus : & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam*. Merito dicat pius aliquis tali homini fidem ſuam, operibus licet deſtitutam prædicanti : Tu fidem habes, & de illa multum gloriaris, ego vero de fide mea tacens, bonis operibus ſtudeo. Quomodo te fidem habere probabis, quæ res eſt in animo latens, nec niſi bonis operibus demonſtrari hominibus poteſt? Ego vero fidem meam ex operibus Chriſtianæ Religionis ſanctitati conſentaneis demonſtrabo.

Chriſtiani peccatoris fidem informem cum fidem dæmonum comparat Apoſtolus noſter quantum ad inutilitatem, licet multum ſit inter utramque diſcrimen. Fides enim dæmonum nec infuſa eſt, nec ſupernaturalis, niſi ratione objecti; nec voluntaria, ſed coacta vi & evidentia miraculorum, quibus fidem Chriſtianam confirmari vident. Fides autem hominum peccatorum eſt ſupernaturalis, ex habitu infuſo, & pia voluntatis motione.

19. *Tu credis quoniam unus eſt Deus. Bene facis : & dæmones credunt, & contremiſcunt*. Credis exempli gratia, Deum eſſe unum, quod inter credenda primum eſt. Bene hoc ſe habet : verum enim eſt quod credis, & actus eſt ex genere ſuo bonus : verum id non ſufficit ad ſalutem : idemque de fide ceterorum articulorum dicendum eſt. Verum ipſi etiam dæmones credunt, & timent, horreſcunt, refugiunt Deum, & Chriſtum Filium Dei Unigenitum, ſuæ malitiæ ſeveriſſimum judicem ac vindicem : tantum abeſt ut illis proſit hujuſmodi fides. *Si confitemini verbis, & factis negatis* ( ait Sanctus Auguſtinus ) *fides talium malorum prope eſt fides dæmoniorum. Jacobus Apoſtolus cum de fide & operibus loqueretur adverſus eos qui ſibi putabant fidem ſufficere, & opera bona habere nolebant, ait* : ,, Tu credis quia unus ,, eſt Deus: bene facis : & dæmones credunt, & ,, contremiſcunt. *Numquid ideo dæmones ab æterno igne liberabuntur, quia credunt & contremiſcunt?*

S. Auguſt. Serm. 183. alias 31. De Verbis Apoſt. cap. 9.
* Geneſ. 22. 9.
Fides caritate formata cauſa eſt bonorum operum, per quæ meretur augeri, ut aucta mereatur perfici.
* Geneſ. 15. 6. 1. Machab. 5. 2.
Opera bona, vel reipſa, vel in animi præparatione facta, neceſſaria ſunt ad juſtificationem adulterum.
Joſue 2.

20. 21. 22. 23. 24. *Vis autem ſcire, o homo inanis, quoniam fides ſine operibus mortua eſt?* Vis-ne ſcire, o homo vane, & bonis operibus vacue, quod fides ſine operibus bonis mortua eſt, id eſt, otioſa, inutilis ad ſalutem, actione & motu carens, quæ vitæ ſunt indicia? Audi quod jam ſum dicturus. * *Abraham Pater noſter, nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare?* Nonne Abraham Pater noſter, & omnium credentium juſtificatus eſt ex operibus, immolans filium ſuum unicum Iſaac ſuper altare, quantum ad præparationem & devotionem cordis pertinet? Quod ſi Abrahamo fides adeo prædicata ſine obedientia & operibus non profuit ad juſtitiam & ſalutem; quid eſt cur alii de ſua fide ſibi polliceri poſſint, ſi ſit ſterilis & otioſa, boniſque operibus deſtituta? *Vides quoniam fides operibus illius & ex operibus fides conſummata eſt?* Vides fidem ejus exeruiſſe virtutem ſuam & efficaciam per opera; & ex operibus non ſolum declaratam fuiſſe & ornatam, ſed auctam, roboratam, perfectam, & ad finem perductam. *Et ſuppleta eſt Scriptura, dicens : * Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt*. Et impleta eſt illa Scripturæ ſacræ ſententia, *Credidit, Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam*, cum filium ſuum immolavit, quia tunc declaratum eſt ad juſtitiam hominis non ſolum neceſſarium eſſe aſſenſum fidei quo Deo creditur, verum etiam aliarum opera virtutum, ex fide profecta, ab eaque directa, propter quæ ſanctus ille Patriarcha amicus Dei appellari promeruit; *Videtis quoniam ex operibus juſtificatur homo, & non ex fide tantum?* Ex quo exemplo intelligitis, hominem ex ſola fide non juſtificari, ſed etiam opera ad juſtitiam Chriſtianam eſſe neceſſaria.

25. *Similiter & Rahab meretrix, nonne ex operibus juſtificata eſt, ſuſcipiens nuntios, & alia via ejiciens?* Nonne etiam Rahab famoſa illa Mulier Jerichuntina juſtificata eſt ex operibus cum fide conjunctis, nempe ſuſcipiendo & abſcondendo exploratores a Joſue miſſos, & eos alia via emittendo, non ſine vitæ ſuæ diſcrimine? Credidit enim Deum Iſrael eſſe ſolum Deum verum in cœlo & in terra; & ex fide proceſſit ad opus caritatis & beneficentiæ.

26. *Sicut enim corpus ſine ſpiritu mortuum eſt, ita & fides ſine operibus mortua eſt*. Nam ſicut corpus deſtitutum anima, quæ vitæ, & operationis ipſius principium erat, mortuum eſt : ita & fides caritate, qua vivit & operatur, atque operibus ex caritate progerminantibus deſtituta, mortua eſt.

## C A P U T II.

*Senſus Moralis.*

Perſonarum acceptio in Chriſtianis hominibus non parvum vitium.

1. 2. 3. 4. N*Olite in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti gloriæ*. Fides judicium ſuum carnalium hominum opinioni, mundique judicio conformare neſcit ac ſerviliter ſubjicere. Non ii magis æſtimandi, aut majori veneratione proſequendi ſunt a fidelibus, qui terrenis divitiis abundant, aut veſtium magnificentia, numeroſoque famulitio ſunt in ſæculo conſpicui, ſed qui gratiæ donis ditiores ſunt, & Deo propinquiores. Nihil pluris faciendum, quam Chriſtiani gloria nominis, & vita huic nomini reſpondens. Qui bona cœleſtia & hereditatem æterni regni pariter expectant, exteriores qualitates, & fortunæ bona, quibus ad breve tempus in ſæculo diſcernuntur, parvifacere debent. Fides quidem & pietas non prohibent quin honos habeatur in Chriſtianorum conventibus iis quos merita, auctoritas, nobilitas, & dignitates diſcernunt : ſed divitiarum dumtaxat rationem haberi, & pauperes deſpici, minime patiuntur. Honorandus eſt Deus in iis quos auctoritatis ſuæ imagines eſſe voluit; ſed in illis etiam honorandus eſt, quos gratiarum ſuarum donis replevit & ornavit. In iis quæ Religionis ſubſtantiam, dignitatem, ſpiritualia bona, juſque ad æternam ſalutem ſpectant, pares ſunt omnino dives & pauper. Nemo propter magnificentiam veſtium illi præponendus eſt, qui Dominum Jeſum Chriſtum induit, qui veſtitus eſt ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitiæ. Iniqui ſunt judices, qui eum honore digniorem æſtimant in Eccleſia, qui ſit ditior, potentior, aut genere clarior. ,, Si ergo nos cognitum apud ,, Deum, & virtutibus conſpicuum hominem ſuperbe ,, deſpexerimus, externam tantum ejus & caducam ,, carnem intuentes, & ex corporis ignobilitate anguſtum animum eſſe ſtatuentes, numquid ab univerſorum Rege diſſentire comperiemur, nec parvæ ,, pœnæ obnoxii erimus, quod magnum eſt quandoque dicentes parvum, & lucem tenebras ponentes, & quod dulce eſt amarum ſtatuentes? ,, Servandi ſunt itaque ſanctis ſui honores, & interna ,, potius nobilitate, quam carnis rationibus ſunt æſtimandi. Sed inter nos plurimi eum qui abjectus ,, ſit in hoc mundo, licet virtutibus conſpicuus ſit, ,, nullo honore aut gloria dignum ducunt, ſed ad ,, ſolam opum copiam, & corruptibilem ac jamjam perituram gloriam haud multum æquis oculis ,, reſpicientes, rectene an perperam judicent, nihil ,, morantur. Hos merito irridet Salvatoris Diſcipulus : " ,, Etenim ( *inquit* ) ſi introierit in conventum veſtrum vir aureum annulum habens in ,, veſte candida, introierit autem & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum qui indutus eſt ,, veſte præclara, & dixeritis ei : Tu ſede hic bene : ,, Pauperi autem dicatis: Tu ſta illic; aut ſede ſub ,, ſcabello pedum meorum : Nonne judicatis apud ,, voſmetipſos, & facti eſtis judices cogitationum ,, iniquarum? " Atque hinc obſervare conſentaneum eſt, quantæ culpæ ſint obnoxii, qui externa ſpecie, non internis virtutibus hominem ſuſcipiunt. Divitiæ enim & earum ſplendor alienam ,, quamdam & adulterinam gloriam poſſeſſoribus afferunt : cordis autem & bonorum operum claritas, ,, veræ ſunt & nativæ divitiæ, quæ non ſimul cum ,, carne manent, aut cum ea ſimul extinguuntur, ,, ſed quamdiu animus in hac vita moratur, cum eo

Tertullian.
S. Cyrillus Alex. lib. 4. Joan. c. 1. p. 343. & 344.

„ habitant, & cum diſcedit, ſimul abeunt quo Rectori hujus univerſi placuerit. *Multæ enim ſunt manſiones apud Patrem*. Honorandi ſunt igitur non qui opibus clari ſunt, ac terrenis gloriolis ſeu picturis ſunt obducti, ſed illi potius quibus operum ſplendor immarceſſibilem nobilitatem conciliat, & in quibus internum decus emicat omni ſpecie bonorum illuſtratis. Verum nulla major injuſtitia eſt, nulla damnabilior acceptio perſonarum, quam in promotione ad Eccleſiaſticas Dignitates eos præponere ceteris qui ditiores ſunt vel nobiliores, non qui digniores, ſanctiores, doctiores, & Eccleſiæ utiliores. „ Non ſane leve putandum eſt eſſe peccatum in perſonarum acceptione habere fidem Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſi illam diſtantiam ſedendi ac ſtandi ad honores Eccleſiaſticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad ſedem honoris Eccleſiæ, contempto paupere inſtructiore atque ſanctiore?

*S. Aug. Epiſt. 167. alias 29. cap. 5.*

5. 6. 7. 8. 9. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide, & heredes regni, quod repromiſit Deus diligentibus ſe? Vos autem exhonoraſtis pauperem*. Pauperes præ divitibus honorandos, ceteris paribus, Dei ſuadet exemplum, qui illos præ iſtis elegit, ut illos divitiis fidei donaret, & regni ſui heredes faceret. „ Videte vocationem veſtram, *ait S. Paulus*, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quæ ſtulta ſunt mundi elegit Deus, ut confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia: & ignobilia mundi elegit Deus, & contemptibilia, & ea quæ non ſunt, ut ea quæ ſunt deſtrueret: ut non glorietur omnis caro in conſpectu ejus. “ Et certe qui terrenis bonis magis deſtitutus eſt, aptior eſt ad ſpiritualia bona recipienda, Nihil habentes in terris cui inhæreant, & quod illos retineat, Deo facilius adhæreſcunt. „ Quid poteſt eo eſſe felicius, cui efficitur ſummus Conditor cenſus, & hereditas ejus dignatur eſſe ipſa Divinitas, ſi modo eum ſanctis operibus colat, omnes fructus ex illo percipiat, in illo & de illo jugiter vivat, & nihil terrenum cum illo poſſideat? Quia omnium Conditor, cui nihil eorum quæ fecit, valet æquari, non dignatur cum his, quæ condidit, poſſideri. Denique quid ultra quærit, cui omnia ſuus Conditor fit, aut quid ei ſufficit, cui ipſe non ſufficit? “ Cœlum hereditas pauperum eſt, Deus illorum æterna portio. Divites in terra ad momentum dominantur: pauperes in ſempiternum regnabunt in cœlis, *Heredes regni*. Digni ſunt ergo qui in terris honorentur, ſi Deum diligant, ſi paupertatem ſuam propter illum tolerent, ſi conditionis humilitatem ſuæ æquo animo ferant, ſi virtutibus divites fieri ſtudeant. Contra vero divites plerique indigni ſunt honore, quia divitiis & potentia ſua ad vexationem & oppreſſionem pauperum abutuntur, ſceleribus quæ ſuis, ſuperbia, faſtu, luxuria, impietate, obduratione adverſus miſericordiam, Religionem Chriſtianam inhonorant. *Nonne divites per potentiam opprimunt vos, & ipſi trahunt vos ad judicia? Nonne ipſi blaſphemant bonum nomen, quod invocatum eſt ſuper vos?* Carnalium hominum pauperes deſpicientium, & divites ob temporalium bonorum abundantiam honorantium, inſaniam præclare deſcribit Sapiens: „ Quæ communicatio (*inquit*) ſancto homini ad carnem? aut quæ pars diviti ad pauperem? Venatio leonis onager in eremo: ſic & paſcua divitum ſunt pauperes. Et ſicut abominatio eſt ſuperbo humilitas: ſic & execratio divitis pauper. Dives commotus confirmatur ab amicis: humilis autem cum ceciderit, expelletur & a notis. Diviti decepto multi recuperatores: locutus eſt ſuperba, & juſtificaverunt illum. Humilis deceptus eſt, inſuper & arguitur: locutus eſt ſenſate, & non eſt datus ei locus. Dives locutus eſt, & omnes tacuerunt, & verbum illius uſque ad nubes perducunt. Pauper locutus eſt, & dicunt, Quis eſt hic? etſi offenderit, ſubvertent illum. Nonne hæc humanarum cogitationum & humanorum judiciorum errorem & iniquitatem oſtendunt? Nonne hæc regiæ legi, ſcilicet caritati adverſantur? Hæc pauperes æque complectitur ac divites. Utrique propter Deum honorandi & diligendi. Qui divites honorat ob ſola fortunæ bona, ipſos propter Deum non diligit, peccatum acceptionis perſonarum committit, a lege damnatur ut tranſgreſſor. „ Si tamen legem perficitis regalem, ſecundum Scripturas, Diliges proximum tuum ſicut teipſum, bene facitis. Si autem perſonas accipitis, peccatum operamini, redarguti a lege quaſi tranſgreſſores. Lex Chriſti caritatem in proximos ita præcipit, ut non ſolum caduca & mortalia bona, ſed potiſſimum ſpiritualia & cœleſtia ſpectet, & ad beatam æternamque vitam referat: ut denique amor proximi, & qui illi defertur honor, ex caritate oriatur, nullo habito reſpectu ad privata commoda atque utilitates. Quicquid non fit ex caritate, bene non fit. Acceptio igitur perſonarum non ſolum in judicio, non ſolum in Sacerdotiis, & Dignitatibus ac Beneficiis Eccleſiaſticis, quin etiam & in Politicis conferendis, cum ea ſpectantur quæ ad cauſam minime pertinent, grave peccatum eſt; ſed & in honore tribuendo divitibus cum pauperum contemptu. Non modo enim contra juſtitiam diſtributivam, ſed etiam contra caritatem peccatur, quæ certo quodam ordine cunctos complectitur, & ſi quod ſit in amore diſcrimen conſtituendam, id non a divitiis, aut nobilitate, ceteriſque externis bonis, ſed ex cujuſque merito petendum eſt. Ut enim quiſque magis accedit ad ſummum bonum, majori dignus amore eſt; externa vero bona, quia non tribuunt veram bonitatem, quæ a ſola virtute oritur, dignum non faciunt hominem qui præ ceteris diligatur.

*1. Cor. 1. 26.*

Pauperes, cæteris paribus, plus honorandi quam divites.

*Julianus Pomerius, lib. 2. De Vita Contemplat. c. 16.*

*Eccli. 13. 22. & ſeq.*

Acceptio perſonarum grave peccatum.

10. 11. *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit, Non occides. Quod ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis*. Uno peccato mortali, unius mandati violatione gratia & caritas non minus amittuntur, quam omnium violatione mandatorum. Dei voluntas non minus in uno mandato, quam in omnibus ſimul adoranda & diligenda eſt. „ Qui ergo offendit in uno, fit omnium reus; ſed gravius peccans, vel in pluribus peccans, magis reus; levius autem vel in paucioribus peccans, minus reus: tanto majore ſcilicet reatu, quanto amplius; tanto minore, quanto minus peccaverit: tamen etiamſi in uno offenderit, reus omnium eſt, quia contra caritatem facit, in qua pendent omnia. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua .... Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis univerſa Lex pendet & Prophetæ*. Igitur *Tanto quiſque plenior iniquitatis, quanto inanior caritatis*. Uno porro peccato mortali tota caritas amittitur, tota lex violatur, mandatis omnibus lethale vulnus (ut ita loquar) infligitur, cum omnium anima, radix, & vita, quæ caritas eſt, deſtruitur. Uno peccato mortali ſupremi Legiſlatoris auctoritas contemnitur, omnia bona ſpiritualia perduntur, æterna damnatio, ſi in illo moriatur peccator, inevitabilis eſt, *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet*. Se pluribus vitiis non eſſe contaminatum inaniter gloriatur, qui Deum vel in uno contemnere non veretur. Juſtitia Chriſtiana veſtis eſt, qua ex omni parte operiri & ornari debet anima, ut Deo placeat. Lacera eſt, niſi integra atque abſoluta legis obſervatione conſtet: excidit ab anima, eamque coram Deo nudam relinquit, ſi caritatis fibula ſolvatur. *Juſtitia indutus ſum, & veſtivi me ſicut veſtimento* (ait S. Job.) Veſtimento cum veſtimur, ex omni parte circumdamur. „ Ille ergo juſtitia ſicut veſtimento veſtitur, qui ſe undique bono opere protegit, & nullam partem actionis ſuæ peccato nudam relinquit, Nam qui in aliis actionibus juſtus eſt, in aliis injuſtus, quaſi hoc latus cooperuit, aliud nudavit; nec jam bona ſunt opera, quæ ſubortis aliis pravis operibus inquinantur...... Cordis ergo oculis circumquaque porrectis, undique nobis adhibenda cuſtodia eſt. Unde recte per Salomonem dicitur: *Omni cuſtodia ſerva cor tuum, quia ex ipſo vita procedit*: ut unuſquiſque hinc inde ſe diligenter inſpiciat, & quamdiu in hac vita eſt, contra ſpiritales inimicos in acie ſe poſitum ſciat, ne mercedem quam per has actiones colligit, per alias amittat; ne hinc hoſti fores obſtruat, & aliunde aditum pandat. Si qua etenim civitas contra inſidiantes inimicos magno valletur aggere, fortibus cingatur muris, ex omni parte inſomni muniatur cuſtodia, unum vero in ea foramen tantummodo immunitum per negligentiam relinquatur, inde procul dubio hoſtis ingreditur, qui undique excluſus videbatur. “ „ Phariſæus namque ille, qui in templum oraturus aſcendit, civitatem mentis ſuæ quanta munitione vallaverit; audiamus: *Jejuno* (inquit) *bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſſideo*. Qui præmiſit, *Gratias ago tibi*, magna certe munimina adhibuit. Sed videamus ubi inſidianti hoſti immunitum foramen reliquit: *Quia non ſum ſicut Publicanus iſte*. Ecce civitatem cordis inſidiantibus hoſtibus per elationem aperuit, quam fruſtra per jejunium & eleemoſynas clauſit. Incaſſum munita ſunt cetera, cum locus unus, de quo hoſti patet aditus, munitus non eſt, Gratias recte egit, ſed perverſe ſuper Publicanum ſe extulit. Civitatem cordis ſui extollendo prodidit, quam abſtinendo & largiendo ſervavit. Victa eſt per abſtinentiam gula, deſtructa ventris ingluvies, ſuperata eſt lar-

„ gitate

Uno peccato mortali tota lex violatur.

*S. Aug. Epiſt. 167. alias 29.*

*Matt. 22. 38. 39. 40.*

*Eccleſ. 9. 16.*

*Job. 29. 14.*

*S. Greg. M. lib. 19. Moral. cap. 12.*

*Luc. 18.*



„ gitate tenacia, avaritia depreſſa. Quibus hoc laboribus actum credimus? Sed quot labores uno vitio percuſſi ceciderunt, quanta bona unicus culpæ gladio ſunt perempta? Unde magnopere *oportet & bona ſemper agere, & ab ipſis nos bonis operibus caute in cogitatione cuſtodire: ne ſi mentem elevant, bona non ſint, quæ non Auctori militant, ſed elationi*.

12. *Sic loquimini, & ſic facite, ſicut per legem libertatis incipientes judicari*. Vitam noſtram, cogitationes, ſermones, & opera ad regulam Evangelii componamus, ſecundum quam a Deo judicabimur. *Qui ſpernit me*, (inquit Chriſtus) *& non accipit verba mea, habet qui judicet eum. Sermo quem locutus ſum, ille judicabit eum in noviſſimo die*. Qui ſanctæ libertati caritatis ſuſtituunt effrenem & maleſanam libertatem cupiditatis, per legem libertatis judicabuntur ut ſervi contumaces. Si Dei amor nos a peccato nondum cohibet, ſaltem coerceat Judicii timor. Qui ſe ex Dei lege judicandos non cogitans, in profundum peccatorum præcipites ruunt. „ Non eſt Deus in conſpectu ejus, inquinatæ ſunt viæ illius in omni tempore. Auferuntur judicia tua a facie ejus. *Auſcultemus Chriſto Domino dicenti*: „ Eſto conſentiens adverſario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adverſarius Judici, & Judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittatis. Adverſarius noſter divina lex, quæ noſtris cupiditatibus adverſatur. Eas igitur divinæ legi ſubjiciamus, ac obſequentes reddamus per Chriſti gratiam, ne tradamur Judici, & mox miniſtris, in inferorum carcerem detrudendi, æternumque cruciandi. Ad legem evangelicam omnia verba & opera noſtra diſcutiamus, cum ſancto viro Job dicentes: *Verebar omnia opera mea, ſciens quod non parceres delinquenti*. Nos ipſos judicemus judicio diſcuſſionis, ne judicemur in noviſſimo die judicio damnationis.

Vita noſtra ad regulam Evangelii componenda.

*Joan. 12. 48.*

*Pſalm. 9. 5.*

*Matth. 5. 25.*

*Job 9. 28.*

Propitiam in judicio miſericordiam Dei non habebit, niſi qui illam imitatus fuerit.

13. *Judicium enim ſine miſericordia illi qui non fecit miſericordiam: ſuperexaltat autem miſericordia judicium*. Qui Dei juſtitiam flectere vult, propitiam ſibi reddere ſtudeat ejus miſericordiam: Illam imitetur, ut per eam a judicii ſeveritate liberetur. „ Dimittite, & dimittetur vobis: date, & dabitur vobis, *ait Chriſtus Dominus*. *Et*, Qua menſura menſi fueretis, remetietur vobis: & in quo judicio judicaveritis, judicabimini. *Et*, Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. *Dimittite injurias*, eleemoſynas erogate: propitiam in judicio miſericordiam probabitis. Et hoc utique juſtum eſt, ut dimittatur eis qui dimiſerunt, & detur eis qui dederunt. *Ineſt quippe Deo & miſericordia judicanti, & judicium miſeranti*. „ Propter quod ei dicitur: *Miſericordiam & judicium cantabo tibi, Domine*. Nam quiſquis velut niminum juſtus judicium ſine miſericordia quaſi ſecurus exſpectat, iram juſtiſſimam provocat, quam timens ille dixit, *Ne intres in judicium cum ſervo tuo*. Unde dicitur populo contumaci, *Qui vultis mecum judicio contendere?* Cum enim Rex juſtus ſederit in throno, quis gloriabitur ſe caſtum habere cor, aut quis gloriabitur mundum ſe eſſe a peccato? Quæ igitur ſpes eſt, niſi ſuperexultet miſericordia judicio? Sed erga illos qui miſericordiam fecerunt, veraciter dicendo, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*: & ſine murmuratione dando. *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Parva putatis opera miſericordiæ? Attendite iſtam ſententiam de ſancta Scriptura depromptam: *Judicium ſine miſericordia illi, qui non fecit miſericordiam*. „ Sine miſericordia judicabitur, qui miſericordiam non fecit antequam judicaretur. *Superexaltat autem miſericordia judicio*: in quo inventum fuerit opus miſericodiæ, etſi habuerit forte in judicio quo puniatur, tamquam unda miſericordiæ peccati ignis extinguitur. Numquid autem & cum talibus ſubvenit, & cum tales liberat, & cum talibus ignoſcit, injuſtus eſt Deus? Abſit. Et ibi juſtus eſt. Non ei tollit miſericordia juſtitiam, nec juſtitia miſericordiam. Vide ſi non juſtus eſt, Dimitte & dimitto; da, & do. Vide ſi non juſtus eſt: *In qua menſura menſi fueritis, in ea remetietur vobis*. Eſt apud te menſura veniæ dandæ, invenies apud me menſuram veniæ accipiendæ: eſt apud te menſura tribuendi quod habes, invenies apud me menſuram accipiendi quod non habes.

*Luc. 6. 37.*

*Matth. 7. 2.*

*Matth. 5. 7.*

*S. Aug. Epiſt. 167. cap. 6.*

*Pſ. 100. 1.*

*Pſ. 142. 2.*

*Jerem. 2. 29.*

*Matth. 6. 12.*

*2. Cor. 9. 7.*

*S. Aug. in Pſ. 143. n. 8.*

14. 15. 16. 17. *Quid proderit, fratres mei, ſi fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides ſalvare eum?* „ Ille fruſtra de fide gloriatur, cujus fides bonorum operum teſtimonio non probatur. Quorſum dixit Dominus. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, & commemoravit ea quæ ad bonos mores pertinent, ſi etiam his non ſervatis ad vitam veniri poteſt per ſolam fidem? Quomodo verum eſt, quod eis, quos ad ſiniſtram poſiturus eſt dicet, *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus?* Quos non increpat, quia in eum non crediderunt, ſed quia bona opera non fecerunt. Nam profecto ne ſibi quiſquam de fide, quæ ſine operibus mortua eſt, vitam promittat æternam, propterea omnes gentes ſegregaturum ſe dixit, quæ permixtæ eiſdem paſcuis utebantur, ut appareat eos illi dicturos, *Domine, quando te vidimus illa & illa patientem, & non miniſtravimus tibi?* Qui in eum crediderant, ſed bona operari non curaverant, tamquam de ipſa fide mortua ad vitam perveniatur æternam. Si ſola fidei externa profeſſio & ſacramentorum participatio, nos ab infidelibus diſcernit, non vita & opera, quid inde niſi graviorem damnationem in nos arceſſimus? Fides ſine caritate, & operibus ſterilis eſt, fructum ſalutis æternæ non profert. Non verbis ſolum, ſed bonis operibus Deum promeremur. Deum irridet, ſeipſum decipit, miſeriæ proximi inſultat, qui cum poteſt ſubvenire indigenti, bonis tantum verbis & ſterilibus deſideriis illum proſequitur. Siccine lex caritatis impletur? Siccine miſericordia exercetur? Siccine ſolvitur quod Deo debemus? Siccine divinæ providentiæ illuditur, quæ ſuæ de pauperibus curæ nos miniſtros & cooperatores eſſe jubet? Panem quotidianum a Deo poſtulamus & exſpectamus, & fratribus victu quotidiano indigentibus ſubvenire recuſamus? Chriſtum oramus ut nos juſtitia ſua induat, ſine qua nudi ſumus & miſerabiles: & fratribus noſtris tegumenta non habentibus ſubminiſtrare renuimus veſtem qua ſe cooperiant, & corpus ſuum a frigore protegant? *Si autem frater & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano: dicat autem aliquis ex vobis illis, Ite in pace, calefacimini, & ſaturamini: non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?* Qui Deo ſe ſiſtere præſumit ſine pietatis Chriſtianæ fructibus, radicem illorum ſterilem, aridam, & mortuam eſſe oſtendit, adeoque arborem excidendam, & in ignem mittendam. „ Sic & fides, ſi non habeat opera, mortua eſt in ſemetipſa. Ex operibus ergo fidem & terræ veſtræ fœcunditatem oſtendite.

Fides ſine bonis operibus inutilis ad ſalutem.

*Matth. 19. 17.*

*Matth. 25.*

*S. Aug. lib. de Fide & Operibus, cap. 15.*

*S. Gregor. Nazianz. Orat. 28.*

19. *Tu credis quoniam unus eſt Deus: bene facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt*. Fides definita eſt, quæ per dilectionem operatur. „ Tolle fidem, perit quod credis; tolle caritatem, perit quod agis. Si enim credis, & non amas, non te moves ad bonum opus: & ſi moves, ut ſervus moves, non ut filius; timendo pœnam, non amando juſtitiam. Illa ergo fides mundat cor, quæ per dilectionem operatur... Si tantum credis, & ſine ſpe vivis, vel dilectionem non habes: Et dæmones credunt, & contremiſcunt. Quid magnum eſt, ſi dicis Chriſtum Filium Dei? Hoc dixit Petrus & audivit, Beatus es, Simon Barjona. Hoc dixerunt dœmones, & audierunt, Obmuteſcite; & hoc ipſum dicunt, & repelluntur. Una vox eſt, ſed Dominus radicem interrogat, non florem. Prius ergo diſcerne fidem tuam a fide dœmonis, Unde eam diſcernis? Dœmones hoc dixerunt timendo, Petrus amando. „ Quid de impiis hominibus dicendum, qui nec in Deum credunt, nec Deum timent? Nonne ſunt dæmonibus pejores?

*S. Auguſtin. Serm. 53. alii 14. ex editis a Pariſienſibus, & Serm. 158. alias 16. De Verbis Apoſtoli.*

*Matth. 16.*

21. 22. 23. 24. *Abraham Pater noſter, nonne ex operibus juſtificatus eſt, offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare?* Fides Abrahæ tam eximia, ſine operibus inutilis fuiſſet. Quamvis ergo veritatibus a Deo revelatis, ejuſque promiſſionibus credamus, ſalutem non conſequemur, niſi Dei voluntati ac mandatis obediamus, eique, quod nobis ſecundum carnem chariſſimum eſt, ſacrificemus. Quicquid in hoc mundo legitimo etiam & inculpato amore diligimus, Iſaac noſter eſt. Illum in præparatione cordis Deo immolare debemus, pro ejus voluntate, ut fides noſtra perficiatur & conſummetur. Deo per obedientiam reddamus quod ab eo accepimus: ex ejus donis ac datis ſummæ illius Majeſtati hoſtias offeramus, ut ejus amici appellari & eſſe mereamur. *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam, & amicus Dei appellatus eſt*.

---

## C A P U T III.

### *Senſus Litteralis.*

1. NOlite plures magiſtri fieri * fratres mei, ſcientes * quoniam majus judicium ſumitis. *Ne paſſim magiſterii munus & honorem ambiatis, & aliis præſidere, illoſque docere expetatis. Vobis enim perſuaſum eſſe debet eos qui hanc dignitatem & officium ſibi ſumunt, ſeveriori judicio, gravioribuſque pœnis obnoxios eſſe.

* Confer cum Matt. 23. 10.

* Secundum Græcum Textum, *ſumemus*. Conſonat Syriaca Verſio.

2. * In

* Ex hac S. Jacobi ſententia refellitur Pelagianorum error aſſerentium poſſe homines juſtos in hac vita ſine omni peccato etiam veniali vivere. Confer cum Eccleſ. 7. 22. *Non eſt enim homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet*. Et Prov. 24. 16. *Septies enim cadet juſtus*. Et 1. Joan. 1. 8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus*.

2. * *In multis enim offendimus omnes: ſi quis in verbo non offendit: hic perfectus eſt vir, poteſt etiam fræno circumducere totum corpus*. Nemo enim noſtrum eſt, qui in multis non impingat & peccet. Cavendum proinde eſt ne reatum augeamus, dum Magiſtri in Eccleſia eſſe volumus, & aliis præſidere: cum in eo munere obeundo gravius ac periculoſius labi contingat. Quid loquendo interdum non peccat, vir eſt eximiæ virtutis ac perfectionis in converſatione ſua, & totum actionum ſuarum corpus facile moderari, & ad regulas morum dirigere poteſt.

3. 4. 5. *Si autem equis fræna in ora mittimus ad conſentiendum nobis, & omne corpus illorum circumferimus*. Nonne videtis nos immittere ſolere frænum in ora equorum, ut nobis obediant, & ita totum illorum corpus pro noſtro arbitrio circumagere? *Ecce & naves, cum magnæ ſint, & a ventis validis minentur* *, *circumferuntur a medico gubernaculo, ubi impetus dirigentis voluerit*. Nonne etiam cernitis naves miræ magnitudinis, & ventis vehementibus agitatas & impulſas, perexiguo gubernaculo duci quo voluerit nauclerus illas dirigens? *Ita & lingua modicum quidem membrum eſt, & magna * exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam ſilvam incendit*. Ita & lingua, quamvis exile ſit corporis membrum, ſe tamen magna operari, tam bona quam mala, * gloriari poteſt. Nonne videtis quam grandem lignorum ſtruem exiguus ignis incendit?

*Minare, verbum obſoletæ Latinitatis, id eſt, *ducere*. Unde Gallicum, *Mener*.

* Græce, μεγαλαυχεῖ *magna gloriatur*. Oecumenius.

6. *Et lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis, Lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ inflammata a gehenna*. Lingua ſimilis eſt igni. Sicut enim exiguus ignis, niſi magna cautione ſervetur, magnum parit incendium: ita lingua puſillum membrum, niſi coerceatur, multorum magnorumque malorum cauſa eſt & incentrix; mundus vitiorum ac ſcelerum: Et cum ſit perexiguum corporis noſtri membrum, male cuſtodita, totum hominem undequaque vitiis inficit & commaculat: totumque vitæ noſtræ curſum quaſi incendio vaſtat omnium cupiditatum ignes excitans; cum ipſa ſit igne inferni inflammata, id eſt, a diabolo inſtigata, cujus malitiæ ſervit ut inſtrumentum.

* Græce, ὀλίγον πῦρ, *exiguus ignis* S. Hieron. in cap. ult. Iſaiæ: *Parvus ignis quam grandem ſuccendit materiam!*

§ Ἀκατάσχετον κακόν. *malum effrænatum, & quod coerceri non poſſit*.

Pſalm. 139. 4.

7. 8. *Omnis enim natura beſtiarum, & volucrum, & ſerpentium, & ceterorum domantur & domita ſunt a natura humana*. Nullum animalium genus quod domari non poſſit ab homine: & experientia probat ex omni genere domita fuiſſe, & nunc etiam variis modis domari, manſuefieri, ſubjici ab hominibus. *Linguam autem nullus hominum domare poteſt: inquietum malum, plena veneno mortifero*. Linguam autem malam nullus homo propriis viribus domare poteſt, multo minus alienam coercere. Malum eſt quod vix refrænare & cohibere poſſis, ne ſolutis repagulis erumpat, & graſſetur in hominum perniciem. Parata ſemper eſt ad nocendum, in modum aſpidis mortifero veneno plenæ. Unde Propheta dixit: *Acuerunt linguam ſicut ſerpentis, venenum aſpidum ſub labiis eorum*. Sententiam iſtam, *Linguam autem nullus hominum domare poteſt?* appoſito puncto interrogationis perperam legit Oecumenius, quaſi facile ſit domare linguam, contra ſenſum Apoſtoli, & Sanctum Auguſtinum, Pelagianos eodem modo legentes refellentem. §

§ S. Aug. lib. De Natura & Gratia, c. 15.

9. 10. *In ipſa benedicimus Deum & Patrem: & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt*. Per ipſam laudamus Deum, qui Pater noſter eſt, & per ipſam maledicimus hominibus ad imaginem Dei conditis. *Ex ipſo ore procedit benedictio & maledictio. Non oportet, fratres mei, hæc ita fieri*. Ex eodem ore hæc duo tam contraria procedunt, benedictio & maledictio; quod procul abſit a vobis, cum Chriſtianos maxime dedeceat.

11. 12. *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam?* Numquid aqua dulcis & amara ex eadem fontis ſcaturigine profluere poteſt? Perabſurdum igitur eſt ut ex eodem ore benedictio Dei & maledictio proximi oriatur. *Numquid poteſt, fratres mei, ſicut uvas § facere, aut vitis ficus? Sic neque ſalſa dulcem poteſt facere aquam*. Numquid poteſt ficus uvas progignere, aut vitis ficus? Id rerum natura non patitur, cum quælibet planta congeneres fructus proferat. Sic neque fons aquæ ſalſæ dulcem aquam effundere poteſt. Igitur cum ratione pugnat ut una eademque lingua benedictionem & maledictionem proferat.

§ Ex Græco Textu, & Syriaca Verſione, *olea*.

1. Cor. 12. 8.

13. *Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos? Oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ*. Si quis ſit inter vos ſapiens & doctus, bona opera, præſertim beneficentiam erga proximos, conſtanti probæ vitæ curſu & tenore oſtendat, & ſapientiam cum manſuetudine conjunctam. Sapientia, rerum ad religionem pertinentium notitia eſt per cauſas ſuperiores. Scientia vero earumdem rerum notitia per ea quæ ſunt humanæ ſcientiæ vel experientiæ. De utroque dono ſcribit ſanctus Paulus: *Alii quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ: alii autem ſermo ſcientiæ ſecundum eumdem Spiritum*.

§ Ἀκαταστασία: *tumultuatio*. Syriaca Verſio, & Æthiopica conſonant.

§ Ἐπιεικής. *Æqua*.

§ Vox Græca Εὐπειθής ſignificat *ſuadibilem* ſeu facile accendentem rationi, & *bonis conſentientem*. Unde duas translationes in noſtra Editione vulgata conjunctas, Viri Eruditi conjiciunt, & ex Verſionibus Syriaca, Æthiopica, & Arabica confirmant.

14. 15. 16. *Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris: nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem*, Verum ſi amaritudinem invidiæ in corde habeatis, & animum ad contentiones propenſum, ne vos ſapientes eſſe jactetis. Id enim eſſet ſtulte gloriari & mentiri adverſus veritatem. *Non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica*. Non eſt enim vera iſta ſapientia, nec a Deo profecta, ſed curvis in terram animis & carnalibus conveniens, & a diabolo inſpirata. *Ubi enim zelus & contentio: ibi inconſtantia, § & omne opus pravum*. Invidiam enim & contentionem ſequitur inconſtantia tumultuoſa & ſeditioſa, & omne pravi operis genus.

17. *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, § ſuadibilis, bonis conſentiens, § plena miſericordia, & fructibus bonis, non judicans, ſine ſimulatione*. Quæ autem a Deo eſt ſapientia, primum quidem caſta eſt, deinde pacis amans, moderata & æqua, facilis ad obediendum, melioribus conſiliis & rationibus acquieſcens, plena miſericordia, & bonorum operum fructibus, minime præceps ad judicandum de alienis dictis & factis; vel, non habens reſpectum perſonarum, honorando divitem, & contemnendo pauperem, qua de re Apoſtolus noſter ait: *Nonne judicatis apud voſmetipſos, & facti eſtis judices cogitationum iniquarum?* (ſuperius cap. 2. verſ. 4.) Vera denique & cœleſtis ſapientia ſimulationis expers eſt.

18. *Fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur, facientibus pacem*. Fructus autem ſeu incrementa juſtitiæ & meritorum, & gloria æterna, quæ eſt juſtitiæ merces, in pace ſeminatur per actus virtutum, ac præſertim caritatis, ab iis qui pacem Chriſtianam ſervant, & ſummo ſtudio promovent,

---

## CAPUT III.

### Senſus Moralis.

Periculoſum Paſtoris & Doctoris Munus,

1. *Nolite plures Magiſtri fieri, fratres mei, ſcientes quoniam majus judicium ſumitis*, Periculoſum eſt alios regendi docendique munus. Qui ſine vocatione Dei, ambitionis impulſu, Paſtoris & Doctoris munus appetunt & ſuſcipiunt, peccatorum ſuorum ſarcinam aggravant, majorique damnationi ſe exponunt. Qui doctrinæ ſingularitatem in Religione aut Morali Chriſtiana affectant; qui ſe Magiſtros ſic oſtentant, ut antiquorum Eccleſiæ Doctorum ac Patrum, Sedis Apoſtolicæ Pontificum, & Epiſcopalis Collegii diſcipuli eſſe nolint: qui Scripturæ ſacræ & Traditioni opiniones ſuas non conformant, ſed ſtudiis partium, & humanæ gloriæ abrepti, peregrinas doctrinas, pravaſque opiniones in Eccleſiam inducunt, ex illorum ſunt numero Magiſtrorum quos hic perſtringit ſanctus Apoſtolus. „ Magiſtros plures „ tunc fieri exiſtimo, *ait S. Auguſtinus*, cum diverſa atque inter ſe adverſa ſentiunt. Cum vero idipſum dicunt omnes, & verum dicunt, ab unius „ veri Magiſtri magiſterio non recedunt. Offendunt „ autem, non cum illius multa dicunt, ſed cum „ addunt ſua. Sic quippe incidunt ex multiloquio „ etiam in falſiloquium. *Væ Eccleſiaſticis viris*, qui „ dogmatum non cuſtodiunt veritatem, ſed de ſuo „ corde confingunt, magiſtramque habent præſumptionem ſuam. Qui cum populo perſuaſerint vera „ eſſe quæ fingunt, & in theatralem modum plauſus „ concitaverint & clamores, immemores fiunt imperitiæ ſuæ, & adducto ſupercilio, liberatiſque ſermonibus atque trutinatis, Magiſtrorum ſibi aſſumunt auctoritatem. „ Paſtores & Doctores, qui abſque doctrina ſufficiente, aliiſque dotibus neceſſariis in Miniſterium Eccleſiaſticum irrepſerunt, qui officio ſuo non funguntur, qui mala, vel male docent, qui vanam doctrinæ gloriam, vel temporalia commoda captant; vel, (ſi bene doceant) quorum mores doctrinæ ſanæ non reſpondent, gravioribus pœnis a ſummo Judice damnabuntur,

S. Aug. Prologo Retract.

S. Hier. in c. 14. Ezechielis.

Venialia peccata quotidiana pœnitentia eluenda.

2. *In multis offendimus omnes. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir, poteſt etiam fræno circumducere totum corpus*. Perſæpe & in multis labimur, per ignorantiam, imprudentiam, & concupiſcentiam malam, quæ contra juſtitiæ rationem appetendo ſeu vitando, faciendum, vel dicendum, vel cogitandum aliquid quod non debuit, ſive fallens, ſive prævalens perſuadet. Quotidianæ ergo peccatorum venia-

lium



lium maculæ quotidiana & perpetua pœnitentia, oratione, aliiſque bonis operibus eluendæ ſunt, præſertim vero condonatione injuriarum. „ Sunt „ peccata levia & minuta, quæ devitari omnino non „ poſſunt, quæ quidem videntur minora, ſed multitudine premunt. Nam & acervus frumenti minutiſſimis granis colligitur, & tamen onerantur inde „ naves: & ſi amplius onerentur, demerguntur. „ Unum fulmen dejicit aliquem, & occidit: ſed & ſi pluvia ſit nimia, minutiſſimis guttis tamen multos „ interficit. Illud uno ictu perimit, illa ex multitudine exſtinguit. Magnæ beſtiæ uno morſu occidunt hominem: minutæ autem cum fuerint multæ congregatæ, plerumque interimunt, & talem „ perniciem inrunt, ut pœnis hujuſmodi gens ſuperba Pharaonis judicari meruerit. Si ergo quamvis „ minuta ſint peccata, tamen quia tam multa ſunt, „ ut congregata acervum faciant, quo te premant; „ bonus eſt Deus, qui etiam ipſa dimittit, ſine quibus non poteſt iſta vita duci. Quomodo autem „ dimittit, ſi tu non dimittas quæ in te committuntur? Sententia iſta ſic eſt in corde hominis, quomodo cadus unde ſentinatur navis in pelago. Non „ poteſt enim niſi aquam admittere per rimas compaginis ſuæ. Paulatim tamen adhibendo tenuem „ liquorem, facit multam collectionem, ita ut ſi non „ exhauriatur, navem opprimat. Sic & in iſta vita „ habemus quaſdam mortalitatis fragilitatiſque noſtræ „ rimulas; per quas intrat peccatum de fluctibus hujus ſæculi. Arripiamus tanquam fitellam iſtam ſententiam, ut ſentinemus, ne demergamur. Dimittamus debita debitoribus noſtris, ut dimittat nobis „ Deus. Per hanc ſententiam (ſi fiat, ut vere dicatur,) exhauris quidquid influxerat. Sed cautus „ eſto: adhuc enim in mari es. Nam cum hoc ſemel „ feceris, non ſufficit, niſi perveneris trajecto iſto „ mari ad illam patriæ ſoliditatem & firmitatem, „ ubi nullis fluctibus quatiaris, nec dimittas quod „ in te non admittitur, nec tibi dimitti velis quod „ non admittis. Cum autem in multis offendamus „ omnes, tamen in verbis facilior & frequentior lapſus „ eſt, adeo ut ad Chriſtianæ juſtitiæ perfectionem „ proxime accedat, qui verbo non peccat. Porro cum „ unuſquiſque vereri debeat & cavere, ne loquendo „ peccet: id multo magis timere & cavere debent „ Paſtores & Doctores, cum periculoſiſſimum ſit de „ rebus religionis male & indigne loqui.

S. Aug. Serm. 278. alias De Diverſis 34. num. 12. & 13.

Linguæ peccata.

* Confer cum *Eccleſiaſtici* 28. 16. *& ſeq.*

5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. *Lingua modicum quidem membrum eſt, & magna exaltat. Ecce quantus ignis quam magnam ſilvam incendit? Et lingua ignis eſt, univerſitas iniquitatis*. * Ex bono uſu linguæ quot & quanta bona? Ex malo uſu quot & quanta mala oriuntur? Lingua pii Doctoris & Apoſtolici Prædicatoris a Spiritu ſancto animata divini amoris ignem in cordibus fidelium incendit. Lingua ſeductoris, detractoris, aut adulatoris, incendio errorum, cupiditatum, & peccatorum, animas vaſtat. Quam cito ignis lignorum ſtruem domoſque conſumit, tam cito lingua improba nocumentum infert graviſſimum. Inflammatur a diabolo, cujus inſtrumentum eſt ad pravas cupiditates inflammandas; ſemen eſt venenatum omnium peccatorum, *Mundus iniquitatis*. Nullum enim peccati genus eſt quod lingua non pariat, aut perpetrando, ut blaſphemias, hæreſes, perjuria, falſa teſtimonia, calumnias, detractiones, convitia; aut præcipiendo, ſuadendo, provocando; aut occaſiones & fomenta ſubminiſtrando, ut fornicationes, ſtupra, adulteria, rixas, cædes, ebrietates, ſchiſmata. „ Peccatum quod per linguam committitur, „ omnium fere propenſiſſimum eſt, (ait S. Baſilius) „ ſed & idem multiforme. Iratus es? Mox lingua „ præcurrit. Concupiſcentia teneris? Habes linguam „ ante omnia quaſi lenam & conciliatricem, quæ „ cooperetur peccato, quæ per ſimulationem proximis imponat, Eſt tibi lingua quoque vice teli ad „ iniquitatem, cum non ex corde loquitur, ſed ea „ promit quæ ad fraudem & impoſturam faciunt. „ *Os tuum abundavit malitia, & lingua tua concinnabat dolos. Sedens adverſus fratrem tuum loquebaris, & adverſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum:* Vita noſtra referta eſt linguæ peccatis, „ turpiloquio, perjurio, detractione, otioſo ſermone, „ falſis teſtimoniis. Hæc mala omnia, & his plura, „ ſunt linguæ opera. Qui vero adverſus Dei gloriam „ os aperiunt, & iniquitatem in Excelſum loquuntur, alio-ne quam linguæ organo impietatem ſuam „ perficiunt? Quoniam igitur ex verbis tuis juſtificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis, *Prohibe linguam tuam a malo*, nec vana mendacique „ lingua iram tibi theſaurizabis. *Probibe* item *labia tua ne loquantur dolum*; hoc eſt, quæ tibi data „ ſunt inſtrumenta adminiſtrando ſermoni, fac vacare a prava operatione. Eſt autem dolus maleficium occultum proximo oblatum ſub prætextu rei „ melioris.

S. Baſil. Hom. in Pſal. 33.

Pſal. 49. 19.

Orandum & laborandum ut dometur lingua.

Prudentia humana linguam domare non poteſt. Ille ſolus vim habet coercendi linguam, qui cordis humani quocumque voluerit flectendi omni potentiſſimam habet poteſtatem. Linguæ impetum & inquietudinem quis cohibere poteſt, niſi digitus Dei? Quis ejus corruptioni & veneno mederi, niſi gratia medicinalis Salvatoris? *Linguam nullus hominum domare poteſt; inquietum malum, plena veneno mortifero*. Quod non ideo dixit ſanctus Apoſtolus, ut hujus in nos mali dominationem per negligentiam permanere patiamur, ſed ut ad domandam linguam divinæ gratiæ poſcamus auxilium. „ Non enim ait, „ Linguam nullus domare poteſt: ſed, *nullus hominum:* ut cum domatur, Dei miſericordia, Dei adjutorio, Dei gratia fieri fateamur. *Conetur ergo anima domare linguam, & dum conatur, poſcat auxilium; & oret lingua, ut dometur lingua, donante illo qui dixit ad ſuos:* „ Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. *Itaque præcepto facere commonemur, quod conantes, & noſtris viribus non valentes, adjutorium divinum precemur*. „ Linguam nullus hominum domare poteſt. Attendite ſimilitudinem ab ipſis beſtiis quas domamus. Equus non ſe domat, elephantus non ſe domat; leo non ſe domat, ſic & homo „ non ſe domat, ſed ut dometur equus, bos, camelus, elephantus, leo, aſpis, quæritur homo. *Ergo Deus quæratur, ut dometur homo... Imago Dei domat feram, & non domat Deus imaginem ſuam?*

S. Aug. lib. De Natura & Gratia, c. 15.

Idem Serm. 55. alias 4. De verb. Domin. cap. 2. & 3.

Cum vitiis pene omnibus ſerviat lingua mala, ſervit maxime hypocriſi & duplicitati cordis, nunc in laudes Dei, mox in hominum exſecrationem effuſa; benedicens Patri, maledicens fratribus; Regem regum honorans, & ejus imaginem conſpuens, fœdans, lacerans, conculcans? *In ipſa benedicimus Deum & Patrem, & in ipſa maledicimus homines, qui ad ſimilitudinem Dei facti ſunt*. Deum labiis honorant maledici, cor autem illorum longe eſt ab eo. *Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris*. Laus quæ a caritate non offertur, a Deo, qui caritas eſt, reſpuitur. Quæ cum ita ſint, ſolicite cuſtodiamus linguam noſtram, Deum oremus ut illam domet gratia ſua, *Pone, Domine, cuſtodiam ori meo, & oſtium circumſtantiæ labiis meis:* Vigilemus & caveamus ne linguæ intemperantia & effreni volubilitate labamur in peccata: *Dixi, Cuſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea*.

Eccli. 15. 9.

Pſalm. 140. 3.

Pſalm. 38. 1.

Dotes Paſtori & Doctori Catholico neceſſariæ.

13. 14. *Quis ſapiens & diſciplinatus inter vos? Oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam in manſuetudine ſapientiæ?* Quinque Paſtori & Doctori Catholico neceſſarias dotes duo iſti Verſus complectuntur. 1. Singularem ſapientiam, ſeu rerum divinarum notitiam, quæ maxime ex Scripturis ſacris hauritur. *Quis ſapiens?* 2. Diſciplinarum humanarum ornatum, quibus fides adjuvatur, & ad captum humani ingenii explicatur: *& diſciplinatus inter vos:* „ O Sacerdos, o Doctor, ſi te divinum munus idoneum fecerit, ingenio, exercitatione, doctrina, „ eſto ſpiritalis Tabernaculi Beſeleel: pretioſas divini dogmatis gemmas exſculpe, fideliter coapta, „ adorna ſapienter: adjice ſplendorem, gratiam, „ venuſtatem. Intelligatur te exponente illuſtrius „ quod antea obſcurius credebatur; per te poſteritas intellectum gratuletur, quod ante vetuſtas „ non intellectum venerabatur. 3. „ Vitam integram & exemplarem in Paſtore & Doctore ſanctus Apoſtolus deſiderat, ut quod docet bonum primus faciat: *Oſtendat ex bona converſatione operationem ſuam*. 4. In iis requirit manſuetudinem, quæ ſapientiæ regulis dirigatur, ne diſciplinam ſolvat, ſi nimia ſit; *in manſuetudine ſapientiæ*. Filius Sunamitidis ſuſcitari non potuit Eliſæi baculo, ſed contactu & afflatu Prophetæ ſuper eum ſe inclinantis, ſeque exanimi corpori accommodantis. Quo ſymbolo ſignificatum eſt Paſtores & Doctores manſuetudine uti debere ut peccatores ad vitam gratiæ revocent: *In manſuetudine ſapientiæ*, legi Dei conveniente. Debent inſtar apum mel habere, non tamen ſine aculeo in peccatorum correptione. *Verba* enim *ſapientium quaſi ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi, quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt a Paſtore uno*. 5. Caritate præditi eſſe debent Paſtores & Doctores, quæ omnem amaritudinem invidiæ & æmulationis, omneque contentionis ſtudium excludat. *Quod ſi zelum amarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris: nolite gloriari, & mendaces eſſe adverſus veritatem*. Sæpe enim contingit, ut per ſpeciem pietatis, adverſus proximos quidam vehementius commoveantur, & rei ſimilitudine decepti, ſe honeſto & laudabili zelo incitari glorientur, cum revera aut invidia contabeſcant, aut malevolentia & odio inflammentur,

Vincentius Lirin. Common. 1. cap. 27.

Eccleſiaſt. 12. 11.

mentur, & ſibi ipſis, contradicente plerumque conſcientia mentiantur.

Falſa mundi ſapientia, ejuſque caracteres.

15. 16. *Non eſt enim iſta ſapientia deſurſum deſcendens, ſed terrena, animalis, diabolica.* Mundi ſapientia evangelicæ ſapientiæ prorſus diſſimilis & adverſa eſt. Mere politica eſt & terrena, quippe quæ opes, honores, ceteraque caduca & temporalia bona avide concupiſcit, omnique ſtudio conquirit. Hæc ſolas humanas rationes ſpectat poſthabitis divinis, quæ ad ultimum finem, cujus gratia conditi ſumus, ſolæ perducunt. Falſa hæc ſapientia religionem ac pietatem in Deum negligit & contemnit, propriaque utilitate & commodo omnia metitur. Mundi leges & mores, Evangelio poſthabito, ſequitur. Hæc brutis cupiditatibus ducitur, carniſque voluptatibus ſervit.

Rom. 8. 6. 7. 8.

De hac ſanctus Paulus ait: *Prudentia carnis mors eſt, prudentia autem Spiritus vita & pax, quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei: legi enim Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt: qui autem in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Denique mundi ſapientia diabolicas artes, dolos, fallacias, mendacia, perjuria, fraudes, calumnias, diſcordias, hypocriſim, adulationem, quandoque violentiam, & omne pravorum & iniquorum mediorum genus adhibet, ut ſuos fines conſequatur. *Ubi enim zelus & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus pravum.* Paſtores & Doctores, quorum officium eſt regnum peccati deſtruere, caritatem & pacem prædicare, ſtabilire, fovere, ſedulo ac diligenter laborare oportet ut omnia æmulationum, diſcordiarum, & contentionum ſemina eradicentur & præfocentur.

Chriſtianæ Sapientiæ caracteres.

17. *Quæ autem deſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, non judicans, ſine ſimulatione.* Hi ſunt ſapientiæ Chriſtianæ caracteres. 1. Caſta eſt, honeſtatiſque & pudoris plena: *Pudica.* 2. Diſſenſionum, litium, contentionum, & ſeditionum inimica: *Pacifica.* 3. Ab ambitione, faſtu, luxuque aliena: *Modeſta.* 4. Erga omnes æqua, tractabilis, facilis, humilis; jure ſuo interdum cedens caritatis & pacis ſervandæ cauſa; propriis opinionibus, proprioque judicio nimium non tribuens, ſed aliorum monita lubenter admittens, & a viris bonis & ſapientibus meliora gaudens edoceri, medium ſervans inter nimiam facilitatem & ſeveritatem, inter perſuaſibilitatem & levitatem: *ſuadibilis.* 5. Cœleſtis ſapientia ad bonum amplectendum, faciendum & promovendum ſemper eſt propenſa & parata? *Bonis conſentiens.* 6. Sapientia Chriſtiana prona eſt ad ſuccurrendum miſeris, ad compatiendum afflictis, ad condeſcendendum infirmis, ad indulgendum peccatoribus, ad condonandas injurias: *Plena miſericordia.* 7. Sapientia Chriſtiana bonis operibus quavis beata occaſione vacat, quin etiam occaſiones quærit benefaciendi proximo, tam in temporalibus, quam in ſpiritualibus: *& fructibus bonis.* 8. Aliena dicta & facta temere non judicat, nec in ſiniſtram partem rapit, quæ in bonam accipi poſſunt; intentionem excuſat, cum facta excuſare non poteſt: *Non judicans.* 9. Sincera eſt & ſimulationis expers; unde a ſapientibus ſæculi deridetur juſti ſimplicitas.

S. Gregor. M. lib. 10. Moral. cap. 16.

Illorum enim ſapientia eſt „Cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt vera „oſtendere, quæ vera ſunt falſa demonſtrare. At „contra ſapientia juſtorum eſt, nil per oſtenſionem „fingere, ſenſum verbis aperire, vera ut ſunt diligere, falſa devitare, bona gratis exhibere, mala „libentius tolerare, quam facere; nullam injuriæ „ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Hinc diſcipulos ſuos ſimplices ſicut columbas, Salvator noſter eſſe jubet: *Sine ſimulatione.*

Pax diligenda & quærenda.

18. *Fructus autem juſtitiæ in pace ſeminatur, facientibus pacem.* Pax cœleſtis & æterna, in qua nihil nobis repugnabit ex nobis, illis a Deo promiſſa eſt, qui in hac vita veram pacem diligunt & quærunt.

Galat. 5. 17.

Humilitas ſemen eſt pacis & initium juſtitiæ Chriſtianæ: caritas utriuſque fructus & perfectio eſt.

S. Aug. in Pſ. 147. n. 20.

„Modo deſideramu pacem, quam hic habemus in „ſpe. Adhuc enim in nobis ipſis qualis pax? *Caro „concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus „carnem.* Ubi plena pax in uno homine? Quando „erit plena in uno homine, tunc erit plena in „omnibus civibus Jeruſalem. Quando erit plena

Tunc erit plena pax, cum plena erit juſtitia & perfecta caritas.

„pax? Quando corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem: „tunc plena pax, tunc firma pax; nihil litigat adverſus animam in homine, non ipſa adverſum ſe „ex quadam parte ſaucia; non carnis fragilitas, „non indigentia corporis, non fames, non ſitis, „non frigus, non æſtus, non laſſitudo, non ulla „inopia, non provocatio rixæ, tandi inimici & diligendi. Hæc omnia litigant adverſum nos, non„dum eſt plena & perfecta pax. Ibi erit perfecta „pax, ibi perfecta juſtitia, ubi erit perfecta caritas.“ „Propter *illam* pacem totum agitur quod

S. Aug. Tract. 104. in Joan. n. 1.

„Chriſtiani ſumus. Hæc enim pax finem temporis „non habebit, ſed omnis piæ noſtræ intentionis „actioniſque finis ipſa erit. Propter hanc Chriſti „Sacramentis imbuimur, propter hanc mirabilibus „ejus operibus & ſermonibus erudimur, propter hanc „Spiritus ejus pignus accepimus, propter hanc in „cum credimus & ſperamus, & ejus amore, quantum donat, accendimur: hac pace in preſſuris „omnibus conſolamur, hac a preſſuris omnibus liberamur: propter hanc omnem tribulationem fortiter ſuſtinemus, ut in hac feliciter ſine ulla tribulatione regnemus.

---

## CAPUT VI.

### *Senſus Litteralis.*

1. 2. *UNde bella & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiſcentis * veſtris, quæ militant in membris veſtris?* Undenam inter vos contentiones, lites, & bella privata, domeſtica, publica oriuntur? Nonne ex pravis cupiditatibus opum, honorum, voluptatum, quæ cum ſana rectaque ratione, & Dei lege pugnant, & animi veſtri facultatibus, ſenſibuſque & membris corporis quaſi belli ſociis adverſus ſpiritum decertant? „Concupiſcitis, & non habetis: „occiditis, * & zelatis; & non poteſtis adipiſci: „litigatis, & belligeratis, & non habetis, propter „quod non poſtulatis. „Bona temporalia inordinate deſideratis, & non habetis quod concupiſcitis: invidetis habentibus, & nonnumquam æmulatio odium parit, & ad cædes uſque prorumpit, quia non poteſtis adipiſci bona quæ proximis invidetis. Diſcordiis, contentionibus & litibus alii in alii belligeratis; & tamen non obtinetis bona quæ optatis, quia illa a Deo non poſtulatis, nec mediis legitimis ad eorum conſecutionem nitimini.

* Græce. ἡδονῶν *voluptatibus.*

*Pro φονεύετε *occiditis*, in Græco Textu legendum, φθονεῖτε id eſt *invidetis*, Eraſmus, Cajetanus, & alii conjiciunt: ſed inanis eſt conjectura, quæ Codicum omnium Græcorum, & Vulgatæ noſtræ auctoritate refellitur. Verbum illud, *occiditis* de odio, non de cæde corporali eruditi quidam commentatores intelligunt ad 1. *Joan.* 3. 15. reſpicientes: *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Hunc locum ſuarum interpretationum varietate obſcurant potius quam illuſtrent Commentatores. Simplicior, clarior, & præcedenti ac ſequenti Verſui conventientior videtur expoſitio noſtra. Invidiam ſive zelotypiam Deo metaphorice tribuit Scriptura, ut ſignificet indignationem ex amore contempto ortam, omnis tamen perturbationis expertem: ſeu amorem immutabilem & tranquillum juſtitiæ, non permittentem ut impunita maneat anima, quæ i lum deſerit *Matth.* 18. 4. *Luc.* 14. 11.

3. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* Sed etſi pietatis a Deo bona temporalia, non accipitis, quia non recte petitis, ſed ut cupiditatibus veſtris ſatisfaciatis.

4. 5. *Adulteri, neſcitis quia amicitia hujus mundi inimica eſt Dei? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur.* Animæ adulteræ, ignoratis-ne amicitiam ſeu affectum quo hujus ſæculi hominibus & rebus inhæretis, eſſe inimicitiam adverſus Deum? Quicumque ergo voluerit amicitiam inire cum ſæculo, & cum hominibus ſæculo deditis, ut eorum ſtudiis obſequatur & mores imitetur, Deo exoſus eſt. *An putatis quia inaniter Scriptura dicat: Ad invidiam concupiſcit Spiritus qui habitat in vobis?* An exiſtimatis Scripturam ſacram inaniter dicere, Spiritum ſanctum qui habitat in vobis Deum eſſe zelotem, qui amore quodam æmulationis animas ſponſas ſuas amat, non ferens ut amores ſuos ipſum inter & mundum dividant. Interrogative per increpationem legendum, *Ad invidiam concupiſcit Spiritus qui habitabit in vobis?* cenſet Beda, ut ſit ſenſus: Numquid Spiritus gratiæ, quo ſignati eſtis in die redemptionis, hoc concupiſcit ut invideatis alterutrum? Non utique bonus Spiritus invidiæ vitium in vobis operatur, ſed malus.

6. *Majorem autem dat gratiam. Propter quod dicit: Deus ſuperbos reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* Majora autem gratiarum dona Spiritus ſanctus largitur animæ quæ alium ab ipſo amatorem non admittit: gratiam illi auget. Propter quod dicit Scriptura: Deus ſuperbis reſiſtit, quales ſunt, qui Deo neglecto, contempto, & derelicto, mundum amant; humilibus autem & manſuetis, qui ſe Deo ſubjiciunt illumque unice diligunt ut animæ ſuæ ſponſum, gratiam tribuit uberiorem.

7. *Subditi ergo eſtote Deo reſiſtite autem diabolo & fugiet a vobis.* Voſmetipſos igitur per humilitatem Deo ſubjicite, ut ampliorem gratiam conſequamini; reſiſtite autem diabolo fide & aliis armaturæ Dei partibus, & a vobis fugiet: ſuperbo namque hoſti ſæpe debellato terribiles evadetis.

8. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis. Emundate manus, peccatores; & purificate corda, duplices animo.* Appropinquate Deo, non greſſibus corporis, ſed affectibus mentis, & ad vos per gratiarum incrementa magis appropinquabit, ſeque vobis magis ac magis communicabit, qui gratiæ ſuæ omnipotenti virtute vos traxit ut ad illum veniretis. Vos autem, peccatores, opera veſtra emundate, ſordes vitiorum veſtrorum abluite: & voluntatem a pravis rerum terrenarum cupiditatibus expurgate,

vos



vos quibus animus duplex ac diviſus eſt, qui ancipiti cordis affectu inter amicitiam Dei & mundi fluctuatis.

9. 10. *Miſeri eſtote, & lugete, & plorate: riſus veſter in luctum convertatur, & gaudium in mærorem.* Miſeriam veſtram recognoſcite, in quam per peccatum incidiſtis, affligite vos per Pœnitentiam, lugete interius, & externo etiam habitu ac lacrymis animi dolorem oſtendite: riſui & gaudio quo inter voluptates ſæculi diſſoluti eſtis, luctus & triſtitia ſancta ſuccedat. *Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos.* Per veram & ſinceram humilitatem vos Deo ſubmittite, & gratiæ ſuæ donis vos augebit in præſenti, & ad gloriam ſuam exaltabit in futuro. Nam *Qui ſe humiliat, exaltabitur.*

11. *Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi, & judicat legem. Si autem judicas legem: non es factor legis, ſed judex.* Vobis invicem ne obloquamini & obtrectetis. A detractione, calumnia, convitiis linguam cohibete. Qui famæ proximi detrahit, aut ipſius dicta & facta præcipiti ac temerario judicio damnat, legi detrahit, quæ caritatem erga proximum præcipit, & legem ipſis factis contemnit ac damnat, quæ detractionem, & temeraria judicia prohibet. Quod ſi legem factis tuis accuſas & damnas, non te legis cultorem & obſervatorem exhibes, ſed judicem conſtituis, teque geris ut illa ſuperiorem.

*Legum ferendarum & judiciorum auctoritatem Eccleſiæ ſæculiſque Principibus hæc Apoſtoli ſententia non negat. Hanc autem poteſtatem Romano Pontifici in Eccleſia univerſa conveni re, perperam & impie negant Hæretici.

§ Confer cum Proverb. 27. 1. *Ne glorieris in craſtinum, ignorans quid ſuperventura pariat dies.*

12. *Unus eſt Legislator, & Judex, * qui poteſt perducere; & liberare.* Unus eſt ſupremus Legislator & Judex Deus, qui poteſt æterna morte perdere peccatores, & miſericorditer a culpa & pœna liberare, *Tu autem quis es, qui judicas proximum?* Tu autem quo jure, qua auctoritate judicas proximum, par natura parem?

13. 14. 15. *Ecce nunc qui dicitis: Hodie aut craſtino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: Qui ignoratis quid erit in craſtino.* Jam ad vos ſermonem converto, qui dicitis: Hodie vel cras ibimus in hanc vel illam civitatem, & ibi annum agemus, & mercabimur, & lucrum faciemus, induſtriæ veſtræ magis quam Dei providentiæ confiſi, vitæque durationem, & conſiliorum negotiorumque veſtrorum felicem executionem, proſperumque eventum vobis promittentes: cum ne quidem ſciatis quid cras ſit eventurum. *Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur. Pro eo ut dicatis: Si Dominus voluerit; & ſi vixerimus, faciemus hoc, aut illud.* Quid enim eſt vita veſtra? Similis eſt vapori, qui ad exiguum tempus apparet, & facile diſſipatur & evaneſcit. Fragilis eſt, brevis, incerta, mille caſibus ſubdita. Dicere potius debetis: Si Domino placuerit; & ſi vitam nobis commodaverit, hoc aut illud agemus.

16. *Nunc autem exultatis in ſuperbiis veſtris, Omnis exultatio talis maligna eſt.* Vos autem longe aliter affecti eſtis, qui de ſuperbis illis conſiliis, ac decretis veſtris, futuriſque actionibus vos jactatis, perindo ac ſi temporum & futurorum eventuum eſſetis domini. Omnis jactantia & exultatio hujuſmodi mala eſt.

17. *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi.* Sciens igitur bonum ſibi faciendum, & non faciens, gravioris peccati reus eſt, longeque graviori pœna damnandus quam ille qui ignorat. Nihil igitur vos juvabit notitia officiorum de quibus vos admonendos duxi, niſi illa opere impleatis.

---

## CAPUT IV.

### *Senſus Moralis.*

Pravæ cupiditates domandæ.

1. 2. *UNde bella & lites in vobis? Nonne hinc? Ex concupiſcentiis veſtris, quæ militant in membris veſtris. Concupiſcitis, & non habetis: occiditis, & zelatis & non poteſtis adipiſci: litigatis & belligeratis, & non habetis, propter quod non poſtulatis.* Fontes contentionum & rixarum, litium & bellorum, pravæ cupiditates. His regnantibus nulla pax ſperanda eſt. Illarum imperium numquam pacatum & tranquillum eſt, cum una pugnet adverſus alteram, falſamque illarum pacem conſcientiæ accuſatio continua & punctiones acerrimæ perturbent. Pravæ illæ cupiditates divitiarum, honorum, voluptatum, adverſus rationem & religionem rebelles, in membris noſtris caſtra figunt, iiſque tamquam armis utuntur ad opera peccati, cujus imperio ſtabiliendo militant. His reſiſtamus, illas frænare, imminuere, mortificare, vincere, eradicare ſatagamus. *Cupiditas mundi initium habet ex arbitrio voluntatis, progreſſum ex jucunditate voluptatis, firmamentum ex vinculo conſuetudinis.* Vincatur ergo gratia & caritate Dei, mortificatione Chriſti, piis habitibus & exercitatione virtutum ipſi contrariarum. Non exhibeamus membra noſtra *arma iniquitatis peccato, ſed arma juſtitiæ Deo.* Maleſana libertas eſt, quæ cupiditatibus ſervit. Mala, vel periculoſa delectatio, quæ ex illis procedit. „Mundus iſte periculoſior eſt blandus quam „moleſtus, & magis cavendus cum ſe illicit diligi, „quam cum admonet cogitque contemni. Nam cum „omnia quæ in illo ſunt, concupiſcentia ſint carnis, „& concupiſcentia oculorum, & ambitio ſæculi; ſæpe etiam iis qui talibus ſpiritalia, inviſibilia, „æterna præponunt, inſerit ſe terrenæ ſuavitatis affectus, & delectationibus ſuis noſtra comitantur officia. Quanto enim ſunt caritati futura meliora, „tanto ſunt infirmitati violentiora præſentia. Et „utinam ii qui ea videre & gemere noverunt, vincere & evadere mereantur; quod ſine Dei gratia „voluntas non implet humana. Quæ nec libera dicenda eſt, quandiu eſt vincentibus & vincientibus „cupiditatibus ſubdita. A quo enim quis devictus „eſt, huic & ſervus addictus eſt. Cupiditas multiplicat deſideria, quæ pacem internam perturbant, „& animam occidunt: caritas omnia deſideria, quæ ſinum cordis ad bona ſpiritualia capienda extendunt, ad unitatem revocat. Ad Deum ſuſpiremus & tendamus, qui ſolus replere poteſt in bonis deſiderium noſtrum. Invidia, æmulatio, lites, contentiones, rixæ, bella, cædes, ſunt fructus funeſti pravorum deſideriorum: Pax Dei quæ exſuperat omnem ſenſum, pars eorum eſt qui diligunt legem ejus, qui bona cœleſtia; & gaudia æterna dumtaxat deſiderant, qui temporalia contemnunt & faſtidiunt, & a ſolo Deo illa petunt ut viaticum itineris, non ut illecebram manſionis, & quatenus adjumenta & inſtrumenta virtutum ac bonorum operum eſſe poſſunt. Si quid nobis neceſſarium eſt, id malis artibus non quærendum, id alteri non invidendum eſt, ſed a Deo petendum, qui bonorum omnium non ſolum ſpiritualium, ſed etiam temporalium largitor eſt. *Et non habetis propter quod non poſtulatis.*

S. Aug. lib. De Patientia, cap. 17.

Rom. 16.

S. Aug. Epiſt. 145. alias 144.

Bona temporalia a ſolo Deo petenda & quatenus?

3. *Petitis, & non accipitis, eo quod male petatis, ut in concupiſcentiis veſtris inſumatis.* Magnum Dei beneficium eſt, quod male petentes non exaudiat. Non ſolum bona petenda ſunt, ſed bene, pio affectu, ob bonum finem, ſcilicet ad Dei gloriam, ad ſalutem noſtram. Male petunt, qui bona temporalia poſtulant ut illis abutantur ad cupiditates ſuas explendas, & ut vanitati ſerviant aut voluptati.

Caſſian. Collat. 9. c. 23.

„Magnificentiæ ac munificentiæ Dei maximam irrogat injuriam, quiſquis ſempiternis bonis prætermiſſis, tranſitorium aliquid & caducum ab eo maluerit poſtulare, & offenſam potius quam propitiationem Judicis ſui vilitate orationis incurrit. *Quærite primum regnum Dei, & juſtitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Qui non ait, *dabuntur*, „ſed *adjicientur*, indicat aliud eſſe quod principaliter datur, aliud quod ſuperadditur.“ „Quia

S. Gregor. M. lib. 15. Moral. cap. 27.

„enim nobis in intentione æternitas, in uſu vero „temporalitas eſſe debet, & illud datur, & hoc „ex abundanti ſuperadditur. Et tamen ſæpe homines dum bona temporalia poſtulant, æterna vero „præmia non requirunt, petunt quod adjicitur, & „illud non deſiderant ubi adjiciatur; nec lucrum „ſuæ petitionis putant, ſi hic ſint temporaliter „pauperes, & illic beatitudine divites in æternum „vivant: ſed ſolis viſibilibus intenti, labore poſtulationis renuunt inviſibilia mercari. „Male petimus, ſi non oramus ut Deus nos male petentes non exaudiat, ſi non oramus ut nos non exaudiat ad voluntatem, ſed ad ſalutem; ſi quæ petimus temporalia bona, non ad ſuſtentationem noſtræ fragilitatis, ſed ad redundantiam liberæ voluptatis referamus. Quiſquis hoc fine ſive pecunias, ſive honores, ſive ſcientiam, ſive ſanitatem petit, non autem ut Dei gloriæ, proximique utilitati ſerviunt, male petit.

Qui mundum amant, Chriſtianorum nomine ſunt indigni, Dei inimici, adulteri.

4. 5. 6. 7. *Adulteri, neſcitis quia amicitia hujus mundi inimica eſt Deo? Quicumque ergo voluerit amicus eſſe ſæculi hujus, inimicus Dei conſtituitur.* Qui uni Deo non adhærent, nec ei in omnibus parere & placere ſtudent, ſed partim Deo, partim mundo ſe accommodant, ſimiles ſunt conjugibus alieno viro, vel alienæ mulieri adhærentibus. Quiſquis amorem, quem Deo debet, transfert ad creaturas, ad divitias, ad honores, ad voluptates, quodam modo adulter eſt. Chriſtus unicus eſt animarum noſtrarum legitimus ſponſus. Illum contemnit, qui mundi & rerum quæ in mundo ſunt amorem in cor ſuum admittit. Qui res alias a Deo diligit propter ſe ipſas, quæ fruitio eſt, non uſus, Dei inimicus eſt, adulter eſt, ab eo repellendus. *Perdidiſti omnes qui for-*





nican-

*Pſ. 72. 27. 28.* *nicantur abs te*, ait Propheta: *Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*. „ Huic fornicationi contrarius eſt amor caſtus. Amat jam anima Sponſum ſuum: quid ab illo quærit, ab Sponſo ſuo quem diligit? Forte quomodo ſibi eligunt homines aut generos aut ſponſos feminæ: eligit forte divitias, & aurum ejus amat, & fundos, & argentum, & pecuniam, equos, & familiam, & cetera? Abſit. Iſte ipſum ſolum amat; quia in ipſo habet omnia, quia per ipſum facta ſunt omnia. *Perdidiſti omnes qui fornicantur abs te. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt*. Hoc eſt totum bonum. Qui mundum amant, Chriſtianorum nomine ſunt indigni: Non vis eſſe inimicus Dei? Noli eſſe amicus hujus mundi. Nam ſi amicus fueris hujus mundi, inimicus eris Deo. Quomodo enim non poteſt fieri adultera conjux, niſi inimica ſit viro ſuo: ſic anima adultera amore rerum ſæcularium, non poteſt niſi inimica eſſe Deo. Timet, ſed non amat: pœnam timet, non juſtitia delectatur. Ergo inimici Dei omnes amatores mundi, omnes inquiſitores nugarum. Deus zelator Animarum totum illarum amorem poſtulat. *An putatis quia inaniter Scriptura dicit: Ad invidiam concupiſcit Spiritus qui habitat in vobis?* Quæ igitur in hoc mundo amantur, propter Deum amanda ſunt, ut arrha ſponſi, ut munera amici, ut beneficia domini, ut per iſta illum, & ſuper iſta illum diligamus. Quid vero juſtius eſt, quid utilius homini quam totum amorem ſuum Deo conſecrare, mundo vero nuntium remittere? Majora enim, excellentiora, pretioſiora longe dona & ornamenta ſponſis ſuis, fidelibus ſcilicet animabus illum caſte diligentibus confert Deus, quam mundus conferat amatoribus ſuis. Mundus enim dat terrenas, tranſitorias, & multis amaritudinibus permixtas voluptates: Deus vero cœleſtes, puras, æternas. *Majorem autem dat gratiam*. Hujus tanto capacior eſt anima, quanto humilior. *Deus* enim *ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam*. Gloria proprium Dei dominium eſt. Hanc uſurpare volunt ſuperbi, quos Deus velut armata manu repellit, ac deprimit. *Gloriam ſuam* (inquit) *alteri non dabo*. Sub aquæ ſymbolo Spiritus ſancti gratia ſignificatur & promittitur. *Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit* Jeſus *de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum*. „ Spiritus ſanctus capitur per humilitatem, repellitur per ſuperbiam. Aqua eſt enim, cor humile tamquam locum concavum quærens, ubi conſiſtat: elatione autem ſuperbiæ tamquam tumore collis repulſa labitur. Implet humiles, quia capaces invenit. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Excelſus Dominus humilia reſpicit, & alta a longe cognoſcit*. Gratiæ & virtutum omnium cuſtos humilitas, deprædatrix & peremptrix ſuperbia. „ Niſi *enim* humilitas omnia quæcumque benefacimus & præceſſerit, & comitetur, & ſecuta fuerit, & præpoſita quam intueamur, & appoſita cui adhæreamus, & impoſita qua reprimamur, jam nobis de aliquo bono facto gaudentibus totum extorquet de manu ſuperbia. Vitia quippe cetera in peccatis, ſuperbia vero etiam in recte factis timenda eſt, ne illa quæ laudabiliter facta ſunt, ipſius laudis cupiditate amittantur. Dei ergo magnitudinem infinitam & nihilum noſtrum; gratiæ Chriſti neceſſitatem & virtutem; fragilitatem infirmitatemque noſtram conſiderantes, in omnibus recte factis dicamus: *Non nobis, Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam*; totum Deo demus, in peccatis vero totum nobis tribuamus.

*S. Auguſt. in eumdem Pſal.* — *Idem in Pſal. 92. n. 10.* — *Joan. 7. 38.* — *S. Aug. Serm. 270. alias 22. ex editis a Sirmondo.* — *Luc. 3.* — *S. Aug. Epiſt. 118. alias 52. num. 27.*

Chriſtianæ humilitatis officia.

8. 9. 10. *Subditi ergo eſtote Deo*. Primum Chriſtianæ humilitatis officium eſt, ſeſe Deo penitus ſubjicere, ejus legi in omnibus obtemperare, noſtram ab illo dependentiam profiteri, ac de illa gaudere; omnes ſpes noſtras in eo collocare. „ Nonne Deo ſubjecta erit anima mea? Ab ipſo enim ſalutare meum? Nam & ipſe Deus meus, & ſalutaris meus, ſuſceptor meus non movebor amplius. Quantumcumque accedam, quantumcumque aſcendam, ſub Deo ero, non contra Deum. Securus tranſcendo cetera, quando ille me ſub ſe tenet qui eſt ſuper omnia.

*Pſalm. 61.*

Secundum Chriſtianæ humilitatis officium eſt, repellere tentationes diaboli, quibus nos a Dei ſubjectione & obedientia ſubducere conatur. Qui illas audit, facile vincitur: qui ſtatim illis reſiſtit, Deo adjutore vincit, & ſuperbum hoſtem fugat. Impellit diabolus, ſed non evertit, ſi tuum illi negaveris conſenſum. Suadere poteſt, ſollicitare poteſt, cogere omnino non poteſt. Multis quidem modis nos oppugnat, ſed illius inſidiis & inſultibus ſuperiores evademus, ſi armaturam Dei induti illi reſiſtamus. Pertimeſcit enim piorum vigilias, orationes, jejunia, voluntariam paupertatem, miſericordiam, humilitatem, maxime vero ardentem in Chriſtum amorem. Igitur *Reſiſtite diabolo, & fugiet a vobis*. Induetur confuſione, qui quærit animam veſtram, ut perdat eam. Victus cum pudore & dedecore fugiet; duplicique contritione conteretur; primo quod ille gratiam & ſanctitatem amiſerit, quam homines Deo adjuvante conſervant, & e cœlo ceciderit, quo illi tendunt, illo fruſtra inſidias in via tendente. 2. Quod ſpiritalis ſubſtantia ab homine ex carne fragili conſtante ſuperetur, & quamvis mille nocendi artibus inſtructus, ſub ejus pedibus conteratur.

Tertium Chriſtianæ humilitatis officium eſt ad Deum appropinquare per orationem, quæ humilis fidei fructus eſt, cœlos ipſos penetrans. „ Oratio humiliantis ſe nubes penetrabit. Et donec propinquet non conſolabitur: & non diſcedet donec Altiſſimus aſpiciat. Appropinquat nobis Deus per miſericordiam ſuam & gratiam prævenientem: appropinquamus Deo per fidem, per orationem, per caritatem qua illi conjungimur, & in illo manemus, per bona opera quibus ejus gratiæ cooperamur, & nobis cooperantibus magis adhuc appropinquat, intimius unitur, gratiam & virtutes auget. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis*. Hæc per Apoſtolum ſuum loquitur, qui per Prophetam dixit: *Convertimini ad me, & convertar ad vos*: Ad quem tamen alter Propheta: *Converte nos, Domine, ad te, & convertemur*: & ipſe Chriſtus ait: *Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater qui miſit me traxerit eum*. Quamvis enim ædificium noſtrum ſpirituale ſine ope ſui non ſubſiſtat Artificis, nec fabrica noſtra poſſit eſſe incolumis, niſi ei protectio præfuerit Conditoris: tamen quia rationabiles lapides ſumus, & viva materies, “ „ ſic nos Auctoris noſtri extruit manus, ut cum Opifice ſuo etiam is qui reparatur, operetur. Gratiæ igitur Dei obedientia ſe humana non ſubtrahat, nec ab illo bono, ſine quo non poteſt bona eſſe, deficiat. At ſi quid ſibi impoſſibile aut arduum in mandatorum effectibus experitur, non in ſe remaneat, ſed ad jubentem recurrat, qui ideo dat præceptum, ut excitet deſiderium, & præſtet auxilium.

*Eccli. 35. 21.* — *Zach. 1. 3.* — *Lament. Jerem. 5. 21.* — *S. Leo M. Ser. 42. De Quadrag. 5.*

Quartum Chriſtianæ humilitatis officium eſt ſe peccatorem agnoſcere, peccata ſua confiteri, ab iis abſtinere, peccandi affectum exuere, occaſiones deſerere. *Emundate manus, peccatores, & purificate corda*. „ An forte quiſquam ita inſolenter ſuperbit, ita ſe illæſum, ita immaculatum eſſe præſumit, ut nullius jam renovationis indigeat? Fallitur prorſus iſta perſuaſio, & nimia vanitate veteraſcit, quicumque inter tentationes hujus vitæ ab omni ſe vulnere credit immunem. Plena omnia periculis, plena ſunt laqueis. Incitant cupiditates, inſidiantur illecebræ, blandiuntur lucra, damna deterrent, amaræ ſunt obloquentium linguæ, nec ſemper veracia ſunt ora laudantium. Inde ſævit odium, hinc decipit officium; ut facilius ſit vitare diſcordem, quam declinare fallacem... Unde quia paucorum eſt tam ſolida fortitudo, ut nulla inæqualitatum perturbatione quatiantur, & multos fidelium non adverſa tantum, ſed etiam ſecunda corrumpant: ſanandis vulneribus quibus humana infirmitas ſauciatur, diligens eſt adhibenda curatio. Dicente igitur Scriptura: *Quis gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut mundum ſe eſſe a peccato?* Omnes ſibi intelligant delictorum indulgentiam, & reparationis neceſſariam eſſe medicinam. *Emundate manus, peccatores, & purificate corda, duplices animo*. Quærite Deum in ſimplicitate cordis, pietatis larvam ne aſſumite ad fallendos homines: Deus cor intuetur.

*S. Leo, ibid.* — *Prov. 20. 9.*

Quintum Chriſtianæ humilitatis officium eſt, ob miſerias animæ ſuæ ingemiſcere, peccata deflere, tam ſua, quam aliena; mundi gaudiis & delectationibus renunciare, pœnitentiam amplecti & profiteri. *Miſeri eſtote, & lugete, & plorate: riſus veſter in luctum convertatur, & gaudium in mœrorem*. Qui ſe felices exiſtimant in regione miſeriæ, inſaniunt. *Populus meus, qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & turbant ſemitas pedum veſtrorum*. „ Regio iſta ſcandalorum eſt, & tentationum, & omnium malorum, ut gemamus hic, & mereamur gaudere ibi: hic tribulari, & conſolari ibi, & dicere: *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapſu: Placebo Domino in regione vivorum*. Iſta regio mortuorum eſt. Tranſit regio mortuorum, venit regio vivorum. In regione mortuorum labor, dolor, timor, tribulatio, tentatio, gemitus, ſuſpirium. Hic falſi felices, veri infelices; quia falſa felicitas, vera miſeria eſt. Qui vero ſe agnoſcit in vera eſſe miſeria, erit etiam in vera felicitate. Et tamen nunc quia miſer es, Dominum audi dicentem: *Beati qui lugent*. Nihil tam conjunctum miſeriæ quam luctus, nihil tam contrarium miſeriæ quam beatitudo.

*Iſai. 3. 12.* — *S. Auguſt. in Pſ. 85. n. 24.* — *Pſ. 114. 8. & 9.*



„ tudo. Intelligite (inquit) quod dico. Beatos dico lugentes: Beati in ſpe, lugentes in re. Etenim lugent in morte iſta, in tribulationibus iſtis, in peregrinatione ſua: & quia agnoſcunt ſe eſſe in iſta miſeria, & gemunt, beati ſunt. Riſus mundi error eſt, gaudium mundi ſtultitia. Lugent homines in ſpectaculis, cum lugubres caſus comœdi repræſentant & canunt, deflent alienas miſerias, & ſæpe fabuloſas; non deflent ſuas. *Quid miſerius miſero non miſerente ſeipſum, & flente Didonis mortem, quæ fiebat amando Æneam, non flente autem mortem ſuam, quæ fit non amando te?* (ait S. Auguſtinus) Homines mundani pœnas ſuas dolent ac deflent, culpas non dolent, propter quas a Deo flagellari merentur. „ Qui damnum patitur, proclivior eſt ut dicat, Indigne paſſus ſum, quam ut conſideret quare paſſus ſit, *dolens damnum pecuniæ, non dolens juſtitiæ*. Si peccaſti, theſaurum tuum interiorem dole: nihil habes in domo, ſed forte inanior es corde: Si autem plenum eſt cor bono ſuo Deo tuo; quare non dicis, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum?* Sanctus ſit dolor noſter, ut dolor Davidis Regis pœnitentis, qui non dolebat flagellum, ſed peccatum. *Et dolor meus* (inquit) *in conſpectu meo ſemper: quoniam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo pro peccato meo*. „ Si filius cujuſquam moriatur, plangit illum; ſi peccet; non illum plangit. Tunc plangeret, tunc doleret Chriſtiane, cum peccantem videret; tunc modum imponeret, tunc normam vivendi doceret, diſciplinam daret: aut ſi fecit, & ille non audivit, tunc erat plangendus, tunc pejus mortuus luxurioſe vivens, quam moriendo luxuriam finiens. Hæc dolenda ſunt, illa ſuſtinenda; illa ferenda, iſta plangenda.

*S. Aug. lib. 1. Confeſſ. c. 13.* — *Job. 1. 21.* — *Pſalm. 37. 19.* — *S. Auguſt. in hunc Pſalm.*

Sextum denique Chriſtianæ humilitatis officium eſt contemplatione peccatorum ſuorum & infirmitatis ſuæ perpetuo humiliare ſe ante oculos Dei, humiliationes amare, nec ſe tamen humilem umquam exiſtimare. Hæc una ratio eſt gratiæ Dei recuperandæ & conſervandæ, veræque celſitudinis conſequendæ in regno cœlorum. *Humiliamini in conſpectu Domini, & exaltabit vos*. Humilitas juſtificat nos. Humilitas (inquam) non humiliatio. Quanti humiliantur, qui humiles non ſunt? „ Alii cum rancore humiliantur, alii patienter, alii & libenter. Primi rei ſunt, ſequentes innoxii, ultimi juſti. Quamquam & innocentia portio juſtitiæ eſt, ſed conſummatio ejus apud humilem. Qui autem dicere poteſt: *Bonum mihi quia humiliaſti me*, is vere humilis eſt. Non poteſt hoc dicere qui invitus tolerat, minus qui murmurat. Neuter gratiam promeretur, quoniam non humiliatis, ſed humilibus Deus dat gratiam. Eſt autem humilis, qui humiliationem convertit in humilitatem. Hunc Deus exaltabit. Humilitas enim claritatis eſt meritum, claritas humilitatis eſt præmium.

Detractionis & temerarii judicii vitia.

11. 12. *Nolite detrahere alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut qui judicat fratrem ſuum, detrahit legi, & judicat legem. Si autem judicas legem, non es factor legis, ſed judex*. Variis modis detrahitur proximo, 1. Falſum crimen ipſi impingendo. 2. Verum ejus defectum ſeu vitium nimis exaggerando. 3. Quod occultum eſt prodendo. 4. Benefactum extenuando, ſeu virtutes & laudes reticendo, cum eas pandi caritas poſtulat. 5. Dicta vel facta, aut bona, aut ambigua malam in partem interpretando. Qui ſic detrahit proximo, aut ipſum damnat, detrahit legi, & ipſam damnat, 1. Quia contemnit præceptum de dilectione proximi, quæ eſt ſumma legis. 2. Quia opere ſuo improperat legi quod non recte fecerit, detractionem, calumniam, & judicia temeraria vetando. 3. Quia legis & ipſius ſummi Legislatoris auctoritatem uſurpat. *Unus eſt Legiſlator & Judex, qui poteſt perdere, & liberare*. Cenſoriam in aliorum dicta vel facta auctoritatem non uſurpabit, qui de propriis peccatis coram Deo erubeſcens & dolens, in judicii ejus exſpectatione contremiſcit. *Tu autem quis es, qui judicas proximum?* „ Id præcipue vitium caritatem quæ Deus eſt, & quidem ceteris acrius, impugnat, perſequitur, & perimit. Omnis qui detrahit, primum quidem ſeipſum prodit vacuum caritate: deinde quid aliud detrahendo intendit, niſi ut is cui detrahit, veniat in odium vel contemptum ipſis apud quos detrahit? Ferit ergo caritatem in omnibus qui ſe audiunt lingua maledica, & quantum in ſe eſt, necat funditus, & extinguit; non ſolum autem, ſed & in abſentibus univerſis, ad quos volans verbum forte per eos qui præſentes ſunt, pervenire contigerit. Vides quam facile & in brevi ingentem multitudinem animarum velociter currens ſermo tabe malitiæ hujus inficere poſſit? Propterea dicit de talibus Propheticus ſpiritus: *Quorum os maledictione & amaritudine plenum eſt, veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem*; utique tam veloces, quam velociter currit ſermo. Unus eſt qui loquitur, & unum tantum verbum profert: & tamen illud unum verbum uno in momento multitudinis audientium dum aures inficit, animas interficit. Cum itaque *Detractores Deo* ſint *odibiles*, illos ſancte perſequamur exemplo Davidis: *Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar*. Hoc vitium tanto periculoſius, quanto frequentius, etiam inter eos qui pietatem profitentur, ſub ſpecie zeli ſubrepit: & qui ab aliis vitiis receſſerunt, in hoc tamquam in ultimum diaboli laqueum incidunt.

*S. Bernard. Serm. 24. in Cantica.* — *Pſalm. 13.* — *Pſalm. 100.*

Omnia conſilia operaque noſtra & eorum ſucceſſum, Dei providentiæ ac voluntati ſubjicere debemus.

13. 14. 15. 16. *Ecce nunc qui dicitis: Hodie, aut craſtino ibimus in illam civitatem, & faciemus ibi quidem annum, & mercabimur, & lucrum faciemus: Qui ignoratis quid erit in craſtino*. Nimia rerum temporalium & caducarum ſolicitudo homine Chriſtiano indigna eſt. Animus qui ſe totum ſpargit in imis, nihil poteſt amare de ſummis. *Humanis actionibus nimis intentus, Deo quodammodo vacuatur, quo ſit tanto plenior, quanto in ſuperna atque æterna liberius extenditur*. Damnanda ſuperbia eſt ingenio ſuo, induſtriæ, prudentiæ, ac labori negotiorum vitæ civilis ſucceſſum tribuere, nec ad Dei auxilium confugere, quod in hujuſmodi negotiis eo magis neceſſarium eſt, ut Chriſtiane gerantur, quo ſæpius in iis principatum uſurpat cupiditas. Liberam igitur peregrinandi, negotiandi, militandi, officia civilia, & quaslibet artes honeſtas exercendi poteſtatem non tollit Apoſtolus, ſed ſpes omnes noſtras in uno potiſſimum Deo collocandas eſſe docet, omniaque conſilia noſtra, actiones omnes, ejus providentiæ ac voluntati ſubjiciendas, & ad ejus gloriam referendas. „ Non tollit poteſtatem aut liberum arbitrium, ſed oſtendit non eſſe totum in manu ejus: nam ſuperna quoque opus eſt gratia. Licet enim & certare, & currere ac negotiari, omniaque agere quæ ſunt ad vitam: non tamen hæc propriis laboribus attribuere, ſed divinæ benignitati. *Unde ait Propheta*: Scio, Domine, quia non eſt hominis via ejus: nec viri eſt ut ambulet & dirigat greſſus ſuos. “ Summa ſtultitia eſt conſilia ſua, curaſque ſuas confidenter & abſoluto propoſito in futurum extendere, cum nec illud ſciamus an cras futuri ſimus ſuperſtites. Vita enim ipſa, quæ baſis eſt omnium humanarum actionum, nobis incertiſſima eſt. Ideo guttæ aquæ e ſitula defluenti, nunc momento ſtateræ ſeu exiguo grano quod lanci impoſitum eam vix movet ac deprimit, nunc fumo & ſcintillæ ignis, veſtigio nubis, telæ quæ a texente improviſo præciditur, vento, pulveri, fœno flori, agri, vapori, nihilo & inani, in Scripturis ſacris comparatur. *Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur*. In omnibus igitur conſiliis, negotiis, & actionibus noſtris, divinæ providentiæ, & mortalitatis noſtræ memores ſimus. Alumni ſumus providentiæ Dei, ab illa nos in omnibus dependere profiteamur. In manibus Dei ſortes noſtræ & dies noſtri ſunt: Nobis itaque polliceri non poſſumus futura tempora, nec aliquid certi de actionibus noſtris in futurum decernere, niſi ſub beneplacito Dei. Cum enim ob peccatum morte damnatus ſit homo, qua Deo placuerit hora ſubeundæ, qui de ſuis actionibus in futurum ſuperba confidentia ſtatuunt; ac in vanis conſiliis ſuis gloriantur & exſultant ſimiles ſunt reo capite damnato, qui abſque voluntate judicis de quibuſdam in poſterum agendis diſponeret. *Nunc autem exultatis in ſuperbiis veſtris. Omnis exultatio talis maligna eſt*. Non hanc fragilem, brevem, miſeram & mortalem vitam, ſed beatam, immortalem & æternam deſideremus, & propter illam omnia faciamus. „ Non enim propter hanc temporalem vitam, ſed propter æternam Chriſtiani ſumus. Attendamus quomodo diligatur vita iſta temporalis ab amatoribus ſuis, & quam magno timore ſint homines, ne moriantur morituri. Videas hominem tremere, fugere, latebras quærere, defenſiones aucupari, rogare, provolvi, ſi fieri poteſt, quicquid habet, dare, ut vita donetur, ut uno die plus vivatur, ut ætas incerta ſemper aliquanto diutius protendatur. Tanta faciunt homines: qui tale aliquid pro vita æterna? Alloquamur amatorem præſentis vitæ: Quid agis, quid feſtinas, quid trepidas, quid fugis, quid latebras quæris? Ut vivam (inquit.) Ut vivas ſemper victurus? Non. Non ergo mortem ſatagis auferre, ſed differre. Qui tanta agis ut paulo ſerius moriaris, age aliquid ut numquam moriaris. Ergo quoniam Chriſtiani ſumus, implorato adjutorio Domini Dei noſtri adverſus blanditias male amatæ, amemus illius pulchritudinem vitæ, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Hanc enim præparavit Deus dili-

*S. Auguſtin. Quæſt. 68. in Exodum.* — *Oecumenius in Comment.* — *Jerem. 10. 23.* — *Iſaiæ 40. 15. & 17.* — *Sap. 2. 2. 3. 5.* — *Pſal. 102. 15.* — *Job. 7. 7. c. 13. 9. & c. 14. 1.* — *S. Auguſt. Serm. 302. alias De Diverſis 3.*

Vitæ hujus fragilitas & brevitas.

„ gentibus ſe, & ipſa vita ipſe Deus eſt. Illi lacrymas pro hac non ſolum adipiſcenda, ſed etiam diligenda fundamus.... Numquid libris opus eſt ut oſtendamus quam iſta ſit incerta, quam tranſitoria, quam pene nulla, quam verum ſit quod ſcriptum eſt: *Quæ eſt enim vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur*. Vivebat heri, non eſt hodie: Paulo ante videbatur, modò non eſt qui videbatur. Deducitur homo ad ſepulchrum: redeunt triſtes, cito obliviſcentes. Dicitur quam nihil eſt homo: & hoc dicit ipſe homo, ut non nihil, ſed aliquid ſit homo. *Verumtamen in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtra conturbatur.... Univerſa vanitas omnis homo vivens.*

*Pſal. 38. 7.*

17. *Scienti igitur bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi*. Gravius peccatum eſt ejus qui cognitam legem violare non veretur. Quamquam ignorantia eorum qui officium ſuum neſciunt, ſcire tamen debent & poſſunt, neminem ſic excuſat, ut ſempiterno igne non ardeat, ſed tantum ut mitius ardeat. Scientiæ abuſus ex Angelis dæmones fecit. Paſtores & Doctores non ſolum ſcientia, ſed imprimis vitæ ſanctimonia prælucere debent populis; *facere, & docere*. „ Quemadmodum enim cibus indigeſtus malos generat humores, & corrumpit corpus, non nutrit, ita multa ſcientia ingeſta ſtomacho animæ, quæ eſt memoria, ſi decocta igne caritatis non fuerit, & ſic per quoſdam artus animæ, mores ſcilicet atque actus, transfuſa atque digeſta, quatenus ipſa de bonis quæ noverit, vita atteſtante & moribus bona efficiatur: nonne illa ſcientia reputabitur in peccatum, tamquam cibus converſus in pravos noxioſque humores? An non malus humor peccatum? An non mali humores pravi mores? An non inflationes & torſiones in conſcientia ſuſtinebit, qui hujuſmodi eſt, ſciens videlicet bonum, & non faciens? An non reſponſum mortis & damnationis toties in ſemetipſo habebit, quoties in mentem venerit ſermo Chriſti Domini: *Servus qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundum voluntatem ejus, vapulabit multis.*

Gravius peccatum eſt violantis legem ſibi cognitam, quam ignorantis.

*S. Bernard. Serm. 36. in Cantica.*

---

C A P U T V.

*Senſus Litteralis.*

* Interpres Latinus explicationis gratia *iram* addidit: cum Græcus Textus ſic ad verbum vertatur: *Theſaurizaſtis in noviſſimis diebus*. Syriaca Verſio ſic habet: *Ignem coacervaviſtis vobis in dies extremos*.

* Confer cum *Deut.* 24. 14. 15.

Nomine *Sabaoth* intelligitur cœleſtis Angelorum militia.

* Ad excidii Jeroſolymitani diem id refert Oecumenius.

* Ad Chriſti mortem a Judæis procuratam hunc Verſum referunt Beda & Oecumenius minus probabiliter: cum Chriſtianos a Judaiſmo converſos Apoſtolus alloquatur, quibus certe Chriſti mortem non exprobraſſet.

Nec divites præ cœteris, ſed Principes Sacerdotum, Legis Doctores, & Seniores populi reos mortis Chriſti fuiſſe teſtatur Evangelica Hiſtoria.

1. 2. 3. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ ſupervenient vobis*. Nunc ad vos ſermonem converto, divites ſuperbi, avari, injuſti: ponite vobis ob oculos æternam miſeriam vobis imminentem & certiſſime ſuperventuram, niſi pœnitentiam agatis, & ejus rei cogitatio vos ad fletum & ululatum provocet, id eſt, amariſſimum in nobis dolorem excitet, ut metu ac terrore concuſſi ad Dei miſericordiam confugiatis, & vitæ præteritæ peccata expietis. *Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt: & veſtimenta veſtra a tineis comeſta ſunt*. Divitiæ naturales, quas ex avaritia ſervatis, nempe frumenta, vinum, oleum, fructus, vetuſtate corruptæ ſunt: & veſtimenta pretioſa quæ ad oſtentationem cuſtoditis in arcis veſtris concluſa, a blattis & tineis corroduntur: & vobis pariter ac pauperibus pereunt. *Aurum & argentum veſtrum æruginavit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis*. Pecuniæ veſtræ rubigine vitiatæ ſunt: & earum æruginem, ac inhumanitatem veſtram in pauperes vobis repræſentans & exprobrans conſcientia, teſtis erit adverſum vos, & tamquam ignis infernalis vos exedet atque cruciabit. *Theſaurizatis vobis iram * in noviſſimis diebus*. Accumulando divitias, theſaurum iræ divinæ vobis accumulaſtis in noviſſimum diem.

4. 5. 6. *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.* * Scitote quod defraudatio & injuſta detentio mercedis operariorum, qui agros veſtros coluerunt & meſſuerunt, in cœlum clamat, & clamor eorum ad Dominum exercituum aſcendit, ejuſque in vos provocat ultionem. *Epulati eſtis ſuper terram, & in luxuriis enutriſtis corda veſtra, in die occiſionis*. * Vixiſtis ſuper terram in deliciis, epulis, luxu, & laſcivia, & ſaginati eſtis ſicut victimæ ſacrificio & mactationi deſtinatæ. Vel ſingulis vitæ veſtræ diebus ſplendide epulati eſtis, ut fieri ſolet in diebus ſolemnis ſacrificii. *Addixiſtis & occidiſtis juſtum*, * *& non reſtitit vobis*. Accuſaſtis, damnaſtis, occidiſtis pauperem innocentem: qui ſe a violentia veſtra & oppreſſione tueri non potuit.

7. 8. *Patientes igitur eſtote, fratres, uſque ad adventum Domini. Ecce agricola exſpectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum & ſerotinum*. Vos autem pauperes & oppreſſi, longanimes eſtote, in patientia perſeverate uſque ad adventum Domini, quo patientiæ veſtræ præmium a juſto Judice accepturi eſtis, & divites ſuperbi, injuſti, violenti, ac inhumani condignas ſuis criminibus pœnas daturi. Videtis agricolam non moleſte ferre moras, & agriculturæ labores tolerare ſpe colligendi ex terra fructum pretioſum ſibique utilem, cum tempus advenerit; & patienter exſpectare donec Deus mittat imbrem tempeſtivam ſeu autumnalem, qui decidit jacta ſemente, & eam germinare facit, & ſerotinum ſeu vernum, quo ſata grandeſcant, vegetentur, & matureſcant. *Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra: quoniam adventum Domini appropinquavit*. Ita & vos patientes eſtote, & certa ſpe cœleſtis præmii animum adverſus tentationes impatientiæ, murmurationis, & puſillanimitatis, in rebus adverſis obfirmate: Adventus enim Domini ad judicium appropinquat. Mille anni ante oculos Domini, tamquam dies heſterna quæ præteriit.

9. *Nolite ingemiſcere, fratres, in alterutrum, ut non judicemini. Ecce Judex ante januam aſſiſtit*. Ne alter adverſus alterum amaro & querulo animo ingemiſcatis, & de injuriis vobis illatis apud Deum aut apud homines expoſtuletis, ne condemnemini a Chriſto ſummo Judice, qui mox veniet.

10. 11. *Exemplum accipite, fratres, exitus mali * laboris & patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini*. Sint vobis in exemplum perpeſſionis malorum † & patientiæ, Prophetæ ſancti, qui Domini mandato verba ad populum habuerunt, futura prænuntiantes, eumque a peccatis ad Deum & verum ejus cultum revocantes. *Ecce beatificamus eos qui ſuſtinuerunt*. Beatos prædicamus eos qui afflictiones, & mortem ipſam pro juſtitia ſuſtinuerunt. *Sufferentiam Job * audiſtis, & finem Domini vidiſtis, † quoniam miſericors Dominus eſt & miſerator*. Admirabilem Sancti Job patientiam audiviſtis, & exitum ſive paſſionem & mortem Chriſti Domini, in quo propoſitum nobis eſt abſolutiſſimum patientiæ exemplar: & ex utroque intelligitis, quam ſit propenſus Dominus ad miſerendum: nec dubitare debetis quin patientiam veſtram remuneret, ſicut remuneravit patientiam Job, benedicens noviſſimis ejus magis quam primis, & Chriſti Domini, quem propter paſſionem mortis corporis immortalitate & gloria, nominiſque incomparabili celebritate donavit. Vel, Noſtis ex ſacris litteris quem finem Dominus dederit afflictionibus & patientiæ Job. Hunc ſenſum Syrus Interpres expreſſit: „ Audiſtis tolerantiam Job, & finem quem præſtitit ei Dominus, vidiſtis: quoniam miſericors eſt Dominus & commiſerans. *Cum quo Verſio Æthiopica concordat:* Tolerantiam Job „ audiviſtis, quomodo ei exitum dederit Deus etiam vidiſtis: adeo multa eſt miſericordia Domini, & miſerator eſt. *Et Arabica*: Jam audiſtis patientiam „ Job, & noſtis finem quem conſtituit ei Dominus: largus enim eſt benignitate, & clementiſſimus.

Græce, κακοπαθείας *perpeſſionis malorum*, ſeu *afflictionis*.

† Ex fidelibus adhuc ſupererant, qui Chriſtum Dominum patientem viderant.

* Liber Job vera hiſtoria, non confictum exhortationis & doctrinæ cauſa argumentum, ut Anabaptiſtæ volunt.

12. *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non: ut non ſub judicio decidatis*. Summa vigilantia attendite ne temere, per impatientiam, ex prava conſuetudine, nulla neceſſitate compulſi, juretis, ſive per cœlum, ſive per terram, ſive qualibet alia juramenti formula per Deum, aut creaturas: ſed omnis ſermo veſter quo aliquid affirmatis, ſit ſimplex affirmatio, & ſermo quo aliquid negatis, ſit ſimplex negatio; ne a ſummo Judice condemnemini. Confer cum verbis Chriſti Matth. 5. 31. & ſeq. „ Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, Non jurare omnino, neque per cœlum, quia thronus Dei eſt: neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus, neque per Jeroſolymam, quia civitas eſt magni Regis: neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere aut nigrum. Sit autem ſermo veſter, Eſt, eſt: Non, non: quod autem his abundantius eſt, a malo eſt. “ Quod in Latina Verſione legitur: *Ut non ſub judicio decidatis*, eruditi quidam Commentatores reddendum cenſent, *Ut non in ſimulationem incidatis*, ſecundum vim Græci Textus, Ἵνα μὴ εἰς ὑπόκρισιν πέσητε. Verum Latinam Verſionem noſtram a Græco Textu, non recedere Oecumenii Commentarius oſtendit. Ὑπόκρισιν κατάκρισιν „ dicitur, id eſt condemnationem, quæ ſubſequitur eos qui inceſſanter, & ſine delectu jurant: & jurandi conſuetudine ad perjurium feruntur. Aut etiam dictio, ὑπόκρισιν hoc loco proprium ſignificatum habet, nempe ſimulationem. Quomodo ergo in hypocriſim cadit is qui jurat? Cum juramento

Vide Commentarium noſtrum in c. 5 S. *Matt. Verſ.* 31. *& ſeq.* & Theologiam noſtram Dogmaticam & Moralem *l.* 4. *cap.* 4. *Art.* 2. *c.* 3.

„ qui-



„ quidem creditur verax eſſe, at ſubſequenti tranſgreſſione mendax pro veraci deprehenditur. Aut etiam quia ναὶ, ideſt certe, non ad confirmationem profertur, neque οὔ, ideſt non, ad id quod reſpondet facto. “ Nec etiam improbabilis conjectura eſt, Græcorum Amanuenſium oſcitantia ex duobus vocabulis ὑπὸ κρίσιν, quæ ſignificant, *ſub judicium*, unicam vocem ὑπόκρισιν, factam eſſe, quæ ſimulationem ſignificat.

13. *Triſtatur aliquis veſtrum? Oret: Æquo animo eſt? Pſallat*. Si quis inter vos rebus adverſis premitur, & triſtis eſt, in oratione ſolatium quærat. Si ob res proſpere cedentes læto ſit animo, Pſalmis & Canticis ſpiritualibus gratias agat Deo, & cor ſuum oblectet.

14. 15. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros * Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Si quis inter vos ægrotat, præſertim tam perículoſe decumbens, ut in exitu conſtitutus videatur, advocet aliquem ex Eccleſiæ Sacerdotibus, & ſuper eum orationem fundant, ſub præſcripta verborum forma deprecatoria, ungentes eum oleo, quæ materia eſt Sacramenti, & ſymbolum gratiæ interioris a Chriſto promiſſæ: ungant autem illum ſecundum inſtitutionem Domini, ejuſque auctoritate, virtute, ac mandato: & oratio fidei Eccleſiæ ſubnixa ſalvabit infirmum, ſalute ſpirituali per gratiæ infuſionem, & corporali, ſi animæ bono expediat: & ejus animum eriget, confirmabitque, magnam in eo divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatus & morbi incommoda levius ferat, & tentationibus dœmonis, calcaneo inſidiantis, facilius reſiſtat: & ſi quæ in ipſo adhuc ſuperſint expianda peccata, ſeu venialia, ſeu mortalia, per Pœnitentiam ex aliquali negligentia, non remiſſa, condonabuntur ei: ſi quæ peccatorum reliquiæ, ſeu pravæ affectiones ex peccatis relictæ, abſtergentur & tollentur per unctionem gratiæ Spiritus ſancti, cujus oleum benedictum, & exterior unctio ſymbolum eſt. Hinc Extrema Unctio *Pœnitentiæ complementum* merito nuncupatur. Ad ſanationum donum hunc S. Jacobi locum perperam detorquent Heretici, tum quia nec omnes, nec ſoli Presbyteri hoc donum habebant: tum quia donum miraculorum non ſe extendebat ad remiſſionem peccatorum: tum quia Unctio hæc erat fidelium, donum vero miraculorum ad infidelium converſionem ordinatum erat.

* Unctionis extremæ Sacramentum a Chriſto inſtitutum, a ſancto Jacobo Apoſtolo promulgatum. *Concil. Trident. Seſſ.* 14. *S. Thomas in Suppl. Quæſt.* 29. *& ſeqq.* Numerus pluralis pro ſingulari in Scripturis uſurpatur, ut obſervat S. Auguſt. lib. 3. *De Conſenſu Evageliſt. cap.* 16.

16. *Confitemini ergo * alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem ut ſalvemini: multum enim valet deprecatio juſti aſſidua*. § Quotidiana leviaque peccata alii aliis confitemini, conſilii & auxilii petendi cauſa, & ad exercitationem pœnitentiæ ac humilitatis; & mutuis vos orationibus ad ſalutem æternam conſequendam adjuvate. Oratio enim juſti aſſidua & fervens magnam vim habet ad impetrandum a Deo quod petitur.

* Nota illationis in Græco non habetur.

§ Δέησις ἐνεργουμένη, *deprecatio incitata & fervens*.

17. 18. *Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis: & oratione oravit ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex*. Elias Propheta homo erat; iiſdem quibus nos, vitæ hujus mortalis miſeriis obnoxius, & ferventer oravit ut pluvia non decideret ſuper terram decem Tribuum, & confinium regionum, ad caſtigandam impietatem & immanitatem Regis Achab, & idololatriam populi: efficax porro fuit ejus oratio. Cœlum enim clauſum eſt, & pluvia terræ negata trium annorum & ſex menſium ſpatio. *Et rurſum oravit; & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum*. Et cum rurſum oraſſet Sacerdotibus Baal interfectis, & populo ad Deum revocato, nubes pluviam dederunt, & terra germinavit, protulitque fruges uberrimas.

*3. Reg. 17. Luc. 4. 25.*

*3. Reg. 18. 45.*

19. 20. *Fratres mei, ſi quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum: Scire debet, quoniam qui converterit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum*. Si quis ex vobis aberraverit a recta vivendi regula, quæ ſanam fidem, & ſanctam converſationem complectitur, & quis eum revocaverit, adminicula a Deo ad errantium & peccatorum converſionem inſtituta adhibendo: ſciat eum qui peccatorem converterit ab errore vitæ, morum, actionumque pravarum, ſalvare animam ejus ab æterna morte, & multitudinem peccatorum tum ejus, tum ſuorum coram Deo tegere, cooperando ut per Pœnitentiam deleantur, vel tam eximio caritatis opere impetrando ut ſua ſibi condonentur.

C A P U T V.

*Senſus Moralis.*

1. 2. 3. *Agite nunc divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis*. Magna vitiis & divitiis affinitas. Maximæ divitum parti ſunt irritamenta malorum, occaſiones & inſtrumenta peccatorum. Superbia, avaritia, luxus, injuſtitia, inhumanitas in pauperes, eorumque oppreſſio, obduratio adverſus miſericordiam, in omne voluptatum genus immerſio. Dei oblivio, alienus a pœnitentia, & Chriſti cruce, animus, caracteres ſunt divitum ſæculi hujus. „ Divitiæ animarum laqueus, mortis hamus, peccati eſca, belli materia. Propter opes propinqui naturam negant, fratres inter ſe digladiantur, loca deſerta graſſatoribus, mare piratis, civitates calumniatoribus replentur. Quis mendacii pater eſt? Quis falſæ accuſationis miniſter? Quis perjurii auctor? Nonne divitiæ ac divitiarum cupiditas? *Ideo Chriſtus ait*; Væ vobis divitibus; quia habetis conſolationem veſtram. *Et Amos Propheta*: Væ qui opulenti eſtis in Sion, & confiditis in monte Samariæ, optimates, capita populorum, ingredientes pompatice domum Iſrael. *Et rurſus Dominus ait*: Amen dico vobis, Quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico vobis: Facilius eſt camelum per foramen acus intrare, quam divitem intrare in regnum cœlorum. “ Divites ad vocem Dei obſurdeſcant, cor eorum ſpiritui pœnitentiæ divitiarum amor, ſuperbia, & voluptates opum ſatellites occludunt. Illorum proinde converſio & pœnitentia valde difficilis. *Deſiderium pauperum exaudit Dominus, præparationem cordis eorum audit*. Divites vero ſuperbos, avaros, injuſtos, inhumanos, non ſolum ingemiſcere, ſed totis viribus clamare, & ululare ad Deum neceſſe eſt, ut miſericordiam conſequantur. *Agite nunc, divites, plorate ululantes in miſeriis veſtris, quæ advenient vobis*. Quam miſericordiam a Patre miſericordiarum ſperare poſſunt, qui pauperum non miſerentur? Qui opes recondunt, & indigentium inopiam ac egeſtatem contemnunt; qui veſtimenta inutilia ſervant in arcis & ſcriniis, quibus pauperum nuditatem poſſent ac deberent operire. Vermes & tineas paſcere malunt, quam Chriſtum in membris ſuis paſcere & veſtire. Opes ſuas corrumpi & perire ſinunt, quas Deo per manus pauperum conſecrare, & incorruptibiles reddere poſſent, illas præmittendo in locum veræ vitæ. Verbis & præceptis Chriſti Domini ſe non credere oſtendunt in Evangêlio dicentis: „ Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, ubi ærugo neque tinea demolitur, & ubi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt, nec furantur. „ Frumenta in longum tempus conſervant, ut pluris vendant? & maledictionem a Deo & hominibus in caput ſuum arceſſunt. „ Qui abſcondit frumenta, maledicetur in populis; benedictio autem ſuper caput vendentium. Pauperes enim & populus male iis imprecantur, qui fruges, ceteraque ad vitam tolerandam neceſſaria recondunt ut carius vendant: pauperum vero execrationes ſæpe Deus exaudit. Unde Sapiens ait: „ Animam eſurientem ne deſpexeris, & non exaſperes pauperem in inopia ſua.... Ab inope ne avertas oculos tuos propter iram: & non relinquas quærentibus tibi retro maledicere: maledicentis enim tibi in amaritudine animæ, exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum qui fecit illum. „ Divites avari malunt theſauros rubigini obnoxios in terris, quam theſaurum non deficientem in cœlis. „ Divitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra a tineis comeſta ſunt. Nolunt ex illis amicos facere, a quibus in æterna tabernacula recipiantur, accuſatricem & teſtem conſcientiam in Dei judicio habebunt; ipſis exprobrantem divitias avare ſervatas, reconditas in arcis, & ærugine corruptas, illoſque cruciantem, ſicut ignis æternus, quo eorum animæ & corpora in perpetuum exurentur, & numquam conſumentur. Theſauros auri & argenti ſe poſſidere exiſtimant; & theſaurum iræ Dei, ultionis, & ſuppliciorum æternorum in noviſſimum diem ſibi coacervant. „ Aurum & argentum veſtrum æruginavit: & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in noviſſimis diebus. *Id Prophetæ Oraculo congruit*: Adhuc ignis in domo impii theſauri iniquitatis, & menſura minor iræ plena.

Divitum ſalus difficilis.

*S. Baſil. Homil. in Diteſcentes.*

*Luc.* 6. 24.

*Amos* 6. 1.

*Matth.* 19. 23. 24.

*Pſalm.* 9. 17.

*Matt.* 6. 19.

*Prov.* 11. 26.

*Eccli.* 4. 2. 5. 6.

*Michea* 6. 10.

4. *Ecce merces operariorum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata eſt a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit.*

Magnæ

Operariorum mercedem defraudare peccatum eſt ad cœlum clamans.

Magnæ divitiæ ſæpe malis & injuſtis artibus acquiruntur. Radix malorum omnium cupiditas. Porrecta manus divitum eſt ad accipiendum, & ad dandum contracta. Æs alienum accumulant, & debita ſolvere non curant: pauperes opprimunt, mercedem operariorum defraudant, aut ſolutionem differunt ex qua diurnus illorum victus pendet. Non mirum quod terribilem Dei ultionem in caput ſuum arceſſant. Clamat enim in cœlum crudelis hæc injuſtitia. „ Non negabis mercedem indigentis (*ait Dominus*) & pauperis fratris tui, ſive advenæ qui tecum moratur in terra, & intra portas tuas eſt; „ ſed eadem die reddes ei pretium laboris ſui ante „ Solis occaſum, quia pauper eſt, & ex eo ſuſtentat „ animam ſuam: ne clamet contra te ad Dominum, „ & reputetur tibi in peccatum. *Hinc ſanctus Job* „ *de ſua innocentia confidens ait*: Si adverſum me „ terra mea clamat, & cum ipſa ſulci ejus deflent: „ Si fructus ejus comedi abſque pecunia, & animam „ agricolarum ejus afflixi: Pro frumento oriatur „ mihi tribulus, & pro hordeo ſpina. *Hoc divitum* „ *crimen cum homicidio Spiritus Sanctus comparat*: „ Qui effundit ſanguinem, & qui fraudem facit mercenario, fratres ſunt.

Deut. 24. 14.

Job. 31. 38. 39. 40.

Eccli. 34. 27.

Luxus divitum non minus adverſatur caritati, quam avaritia.

5. 6. *Epulati eſtis ſuper terram, & in luxuriis enutriſtis corda veſtra, in die occiſionis*. Non minus contra caritatem pugnat luxus divitum, quam avaritia. Et qui divitiis parcunt, & qui iis ad delicias, voluptates, luxum ac pompam abutuntur, nullo erga pauperes commiſerationis affectu moventur, illorum miſeriis ſuccurrere non curant. Saginantur ut victimæ Deo ultionum immolandæ, & igne inferni ſaliendæ. Teſtis *Dives* ille qui *induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide*, cum interim Lazarus ulceribus plenus ad januam ejus fame conficeretur. Luxus & carnalium deliciarum amor corda divitum adverſus miſericordiam obdurant. Pauperes opprimunt, & occidunt, hoc ipſo quod non paſcunt, nec eorum miſeriam ſublevant. *Addixiſtis & occidiſtis juſtum, & non reſtitit vobis*. Hinc Dominus per Prophetam divitibus in voluptates effuſis maledicit. „ Væ qui dormitis in lectis eburneis, & laſcivitis in „ ſtratis veſtris, qui comeditis agnum de grege, & „ vitulos de medio armento. Qui canitis ad vocem „ pſalterii . . . Bibentes vinum in phialis, & optimo „ unguento delibuti: & nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph. „ Tandem aliquando expergiſcimini divites, vino deliciarum carnalium ebrii, terribile Chriſti judicium cogitate, pœnas quas divitibus ſuperbis, injuſtis, luxurioſis, immiſericordibus comminatur, ante oculos ponite. Quid reſpondebitis? Quos advocatos conducetis? Quos teſtes in veſtrum favorem adducetis? Integerrimum Judicem, & cui veritas occultari non poteſt, quomodo corrumpetis? Non vos adulatores, non pecunia, non dignitatis faſtus ſequentur. Ab amicis, ab auxiliis deſerti, ſine defenſore, ſine honore, triſtes, pudefacti, dejecti, ſoli, relinquemini. Quocumque circumferetis oculos, perpetrata peccata, imminentes pœnæ, oculis occurrent. Hinc orphanorum lacrymæ, viduarum gemitus, oppreſſi pauperes, vexati ſervi, afflicti vinci. Illinc iræ Dei, & ignis æterni ſubterraneus ad pœnam theſaurus. Agite igitur Pœnitentiam, dum tempus habetis, male parta aut injuſte retenta reſtituite, largas eleemoſynas erogate, luxui & voluptati renuntiate. His dumtaxat mediis ſalutem veſtram in tuto ponere poteſtis.

Luc. 16. 19.

Amos 6.

S. Baſil. Orat. in Diteſcentes.

Patres patientia ſanctificantur.

7. 8. 9. 10. 11. *Patientes igitur eſtote, fratres, uſque ad adventum Domini. Ecce agricola exſpectat pretioſum fructum terræ, patienter ferens donec accipiat temporaneum & ſerotinum*. Pauperes patientia in toleranda paupertate, aliiſque miſeriis, in ſuſtinendis vexationibus & injuriis quibus a divitibus affliguntur, ſi in ea perſeverent, ſanctificat, & ad æternam beatitudinem perducit. Ad patientiam porro illorum animos inprimis confirmare debent malorum, quæ patiuntur, & ipſius mortalis vitæ brevitas, fideſque divini judicii, in quo pauperum juſtorum, & divitum ſuperborum, injuſtorum, avarorum, in luxum & voluptates immerſorum, & immiſericordium ſors commutabitur. Illi regno donabuntur, & torrente voluptatis a Deo potabuntur: iſti æternis opprobriis, miſeriis & pœnis damnabuntur. *Tunc ſtabunt juſti in magna conſtantia adverſus eos qui ſe anguſtiaverunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentes intra ſe, pœnitentiam agentes: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati, vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Ergo erravimus a via veritatis, & juſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tamquam umbra . . . . . In malignitate autem noſtra conſumpti ſumus . . . . . Juſti autem in perpetuum vivent, & apud Dominum eſt merces eorum . . . . . Ideo accipient regnum decoris, & diadema ſpeciei de manu Domini: Quoniam dextra ſua teget eos, & brachio ſancto ſuo defendet illos*.

Rationes ad patientiam moventes.

Sap. 5.

Secundo nos ad patientiam invitat exemplum agricolarum, qui labores graviſſimos in cultura terræ patienter ſuſtinent ſpe frugum ex ea percipiendarum & meſſis uberrimæ. Neque moleſte ferunt quod terra fructus non proferat ſtatim atque ſeminibus fœcundata eſt, ſed tempus expectant, & ſpem interim ſuam autumnalium & vernorum imbrium lapſu ſuſtentant. Ita nobis longanimiter ferendæ ſunt afflictiones, injuriæ, & omnia hujus vitæ mala, ut fructum laboris ac patientiæ pretioſum, nempe vitam æternam a Deo promiſſam, hora mortis, & in die ultimi Judicii recipiamus. Nunc tempus eſt ſementis, tunc meſſis erit bonorum æternorum, frugum juſtitiæ noſtræ. Nunc ſeminamus in lacrymis, tunc in exultatione metemus. Deum interim oremus, ut pluvia voluntaria gratiæ ſuæ terram cordis noſtri irriget, fœcundet ac perficiat, omni tempore neceſſaria, ut terra noſtra det fructum ſuum. *Pluvia matutina eſt pœnitentia peracta in juventute cum lacrymis, ſerotina vero quæ in ſenectute. Omnia autem pendent ex Dei benignitate*: unde ait Apoſtolus noſter: *Donec accipiat temporaneum & ſerotinum*; ſive, *pluviam matutinam & ſerotinam*. Patientes igitur ſimus in præſentium perpeſſione malorum; contra imminentia futuraque mala animos noſtros muniamus & firmemus. Dies hominis præteribunt; dies Domini cito veniet, qui perſeverantiam patientiæ coronabit. *Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra: quoniam adventus Domini appropinquavit*. Contra perſecutores, multo minus contra fratres, ſi qui vos offendunt, aut vobis moleſti ſunt, amaro ne ſitis animo. Perſecutiones hoſtium, imperfectiones fratrum æquo & pacato animo tolerate. Ne gravius conqueramini de ſorte veſtra, de aliorum malignitate, indole, defectibus, & moleſta vobiſcum agendi ratione: ne ingemiſcatis, quaſi graviora meritis patiamini: ne ex indignatione, aut invidia, aut malorum veſtrorum diuturnitate, liberationiſque mora contriſtemini: patientiæ enim & caritatis meritum perderetis. Ab indignatione & animi amaritudine facilis eſt ad odium tranſitus: ab impatientis cordis gemitibus & ſuſpiriis ad murmurationem contra Dei providentiam, & occultorum illius judiciorum temerariam inquiſitionem, & blaſphemam accuſationem, per gradus pervenitur. Judex brevi adveniet: judicium ejus ne præveniamus accuſando & judicando proximum, aut ultionem deſiderando, ne a Chriſto ultionum Domino condemnemur. *Nolite ingemiſcere, fratres, in alterutrum, ut non judicemini. Ecce judex ante januam aſſiſtit*.

Occumenius in Comment.

Tertio ad patientiam nos excitant exempla Prophetarum, & Martyrum, qui pro veritate & juſtitia ad mortem uſque certarunt; qui ludibria, verbera, carceres, exilia, paupertatem, famem, omnem miſeriarum genus, & atrociſſima ſupplicia ſuſtinuerunt. Siquidem Deus ita tractat eos quos magis diligit, ne ingemiſcamus, ne conqueramur in afflictionibus, immo potius gaudeamus & exſultemus. *Exemplum accipite, fratres, exitus mali, laboris, & patientiæ, Prophetas, qui locuti ſunt in nomine Domini*. Beatitudinem Martyrum cum Eccleſia prædicamus: illorum igitur patientiam imitemur. Laudes Martyrum, ſunt exhortationes ad Martyrium: *Ecce beatificamus eos qui ſuſtinuerunt . . . . . Beati enim qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*, ait Dominus & Salvator noſter.

Quarto, magnum ad patientiam incitamentum eſt beati Job exemplum, qui amiſſis liberis ac bonis, vexato graviſſimis doloribus corpore, calumniantibus amicis, inſultante uxore, patientiam non amiſit, ſed divinæ ſe conformans voluntati, Deum laudavit, illique gratias egit, dicens: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum . . . . . Si bona ſuſcepimus de manu Dei, mala quare non ſuſcipiamus?* Ideo priſtinum in ſtatum proſperitatis & incolumitatis a Deo reſtitutus eſt, & duplicia recepit eorum quæ amiſerat. Sic patientia pauperum non peribit in finem, ſed in cœlis centuplo & vita æterna remunerabitur. „ O feliciſſimum illum, qui omnem patientiæ ſpeciem adverſus omnem diaboli vim expunxit! quem „ non abacti greges, non illæ in pecore divitiæ, „ non filii uno ruinæ impetu adempti, non ipſius „ denique corporis in ulcere cruciatus, a patientia „ & fide

Job 1. 22. & cap. 2. 10.

Tertull. lib. De Patientia cap. 14.



„ & fide Domino debita excluſit; quem diabolus totis „ viribus fruſtra cæcidit. Neque enim a reſpectu Dei „ tot doloribus avocatus ille eſt, ſed conſtitit nobis „ in exemplum & teſtimonium, tam ſpiritu quam „ carne, tam animo quam corpore, patientiæ perpetrandæ: ut neque damnis ſæcularium, nec amiſſionibus cariſſimorum, nec corporis quidem conflictationibus ſuccidamus. Quale in illo viro feretrum „ Deus diabolo extruxit! Quale vexillum de inimico „ gloriæ ſuæ extulit, cum ille homo ad omnem acerbum nuntiorum nihil ex ore promeret, niſi Deo „ gratias; cum uxorem jam malis delaſſatam, & „ prava remedia ſuadentem execraretur! Quid ridebat Deus: Quid? diſſecabatur Malus, cum Job „ immundam ulceris ſui redundantiam magna æquanimitate deſtringeret, cum erumpentes beſtiolas „ inde in eoſdem ſpecus & paſtus reformoſæ carnis „ ludendo revocaret. Itaque operarius ille victoriæ „ Dei, retuſis omnibus vinculis tentationum lorica „ clypeoque patientiæ, & integritatem mox corporis a Deo recuperavit, & quæ amiſerat conduplicata poſſedit. Et ſi filios quoque reſtitui voluiſſet, „ Pater iterum vocaretur. Sed maluit in illo die „ reddi ſibi. Tantum gaudii, ſecurus de Domino „ diſtulit. Suſtinuit tam voluntariam orbitatem, ne „ ſine aliqua patientia viveret. Adeo ſatis idoneus „ patientiæ ſequeſter Deus. Si injuriam depoſueris „ penes eum, ultor eſt: ſi damnum, reſtitutor eſt: „ ſi dolorem, medicus eſt: ſi mortem, reſuſcitator „ eſt. Quantum patientiæ licet, ut Deum habeat debitorem? Deus bonus & miſericors illos qui cum „ patientia & fiducia in ipſum res adverſas ſuſtinent, „ ſolatio & auxilio deſtitutos non relinquit. *Sufferentiam Job audiviſtis, & finem Domini vidiſtis, quoniam miſericors Dominus eſt, & miſerator*.

Nullum denique illuſtrius ac efficacius ad ſuadendam nobis patientiam, & ad animos noſtros in rerum adverſarum tolerantia erigendos & confirmandos exemplum eſt, Domini noſtri Jeſu Chriſti paſſione ac morte, quam pro nobis in cruce ſuſtinuit. *Sufferentiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis*. Ne quis quando patitur tribulationes hic exſpectet mercedem, &, ſi damna aliqua patiatur, eo animo dicat, *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictum*, ut duplum accipiat. Patientia Deum laudet, non avaritia. Si ea quæ perdidiſti, dupla quæris recipere, & ideo Deum „ laudas, de cupiditate laudas, non de caritate. „ Job dupla non ſperabat: non ſperanti Dominus præſtitit, ut doceremur Deum illi adfuiſſe: quia ſi & „ illa illi non redderet, occultam coronam ejus videre minime poteramus. Ideo Scriptura divina, „ exhortando ad patientiam & ſpem futurorum, non „ mercedem præſentium, ait: *Sufferentiam Job audiſtis, & finem Domini vidiſtis*. Quare patientiam „ Job, & non finem ipſius Job proponit? Fauces „ aperires ad dupla: diceres, Deo gratias, ſuſtinebo, „ dupla recipiam ſicut Job. Patientiam Job, finem „ Domini novimus. Quem finem Domini? *Deus*, „ *Deus meus, ut quid me dereliquiſti?* Verba ſunt „ Domini pendentis in ligno. Quaſi reliquit illum „ ad præſentem felicitatem, ſed non eum reliquit ad „ æternam immortalitatem. Ibi eſt finis Domini. „ Tenent Judæi, inſultant, ligant, ſpinis coronant, „ ſputis dehoneſtant, flagellant, opprobriis obruunt, „ ligno ſuſpendunt, lancea fodiunt, poſtremo ſereliunt: quaſi relictus eſt. Sed quibus? Illis inſultantibus. Ideo ergo habeto patientiam, ut reſurgas, & numquam moriaris, ſicut Chriſtus. Sic enim legimus: *Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur*.

S. Aug. Serm. De Symbolo ad Catechumenos, num. 9.

Rom. 6. 9.

12. *Ante omnia autem, fratres mei, nolite jurare, neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum. Sit autem ſermo veſter: Eſt, eſt: Non, non: ut non ſub judicio decidatis*. A juramento omnino abſtinere facilius eſt, quam illud præſtare cum omnibus, quibus ſecundum Dei legem inſtructum eſſe debet, conditionibus, ſcilicet ex neceſſitate, cum religione, veritate, juſtitia, & judicio. Qui his minime ſervatis jurare non metuit, ſe damnationi obnoxium facit. „ Vis longe eſſe a perjurio. Jurare noli. Qui enim jurat, aliquando „ verum jurare poteſt; qui autem non jurat, mendacium jurare numquam poteſt. Ne ergo mendacium jures, noli jurare. Ipſa eſt anguſtia. *Perjurium præcipitium. Qui jurat, juxta eſt: qui non* „ *jurat, longe eſt*. Peccat & graviter, qui falſum „ jurat: non peccat, qui verum jurat: ſed nec ille „ peccat, qui omnino non jurat. Sed qui non jurat, „ & non peccat, longe eſt a peccato: qui autem „ verum jurat, non peccat, ſed prope eſt ad peccatum. Si ambules in aliquo loco, ubi a parte dextera „ ſpatioſa ſit terra, nec uſquam anguſtias patiaris, „ a ſiniſtra autem præceps locus ſit, ubi eligis ambulare? Super finem terræ in labio præcipitii, an „ inde longe? Puto quia inde longe. Sic & qui jurat, in fine ambulat; & ambulat pedibus infirmis, „ quia humanis; ſi offenderis deorſum is; ſi lapſus „ fueris, deorſum is. Et quid te excipit? Perjurii „ pœna. Ergo volebas verum jurare: audi conſilium „ Dei, *Noli jurare*. Audi verba Apoſtoli: *Ante* „ *omnia, nolite jurare*. Quid eſt, *Ante omnia*? Præ „ ceteris cautus eſto, plus ad hoc intentus eſto, „ quam ad alia. Major conſuetudo majorem intentionem flagitat, non rei levis conſuetudo. Si de „ manu aliquid faceres, facilius manui tuæ imperares „ ne faceres; ſi pedibus aliquo eundum eſſet, pigritia retardante excitares te ut ſurgeres, & ires. „ Lingua facilitatem habet motus, in udo poſita „ eſt, facile in lubrico labitur. Quanto illa citius & „ facilius movetur, tanto tu adverſus illam fixus „ eſto. *Domabis, ſi vigilabis; vigilabis, ſi timebis;* „ *timebis, ſi Chriſtianum te eſſe cogitaveris*.

Juramenta vitanda.

S. Aug. Serm. 80. alias 28. De verbis Apoſtoli.

13. *Triſtatur aliquis? Oret. Æquo animo eſt? Pſallat*. In rebus adverſis, quæ triſtitiam ac mœrorem in animo pariunt, ad orationem confugiendum eſt. In Dei ſinum ſe projiciat, qui triſtis eſt & afflictus, ut ſolatium inveniat: illius auxilium imploret, qui adjutor eſt in opportunitatibus, in tribulatione. Tunc maxime contra diabolum vigilandum, ne a triſtitia abſorptos ſeducat, & ad prava conſilia capeſſenda inducat. Exemplum dedit Chriſtus Dominus, qui cum imminente morte animam ſuam triſtitiæ permiſiſſet, continuo ſe in preces effudit: & mox Diſcipulos monuit ut vigilarent & orarent, ne intrarent in tentationem. In rebus vero ſecundis non minus vigilandum eſt, ne ſalutis noſtræ inimicus cor noſtrum ſæculari gaudio diſſipet, atque ad peccatum alliciat. Quamobrem recolligendus in Deum animus eſt Pſalmis, & Hymnis, & ſpiritualibus canticis. Illi ut omnium bonorum auctori gratiæ agendæ. Procul ab ore Chriſtiano profanæ & impudicæ cantilenæ, quæ ex corde corrupto exeunt, vel ipſum corrumpunt, & hominem coinquinant. *Cantica turpia in tenebras diaboli mittunt: cantica ſancta Chriſti lumen oſtendunt*.

In rebus adverſis & proſperis orandum & vigilandum eſt.

Matt. 25. 38.

S. Cæſarius Serm. 97. in Appendice Aug. 304.

13. 14. *Infirmatur quis in vobis? Inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum ungentes eum oleo in nomine Domini; Et oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*. Immenſæ Chriſti erga homines bonitati & miſericordiæ gratias immortales agamus, qui Unctionis-Extremæ Sacramentum inſtituit, ut exeuntium ex hoc mundo plenæ expiationi & ſaluti conſuleret. „ Clementiſſimus *ſcilicet* Redemptor noſter, „ qui ſervis ſuis quovis tempore voluit de ſalutaribus „ remediis adverſus omnia omnium hoſtium tela eſſe „ proſpectum: quemadmodum auxilia maxima in „ Sacramentis aliis præparavit, quibus Chriſtiani „ conſervare ſe integros, dum viverent, ab omni „ graviore ſpiritus incommodo poſſint; ita Extremæ „ Unctionis Sacramento finem vitæ, tamquam firmiſſimo quodam præſidio munivit. Nam etſi adverſarius noſter occaſiones per omnem vitam quærat & captet ut devorare animas noſtras quoquo „ modo poſſit: nullum tamen tempus eſt, quo vehementius ille omnes ſuæ verſutiæ nervos intendat „ ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, ſi „ poſſit, divinæ miſericordiæ deturbandos, quam cum „ impendere nobis exitum vitæ perſpicit. *Hoc Sacramentum* non modo Pœnitentiæ, ſed totius Chriſtianæ vitæ, quæ perpetua Pœnitentia eſſe debet, „ conſummativum exiſtimatum eſt a Patribus. “ Illud igitur ut cum debitis diſpoſitionibus ſuo tempore ſuſcipere det nobis miſericors Deus, differenda non eſt Pœnitentia ad finem vitæ, ſed toto vitæ tempore agenda, ut hoc Sacramento in extremo morbo conſummetur. 2. Quandiu vivimus, nos ad mortem Chriſtiane obeundam præparare debemus, conſcientias noſtras diligenter ſcrutari; peccata omnia humiliter & contrito corde ſæpe confiteri; Deo quantum in nobis eſt cum ejus gratia, ſatisfacere; divinæ miſericordiæ fiduciam habere, *non tamen de illa* præſumere: cum Extrema-Unctione peccata non dimittantur niſi vere Pœnitentibus & Deum diligentibus & dubia ſit admodum illorum pœnitentia, qui ad mortem uſque illam diſtulerunt. Pœnitentia quæ ab infimo petitur, infirma eſt. Pœnitentia quæ a moriente petitur, timeo ne ipſa moriatur. 3. Senſuum noſtrorum cuſtodiæ ſumma ſolicitudine invigilare debemus; ne per illos peccatum ſubrepat, ne mors intret per feneſtras: & cum quotidiana ſint peccata quæ ſenſuum abuſu committimus, illa quotidianæ pœnitentiæ remediis expiare debemus, & quaſi in mortis procinctu conſtituti Deo humiliter & ſupplicare, ut per ſuam piiſſimam miſericordiam, & interiorem gratiæ ſuæ unctionem indulgeat nobis quicquid peccavimus per viſum, auditum, olfactum, guſtum & tactum. 4. Cum in morbum periculoſum incidimus, Sacramentum exeuntium humiliter poſtulare

Unctionis Extremæ Sacramentum. Debitæ ad illud diſpoſitiones.

Concil. Trid. Seſſ. 14. De Extrema Unctione.

lare debemus, & hac petitione publicam pœnitentiam quodam modo profiteri. 5. Curare debent Paſtores ut infirmi in vitæ periculo conſtituti Sacramentum Unctionis-Extremæ ſuſcipiant, antequam ſenſuum & rationis uſu ſint deſtituti, ut ad gratiam illius ſuſcipiendam magis diſpoſiti ſint, & ſacris ritibus ad actus fidei, ſpei, caritatis, pœnitentiæ & devotionis excitentur; atque ad ſingulas unctiones veniam delictorum, per ſenſus illos commiſſorum, qui a Sacerdote unguntur, a Deo petant. 6. In Chriſtiana militia nos jugiter exercitare debemus, & diaboli tentationibus fortiter reſiſtere, dum integra valetudine fruimur, ut iſtius Sacramenti gratia adjuti & roborati, hoſtem infenſiſſimum in extremis maxime nobis inſidiantem vincamus. Rarum enim eſt ut diaboli victores ſint in extremo agone, qui dum viverent, illi non reſtiterunt, nec adverſus illum pugnare didicerunt. 7. Spiritualium infirmitatum remedia majori ſtudio & ſolicitudine quærenda & procuranda ſunt quam corporalium. 8. Corporis ſanitatem poſtulare a Deo infirmi non debent, niſi quatenus animæ ſuæ ſaluti expedire ille judicaverit. Hanc autem fides infirmi & orationes ac fides Eccleſiæ impetrabunt, cum utilis illis fuerit ad animæ ſalutem. Hanc unam abſolute deſideremus, & ſupplices poſtulemus a Deo, qui ſanat omnes infirmitates noſtras, qui redimit de interitu vitam noſtram, qui nos coronat in miſericordia & miſerationibus, qui replet in bonis deſiderium noſtrum, renovaturus juventutem noſtram quaſi aquilæ, in reſurrectione corporum, plena animæ corporiſque ſanitate &glorioſa immortalitate nos donans.

Seſe mutuis orationibus juvare debent Chriſtiani.

16. *Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra, & orate pro invicem, ut ſalvemini: multum enim valet deprecatio juſti aſſidua.* Peccata lethalia Sacerdotibus, quibus poteſtas dimittendi peccata data eſt a Chriſto Domino, confiteri neceſſe eſt: quotidiana vero leviaque peccata piis quibuslibet perſonis ſalutare eſt confiteri, qui conſiliis ſuis & orationum auxilio nobis vulnerum medelam procurare poſſint. Humilis & ſincera delictorum confeſſio, aſſidua & ferventi juſtorum oratione adjuta, magnam vim habet ad Dei miſericordiam impetrandam. Voluntatem enim timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet eos. Orationem a Spiritu ſancto ſuo in corde Juſti formatam non repellet, modo ejus effectum non impediat impœnitentia ſua, aut negligentia officiorum ſuorum, ille pro quo precatur. *Si enim aliis pro nobis orantibus, nos vacemus deliciis ac diſſolutionibus vitamque tranſgreſſionibus plenam ducamus, per hoc diſſolvimus vehementiam orationis quæ certat pro nobis: & completur in nobis illud beati Petri, Unus ædificans, & unus deſtruens, quid prodeſt illis niſi labor?...* Qui proximum aliqua injuria affecit; culpam ſuam agnoſcat, & veniam ab eo petat; ſecundum præceptum Chriſti Domini: *Si recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te: vade prius reconciliari fratri tuo.* Cum ergo multorum mutuæ ſint injuriæ & offenſæ, eas mutuo & libenter confiteri & condonare debent, & alii pro aliis orare, ut veniam & ſalutem a Deo conſequantur.

*Oecum. in Comment.*

Vis orationis

17. 18. *Elias homo erat ſimilis nobis paſſibilis: & oratione oravit ut non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres, & menſes ſex. Et rurſum oravit: & cœlum dedit pluviam, & terra dedit fructum ſuum.* Ne trepidaret noſtra fragilitas, & orationes noſtras, licet aſſiduas, pias, ferventes, perſeverantes, ſalutaria poſtulantes, apud Deum efficaces fore diffideremus: ſanctus Apoſtolus oſtenſurus quanta vis fuerit orationis Eliæ, præmittit illum hominem fuiſſe ſimilem nobis, infirmum, paſſibilem. Homo erat, tametſi nulli hominum virtute ſecundus, ſimilis nobis origine carnis, paſſibilis ut nos, & mentis fragilitate & corporis. „Nam quod carne fragilis „eſſet, apud Sareptanam viduam victum quærendo „monſtravit. Quod mente quoque paſſibilis fuerit, „oſtendit, cum poſt redditas terris aquas, extinctoſque falſos Prophetas & Sacerdotes idolorum, „unius mulierculæ, ſcilicet Jezabelis minis exterritus per deſerta diffugit. Porro ſi tantæ fuit virtutis unius hominis juſti oratio contra Dei inimicos, ut cœlum clauderet, ac ſiccitatem extremam terræ Iſraeliticæ obtineret ad eorum impietatem puniendam: quanta vis erit orationis totius Eccleſiæ contra diabolum & ejus miniſtros? Si Elias rurſum orans pluviam abundantem, & fertilitatem terræ, meſſemque uberrimam, & fructus omnis generis a Deo impetravit; quanta gratiæ & miſericordiæ pluvia irrigabit animam, quam ipſe Chriſtus Jeſus eterno Patri offert, & pro qua tota Eccleſia ſupplicat? *Unus Elias ſemel & prius & poſtmodum orans talia ac tanta impetravit; quantum igitur valet frequens plurimorum oratio juſtorum?*

*Beda in Comment.*

19. 20. *Si quis ex vobis erraverit a veritate, & converterit quis eum: ſcire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſalvabit animam ejus a morte, & operiet multitudinem peccatorum.* A via fidei aberrant Pagani, Judæi, Heretici; a via ſanctæ converſationis quilibet peccatores & mali Chriſtiani. Qui aliquem ex illis ad veram fidem; aut ex iſtis ad meliorem frugem & viam ſalutis revocaverit, doctrina, prædicatione, exhortatione, precibus ad Deum, correptione, caſtigatione, animam ejus ab æterna morte liberabit, Chriſto Domino omnium hominum Salvatori cooperabitur ad hujus animæ ſalutem, & ſibimetipſi ampliora in cœlis præmia comparabit. Pretium animæ ſanguine Chriſti redemptæ omnino neſcit, qui cum illam revocare poſſit in viam ſalutis, negligit. Nullius rei pretium eſt cum anima conferendum, ne totus quidem mundus. Ideo majus & præſtantius opus eſſe unius animæ converſionem, quam ampliſſimi patrimonii in pauperes erogationem, aſſerere non dubitant ſancti Patres. Errantis autem converſio non ſolum loquendo, ſed plerumque etiam bene agendo perficitur. Nam ſi quis lingua etiam tacente proximis exempla bonæ actionis oſtendit, eoſque ad imitanda quæ neglexerant eleemoſynæ vel aliarum virtutum opera convertit, officium profecto Doctoris exequitur, ac pro ejus, quem correxit, ſalvatione fratris, certam a pio Judice mercedem conſequitur. *Unicuique mandavit Deus de proximo ſuo.* Si bovem vel aſinum ejus errantem ad illum reducere, ſi lapſum erigere & ſublevare lex Dei imperat, caritas jubet; quanto magis errantem animam in viam ſalutis revocare; in peccatum lapſam, quantum in ſe eſt, erigere quiſque tenetur ex præcepto caritatis.

Animarum ſaluti pro viribus cooperari tenemur.

*S. Chryſ. Hom. 3. in 1. ad Corinth.*

*S. Greg. M. Hom. 5. in Evangel. Beda.*

IN



# IN EPISTOLAM I. S. PETRI APOSTOLI, COMMENTARIUS LITTERALIS ET MORALIS,

## PROLOGUS.

DE hac Epiſtola nulla unquam inter Chriſtianos controverſia fuit an Canonica eſſet, ac S. Petrum Apoſtolum haberet auctorem, cujus nomine inſcribitur. Scripta eſt ad Judeos, in Ponto, Bithynia, Galatia & Cappadocia diſperſos, quamvis & Gentiles ad Chriſtianam fidem converſos, quibuſcum vivebant, & unam componebant Eccleſiam, etiam ſpectet. *Epiſtola ad Ponticos* appellatur a Tertulliano & S. Cypriano, quod Pontus primo loco nominetur inter Regiones ad quas miſſa eſt. Scriptam Babylone S. Petrus aſſerit cap. ultimo: *Salutat vos* (inquit) *Eccleſia, quæ eſt in Babylone coelecta, & Marcus filius meus.* Quo nomine Romam typice deſignari propter idololatriæ confuſionem, quia cum omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus, communis eſt opinio, Euſebii & S. Hieronymi teſtimonio firmata. Scripta eſt poſt annum Chriſti 43. cum jam fideles vulgo Chriſtiani appellarentur, & antequam S. Marcus a S. Petro miſſus eſſet in Ægytum ad prædicandum Evangelium, quod anno Chriſti 49. contigit. Græce ſcriptam eſſe conſtat, Marco S. Petri Diſcipulo interprete, id eſt, ſtylum & verba commodante, ut S. Hieronymus cenſet. Hoc autem eſt argumentum Epiſtolæ. Gratias imprimis agit Deo de vocatione ad fidem, & vitam æternam, de qua Prophetæ vaticinati ſunt. Fideles ad vitæ munditiam & innocentiam hortatur, ut qui Chriſti ſanguine redempti, & per verbum Dei regenerati ſint. 2. Ut excluſa omni fictione ad Chriſtum lapidem vivum accedant credentes, qui ſunt genus electum, cum prius eſſent populus abjectus. 3. Ut tamquam peregrini ab omnibus deſideriis carnalibus, & mundi illecebris abſtineant. 4. Ut Regibus & Magiſtratibus, omnibuſque Superioribus ſuis obtemperent. 5. Ut perſecutiones & afflictiones ad Chriſti imitationem ferant. 6. De mutua conjugum converſatione; & modeſto mulierum ornatu documenta tradit. Ad patientiam in adverſis rurſus hortatur. Nos per baptiſmum ſalvari docet, in ſimilitudinem eorum qui in arca Noe tempore diluvii ſalvati ſunt. 7. Fideles hortatur ut contemplatione Paſſionis Chriſti præterita peccata devitent, pravaſque cupiditates coerceant; ut incumbant orationi, fraternam dilectionem ſervent, omnia ad Dei gloriam referant, & gaudeant ſi propter Chriſtum perſecutionem patiantur. 8. Eccleſiæ Paſtores hortatur ut verbo & exemplo paſcant gregem Dei: juniores ut ſubditi ſint ſenioribus; ut omnes humilitatem ſervent, ſobrii ſint & vigiles contra tentationes diaboli, quibus per fidem reſiſtant.

*Tertull. Scorp. c. 12. S. Cypr. l. 3. Teſt. c. 36. & 37. Euſ. l. 2. c. 5. S. Hier. in Catal. Script. Eccleſ. c. 8. & Epiſt. 150. Quaſt. 11.*

---

### CAPUT I.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. PEtrus *Apoſtolus Jeſu Chriſti, electis advenis * diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ, † Secundum præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem Spiritus: in obedientiam, & aſperſionem Sanguinis Jeſu Chriſti; Gratia vobis & pax multiplicetur.* Petrus Apoſtolus & legatus Jeſu Chriſti ad ejus Eccleſiam ubique gentium fundandam, & Evangelii negotium promovendum, hanc Epiſtolam ſcribit Judæis ad Chriſti fidem & gratiam vocatis, qui ſunt advenæ, peregrini, ac diſperſi in Provinciis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ; qui ſunt electi ſecundum præſcientiam & prædeſtinationem Dei Patris, ut ſancti fiant per gratiam Spiritus ſancti, ut Jeſu Chriſti Evangelio obediant, & ſanguine ejus aſpergantur, & emundentur a peccatis, ad ſerviendum Deo viventi; Gratia per bonorum operum multiplicationem in vobis augeatur, & vinculum pacis mutua & in dies magis ac magis fervente caritate arctius adſtringatur.

* *Petrus*, nomen a Chriſto impoſitum, *Matth.* 16. 18. & *Marci* 3. 16. *Advenæ* dicuntur, non Proſelyti, ſed extranei, qui aliunde advenerunt, & extra natale ſolum habitant. † S. Petrus his in Provinciis Evangelium Chriſti prædicaverat, & Eccleſiam fundaverat.

3. 4. 5. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam, regeneravit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis *, In hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilem, conſervatam in cœlis in vobis.* Gratias agimus Deo, qui Domini noſtri Jeſu Chriſti Pater eſt, qui ſecundum magnitudinem & immenſitatem miſericordiæ ſuæ, nos regeneravit in ſpem vitæ æternæ, per reſurrectionem Jeſu Chriſti a morte, quæ vita eſt hereditas, quæ deſtrui, corrumpi, marceſcere non poteſt, quæ vobis tamquam filiis Dei adoptivis in cœlis conſervatur. Vobis, (inquam) *Qui in virtute Dei cuſtodimini * per fidem in ſalutem, paratam revelari in tempore noviſſimo:* Quos Deus omnipotenti virtute gratiæ ſuæ cuſtodit per fidem, quæ totius juſtitiæ bonorum operum fundamentum eſt, ad ſalutem æternam, quæ nobis jam parata eſt, & in fine ſæculi exhibebitur ac omnibus innoteſcet, per reſurrectionem electorum ad gloriam, & conſummatam beatitudinem.

* Reſurrectio Chriſti, noſtræ regenerationis cauſa.

* Græce φρουρούμενοι *fide tamquam militari præſidio cuſtoditis.* Nam φρουρὰ, *militare præſidium*, ſignificat.

6. 7. 8. 9. *In quo exultabitis †, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus.* Tantorum certa ſpes bonorum maxima vos lætitia debet afficere, quamvis mortalis hujus vitæ tempore, quod breviſſimum eſt, vos affligi oporteat multis variiſque malis: *Ut probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro † (quod per ignem probatur) inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in revelatione Jeſu Chriſti.* Ut fides veſtra per afflictiones probata, multoque pretioſior auro, quod per ignem examinatur, ut illius puritas & pretium innoteſcat, inveniatur digna laude, & gloria & honore, tempore glorioſi adventus Jeſu Chriſti: *Quem cum non videritis, diligitis: in quem nunc quoque non videntes creditis: credentes autem exultabitis * lætitia inenarrabili & glorificata: Reportantes finem fidei veſtræ, ſalutem animarum.* Quem cum non videritis, annuntiatum tamen diligitis ut Deum, Dominum & Salvatorem veſtrum: in quem creditis, etſi ne nunc quidem illum videatis: Credentes autem exultatis gaudio ineffabili, ſtabili, magnifico, ob ſpem gloriæ ac felicitatis æternæ vobis a Deo per ipſum promiſſæ. Jam in ſpe, poſtea in re fructum & præmium fidei veſtræ, ſcilicet ſalutem animarum veſtrarum referentes.

† Græce ἀγαλλιᾶσθε *exultatis.*

† Secundum Græcum *quæ perit, & tamen per ignem probatur.*

* Secundum Græcum, *exultatis.*

10. 11. 12. *De qua ſalute exquiſierunt atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt: Scrutantes in quod vel quale tempus * ſignificaret in eis Spiritus Chriſti prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias.* De qua ſalute Prophetæ veteres, quorum ſcripta legitis, & qui gratiam in vos effundendam prædixerunt, cum ardenti deſiderio & ſingulari ſtudio inquiſierunt & perſcrutati ſunt certum ac præfinitum tempus, ejuſque circumſtantias omnes, quas Spiritus Chriſti illis indicabat, prænuntians acerbos cruciatus & dolores, quos Chriſtus in paſſione ſua pertulit, & gloriam illis ſucceſſuram. *Quibus revelatum eſt, quia non ſibimetipſis, vobis autem miniſtrabant ea, quæ nunc nuntiata ſunt vobis, per eos qui evangelizaverunt vobis, Spiritu ſancto miſſo de cœlo, in quem * deſiderant Angeli proſpicere.* Et ipſis revelatum eſt, quod non propter ſemetipſos, ſed propter vos prædicebant ea, quæ nunc vobis annuntiata ſunt a Prædicatoribus Evangelii, qui Spiritum ſanctum e cœlo miſſum receperunt: quem cum Patre & Filio unum Deum beati Angeli ſummo cum gaudio contemplantur, nullum unquam in ejuſmodi contemplatione faſtidium paſſuri. Vel, in quæ Myſteria vobis a Prophetis prædicta,

* Reſpicit Apoſtolus Danielis vaticinium de tempore adventus & Paſſionis Chriſti. *Daniel.* 9.

* Græcus Textus, εἰς ἃ, *in quæ.* Syriaca Verſio: *Quas in res deſiderant etiam Angeli proſpicere.* Concordant Arabica & Æ



& ab

thiopica : Favent *S. Ambr. l. 4. De Sacr. c. 5. & S. Iſidorus Peluſ. l. 1. Epiſt.* 119.

& ab Apoſtolis annuntiata, ut ex concordia Prædicationis Evangelicæ cum Prophetarum vaticiniis fides veſtra confirmetur, Angeli penitus introſpicere deſiderant, ut plenius atque perfectius ea noſſent (ſi Deus daret.)

13. 14. 15. 16. *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ *, ſobrii, perfecte ſperate in eum, quæ offertur vobis gratiam, in revelationem Jeſu Chriſti.* Quapropter mente parati, & ab impedimentis pravarum cupiditatum expediti ac liberi, temperantiam colentes, ſpes perfecta exſpectate gratiam, quæ offertur vobis, ſcilicet vitam æternam, uſque ad glorioſum Jeſu Chriſti adventum, cum illam omnibus electis ſuis exhibebit. Cum enim Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum ipſo in gloria. *Quaſi filii obedientiæ, non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis: Sed ſecundum eum, qui vocavit vos, Sanctum, & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis.* Quaſi filii obedientes, cavete ne tales ſitis, quales olim fuiſtis in tenebris ignorantiæ & infidelitatis veſtræ, pravis cupiditatibus nefarie indulgentes; ſed in omni vita & converſatione ſancti ſitis, quemadmodum Sanctus eſt qui vos vocavit Deus: *Quoniam ſcriptum eſt *: Sancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum:* Secundum quod ſcriptum eſt: Sancti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum.

* Metaphora ſumpta ab eis, qui vel iter facturi, vel opus aliquod aggreſſuri, lumbos accingunt, quo ſint expeditiores. Hac metaphora Chriſtum uſum Apoſtolus noverat, Luc. 12. 35. *Sint lumbi veſtri præcincti.*

* *Levit.* 11. 44. & 19. 2.

17. *Et ſi Patrem invocatis eum, qui ſine acceptione perſonarum judicat ſecundum uniuſcujuſque opus, in timore incolatus veſtri tempore converſamini.* Siquidem illum invocatis ut Patrem veſtrum & omnium in Chriſto renatorum, qui ſine ullo perſonarum reſpectu unumquemque judicat ſecundum opera ejus bona vel mala: omni tempore quo in hoc mundo velut peregrini vivitis, cum timore Deo ſervite.

18. 19. 20. 21. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis: ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati.* Cum noveritis vos non eſſe redemptos rebus corruptibilibus & caducis, auro nempe vel argento, a vanitate paterna & hereditaria prioris veſtræ vitæ; Vel a ſervitute vanarum Traditionum, quibus Patres & Seniores veſtri legem cultumque Dei alterarunt; ſed pretioſo ſanguine Chriſti, utpote agni ſine macula & ſine defectu, cujus typi erant agnus Paſchalis, & agni jugis ſacrificii. *Præcogniti quidem ante mundi conſtitutionem, manifeſtati autem noviſſimis temporibus propter vos,* Qui, Chriſtus ſcilicet, æterno Dei conſilio ac decreto præordinatus eſt & prædeſtinatus quatenus homo: ſed demum noviſſimis iſtis temporibus datus eſt a Patre, & redemptionis opere conſummato, per Evangelii prædicationem mundo manifeſtatus propter vos, *Qui per ipſum fideles eſtis in Deo, qui ſuſcitavit eum a mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides veſtra & ſpes eſſent Deo.* Qui per ipſum creditis in Deum, per ejus revelationem & meritum fidem habentes in eum qui ſuſcitavit illum a morte, illumque gloria & honore coronavit in ejus admirabili Aſcenſione, in Miſſione Spiritus ſancti, in Evangelii prædicatione, & nominis ejus exaltatione apud omnes Gentes, declarando ipſum eſſe Filium ſuum, verumque Deum: ut in Chriſtum credentes ac ſperantes, fidem ac ſpem in Deum verum, non in hominem vos habere palam fiat, ſecundum quod ipſe dixit: *Creditis in Deum, & in me credite.* Vel, ut in Chriſtum velut exemplar glorioſæ reſurrectionis aſpicientes, Dei promiſſis crederetis, voſque, ut membra illius, beatæ reſurrectionis & gloriæ participes fore certo ſperaretis.

* *Confer cum Act.* 2. 33. & 5. 31. & 10. 40. & 1. *Cor.* 15. 14. 17.

22. 23. 24. 25. *Animas veſtras caſtigantes * in obedientia caritatis, † in fraternitatis amore, ſimplici ex corde invicem diligite attentius.* Cum animas veſtras purificaveritis, per obedientiam cum caritate conjunctam, qua veritatem fidei, & Chriſti legem amplexi eſtis, impenſe & continuo vos diligite corde ſimplici, non ſimulato, ſed puro & ſincero ad caritatem fraternam. *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum.* Quippe qui renati eſtis, non ex ſemine immundo & corruptibili, quale illud eſt ex quo prima noſtra nativitas ad vitam mortalem; ſed ex ſemine incorruptibili, ad vitam æternam, per verbum Dei vivi & in æternum permanentis. *Quia omnis caro ut fœnum; & omnis gloria ejus tamquam flos fœni: exaruit fœnum, & flos ejus decidit.* * Omnis homo carnaliter natus ſimilis eſt fœno ſeu tenero gramini, & omnis ejus claritas & gloria ſimilis eſt pulchritudini & gloriæ graminis. Gramen exareſcit tempore ſiccitatis, & flos ejus decidit: ſic flos & gloria hominum, ſenio, morbis, morte marceſcit, decidit, exareſcit. *Verbum autem Domini manet in æternum.* Verbum autem Domini, ex quo velut ex cœleſti ſemine renati ſumus, non præterit, ſed in æternum manet, quia veritas ejus ſempiterna eſt;

† Ἡγνικότες, *cum purificaveritis.* Græcus Textus, ἐν τῇ ὑπακοῇ τῆς ἀληθείας διὰ πνεύματος, *In obedientia veritatis per Spiritum.* Syriaca Verſio: *Sanctificatis animabus veſtris per obedientiam veritatis.* Arabica. *Et mundaretis animas veſtras obediendo veritate in Spiritu,* Æthiopica: *Et ſubactis animabus veſtris ad mandata veritatis.*

* *Iſai.* 40. 6. Confer cum *Pſ.* 102. 15. 16.

novam in Chriſto creaturam gignit, cujus gloria decidua non eſt & tranſitoria, ſed æternum permanſura. *Hoc eſt autem verbum, quod evangelizatum eſt in vos.* Hoc eſt verbum quod per Evangelii prædicationem vobis annuntiatum eſt, quod animis veſtris velut divinum ſemen mandatum, Deo incrementum dante, vitam & gloriam æternam vobis pariet.

---

## C A P U T I.

### *Senſus Moralis.*

1. PEtrus *Apoſtolus Jeſu Chriſti, electis advenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Capadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ.* Petrus Apoſtolici Collegii Princeps & Caput, omnium fidelium Paſtor & Rector, ſuam ſupra ceteros Apoſtolos excellentiam ſilentio præterit, humilitatis & modeſtiæ exemplum præbens; ut qui primus erat dignitate, præiret ceteris humilitate. Sic Eccleſiæ Prælatos ceteris humiliores eſſe decet. *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam: quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur.* Non minor Petri caritas, quam humilitas. Cor ejus Chriſti amore dilatatum, omnes ejus oves complectitur, ad Chriſtianos Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ, & Bithyniæ, immo totius orbis ſe extendit. Caritatem Apoſtolicam imitentur Paſtores animarum. Fideles tum viva voce, tum per Epiſtolas doceant, admoneant, exhortentur, in fide & pietate confirment, conſolentur. *Caritas omnibus mater.*

S. Petri humilitas & caritas Paſtoribus imitandæ.

*Eccl.* 3. 20. 21.

2. *Secundum præſcientiam Dei Patris, in ſanctificationem Spiritus, in obedientiam & aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti.* Tres divinæ Perſonæ ad hominum electorum ſalutem indiviſim concurrunt, muneribus tamen ſibi peculiariter attributis. Pater ut principium electionis illorum per præſcientiam ſuam & prædeſtinationem, mereque gratuitam miſericordiam. Non enim eligendos regno ſuo dignos invenit, ſed facit; elegit illos electione gratiæ, non præcedentium meritorum, quia gratia illis eſt omne meritum; non eliguntur quia crediderunt, ſed eliguntur ut credant. Filius Dei ad ſalutem electorum concurrit ut victima pro illorum peccatis oblata, ut Mediator, & fons omnium meritorum, quæ præparavit Deus ut illa in ipſis coronaret. Nam quod fidei & Evangelio obediant, fidemque ſuam bonis operibus exornent, in quibus perſeverantes perveniunt ad vitam æternam, habent per merita Chriſti Jeſu. Unde ſanctus Paulus ait: *Creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus.* Ut vero mereri poſſint apud Deum, juſtos eſſe ac Deo gratos oportet: porro juſti & Deo grati eſſe non poſſunt, niſi ſint a peccatis mundati, quod fieri non poteſt niſi per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti, ſive per applicationem meriti Chriſti pro omnium hominum, ac præſertim electorum ſuorum ſalute patientis. Hic enim eſt, *Quem propoſuit Deus, propitiationem per fidem in ſanguine ipſius.* Et quemadmodum populus & Sacerdotes in veteri Teſtamento jus intrandi in Sanctuarium terreſtre non habuerunt niſi ſanguine victimarum aſperſi: ita electi non intrant in Sanctuarium cœleſte, niſi per aſperſionem Sanguinis Jeſu Chriſti. Denique Spiritus ſanctus concurrit ad ſalutem electorum ut Spiritus adoptionis, & caritatis, quo regenerantur, animantur, ſanctificantur, omne bonum ſalutare operantur, & ad vitam æternam perducuntur. Unde ſanctus Paulus ait: „ Nos autem debemus gratias „ agere Deo ſemper pro vobis, fratres dilecti a Deo, „ quod elegerit vos Deus primitias in ſalutem, in „ ſanctificatione Spiritus & in fide veritatis; in qua „ vocavit vos per Evangelium noſtrum, in acquiſitionem gloriæ Domini noſtri Jeſu Chriſti. “ Omnes porro Chriſtianos bene viventes Apoſtoli pia fiducia *electos* vocant, quamvis id nomen ſolis perſeveraturis proprie conveniat, quia neſciunt quid futuri ſint. Solus enim Dominus novit qui ſunt ejus. „ Horum fides quæ per dilectionem operatur, aut „ omnino non deficit, aut ſi qui ſunt quorum deficit, reparatur antequam vita iſta finiatur, & „ deleta quæ intercurrerat iniquitate, uſque in finem perſeverantia deputatur. Qui vero perſeveraturi non ſunt, ac ſic a fide Chriſtiana & converſatione lapſuri ſunt, ut tales eos vitæ hujus finis „ inveniat; proculdubio nec illo tempore quo bene „ pieque vivunt, in iſtorum numero computandi „ ſunt. Non enim ſunt a maſſa perditionis præſcientia Dei & prædeſtinatione diſcreti; & ideo „ nec ſecundum propoſitum vocati, ac per hoc nec „ electi, ſed in eis vocati, de quibus dictum eſt, „ *Multi vocati*: non in eis de quibus dictum eſt,

Tres Perſonæ divinæ ad hominum electorum ſalutem indiviſim concurrunt. *S. Aug. paſſim.*

*Epheſ.* 2.

*Rom.* 3.

*Exod.* 24. 8.

*Num.* 31. 23.

2. *Theſſalon.* 2. 12. 13.

*S. Auguſt.*



„ *pauci vero electi.* Et tamen quis neget eos electos, „ cum credunt, & baptizantur, & ſecundum Deum vivunt? *Plane dicuntur electi a neſcientibus quid futuri ſint, non ab illo qui eos novit non habere perſeverantiam quæ ad beatam vitam perducit electos, ſcitque illos ita ſtare, ut præſcierit eſſe caſuros.*

3. 4. *Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui ſecundum miſericordiam ſuam magnam regeneravit nos in ſpem vivam, per reſurrectionem Jeſu Chriſti ex mortuis: In hereditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſſibilem, conſervatam in cœlis in vobis:* Immortales Deo gratias agere, ſacrificium laudis illi jugiter offerre debemus de illius erga electos ſuos infinita bonitate, Æterni Patris eſt eligere membra Filii ſui, filios adoptivos unigeniti Filii ſui coheredes. Electionis hujus aliam ne quæramus rationem, quam miſericordiam Dei, cujus magnitudo verbis humanis exprimi pro dignitate non poteſt. Proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Nos indignos peccatores, inimicos ſuos, ſempiternis ſuppliciis merito puniendos, regeneravit per Baptiſmum, & abolita vetuſtate quam in prima nativitate contraxeramus ex Adamo, novam nos in Chriſto Jeſu creaturam fecit per meritum paſſionis & mortis ipſius, & per ejus reſurrectionem, quæ regenerationis noſtræ, novæque vitæ exemplar & principium eſt. *Traditus eſt* enim *propter delicta noſtra, & reſurrexit propter juſtificationem noſtram,* ait S. Paulus: *Ut quomodo ſurrexit a mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus.* Regeneravit nos in ſpem vite æternæ, quam ex Chriſti reſurrectione concipimus. Quoniam enim Chriſtus reſurrexit, & nos reſurgemus ad vitam immortalem & æternam, & *reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ,* ut quo preceſſit Caput, eo ſequatur & corpus. Chriſtiani non ſumus propter hanc vitam fragilem & mortalem, ſed propter vitam æternam. Ex illius igitur fide ac ſpe vivamus. Spes illa non inanis & fallax, ſed ſolida eſt & ſtabili fundamento nixa, quæ (ut ait Gentium Apoſtolus) *non confundit.* Quam enim exſpectamus æternæ vitæ beatitudinem, ſuo tempore, niſi per nos ſteterit, reipſa percipiemus: modo fides & ſpes noſtra vivæ ſint, id eſt, cum caritate & bonis operibus conjunctæ. *Regeneravit nos in ſpem vivam.* Hæc ſpes eſt de qua ſanctus Paulus ait: *Spe enim ſalvi facti ſumus.* Nam alioqui præſumptio eſt & vana confidentia, ſi quis vitam beatam, quæ juſtis in bono perſeverantibus promiſſa eſt, ſine caritate & bonis operibus ſibi polliceatur. Vitam æternam, quam credimus, jure merito ſperamus, quia hereditas noſtra eſt, quam pretioſo ſuo ſanguine Chriſtus nobis vindicavit: ſed ea conditione ut Dei Patris noſtri mandatis obediamus, & ſecundum Evangelium vivamus, & in Salvatoris noſtri fide, amore, & imitatione ad finem uſque vitæ perſeveremus. Hereditas illa eo ardentius a nobis expetenda & quærenda eſt, quo omni hereditate terrena præſtantior. Hereditates enim terrenæ, ad quas filios ſuos generant patres carnales, quantumvis amplæ, pretioſæ, magnificæ, perire poſſunt & auferri, ſordeſcere & contaminari, vileſcere & diſplicere. Hereditas vero vitæ æternæ, quam Deus electis ſuis, filiis ſuis præparavit, *incorruptibilis* eſt, quia nec perire poteſt, nec auferri: *incontaminata,* quia in ſe omni ex parte puriſſima eſt, nihil habens quod offendat: *immarceſſibilis,* quia nullum umquam poſſeſſoribus ſuis creare faſtidium poteſt. Hæc hæreditas in tuto eſt, Deus enim, e cujus manu nemo poteſt illam eripere, ipſam nobis *conſervat in cœlis.* Immo hereditas electorum, Deus ipſe eſt. Si hæc ſapimus, quid cunctamur abjicere ſpei miſeras, inutiles, fallaces, & huic tam ſolidæ, tam perfectæ, tam beatæ ſpei toto fervore ſpiritus inhærere? Cum Davide dicamus: *Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in Domino Deo ſpem meam.* Cave, homo, ne amittas cœleſte Patrimonium, ne amittas Chriſtum coheredem, quia victurus es in æternum cum eo qui te fecit heredem. Non enim is te fecit heredem, cui mortuo ſuccedas, ſed cum quo in æternum vivas.

Chriſtianæ ſpei excellentia.

*Rom.* 4. 25. & *cap.* 6. 4.

*Philipp.* 3. 10.

*Rom.* 5. 5.

*Pſalm.* 72. 28.

5. *Qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem, paratam revelari in tempore noviſſimo.* Humanæ fragilitati & infirmitati metuendum eſſet ne electi inter continuas carnis adverſus ſpiritum concupiſcentis pugnas, inter mundi blandientis illecebras, aut terrenis minas, inter diaboli multiplices & juges inſidias, a ſpe vitæ & ſalutis æternæ exciderent, niſi Deus ipſos omnipotenti gratiæ ſuæ virtute, ſingularique ac vigili cura cuſtodiret ac protegeret, niſi qui cœpit opus bonum, ipſe perficeret, niſi præſto ſemper eſſet ad ferendum ipſis auxilium. Neceſſe eſt enim ut quo adjuvante vincimus, eo iterum non adjuvante vincamur: &, *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam.* Unde Chriſtus Patrem ita precatur: *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi . . . . . Cum eſſem cum eis, ego ſervabam eos in nomine tuo: quos dediſti mihi cuſtodivi, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis.* Cuſtodit autem electos ſuos Deus per fidem cum caritate conjunctam, quæ animum ad pias & ſanctas affectiones, ad recta conſilia, & juſta opera excitat & dirigit; qua cum omnibus erroribus, amoribus, & terroribus ſuis vincitur hic mundus: *Hæc eſt enim victoria quæ vincit mundum, fides noſtra:* qua denique omnia tela diaboli ignea extinguuntur, retunduntur, confringuntur. „ Nihil ſatanæ in ſervos „ Dei vivi licebit, niſi permiſerit Dominus, ut aut „ ipſum deſtruat per fidem electorum in tentatione „ victricem, aut homines ejus fuiſſe traducat, qui „ defecerint ad illum. Habes exemplum Job, cui diabolus nullam potuit incutere tentationem, niſi a „ Deo accepiſſet poteſtatem, nec in ſubſtantiam quidem ejus, niſi Dominus, Ecce, dixiſſet, omnia „ quæ ſunt ei, in manu trado, in ipſum autem ne „ extenderis manum. Denique nec extendit, niſi poſtea quam & hoc poſtulanti Dominus, Ecce, dixiſſet, trado tibi illum, tantum animam ejus cuſtodi. „ Sic & in Apoſtolos facultatem tentationis poſtulavit, non habens eam niſi ex permiſſu. Siquidem „ Dominus in Evangelio ad Petrum: Ecce, inquit, „ poſtulavit ſatanas uti cerneret vos velut frumentum: verum ego rogavi pro te ut non deficeret „ fides tua, id eſt, ne tantum diabolo permitteretur, „ ut fides periclitaretur. Quo oſtenditur, utrumque „ apud Deum eſſe, & concuſſionem fidei, & protectionem, cum utrumque ab eo petitur, concuſſio „ a diabolo, protectio a Filio.

Deus electos ſuos cuſtodit & ſervat per fidem cum caritate conjunctam.

*Pſalm.* 126. 1.

*Joann.* 17. 10. 11. 12.

1. *Joann.* 5. 4.

*Tert. l. De Fuga in Perſecut. cap.* 2.

6. 7. 8. 9. *In quo exultabitis, modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus.* Brevitas vitæ preſentis, æternitas vitæ futuræ, duæ ſunt ſolatii in graviſſimis afflictionibus rationes. Quidquid in hac vita mortali Chriſtianus patiatur, repletus eſt conſolatione, ſuperabundat gaudio, ſi ex fide vivat. Unde Paulus Apoſtolus ait: *Sicut abundant paſſiones Chriſti in nobis, ita & per Chriſtum abundat conſolatio noſtra.* Verum breviſſimo tempore patimur, æternum gaudebimus. *Modicum nunc ſi oportet contriſtari in variis tentationibus.* „ Appoſite ait Apoſtolus noſter, „ *ſi oportet*, quia nec omnes juſti per afflictiones explorantur, nec omnes peccatores: ſed neque hi vel „ illi ſemper lætantur: ſed juſti quidem affliguntur „ ad coronarum augmentum, peccatores vero ut „ pœnas criminum luant. Non omnes juſti affliguntur, ne vitium laudi ducens, virtutem abomineris. Neque omnes peccatores affliguntur, ne de reſurrectione diffidas, quaſi omnes quæ ſua ſunt hic recipiant. Afflictiones hujus vitæ, ignis ſunt juſtorum fidem probans, velut aurum, ut per illam lucidior & pretioſior efficiatur. *Si coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt. In paucis vexati, in multis bene diſponentur: quoniam Deus tentavit eos, & invenit illos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probavit eos.* Omnium bonorum temporalium, ipſiuſque vitæ, propter Chriſtum jacturam pati, omnium malorum vim propter illum vincere, probatio eſt, gloria & triumphus fidei. *Ut probatio veſtræ fidei multo pretioſior auro quod per ignem probatur, inveniatur in laudem, & gloriam, & honorem, in revelatione Jeſu Chriſti.* Non nobis arroganda fidei noſtræ victoria, ſed ad Dei, cujus fides donum eſt, laudem, gloriam, & honorem referenda eſt. Dat enim Deus ut Myſteria quæ rationis humanæ captum ſuperant, ſcilicet Incarnationem, mortem, Reſurrectionem, Aſcenſionem in cœlum hominis Dei, &c. credamus: dat ut diligamus, quem non videmus: dat ut ſperemus vitam æternam, & ut obediamus præceptis Chriſti, humiliationem, crucem, abnegationem noſtræ voluntatis, noſtri corporis, bonorum temporalium; omnium mundi voluptatum (quod ſpectat affectum & adhæſionem) præcipientis: dat ut humiliati, pauperes, afflicti, cœleſtis vitæ gaudia prægusſtemus. *Quem cum non videritis, diligit: in quem nunc quoque non videntes creditis, credentes autem exultabitis lætitia inenarrabili & glorificata.* Hæc lætitia inenarrabilis eſt, quia bona quæ fidei cum caritate & bonis operibus conjunctæ promittuntur, oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt: glorioſa eſt, quia prægustatio eſt gaudii, in quod Deus electos ſuos & fideles ſervos introducit. Unde S. Auguſtinus ſpiritales illas delicias expertus ita Deum compellat: *Non invenio tutum locum animæ meæ niſi in te quo colligantur ſparſa mea, nec a te quidquam recedat ex me. Et aliquando intromittis me in affectum multum inuſitatum introrſus ad neſcio quam dulcedinem, quæ ſi perficiatur in me, neſcio quid erit quod vita iſta non erit.* Si tam ineffabilia, tam glorioſa

Rationes ſolatii in afflictionibus.

2. *Cor.* 1. 3.

*Oecumen. in Comment.*

*Sap.* 3. 4.

Fidei noſtræ probatio & victoria Dei dona ſunt.

Finis & merces fidei noſtræ.

*S. Aug. l.* 10. *Confeſſ. c.* 40.

rioſa ſunt cœleſtium gaudiorum ſtillicidia, quibus in hac vita Juſtorum animæ recreantur; quis mente comprehendere, & verbis explicare poteſt deliciarum æternam torrentem, quo in cœleſti gloria potabuntur? Ad fontem vitæ non pervenitur per hujus ſæculi voluptates, per viam latam, ſed per crucem, per labores, per afflictiones, per anguſtam & duram Evangelii viam, per pœnitentiam perpetuam, & jugem animi corporiſque mortificationem. Labores igitur, afflictiones, mortificationes cum gaudio ſuſcipiamus & ſuſtineamus, finem nobis propoſitum & promiſſa præmia conſiderantes. *Reportantes finem fidei veſtræ ſalutem animarum*. Ad hunc finem collineare debet omnis actio & intentio noſtra.

Chriſtus in Scripturis ſacris quærendus.

10. 11. 12. *De qua ſalute exquiſierunt, atque ſcrutati ſunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt: Scrutantes in quod vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti, prænuntians eas quæ in Chriſto ſunt paſſiones & poſteriores glorias*. In libris Propheticis exquiramus quod ipſi Prophetæ exquiſierunt atque ſcrutati ſunt, Chriſtum & Eccleſiam, caput & corpus, paſſionem & gloriam Chriſti, Myſterium ſalutis electorum, & gratiæ qua ad ſalutem perveniunt. Hæc ſunt arcana Scripturarum, hoc ſtudium, hæc meditatio ſanctorum. *Lege libros omnes Propheticos, non intellecto Chriſto quid tam inſipidum invenies? Intellige ibi Chriſtum, non ſum ſapit quod legis, ſed etiam inebriat: mutans mentem a corpore, ut præterita obliviſcens, ad ea quæ ante ſunt extendaris*. Chriſti Jeſu Myſteria Prophetæ, ceterique Juſti veteris Teſtamenti meditabantur, fide in Chriſtum illuſtrati, caritate illi inhærentes, deſideriis ferventiſſimis illorum conſummationem prævenientes. Propheta Daniel propterea *Vir deſideriorum* ab Angelo eſt appellatus. Quo igitur ſtudio, quo ardore, in meditatione myſteriorum Incarnationis, vitæ, Paſſionis, mortis, Reſurrectionis & gloriæ Chriſti verſari debemus, poſtquam pro nobis completa ſunt, Apoſtolorum prædicatione univerſis gentibus annuntiata & manifeſtata, eorumque hiſtoria, cum ſpiritu, in libris novi Teſtamenti ad nos tranſmiſſa? Quanta pietate, quanto zelo Myſteria ſalutis noſtræ contemplari & recolere debemus: cum Spiritus ſanctus ad hoc de cœlo miſſus ſit, ut eorum notitiam, amorem, venerationem, imitationem nobis donaret? Ingrati animi vitium eſt huic officio homines deeſſe, propter quorum ſalutem hæc ſunt adimpleta, cum Angeli in ea penitus introſpicere deſiderent, eorumque contemplatione mirum in modum delectentur. Id myſtice ſignificabant duo Cherubim expaſſis alis Propitiatorium operientes, & in illud verſis ad ſe mutuo vultibus reſpicientes. Nam Propitiatorium typus erat noſtræ per Chriſtum redemptionis. A lectione & ſtudio Prophetarum, ac ceterorum Scripturæ ſacræ librorum ne nos deterreat obſcuritas, quam Deus in iis eſſe voluit *ad edomandam ſancto labore ſuperbiam*, & ne facilius intellecta vileſcerent. Ipſos ut intelligamus, ne parcamus labori, ſiquidem & ipſi Prophetæ non ſine labore ſcrutati ſunt Myſteria ſibi a Spiritu ſancto revelata. Qui Scripturarum intelligentiam a Deo exſpectat ſine ſtudio, Deum tentat, Qui ab ingenio ſtudioque ſuo ſine Dei auxilio ac lumine illam ſibi pollicetur, præſumptor eſt. Daniel Propheta oratione, fletu, jejuniis, humili peccatorum ſuorum coram Deo confeſſione, Myſteriorum divinorum intelligentiam promeritus & conſecutus eſt. Eaſdem diſpoſitiones ad Scripturæ ſacræ lectionem afferamus. Orationibus, jejuniis, humilitate pulſemus ut ejus ſenſus aperiatur nobis ad confirmationem fidei noſtræ, ad conſolationem ſpei noſtræ, ad exhortationem caritatis noſtræ. Sed præcipua diſpoſitio ad Scripturæ ſacræ ſaluberrimam lectionem & intelligentiam caritas eſt. *Divinarum Scripturarum multiplicem abundantiam, latiſſimamque doctrinam, ſine ullo errore comprehendit, & ſine ullo labore cuſtodit, cujus cor plenum eſt caritate*; dicente Apoſtolo, *Plenitudo legis eſt caritas*.

*S. Aug. Tract. 9. in Joann.*

Chriſti Jeſu Myſteria ſancta Meditatione recolenda.

*Exod. 25.*

*S. Auguſt.*

*Daniel. 9.*

*S. Aug. l. 13. Contra Fauſtum, cap. 18. S. Aug. Serm. 350. alias De Tempore 39. Rom. 13. 10.*

Chriſtiana præparatio ad mortem & adventum Jeſu Chriſti.

13. 14. 15. 16. 17. *Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtræ, ſobrii, perfectæ ſperate in eam, quæ offertur vobis, gratiam, in revelationem Jeſu Chriſti*. Modum præparationis ad mortem, & adventum Jeſu Chriſti ſanctus Petrus his Verſibus complectitur. 1. Neceſſe eſt ut tanquam viatores & peregrini, deſiderio cœleſtis patriæ ſuccenſi, ad proficiſcendum ex hoc mundo ſemper parati & expediti ſimus; ut lacinioſas veſtes adſtringamus, id eſt, pravas cupiditates comprimamus, ne libere fluant, & inſtitutum remorentur. Ut quaſi ſervi fideles, parati ſemper ſimus ad obſequium Domini. Ut tamquam ſtrenui milites ſuccincti & parati ſemper ſimus ad pugnandum. 2. A curis ſuperfluis, inquietis, noxiis, & amore rerum terrenarum liberi & expediti ſimus neceſſe eſt, immo & a cogitationibus, quæ nos a Deo avocare, & iter noſtrum retardare quoquo modo poſſunt. *Succincti lumbos mentis veſtræ*. 3. Ut non ſolum in cibo & potu, ſed in omni rerum delectabilium uſu temperantiam & moderationem ſervemus, uni conſulentes neceſſitati, nihil indulgentes voluptati. *Sobrii*. 4. Ut cor noſtrum ad æterna bona per ſpem perfectam erigatur, & omnia bona terrena, quæ ad illa non referuntur, contemnamus. *Perfecte ſperate in eam, quæ offertur vobis gratiam in revelationem Jeſu Chriſti*. 5. Ut in omnibus Chriſtianæ vitæ officiis implendis Deo ſimus obſequentes, non ſervili, ſed libera & filiali obedientia. *Quaſi filii obedientes*. 6. Ut priſtinam veteris hominis corruptionem, vivendi conſuetudinem abjiciamus, & novi hominis lumen ſequamur, ejuſque ſtudiis ac novæ vitæ nos accommodemus. *Non configurati prioribus ignorantiæ veſtræ deſideriis*. Ut quemadmodum primi Chriſtiani, *non aliunde noſcibiles ſimus, quam de emendatione vitæ præteritæ*. 7. Ut ſanctitas ſtatus ad quem vocati ſumus a Deo, in omni vita & converſatione noſtra ſpleneſcat. Deus, quem adoramus & colimus, ſanctus eſt, lex ejus, Sacramenta ejus, Eccleſia ejus, ſancta ſunt, & a nobis exigunt ſanctitatem. *Sed ſecundum eum, qui vocavit vos, Sanctum, & ipſi in omni converſatione ſancti ſitis*: Non ſolum in actionibus religionis, ſed, in omni converſatione; non ſolum ſanctitate legali & externa, ſed interiori, quæ in cordis puritate, ſincera juſtitia, & caritate poſita eſt. *Sancti eſtote*, ait Deus, *quoniam ego ſanctus ſum, Dominus Deus veſter..... Eſtote perfecti, ſicut Pater veſter cœleſtes perfectus eſt*, ait Chriſtus. Et ſanctus Paulus: *Eſtote ergo imitatores Dei, ſicut filii cariſſimi*. Præclarum illud Plotini Philoſophi Platonici effatum ſanctus Auguſtinus celebrat: *Fugiendum eſt igitur ad cariſſimam patriam, & ibi Pater, & ibi omnia. Quæ igitur claſſis* (inquit) *aut fuga? Similem Deo fieri. Si ergo Deo quanto ſimilior, tanto fit quiſque propinquior* (ait S. Auguſtinus) *nulla eſt ab illo alia longinquitas, quam ejus diſſimilitudo. Incorporali vero illi æterno & incommutabili tanto eſt anima hominis diſſimilior, quanto rerum temporalium mutabiliumque cupidior*. 8. Deus cum fiducia & reverentia invocandus eſt ut Pater, timendus ut Judex, qui nulla habita ratione perſonarum, conditionum, dignitatum, potentiæ, divitiarum, omnes & ſingulos homines, ſecundum uniuſcujuſque opera & officia judicat. 9. Omni tempore vitæ noſtræ, quæ brævis peregrinatio eſt ſuper terram, quaſi Deo præſente, & omnes cogitationis noſtras, & affectus, omnia conſilia, & opera vidente, & ſevere judicaturo, conſervari debemus, & caſto timore veteri, ſummoque ſtudio cavere ne illi diſpliceamus, ne tremendam ejus Majeſtatem offendamus. *Et ſi Patrem invocatis eum, qui ſine acceptione perſonarum judicat ſecundum uniuſcujuſque opus; in timore incolatus veſtri tempore converſamini*. Caſto illo timore confixus ſanctus Job dicebat: *Verebar omnia opera, ſciens quod non parces delinquenti*. De illo Sapiens: *Beatus eſt homo, qui ſemper eſt pavidus*. De illo S. Joannes: *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus*..

*Tertullian.*

*Levit. 19. 2.*

*Matt. 5. 48.*

*Epheſ. 5. 1.*

*S. Aug. l. 9. De Civ. Dei, c. 17.*

*Job. 9. 28.*

*Proverb. 24. 14*

*Apoc. 14. 7.*

18. 19. 20. 21. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis: Sed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti & incontaminati*. Pretium quo a peccati & diaboli ſervitute redempti ſumus, ſanguis Chriſti eſt, agni immaculati, qui pro nobis ductus eſt ad occiſionem, & non aperuit os ſuum. Solus ille omnium hominum peccata expiare potuit, qui abſque peccato fuit, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior cœlis factus. Hæc ſola Deo digna victima eſt, Agnus occiſus ab origine mundi, *Frater non redimit, redimet homo. Non dabit Deo placationem ſuam, & pretium redemptionis animæ ſuæ*. ,, Anima omnis humana maligno ſervitutis jugo communis omnium inimici ſuccubuit, & libertate * quam a ſuo Creatore acceperat privata, abducta in captivitatem eſt per peccatum. Omni autem captivo opus pretio ad libertatem recuperandam. Neque igitur fratrem ſuum alius quivis frater redimere poterit, neque unuſquiſpiam ſeipſum: quod redemptor tanto eſſe debet captivo & jam ſerviente præſtantior. Sed & ne in univerſum quidem homo erga Deum ea præditus facultate eſt; ut ipſum placet pro peccatore, cum & ipſe ſit peccati reus. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei. Juſtificati gratis ipſius gratia, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro*. Non dabit ergo Deo placationem ſuam, & pretium redemptionis animæ ſuæ. Neque enim fratrem in redemptionem quærit, ſed unum aliquem qui noſtram exuperet naturam: non hominem nudum, ſed hominem Deum Jeſum Chriſtum, qui ſolus pro nobis omnibus Deo propitiationem dare poteſt, quod ipſum Deus placationem in ejus ſanguine per fidem elegerit. Frater erat Iſrael Moyſes, non tamen

Pretium redemptionis noſtræ Sanguis Chriſti eſt. Merus homo nos redimere non potuit.

*Pſalm. 48.*

* Libertate a peccato, & a miſeria.

S. *Baſilius Homil. in Pſalm.* 48.





,, ipſum redimere valuit, Quomodo ſi tantus vir non potuit, alius e vulgo quivis poterit?.... Quid uſquam tanti eſt momenti quod homo poterit dare pro redemptione animæ ſuæ? Inventum tamen unum eſt pro omnibus ſimul hominibus dignum pretium, nempe ſanctus & omni pretio ſuperior pretioſus ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti quem pro nobis omnibus effudit: quamobrem pretio ſumus empti. Si igitur frater non redimit, redimet homo? Si enim homo nos redimere non poteſt, qui redemit nudus homo non eſt. Noli igitur quia Dominus in carnis ſimilitudine ad nos venit, & nobiſcum eſt verſatus, eum tantummodo hominem exiſtimare illius divinæ virtutis ac potentiæ ignarus, qui opus non haberet ſeſe ſua cauſa Deo offerre, neque ſuam ipſius animam redimere, cum peccatum nullum admiſerit, nec dolus inventus ſit in ore ejus. Redimere ſeipſum nullus idoneus, niſi veniat is qui convertat captivitatem populi, non pretio quidem aut donis (ut in Iſaia ſcriptum eſt) ſed ſuo ſanguine: qui non fratres nos exiſtentes, ſed inimicos ob peccatum factos, poſt libertatem gratuito conceſſam fratres ſuos nos appellat. *Annuntiabo* (inquit per os David) *nomen tuum fratribus meis*. Itaque qui nos redemit, ſi æternam ejus naturam conſideraveris, nec frater eſt, nec homo: ſi vero ipſius in nos per gratiam condeſcenſum expenderis, & fratres nos nominat, & ad humanitatem uſque deſcendit; qui pro orbe toto, non autem pro ſe propitiationem dedit. Non enim opus habet propitiatione, ſed ipſe eſt propitiando Patri placatio. Deo gratias agamus immortales pro immenſo redemptionis noſtræ beneficio. Diaboli ſervituti ne nos iterum ſubjiciamus; ne ad veterem converſationem veteris hominis redeamus: ſiquidem pretium noſtrum ſanguis Chriſti eſt, qui miſericordia nos redemit, qui veritate nos judicabit, ſi tam copioſæ redemptionis pretio abutamur, ſi in illum ingrati fuerimus, qui nobis iis temporibus naſci dedit, quibus noſtræ per illum redemptionis myſterium manifeſtatum eſt; qui nos ex parentibus Chriſtianis Catholicis naſci fecit, qui nobis & fidem dedit, & uſum fidei donat, ut illi per caritatem unice & indivulſe adhæreamus, totamque fiduciam & ſpem noſtram in eo collocemus, qui nobis omnium benedictionum ſpiritualium auctor, gratiæ & gloriæ largitor, unus cum Patre & Spiritu ſancto Deus eſt. *Qui per ipſum fideles eſtis in Deo, qui ſuſcitavit eum a mortuis, & dedit ei gloriam, ut fides veſtra & ſpes eſſet in Deo*. Fidei ſpeique noſtræ confirmatio fructus eſt reſurrectionis Chriſti. *Ex hoc* enim *initium nobis factum eſt reſurrectionis, ex quo in eo qui pro omnibus mortuus eſt, totius ſpei noſtræ forma præceſſit. Non hæſitamus diffidentia, nec incerta exſpectatione ſuſpendimur, ſed accepto promiſſionis exordio, fidei oculis quæ ſunt futura jam cernimus: & naturæ provectione gaudentes, quod credimus, jam tenemus. Non ergo nos rerum temporalium occupent ſpecies, nec ad ſe contemplationem noſtram a cœleſtibus terrena deflectant. Pro tranſactis habeantur, quæ ex maxima parte jam non ſunt: & mens intenta manſuris, ibi deſiderium ſuum figat, ubi quod offertur, æternum eſt*.

Gratus in Chriſtum redemptorem noſtrum animus.

*S. Leo M. Serm. 69. De Reſurrection. Dom. l. cap. 4.*

22. 23. *Animas veſtras caſtificantes in obedientia caritatis, in fraternitatis amore, ſimplici ex corde invicem diligite attentius*. Animarum noſtrarum purificationi quotidie incumbere debemus. Nemo enim ita juſtus eſt, qui adhuc juſtificari non indigeat. Purificat autem animam ſuam, quicumque in Deum credens, & illum ſuper omnia diligens, ac ſecundum ejus legem vivere paratus, impetrat ab eo peccatorum ſuorum remiſſionem, veramque juſtitiam, vel ejus incrementum. Caſta eſt anima, quæ Deum ſuum unice amat, ejuſque legem ex caritate implet. *Quid enim boni faceremus, niſi diligeremus? Aut quomodo bonum non facimus, ſi diligamus? Etſi enim Dei mandatum videtur aliquando a non diligentibus; ſed a timentibus fidei: tamen ubi non eſt dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec recte bonum opus vocatur*. Deum vere non diligit, qui non diligit proximum, continua, ſincera, puraque dilectione. Continua ſit & perſeverans proximi dilectio, nullis diſſidiis, nullis diſſenſionibus, nullis contentionibus interrupta. *Invicem diligite attentius*. Simplex ſit, omniſque ſimulationis & fuci expers; non ſolis verbis, ſed veritate, & officiis, cum ſpiritualibus, tum temporalibus: *Simplici ex corde*. Pura ſit, in ſpirituali fraternitate fundata, ſine ulla carnalis affectus permixtione; non propter privatam utilitatem, non propter vanam gloriam, non propter delectationem, ſed propter Deum, & in Chriſto Jeſu: *In fraternitatis amore*. In proximo *natura ſine carnali conditione diligenda eſt, ſive ſit perficienda, ſive perfecta. Omnes ſub uno Deo Patre cognati ſunt, qui eum diligunt & faciunt voluntatem ipſius. Et invicem ſibi ſunt & patres, cum ſibi conſulunt; & filii, cum ſibi obtemperant; & fratres maxime, quia eos unus Pater teſtamento ſuo ad unam hereditatem vocat*. In baptiſmo, quo per verbum Dei regenerati ſumus, & filii Dei effecti, fundatur Chriſtiana fraternitas, & mutui amoris obligatio. Quid ſacratius? Quid inviolabilius? *Renati non ex ſemine corruptibili, ſed incorruptibili, per verbum Dei vivi, & permanentis in æternum*, ,, Quanto dignius fratres & dicuntur & habentur, qui unum Patrem Deum agnoverunt, qui unum Spiritum biberunt ſanctitatis, qui de uno utero ignorantiæ ejuſdem ad unam lucem expaverunt veritatis? (ait Tertullianus.)

Anima purificanda per caritatem.

*S. Aug. l. De Gratia Chriſti, cap. 26.*

*S. Aug. lib. De vera Religione, cap. 46.*

*Tertull. Apolog. cap. 39.*

24. *Quia omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tamquam flos fœni*. Quid claritas illa, quid ſplendidus & magnificus apparatus, quo Magnates, Potentes, & divites ſæculi inflantur? Quid gloria? Quid pompæ omnes hujus mundi; Quid forma, venuſtas, & gratia corporis, de qua ſuperbæ mulieres gloriantur? *Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus tamquam flos agri*. Neminem Chriſtianum decet, & maxime virginem, claritatem ullam computare carnis & honorem, ſed ſolum appetere ſermonem Dei, bona in æternum manſura complecti. Aut ſi in carne ſit gloriandum, tunc plane quando in nominis confeſſione cruciatur, quanto fortior femina viris torquentibus invenitur; quando ignes, aut cruces, aut ferrum, vel beſtias patitur, ut coronetur. Illa ſunt carnis pretioſa monilia, illa corporis ornamenta meliora. Sed ſunt aliquæ divites & facultatum ubertate locupletes, quæ opes ſuas præferant, & ſe bonis ſuis uti debere contendant. Sciant illam divitem eſſe, quæ in Deo dives eſt; illam eſſe locupletem, quæ in Chriſto locuples eſt: bona illa eſſe, quæ ſunt ſpiritalia, divina, cæleſtia, quæ nos ad Deum ducant, quæ nobiſcum apud Deum perpetua poſſeſſione permaneant. Ceterum quæcumque terrena ſunt in ſæculo accepta, & hic cum ſæculo remanſura, tam contemni debent, quam mundus ipſe contemnitur, cujus pompis & deliciis jam tunc renunciavimus, cum meliore tranſgreſſu ad Deum venimus.

Chriſtianum de bonis carnis gloriari non decet.

*S. Cypr. De Diſcipl. & habitu Virginum.*

25. *Verbum autem Domini manet in æternum: hoc eſt autem verbum, quod evangelizatum eſt in vos*. De rebus minime judicandum eſt ſecundum ſpeciem qua ſenſibus blandiuntur, ſed ſecundum verbum Dei immutabile & in æternum permanens; idque non humano arbitrio intellectum, ſed ab Eccleſia, cui Spiritus veritatis ſemper adeſt, ut doceat omnem, tam fidei, quam morum veritatem, expoſitum. Verbum Dei, quod vitæ noſtræ in Chriſto Jeſu principium eſt, noſtra in rebus omnibus ad ſalutem pertinentibus regula eſſe debet, ſecumndu quam etiam in noviſſimo die judicabimur. ,, Voce Domini erudimur ad cognitionem veritatis. Non enim abſolute enuntiantibus hominibus fidem habebimus, quibus licet etiam enuntiare contrarium. Si autem non ſatis eſt abſolute dicere quod videtur, ſed oportet etiam probare quod dictum eſt, non exſpectamus teſtimonium quod datur ab hominibus, ſed voce Domini probamus quod quæritur, quæ eſt magis fide digna, quam quævis demonſtratio: vel potius, quæ eſt ſola demonſtratio: per quam ſcientiam qui ſolum guſtavere Scripturas, fideles ſunt..... Qui paret Domino, & per eum datam ſequitur Prophetiam, efficitur ad Magiſtri imaginem Deus qui in carne verſatus. Hanc ergo altitudinem minime aſſequuntur, qui non ſequuntur Deum eos ducentem. Ducit autem per Scripturas divinitus inſpiratas. Et cum ſint innumerabilia quæ fiunt ab hominibus, ſunt utrique duo cujuſvis peccati principia ignoratio & imbecillitas. Eſt autem utrumque in noſtra poteſtate, cum nec velimus diſcere, nec cupiditatem continere. Ex his autem unum quidem eſt per quod non recte judicant, alterum per quod non poſſunt exequi quæ recte ſunt judicata.... Conſequenter ergo duæ quoque diſciplinæ traduntur utrique peccato utiles; illi quidem cognitio, & ex Scripturarum teſtimonio evidens demonſtratio: huic vero quæ eſt ex Verbo exercitatio, quæ a fide & timore tamquam Pædagogis ducitur. Creſcunt autem ambo in perfectum caritatem.

Verbum Dei noſtra in rebus omnibus ad ſalutem pertinentibus regula eſſe debet.

*Clemens Alexandr. lib. 7. Stromat.*

# CAPUT II.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. 3. *DEponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes, & invidias, & detractiones, ſicut modo geniti infantes, rationabile, ſine dolo lac concupiſcite; ut in eo creſcatis in ſalutem: * ſi tamen † guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus.* Cum in Chriſto renati ſitis, priſtina vitia deponite, illa maxime quæ fraternæ caritati opponuntur, omnem malignitatem, qua quis alteri data opera nocet, vel malo delectatur alieno; & omnem dolum ſeu machinationem fraudis ad circumveniendum proximum; & ſimulationes, quibus amor in vultu verbiſque præfertur, cum in animo non habeatur; & invidias, & oblocutiones, quibus abſentium famæ detrahitur. His (inquam) aliiſque vitiis depoſitis, ſicut infantes per baptiſmum & verbum Dei recens geniti, lac ſpirituale, purum ac ſincerum evangelicæ doctrinæ vehementi deſiderio appetite & ſugite, ut per illud adoleſcatis & in vita nova creſcatis & proficiatis, donec perfectam ſalutem aſſequamini: ſiquidem fidem & Sacramenta Chriſti ſuſcipientes, guſtaſtis quam benignus & ſuavis eſt Dominus.

* In ſalutem, addidit Latinus Interpres ad majorem explicationem.

† Εἴπερ ἐγεύσατε *ſiquidem guſtaſtis.*

4. 5. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum & honorificatum: & ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum * offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum.* Ad quem, nempe Chriſtum Jeſum accedentes, eique quotidianis virtutum profectibus vos magis ac magis conjungentes, tamquam lapidi vivo, qui ab hominibus quidem reprobatus & rejectus, tamquam inutilis, immo & noxius, a Deo vero electus, in pretio habitus & honoratus, & factus in lapidem angularem quo ſuſtineretur Eccleſia: Ipſi tamquam vivi lapides ſuperædificamini in unam domum ſpiritualem & myſticam, ſcilicet Eccleſiam, in ordinem ſanctorum Sacerdotum, ad offerendum ſpirituales hoſtias, Deo gratas, per Jeſum Chriſtum adlecti.

* Generale & metaphoricum omnium Chriſtianorum Sacerdotium. Sed proprie dictum Sacerdotium illorum eſt dumtaxat, qui ſolemni, & myſtica Ordinatione & manuum impoſitione ab Epiſcopo inaugurati ſunt ad ſacrificium externum Corporis & Sanguinis Chriſti offerendum in Eccleſia.

† Confer cum *Epheſ.* 2. 20. & *Rom.* 10. 11.

6. *Propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem ſummum angularem, electum, pretioſum: & qui crediderit in eum, non confundetur.* † Quapropter dicitur in Scriptura: Jamjam poſiturus ſum in Eccleſia, cujus typus eſt mons Sion & civitas Davidis, ſive quæ ortum habebit in monte Sion, in Jeruſalem, Chriſtum Salvatorem ut primarium ac principale fundamentum, duos parietes ex adverſo venientes in angulo conjungens & ſua firmitate ſuſtentans; lapidem ex millibus electum, pretioſum, honoratum, & ex quo totius ædificii derivatur honor. Et quicumque in eum crediderit, & ſalutis ſuæ fiduciam in eo collocaverit, non fruſtrabitur ſalute quam per eum ſe conſecuturum ſperat. Oraculum eſt Iſaiæ 28. 16. ſecundum Verſionem LXX. Interpretum; Propterea ſic dicit Dominus: „ Ecce ego inimittam in fundamenta Sion lapidem pretioſum, „ electum, angularem honorabilem in fundamenta „ ejus: & qui crediderit, non confundetur. *Paulo „ aliter ex Hebræo vertit S. Hieronymus:* Ecce ego „ mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem pro- „ batum angularem, pretioſum, fundatum funda- „ mine: qui crediderit, non feſtinet. “ Id eſt, ſi tardaverit, nemo deſperet, quia veniens veniet, & ſua promiſſa complebit, ut explicat ſanctus Hieronymus. Hoc vaticinium ad Chriſtum referri ab Apoſtolis *in ſenſu ſublimiore* ait Grotius, innuens de alio, forte de Ezechia, in ſenſu litterali & Prophetico eſſe intelligendum. Hæc enim ad tempus Sennacherib pertinere cenſet. Grotio Theodoretum opponimus. „ Extremæ (*inquit*) arbitror eſſe dementiæ, „ hanc Prophetiam Ezechiæ adaptare. Nam confidere „ in homine divina Eloquia vetant. *Pſal.* 145. 2. „ Nolite confidere in principibus, & in filiis homi- „ num, in quibus non eſt ſalus. *Jerem.* 17. 5. Male- „ dictus homo qui confidit in homine. *Pſal.* 117. 8. „ Bonum eſt confidere in Domino, quam confidere „ in homine. Hoc vero loco laudat illos Propheticus „ ſermo, qui in hoc lapide confidunt.

Grotius refellitur.

*Theodoreti in cap. 28. Iſaiæ.*

7. 8. *Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem, lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, Et lapis offenſionis, & petra ſcandali, † his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & poſiti ſunt.* Vobis igitur qui in Chriſtum creditis, lapis ille vivus cauſa erit honoris, gloriæ & ſalutis æternæ: Incredulis autem, lapis ille, quem Phariſæi, Sacerdotes, Doctores, & Senatores Judæorum rejecerunt, & qui illis invitis factus eſt angulare Eccleſiæ fundamentum; infidelibus (inquam) factus eſt lapis in quem impingunt, & ad quem offendentes in peccata graviſſima, & in damnationem æternam cadunt, infidelitatis & malitiæ ſuæ merito juſte a Deo derelicti.

† Confer cum *Iſaiæ* 8. 14. & 15. & *Luc.* 2. 34. & *Rom.* 9. 32. 33. Syriaca Verſio: *Ad quam offendunt, eo quod non acquieſcant ſermoni, qui ad hoc poſiti ſunt.*

9. 10. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: † ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum.* Vos autem, Chriſtiani, genus electum eſtis, ad fidem vocati, ad Eccleſiæ ſtructuram aſſumpti ut lapides vivi, Deo dilecti, beatæ æternitatis candidati: ordo Regum Sacerdotum, gens ſancta & Deo conſecrata, populus acquiſitus, redemptus, peculiaris: ut illius magnitudinem & divinas perfectiones, immenſaque beneficia prædicetis, qui vos e tenebris ignorantiæ, errorum ac vitiorum vocavit in lucem admirabilem fidei & Evangelii: *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei; qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.* † Qui olim non eratis populus Dei, vos quidem Judæi poſtquam Synagoga repudiata ab ipſo eſt, cum ipſa Chriſtum rejeciſſet: voſque Gentiles, quando idolis, & concupiſcentiis veſtris ſerviebatis: nunc autem populus Dei ex quo in Chriſtum credidiſtis, & Eccleſiæ membra facti eſtis: olim non conſecuti miſericordiam, cum in ignorantiæ tenebris & ſervitute peccati viveretis: nunc autem miſericordiam conſecuti, cum per Chriſtum vocati eſtis ad fidem Evangelii; nullis veſtris meritis, ſed ſola Dei miſerentis bonitate & gratia.

† Confer cum *Exod.* 19. 5. 6. *Iſai.* 62. 12. *Epheſ.* 1. 4. & c. 5. 25. 26.

† Confer cum *Oſee* 2. 1. & *Rom.* 9. 25.

11. *Chariſſimi, obſecro vos tamquam advenas & peregrinos abſtinere vos a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam.* Adhortor & obſecro vos ut tamquam advenæ & hoſpites in hoc mundo, abſtineatis ab iis concupiſcendis, quæ carnales homines magnifaciunt, ſummoque ardore deſiderant, quales ſunt divitiæ, honores, voluptates. Nam hujuſmodi cupiditates directe pugnant cum animæ veſtræ bono, ejuſque ad Deum iter, & æternam ſalutem impediunt.

12. *Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam: ut in eo quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.* † Veſtra inter gentes, apud quas diſperſi eſtis, vivendi ratio tam honeſta ſit, tam proba, tam innocens, ut pro eo quod vobis obtrectant, tamquam ſceleratis & Reipublicæ noxiis, in odium Religionis Chriſtianæ, bonis operibus veſtris inſpectis Deum glorificent qui tales habet cultores, & Chriſtianam Religionem laudent potius quam accuſent, cum a Principibus vel Prætoribus miſſi fuerint Inquiſitores adverſus Chriſtianos. Vel, Ut Gentiles Deum laudent, cum ipſi placuerit eos gratia ſua viſitare, & ad Chriſtianam fidem convertere.

† Græce, ἐν ἡμέρᾳ ἐπισκοπῆς, *in die inſpectionis.*

De gentilium obtrectationibus adverſus Chriſtianos, lege S. Juſtinum Martyrem Apolog. 1. & 2. Tertull. in Apolog. Euſebium Hiſt. Eccl. *l.* 5. *c.* 1.

13. 14. 15. 16. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſive Regi, quaſi præcellenti, ſive Ducibus, tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Omni homini in poteſtate legitima conſtituto, quicumque ſit ille, ſubditi eſtote, & obedite propter Deum, cujus vices gerit, & qui vobis id præcipit: ſive Regi ſeu Imperatori tamquam ſupremam poteſtatem in Republica habenti: ſive Provinciarum & urbium Præfectis, ceteriſque Magiſtratibus, tamquam Dei auctoritate conſtitutis ad malefactores debitis pœnis coercendos & puniendos, bonos vero præmiis proſequendos. „ Quia ſic eſt voluntas Dei, „ ut benefacien- „ tes obmuteſcere faciatis imprudentium hominum „ ignorantiam. “ Vult enim Deus ut morum veſtrorum integritate ac vitæ ſanctimonia obtureris ora hominibus ignorantibus & ſtultis, qui vobis maledicunt & obtrectant. „ Quaſi liberi, & non quaſi „ velamen habentes malitiæ libertatem, † ſed ſicut „ ſervi Dei. “ Liberi quidem eſtis, utpote per Chriſtum a ſervitute peccati, & a legalium Ceremoniarum jugo liberati, non ut libertatem quaſi velum malitiæ veſtræ & inobedientiæ prætexatis; ſed ut in omnibus vos geratis ſicut ſervos Dei, liberaliter, non ſerviliter obedientes Principibus, Magiſtratibus, & omnibus Superioribus, quibus ipſe nos ſubeſſe & parere jubet; legibuſque Principum, quæ legi Dei non ſunt contrariæ.

Confer cum *Rom.* 13. *Verſ.* 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & Ad *Tit.* 3. 1.

Principibus, etiam infidelibus & malis obediendum. Ipſi, qui tunc imperabat, Neroni, obedientiam debere Chriſtianos propter Deum, S. Petrus docet.

† Quorumdam Judæorum errorem damnat, qui ſe a legibus alienorum Principum, & a tributis pendendis liberos putabant, quod eſſent populus Dei peculiaris.

17. *Omnes honorate: fraternitatem diligite, Deum timete. Regem honorificate.* Omnes quibus aliquis debetur honor, pro cujuſque ſtatu, conditione, Poteſtate, Dignitate, Officio, honorate: fratres, id eſt Chriſtianos, præ ceteris diligite: Deum timete ut ſupremum Dominum ac judicem, cujus legi ac mandatis nihil præponendum eſt: Regem ſummo poſt Deum honore proſequimini, propter ejus excellentiam, ut qui in Reipublicæ adminiſtratione Dei vices gerat.

Confer cum *Epheſ.* 6. 5. 6. 7. *Coloſſ.* 3. 22. 1. *Tim.* 6. 1. 2. & *Ad Tit.* 2. 9. 10.

18. 19. 20. *Servi, ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.* Famuli, ſubditi ſitis cum multa reverentia dominis, non ſolum æquis, humanis, benignis,



ſed etiam iniquis, moroſis, difficilibus, duris. *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſte.* Hoc enim Deo imprimis gratum eſt, ſi quis innocentiæ ſuæ, cujus Deus conſcius eſt, teſtimonio fretus, ut illi placeat, triſtia & acerba patitur injuſte afflictus. *Quæ enim eſt gloria; ſi peccantes, & colaphizati ſuffertis:* Quam enim laudem & gloriam apud Deum promeremini, ſi propter delicta colaphis cædi, aut aliis pœnis affligi vos contingat? *Sed ſi bene facientes patienter ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum.* Sed ſi, cum benefacitis, & tamen malis afficimini, patienter ea ſuſtinetis, hoc maxime Deo gratum eſt.

21. 22. 23. *In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus.* Ad hoc enim vocati eſtis ad Chriſtianam Religionem, ut adverſa quæque forti & æquo animo toleretis: quia etiam Chriſtus pro nobis omnibus & ſingulis, ſervis ſuis indignis & inimicis pati dignatus eſt vobis relinquens exemplum patientiæ, humilitatis, obedientiæ, quod imitemini, *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus.* * Cujus tam eximia fuit innocentia, ut nec facto, nec verbo peccaverit, aut peccare potuerit, Sanctus ſanctorum. *Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur; non comminabatur; tradebat autem judicanti ſe injuſte.* * Qui cum maledictis, conviciis, calumniis proſcinderetur, maledicta, convitia, calumnias non rependit: cum vincula, flagella, vulnera, crucem pateretur, ne verbum quidem minax protulit contra ſuæ damnationis auctores, & contra tortores: ſeipſum autem injuſto Judici Pilato permittebat. Sive, ſecundum omnes Codices Græcos, & Orientales Verſiones, cauſam ſuam Deo juſto judici commendabat, ut Jeremias in ejus perſona dicit: **Tu autem, Domine Sabaoth, qui judicas juſte, & probas renes & corda, videam ultionem tuam ex eis. Tibi enim revelavi cauſam meam.*

* *Iſai.* 53. 9.

* Secundum Græcum Textum: *Tradebat autem ſe judicanti juſte.* ſcilicet Deo Patri. Syriaca Verſio: *Committebat judicium ſuum Judici juſtitiæ* Arabica: *Negotium refudit ad eum qui juſtum fert judicium.* Æthiopica: *Committebat cauſam ſuam ei qui juſte judicat.*

24. *Qui peccata noſtra ipſe portavit in corpore ſuo ſuper lignum: ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus. Cujus livore ſanati eſtis.* * Ipſe, qui nullum peccatum proprium habebat, peccatorum noſtrorum graviſſimum pondus, id eſt, pœnas peccatis omnium hominum debitas in corpore ſuo portavit tamquam victima piacularis, & ſuſtulit in lignum crucis, in quo ſe velut in altari pro omnium ſalute obtulit Deo Patri: & ſanguine ſuo peccata totius mundi abſtulit, delevit, expiavit: ut nihil amplius commercii cum peccatis habentes, in juſtitia & ſanctitate deinceps vivamus. Cujus vulneribus a plagis peccatorum veſtrorum ſanati eſtis. Socinianum ſe prodit Grotius in Annotationibus, ubi hunc Verſum explicans ait: „ Chriſtum, cum crucifigeretur, pec- „ cata noſtra proprie non abſtuliſſe, ſed cauſas de- „ diſſe per quas auferentur. Nam crux Chriſti, „ (inquit) fundamentum eſt prædicationis, prædi- „ catio vero pœnitentiæ: pœnitentia vero aufert „ vitia. Chriſtus enim pro peccatis noſtris divinæ juſtitiæ ſuperabundanter ſatisfaciens, paſſionis ac mortis ſuæ virtute ac merito peccata noſtra tulit è medio, delevit, ſanavit; tametſi univerſalis illius medicinæ virtutem nobis non applicet niſi per Baptiſmum, Pœnitentiam &c. Confer cum Joan. 1. 29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Et ad Hebr. 9. 28. *Chriſtus ſemel oblatus eſt ad multorum exhaurienda peccata.*

S. Auguſtin. Tract. 21. in Joan. num. 12. legit: *Sed commendabat illi qui juſte judicat.* Eamdem lectionem ſequitur *S. Fulgentius* lib. 1. Ad Traſimundum, *cap.* 11.

* *Jerem.* 11.

† Confer cum *Iſaiæ* 53. 4. 5.

Grotius refellitur.

25. *Eratis enim ſicut oves errantes *, ſed converſi eſtis nunc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.* Non ita pridem eratis ſicut oves errantes a Chriſto Paſtore, a via ſalutis, a grege juſtorum, per de via errorum & vitiorum in exitium ruentes: ſed modo converſi eſtis ad Chriſtum Paſtorem & curatorem animarum veſtrarum, per illius gratiam qua vos ad ſe trahere & convertere dignatus eſt.

# CAPUT II.

*Senſus Moralis.*

1. 2. 3. *DEponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & ſimulationes & invidias, & omnes detractiones, ſicut modo geniti infantes, rationabile, ſine dolo lac concupiſcite; ut in eo creſcatis in ſalutem: Si tamen guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus.* Nova in Chriſto Jeſu nativitas, novos mores exigit. Veteris hominis converſatio homine novo prorſus indigna eſt. Ita deponenda ſunt & abjicienda prioris vitæ vitia, ut non reſumantur, ut ad illa non redeatur. Malitia, dolus, ſimulatio, invidia, obtrectatio, Chriſtianæ repugnant infantiæ, quæ toto vitæ tempore durare debet. „ Hanc ſanctæ „ infantiæ innocentiam (ait S. Auguſtinus) ſic tenere „ debetis, ut eam creſcendo non amittatis. Quid eſt „ malitia, niſi nocendi amor? Quid eſt dolus, niſi „ aliud agere, & aliud ſimulare Quid eſt adulatio, „ niſi fallaci laude ſeductio? Quid eſt invidia, niſi „ odium felicitatis alienæ? Quid eſt detractio, niſi „ mordacior quam veracior reprehenſio? Malitia malo „ delectatur alieno: invidentia & bono cruciatur „ alieno: dolus duplicat cor; adulatio duplicat lin- „ guam: detractio vulnerat famam. Hujus autem „ veſtræ innocentia ſanctitatis, quoniam filia eſt ca- „ ritatis, *Non gaudet ſuper iniquitate, congaudet au- „ tem veritati,* Simplex ut columba, & ſic aſtuta ut „ ſerpens, non ſtudio nocendi, ſed nocentem caven- „ di. *Talium eſt regnum cœlorum,* humilium ſcilicet, „ hoc eſt, ſpiritaliter parvulorum. Humilitatem il- „ lam loquor, quæ non vult periturıs rebus excel- „ lere, ſed æternum aliquid veraciter cogitat, quo „ non ſuis viribus, ſed adjunta perveniat. Hæc ma- „ lum cujuſquam velle non poteſt, quo nequaquam „ bonum ejus augetur. Porro autem ſuperbia con- „ tinuo parit invidiam. Quis vero ſit invidus, qui „ non ei malum velit, cujus bono cruciatur? Ergo „ & invidia parit conſequenter malitiam: unde pro- „ cedit & dolus, & adulatio, & detractio, & omne „ opus malum, quod pati nolis ab alio. Pia itaque „ humilitate ſervata, quæ in Scripturis ſanctis ſancta „ probatur Infantia, ſecuri eritis de immortalitate „ beatorum. *Talium eſt enim regnum cœlorum.*

* Confer cum *Pſ.* 118. 176. *Iſaiæ* 53. 6. *Jerem.* 50. 6. *Ezechiel.* 34. 5. 6. & *Luc.* 15. 4. 5.

1. *Cor.* 5. 6. *Matth.* 19. 14.

*Sicut modo geniti infantes, rationabile, ſine dolo, lac concupiſcite; ut in eo creſcatis in ſalutem.* Lac verbi ſui nobis ad animarum noſtrarum alimoniam, incrementum, & robur Chriſtus dedit. Lac illud ſpirituale, puriſſimum, ſuaviſſimum, divinum ſummo deſiderio concupiſcamus. Quanta cum alacritate infantes papillas nutricis capiunt, & labia uberibus inſigunt, mentem & cor admoveamus & applicemus ad duo Verbi Dei ubera, Quod *eſt omnia infanti,* hoc eſt, vero Chriſtiano, *& pater, & mater, & pedagogus, & alter.* Duo illa ubera ſunt Veteris & Novi Teſtamenti Scripturæ. Ad ipſas accedamus, ipſas legamus, meditemur cum debitis diſpoſitionibus, cum ſimplicitate & docilitate infantium, cum humilitate, cum animi puritate. Divino lacti extraneos liquores, peregrinas interpretationes non admiſceamus, quæ illius ſinceritatem adulterent; Eccleſiæ judicium ſequamur diſcernentis Spiritus ſancti lumine & Chriſti auctoritate, ſi quid admixtum eſt ab humano ſenſu Verſionibus in linguam præſertim vernaculam, Annotationibus, Commentariis, Meditationibus, Sermonibus in Scripturam ſacram, quod illius puritatem corrumpat, & animabus noſtris nocere poſſit. Illas legamus, ut per eas creſcamus in Chriſtiana pietate & vita ſpirituali, quaſi per omnes ætatum gradus, & ſecundum omnem dimenſionem myſticam, nempe ſecundum longitudinem longanimitatis, ſecundum latitudinem caritatis, ſecundum profunditatem humilitatis, ſecundum altitudinem contemplationis, non alia intentione & alio fine, quam ut ſalutem æternam conſequamur, & *occurramus,* donante Deo, *in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.* Alium guſtum non habeamus in ſacræ Scripturæ lectione, in prædicatione verbi Dei audienda, niſi guſtum fidei, Chriſtianæque pietatis: *Si tamen guſtaſtis quoniam dulcis eſt Dominus.* Qui guſtum cordis infectum habet terrenarum rerum & carnalium voluptatum ſapore, guſtare non poteſt verbi Dei, rerumque divinarum ſuavitatem; guſtare & videre non poteſt quam ſuavis eſt Dominus: dicere non poteſt cum Davide: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper meliori meo!* Hæc eſt illa ſuavitas quam Dominus dat, ut terra noſtra det fructum ſuum; *Ut bonum vere bene, id eſt, non mali carnalis formidine, ſed boni ſpiritualis delectatione faciamus. Melli eſt autem ſimilis aperta doctrina ſapientiæ: favo vero, quæ de abſtruſioribus ſacramentis, tamquam de cellis cereis, ore differentis, velut mandentis exprimitur. Verum ori cordis, non carnis eſt dulcis.* Ab iis guſtatur quam ſuavis eſt Dominus, qui ſapientia & caritate donati ſunt. Hi in oratione, meditatione, ſacra Communione, piis affectionibus, & bonis operibus guſtant quam ſuavis eſt Dominus, & dicunt: *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abſcondiſtis timentibus te!* Hic homo impius ſi dicat, Ubi eſt iſta multitudo dulcedinis? Reſpondebo, Quomodo tibi oſtendam multitudinem hujus dulcedinis, qui palatum de febre iniquitatis „ perdidiſti? „ Mel ſi non noſſes, quam bene ſaperet, „ non clamares, niſi guſtaſses. Palatum cordis non „ habes ad hæc bona guſtanda, quid tibi faciam? „ *Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam ab- „ ſcondiſti timentibus te!* Quid eſt, abſcondiſti? Ser- „ vaſti illis, non negaſti, ut ſoli ad eam perve- „ niant. (Bonum eſt enim quod juſtis & impiis „ non

Lac ſpirituale verbi divini.

*Clemens Alexand. lib.* 1. *Pædog. cap.* 6.

Vetus & Novum Teſtamentum duo Verbi Dei ubera.

Diſpoſitiones ad Scripturæ ſacræ lectionem, & verbi divini auditionem.

*Pſal.* 118. 103.

*S. Aug. Serm.* 22. *in hunc Pſalm. n.* 7.

*Pſalm.* 30. 20. *S. Aug. Enarr.* 4. *in Pſal.* 30. *num.* 6.

,, non poteſt eſſe commune;) ut timendo perveniant.
,, Quamdiu enim adhuc timent, nondum & ipſi per-
,, venerunt: ſed credunt ſe perventuros, & a timo-
,, re incipiunt. Nihil enim dulcius eſt immortalitate
,, ſapientiæ, ſed *Initium ſapientiæ timor Domini.*

4. 5. 6. 7. 8. *Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum & honorificatum: Et ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerre ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per Jeſum Chriſtum.* Chriſtus Jeſus lapis eſt angularis & fundamentalis Eccleſiæ, quæ Dei templum eſt. Lapis eſt vivus, Filius Dei vivi, vitam habens in ſemetipſo ſicut Pater, apud quem fons vitæ eſt. Hic omnes ſpiritalis illius ædificii partes ſuſtentat, continet, & connectit, & quicumque ad Eccleſiam pertinent, in illo ſubſiſtunt, illique fide viva compaginantur. Hic eſt lapis, qui duos populos, velut duos parietes ex adverſo venientes, Judæos & Gentiles in Eccleſia ſimul conjunxit; Hic eſt lapis, quem rejecerunt Sacerdotes, Scribæ, Phariſæi, qui ſe velut architectos Synagogæ oſtentabant, ipſum agnoſcere & recipere nolentes ut verum Meſſiam & Salvatorem a Deo promiſſum, & Prophetarum oraculis prædictum, ſed ut filium fabri contemnentes, Reipublicæ perturbatorem, crucifigentes: quem tamen Deus ab æterno elegit, & caput Eccleſiæ, Regemque conſtituit, gloria & honore coronatum; & a nullo alio ſperandam eſſe ſalutem æternam declaravit. *Hic eſt lapis* (ait Apoſtolus noſter ad Sacerdotes & Principes Synagogæ) *qui reprobatus eſt a vobis ædificantibus, qui factus eſt in caput anguli; & non eſt in alio aliquo ſalus. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri.* Beati qui in hoc ſæculo rejiciuntur ab hominibus ut lapides inutiles, contemptui habentur, & perſecutionem patiuntur, ut Chriſtus, & propter nomen Chriſti, propter fidem, aut propter juſtitiam; hi ſunt lapides pretioſi, a Deo electi, in cœleſtis Jeruſalem ædificio collocandi. Ipſi modo ut lapides vivi ſuper Chriſto lapide angulari & fundamento Eccleſiæ principali ædificantur, & aptantur ut ſpiritualem domum cum illo componant, numquam diruendam, ſed æternam manſuram. Non ſolum moventur & collocantur alienis manibus in ædificio, ut lapides inanimati, ſed ipſi ſe movent, Spiritus ſancti auxilio præveniente & adjuvante, *ut lapides vivi*, ſanctis affectibus & actibus fidei, ſpei, caritatis, virtutumque ceterarum ac bonorum operum, ut fiant *domus ſpiritualis*, in qua Deus inhabitet ac maneat, ut ipſe Chriſtus pollicetur: *Ad eum* (inquit) *veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* Et Apoſtolus Gentium: *Vos enim eſtis templum Dei vivi ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis.* Hæc domus nunc ædificatur, in fine ſæculi dedicabitur. Chriſtiani non tantum eſſe debent Templum ſanctum Domino per cordis & corporis puritatem; ſed & Sacerdotes ſancti, unius Dei cultui & miniſterio conſecrati, qui terrena contemnant, & quorum portio, & hereditas ſit ſolus Deus. *Sacerdotium ſanctum.* Horum functio communis eſſe debet offerre Deo ſacrificia juſtitiæ, hoſtias laudis, gratiarum actionis, pœnitentiæ, eleemoſynarum, omniumque bonorum operum; immolare & offerre ſe ipſos ut hoſtias viventes Deo, per Jeſum Chriſtum Sacerdotem Magnum, per quem niſi offerantur, Deo gratæ eſſe non poſſunt. *Offerre ſpiritales hoſtias, acceptabiles Deo, per Jeſum Chriſtum.*

*Act. 4. 11.*

*2. Cor. 6. 16. Levit. 26. 12.*

*Oecumen. in Comment.*

*1. Tim. 2. 8.*

,, Verum ne putetis, non habentes conjunctionem
,, inter vos dilectione firmatam, immaculatas Deo
,, vos offerre hoſtias. Ait enim Apoſtolus Paulus:
,, *Levantes puras manus ſine ira & diſceptatione.*
,, Quomodo enim is qui per orationem ſeſe nititur
,, Deo unire, id aſſequetur, dum per iram & pravas
,, diſceptationes ſeipſum a fratre ſeparat?

Fide per dilectionem operante, ad Chriſtum lapidem vivum, pretioſum, electum accedamus; non ſpeculatrice dumtaxat & ſterili fide, ſed mandatis ejus obediente, ut non confundamur in adventu ejus, ſed honorem & gloriam conſequi mereamur æternam. *Qui crediderit in eum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus.* Unde ipſe Dominus ait: *Si quis mihi miniſtraverit, honorificabit eum Pater meus:* Et ſanctus Paulus: *Gloria, & honore, & pax, omni operanti bonum.* Væ autem illis qui non credunt, aut ſecundum fidem Evangelii non vivunt, qui per varios gradus in profundum peccatorum ruentes, & peccata frequentiſſima & graviſſima pro nihilo ducentes excæcari, obdurari, & in reprobum ſenſum tradi, Deo deſerente merentur: quibus ipſa Scriptura divina, ipſa Sacramenta, ſanctiſſimæ Religionis ceremoniæ, Lex ipſa & mandata Dei, ſunt occaſiones ruinæ; Chriſtus ipſe, quem rurſus crucifigunt in ſemetipſis & ludibrio habent, fit ipſis lapis in quem impingentes cadunt, & conteruntur.

*Joann. 12. 10. Rom. 2. 10.*

Nonnullis Chriſtus fit lapis offenſionis, non ex ſe, ſed illorum culpa. *Oecumenius.*

,, Et lapis offen-
,, ſionis, & petra ſcandali his qui offendunt verbo,
,, nec credunt, in quo & poſiti ſunt. *Porro* in hoc
,, poſiti *dicuntur; non quaſi ad hoc ſint ſegregati a*
,, *Deo:* Nulla enim perditionis cauſa ab eo, qui
,, vult omnes homines ſalvos fieri, miniſtratur; ſed
,, eos; qui ſeipſos vaſa iræ effecerunt, & increduli-
,, tas conſecuta eſt, & in eo ordine conſtituti ſunt,
,, ad quem ſeſe præparaverant. Si enim liberi arbi-
,, trii homo factus eſt, nec poteſt cogi liberum arbi-
,, trium: nequaquam decenti ſermone quiſpiam eum
,, accuſaverit, qui talem ipſi ſortem decrevit, quam
,, ſuis operibus ſibi ipſi aſcivit.

9. 10. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis: ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum.* Magnifica illa & pretioſa promiſſa non ſunt facta Judæis, qui Abrahamo patre gloriabantur: Non enim propter Abram in regale Sacerdotium electi ſunt: in ejus ſiquidem poſteris Sacerdotalibus Tribus a regia diſtincta erat: Neque etiam Lex Moyſi veram & interiorem ſanctitatem conferebat iis qui illam obſervabant, ſed in Chriſtianis hæc implentur, qui fœdus cum Deo ſolemniter contractum in Baptiſmo fideliter obſervant. Hi ad gratiam & gloriam per ſolam Dei miſericordiam vocati, populus ejus & filii facti ſunt, & Regiæ ac ſacerdotalis dignitatis Chriſti participes. Reges ſumus: cupiditatibus noſtris ne ſerviamus, ſed dominemur. Sacerdotes ſumus, ut membra Chriſti ſummi Sacerdotis; nos ipſos Deo immolemus hoſtiam vivam, ſanctam, ipſi placentem.

*S. Leo, Mag. Serm. 3. in anniverſario die Aſſumptionis ejus ad Pontificatum.*

,, In unitate fidei
,, atque baptiſmatis, indiſcreta nobis ſocietas, & ge-
,, neralis eſt dignitas. Omnes enim in Chriſto rege-
,, neratos crucis ſignum efficit Reges, ſancti vero
,, Spiritus unctio conſecrat Sacerdotes; ut præter
,, iſtam ſpecialem noſtri Miniſterii ſervitutem, uni-
,, verſi ſpiritales Chriſtiani agnoſcant ſe Regii gene-
,, ris, & Sacerdotalis officii eſſe conſortes. Quid
,, enim tam regium, quam ſubditum Deo animum
,, corporis eſſe rectorem? Et quid tam ſacerdotale,
,, quam vovere Domino conſcientiam puram, & im-
,, maculatas pietatis hoſtias de altari cordis offerre?
,, Populus Dei ſumus, Chriſti ſanguine redempti,
,, ne nos iterum diaboli ſervituti ſubjiciamus.

Gratias agamus Redemptori noſtro: Miſericordiam Domini in æternum cantemus, qui nos de tenebris in admirabilem Evangelii ſui lucem vocavit. Ambulemus igitur & vivamus ut filii lucis. Annuntiemus per bona opera virtutes ipſius, magnitudinem, omnipotentiam, bonitatem, miſericordiam quibus nos vocavit, ſanctificavit in ſpiritu & veritate, & Spiritus ſui donis ac virtutibus ornavit. *Sic luceat* (inquit Chriſtus) *lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Poſſeſſio & hereditas Dei ſumus: ne nos ab ipſius obedientia ſubducamus, ut & ipſe ſit poſſeſſio & hereditas noſtra. Omnes ſiquidem homines ſunt Dei ut creaturæ; poſſeſſio vero illi ſoli, qui fide, ſpe, caritate, boniſque operibus, hoc beneficio digni ſunt habiti. Ideo autem per bona opera digni fuerunt, quia Dei miſericordia prævenit eos, & ſubſecuta eſt, in eis & per eos bonum operando ſalutare. *Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.*

*Matth. 5.*

*Oecumenius.*

11. *Chariſſimi, obſecro vos, tamquam advenas & peregrinos abſtinere vos a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam.* Mundus terra aliena eſt homini Chriſtiano. Civis cœli, exul eſt mundi. Viatorem nemo ſapientem dixerit, qui vel amœnitate viarum captus, vel hoſpitiorum commodis & deliciis ineſcatus, ibi hæſerit, de patria non cogitans. Advenæ ſumus & peregrini in hoc mundo: rebus igitur ac bonis hujus mundi inhærere non debemus, ſed iis uti tanquam ſolatio neceſſitatis, non tamquam illecebra manſionis. Compendioſa, certa, & recta ad cœleſtem patriam via ambulare, dum lucem habemus, ne nos tenebræ comprehendant: impedimenta deponere, quæ iter noſtrum retardare poſſunt: Nihil amare in hoc mundo *manſoria dilectione, ſed tranſitoria*, tamquam viam, tamquam vehicula, pergentibus in patriam neceſſaria, ut illa quibus ferimur, propter illud ad quod ferimur diligamus, & dimittere parati ſimus, ſi nobis impedimento ſint.

Chriſtiani in hoc mundo gerere ſe debent ut advenas & peregrinos.

*S. Aug. l. 1. De Doctrina Chriſt.*

*S. Cyprian. Epiſt. 1. Ad Donatum.*

,, Una pla-
,, cida & fida tranquillitas: una ſolida, & firma &
,, perpetua ſecuritas, ſi quis ab his inquietantis ſæ-
,, culi turbinibus extractus, ſalutaris portus ſtatione
,, fundetur, ad cœlum oculos tollat a terris, & ad
,, Domini munus admiſſus, ac Deo ſuo jam proxi-
,, mus, quicquid apud ceteros in rebus humanis ſu-
,, blime ac magnum videtur, intra ſuam jacere con-
,, ſcientiam glorietur. Nihil appetere, nihil deſide-
,, rare jam de ſæculo poteſt, qui ſæculo major eſt.
,, Quam ſtabilis, quam inconcuſſa tutela eſt, quam
,, peren-



,, perennibus bonis cœleſte præſidium, implicantis
,, mundi laqueis ſolvi, in lucem immortalitatis æter-
,, næ de terrena fœce purgari. Plus amare compel-
,, limur quod futuri ſumus; dum & ſcire conceditur,
,, & damnare quod eramus. Nec ad hoc pretiis, aut
,, ambitu, aut manu opus eſt, eſt ut hominis ſumma
,, vel dignitas vel poteſtas elaborata mole pariatur:
,, ſed gratuitum de Deo munus, & facile eſt, ut
,, ſponte Sol radiat, fons rigat, imber irrorat; ita
,, ſe Spiritus cœleſtis infundit. Poſtquam Auctorem
,, ſuum cœlum intuens anima cognovit, Sole altior,
,, & hac omni terrena poteſtate ſublimior, id eſſe
,, incipit, quod ſe eſſe credit.

12. *Converſationem veſtram inter gentes habentes bonam, ut in eo quod detrectant de vobis tamquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum in die viſitationis.* Obtrectatio commune mundi vitium eſt; pios maxime impetit, quia mores eorum ſæculi moribus adverſantur. Cives Babylonis curioſi & maligni exploratores ſunt & iniquiſſimi cenſores civium Jeruſalem. *Statim ut coli Deus cæpit, invidiam Religio ſortita eſt.* Invidia obtrectationum, calumniarum, aliorumque malorum parens. Quot & quam nefaria crimina Chriſtianis Gentiles olim affingebant odio Religionis accenſi? Sancta igitur converſatione, caritate, beneficentia, manſuetudine, temperantia, omnibuſque virtutibus lucere debent probi Chriſtiani velut luminaria in medio nationis pravæ; providere bona non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, neminem offendere, bene velle & prodeſſe omnibus, quantum fieri poteſt. Ita plures ad amorem virtutis exemplo ſuo allicient, aut certe malevolis obtrectatoribus os occludent: quos forte Deus viſitabit gratia ſua, & bonorum operum exemplis ad pietatem convertet. *Etſi eloquium* Chriſtiani *quieſcat, ipſe habitus ſonat: auditur, cum videtur; de occurſu ſuo vitia ſuffundit.*

Chriſtiani ſancta converſatione omnes ad virtutis amorem allicere debent. *Tertullian.*

*Tertull. lib. de Pallio.*

13. 14. 15. 16. 17. *Subjecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum; ſive Regi quaſi præcellenti, ſive Ducibus tamquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum: quia ſic eſt voluntas Dei*, &c. Reverentiam & obedientiam Regi, & Magiſtratibus ab eo conſtitutis exhiberi præcipit vera Religio. Nec eorum infidelitas, nec morum pravitas, diſpenſant ſubditos ab obſervantia legum ab illis conditarum, aut ſolutione tributorum, quos Dei voluntas & auctoritas ad obediendum adſtringit. Deus qui legitimam auctoritatem inſtituit, regulas dedit quibus ejus uſus dirigatur: ſed tametſi data ſibi a Deo auctoritate Principes & Magiſtratus abuti contigerit, non propterea ſpernenda eſt, aut in illam rebellandum. Libertas Chriſtiana independentiam a Poteſtatibus *non affectat.* Verus Chriſtianus ſolius peccati ſervitutem, ſolam pravarum cupiditatum dominationem impatienter tolerat. Vera libertas eſt ſervire Deo, & Poteſtatibus Rempublicam ejus vice regentibus propter ipſum ſubeſſe & parere: *Quaſi liberi & non quaſi velamen, habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei.* Omnes honorandi ſunt propter dona communia & ſpecialia Creatoris. Chriſtiani diligendi propter gratiam & dona Salvatoris, ut ejuſdem familiæ filii, ut ejuſdem corporis membra, ut eorumdem bonorum heredes. Deus timendus eſt ut Dominus ac Judex ſupremus, timore caſto, ex amore procedente, & in æternum permanente. Rex ſecundum Deum ſummo proſequendus honore eſt, eique parendum, niſi aliquid præcipiat quod divinæ legi repugnet, a quo proinde faciendo nos Dei timor merito revocare debeat.

Reverentia & obedientia Regibus & Magiſtratibus ab eis conſtitutis divino jure debita.

,, Omnes honorate, frater-
,, nitatem diligite, Deum timete, Regem honorifi-
,, cate. " Honorificentia reverentiam, dilectionem, obedientiam, omniaquo officia complectitur.

*Tertull. lib. Ad Scapulam Provinciæ Africæ Præſidem.*

,, Chri-
,, ſtianus nullius eſt hoſtis, nedum Imperatoris: quem
,, ſciens a Deo ſuo conſtitui, neceſſe eſt ut & ipſum
,, diligat, & revereatur, & honoret, & ſalvum ve-
,, lit, cum toto Romano Imperio, quouſque ſæculum
,, ſtabit, tamdiu enim ſtabit. Colimus ergo & Im-
,, peratorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi ex-
,, pedit, ut hominem a Deo ſecundum, & quicquid
,, eſt a Deo conſecutum, & ſolo Deo minorem. Hoc
,, & ipſe volet. Sic enim omnibus major eſt, dum
,, ſolo vero Deo minor eſt.

18. *Servi, ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis.* Famuli Chriſtiano affectu dominis ſerviant, eiſque officia ſua lubenti promptoque animo exhibeant propter Deum, ad exemplum Chriſti, qui ſervi formam aſſumpſit, ut homines a ſervitute vindicaret, ac in libertatem filiorum Dei aſſereret. Ipſis ſe ſubdant, & obediant cum timore reverentiæ, cum timore ipſis diſplicendi, cum timore Deum offendendi, qui ipſos ad ſtatum ſervitutis vocavit, ut per humilitatem, obedientiam, labores, & patientiam illos ſanctificet. Timor diſplicendi dominis ex eorum dilectione procedit, quæ ſi ad Deum referatur, caritas eſt: timor diſplicendi Deo ſubjectionem & obedientiam ſervis imperanti, ad caritatem pertinet omnium Domino in timore ſervientem.

Famulorum erga dominos officia.

*S. Ambroſ. Epiſt. 63. Ad Vercellen. ſeu Eccleſ. num. 112.*

,, Servi dominis ſer-
,, vite cum voluntate; nec ſolum bonis, ſed etiam
,, aſperis obedite. Nam quæ eſt veſtræ ſervitutis gra-
,, tia, ſi bonis ſerviatis ſedulo? Sed ſi etiam aſperos
,, promereamini, & contemplatione Domini Jeſu illis
,, ſerviatis cum patientia, mercedem habebitis.,,
,, Siquidem ipſe Dominus juſtus ab injuſtis paſſus eſt,
,, & patientia mirabili peccata noſtra ſuæ affixit cru-
,, ci: ut qui illum imitatus fuerit, peccata ſua ſan-
,, guine ſuo diluat.

19. 20. *Hæc eſt enim gratia, ſi propter Dei concupiſcentiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens injuſte.* Qui ſolum Deum habet patientiæ ſuæ & innocentiæ ſuæ teſtem, majori cum fiducia exſpectare poteſt illum ſibi fore protectorem & remuneratorem. Vulgo conqueruntur homines quod injuſtas vexationes patiantur, quod præter merita affligantur; de injuriis expoſtulant. Si reus eſſem, (inquiunt) non impatienter ferrem. Cæci, qui non conſiderant 1. Se reos ſemper eſſe apud Deum, & magnam gratiam eſſe, ſi in hac vita illos affligi permittat & velit, ut afflictionibus patienter toleratis quotidiana humanæ fragilitatis delicta expient, ſine quibus nec ipſi juſti vivunt. 2. Majorem gratiam eſſe, ſi injuſte patiantur, quia Chriſto ſimiliores fiunt, qui tam gravia, tam atrocia, vincula, flagella, ſputa, ludibria, blaſphemias, alapas, coronam ſpineam, crucem paſſus eſt innocens. *Qui peccatum non fecit, nec dolus inventus eſt in ore ejus.* 3. Maximam eſſe gratiam, ſi pro juſtitia, ex Dei amore, & propter ejus gloriam patiantur. *Beati enim qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Non pœna, ſed cauſa, finis, animi diſpoſitio & affectus, ſcilicet caritas, humilitas, patientia, ſanctitatem ac meritum perpeſſionibus confert. *Quæ enim eſt gloria, ſi peccantes & colaphizati ſuffertis, ſed ſi bene facientes patienter ſuſtinetis: hæc eſt gratia apud Deum.*

Magna Dei gratia eſt vexationes pati injuſte, propter Deum.

*Matth. 5.*

21. 23. *In hoc enim vocati eſtis: quia & Chriſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut ſequamini veſtigia ejus . . . . . Qui cum malediceretur, non remaledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti ſe injuſte.* Ad hoc Chriſtiani ſumus, ut cum Chriſto crucifigamur. Caro regenerati, corpus eſt Crucifixi. *Si quis vult poſt me venire* (ait ipſe Chriſtus) *abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Chriſtianus impœnitens, voluptatum amans, tribulationum & moleſtiarum impatiens, Chriſti diſcipulus appellari non meretur, cum ejus veſtigia non ſequatur. Væ nos ingratos, ſi propter ipſum aliquid pati recuſemus, qui mortem crucis pro nobis paſſus eſt, nobis patientiæ relinquens exemplum.

Chriſtus Jeſus exemplar patientiæ.

*Matth. 16. 24.*

*S. Cyprian. Tract. De Bono Patientiæ.*

,, Sub ipſa paſſione, &
,, priuſquam ad crudelitatem necis, & effuſionem
,, ſanguinis veniretur, quæ conviciorum probra pa-
,, tienter audita, quæ contumeliarum tolerata ludi-
,, bria; ut inſultantium ſputamina patienter excipe-
,, ret, qui ſputo ſuo cæci oculos paulo ante formaſ-
,, ſet: & in cujus nomine a ſervis nunc ejus diabo-
,, lus cum angelis ſuis flagellatur, flagella ipſe patere-
,, tur, coronaretur ſpinis, qui Martyres floribus co-
,, ronat æternis: palmis in faciem verberaretur, qui
,, palmas veras vincentibus tribuit: ſpoliaretur veſte
,, terrena, qui indumento immortalitatis ceteros ve-
,, ſtit: cibaretur felle, qui cibum cœleſtem dedit:
,, aceto potaretur, qui ſalutare poculum propina-
,, vit? Ille innocens, ille juſtus, immo innocentia
,, ipſa & ipſa juſtitia, inter facinoroſos deputatur;
,, & teſtimoniis falſis Veritas premitur, judicatur
,, judicaturus, & Dei Sermo ad victimam tacens du-
,, citur. Et cum ad crucem Domini confundantur
,, ſidera, elementa turbentur, contremiſcat terra,
,, nox diem claudat; Sol, ne Judæorum facinus
,, aſpicere cogatur, & radios & oculos ſuos ſub-
,, trahat: Ille non loquitur, nec movetur, nec
,, majeſtatem ſuam ſub ipſa ſaltem paſſione profite-
,, tur: uſque ad finem perſeveranter ac jugiter to-
,, lerantur omnia, ut conſummetur in Chriſto plena
,, & perfecta patientia. Et poſt iſta omnia adhuc
,, interfectores ſuos, ſi converſi ad eum venerint,
,, ſuſcipit: & patientia ſalutari ad conſervandum
,, benignus & patiens, Eccleſiam ſuam nemini clau-
,, dit: illos adverſarios, illos blaſphemos, illos nomi-
,, nis ſui ſemper inimicos, ſi pœnitentiam delicti
,, agant, ſi admiſſum facinus agnoſcant, non ſolum
,, ad indulgentiam criminis, ſed & ad præmium re-
,, gni cœleſtis admittit. Quod ſi & nos, fratres di-
,, lectiſſimi, in Chriſto ſumus, ſi ipſum induimus,
,, ſi ipſe eſt ſalutis noſtræ via: qui Chriſtum veſtigiis
,, ſalutaribus ſequimur per Chriſti exempla gradiamur:

*Qui cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur: tradebat autem judicanti ſe injuſte.*

Fructus Paſſionis Chriſti.

24. *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus: cujus livore ſanati eſtis.* Filius Dei peccatorum noſtrorum pœnas ut omnium hominum fidejuſſor in corpore ſuo pertulit, ut omnium peccata expiaret, æternique Patris juſtitiæ parem criminum gravitati, immo cumulatam ſatisfactionem offerret. Peccata noſtra in lignum extulit, ut ſanguine ſuo chirographum quod erat contrarium nobis, id eſt, damnationis æternæ reatum, ſanguine ſuo pretioſo deleret. Vulneribus crudeliſſimis confixus eſt, ut animarum noſtrarum vulnera ſanaret. *Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, cujus livore ſanati ſumus.* Mortuus eſt in cruce, ſemetipſum obtulit Patri ut victimam pro noſtris & totius mundi peccatis, ut nobis vitam juſtitiæ & gratiæ conferret, æternamque vitam & gloriam promereretur. Gratiæ fidejuſſoris noſtri, miſericordiæ Salvatoris noſtri ne obliviſcamur; tantis beneficiis ne ingrati ſimus. Agnoſcamus quam gravia ſint vulnera peccatorum noſtrorum; pro quibus neceſſe fuit Dominum vulnerari. Niſi enim hæc eſſent ad mortem, & mortem ſempiternam, Filius Dei pro eis non moreretur. Tam ſalutare, tam inæſtimabile remedium ne negligamus, ne illud nobis inutile contumacia noſtra, ingrati animi vitio, & perverſa voluntate medicinam reſpuente faciamus. Crux Chriſti nobis ſit limes & finis peccandi. In ipſa nobis mundus crucifixus ſit, & nos mundo. Vetere homine noſtro in ipſa crucifixo, deſtruatur corpus peccati, ut ultra non ſerviamus peccato, ſed juſtitiæ vivamus & ſerviamus. Non regnet ergo peccatum in mortali noſtro corpore ad obediendum concupiſcentiis ejus, ſed exhibeamus membra noſtra arma & inſtrumenta juſtitiæ Deo. Cruci Chriſti inhæreamus, & cum ipſo configamur, ejus mortificationem in corpore noſtro circumferentes. „ Crux enim Chriſti, quæ ſalvandis eſt impenſa mortalibus, & ſacramentum eſt „ & exemplum. Sacramentum, quo virtus impletur „ divina; exemplum quo devotio incitatur humana: quoniam captivitatis jugo erutis, etiam hoc „ præſtat redemptio, ut eam ſequi poſſit imitatio.

Iſai. 53. 5.

S. Leo, M. Serm. 60. De Reſurrect. Dom. 2.

Chriſtus bonus Paſtor animarum.

25. *Eratis enim ſicut oves errantes, ſed converſi eſtis nunc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum.* Omnes ſicut oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit. Non ſolum errabamus, ſed perieramus, ſpiritalium beſtiarum, nempe dæmonum incurſibus expoſiti, ſed bonus Paſtor animarum noſtrarum Jeſus Chriſtus Dei Filius e cœlo deſcendit, ut nos in deſerto hujus mundi errantes quæreret, & de faucibus luporum eriperet. Errantes ad ſe revocavit & reduxit: ad illum enim redire non poteramus, niſi gratia ſua nos traheret; converti ad illum non valebamus, niſi ipſe converteret. Quæſitos portat humeris ſuis, ſinu ſuo; paſcit verbo ſuo, Corpore & Sanguine ſuo, exemplis ſuis, Myſteriorum ſuorum veritate: Nos ut proprias oves vocat, dociles & obedientes voci ſuæ facit, protegit ac defendit: & per ſemitas mandatorum ſuorum ad paſcua æterna deducit. „ Sicut Paſtor gregem ſuum paſcet, in brachio ſuo congregabit agnos, & „ in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit. *Hic eſt* „ *de quo alter Propheta ait:* Hæc dicit Dominus „ Deus, Ecce ego ipſe requiram oves meas, & viſitabo eas: ſicut viſitat Paſtor gregem ſuum, in „ die quando fuerit in medio ovium ſuarum diſſipatarum, ſic viſitabo oves meas, & liberabo eas de „ omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerint in die „ nubis & caliginis, & educam eas de populis, & „ congregabo eas de terris, & inducam eas in terram ſuam, & paſcam eas in montibus Iſrael, „ in rivis, & in cunctis ſedibus terræ. In paſcuis „ uberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis Iſrael „ erunt paſcua earum... Salvabo gregem meum, & „ non erit ultra in rapinam, & judicabo inter pecus „ & pecus. Et ſuſcitabo ſuper eas Paſtorem unum, „ qui paſcat eas, ſervum meum David: ipſe paſcet „ eas, & erit eis in Paſtorem. “ Chriſtus ſcilicet vitam ſuam immolavit pro ovibus ſuis, & ut filios Dei deſperſos congregaret in unum, ut electos ſuos ex omnibus gentibus in unum corpus & in unam Eccleſiam per Spiritum ſanctum conjunctos, Scripturarum ſacrarum & Sacramentorum cibis ſalutaribus aleret, ac tandem deduceret in montes Iſrael, montes æternos, ubi inebriabuntur ab ubertate domus Dei, & torrente voluptatis, ac fonte vitæ potabuntur. Sunt quidem in Eccleſia multi Paſtores: ſed *Omnes boni Paſtores in uno ſunt, unum ſunt. Illi paſcunt, Chriſtus paſcit. In illis vox ipſius, in illis caritas ipſius.* Multi Epiſcopi, & omnes unus ſunt in Chriſto Epiſcopus, qui Eccleſiam ſuam regit, attenditque ſemper ejus utilitati ac defenſioni. Fideles ſuos ungit Spiritu ſancto ſuo, illoſque Deo conſecrat myſticos Sacerdotes; illos in ſacrificium offert Deo Patri, illorum vota & orationes, ceteraque bona opera virtute ſacrificii ſui ſanctificat, Sacerdos æternus. „ Qui Semetipſum obtulit, ut „ perfectiore vivaque pro totius mundi ſalute mactata hoſtia, veteris Teſtamenti ſacrificium aboleret. In quo idem ipſe homo fuit, ipſe ſacrificium, ipſe Sacerdos, ipſe altare, ipſe Deus, ipſe „ Rex, ipſe Pontifex, ipſe ovis, ipſe agnus, „ adeoque omnia in omnibus propter nos eſt factus, ut modis omnibus nobis vita ſuppeteret; „ ac Sacerdotii ſui conſtantem & immutabilem firmitatem in ſempiternum ſtatueret: ut non jam „ ſtirpis habita ratione ſucceſſiones diſtribueret; ſed „ ex juſtificatione conſervari, propagarique in Spirito ſancto ſingulari beneficio vellet. Qui ad Epiſcopatum aſſummuntur, cogitent ſe animarum Epiſcopos eſſe, non poſſeſſionum, viros Eccleſiæ, non divitiarum; omnia ſtudia ſua ad ſalutem animarum procurandam referri debere; nulli parcendum labori, ut illam promoveant; ipſam quoque vitam, ſi neceſſe ſit, pro ſalute ovium ipſis commiſſarum cum ſanguine profundendam, ad exemplum Chriſti ſummi Paſtoris.

S. Aug. Serm. 46. De Paſtoribus, cap. 13.

Omnes Paſtores ſunt unus Paſtor in Chriſto Jeſu. S. Epiphan. Hæreſi 55. quæ eſt Melchiſedechian. cap.

---

## CAPUT III.

### Senſus Litteralis.

1. 2. *Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis; ut & ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram.* Vos quoque, uxores, viris propriis vos ſubjicite, & in omnibus quæ Dei legi non repugnant, morem gerite: ut ſi qui verbo Evangelicæ prædicationis credere recuſant, uxorum ſuarum ſanctos mores, & caſtam converſationem cum reverentia erga maritos conjunctam conſiderantes, ea quaſi tacita prædicatione ad fidem amplectendam diſponantur, & Chriſto concilientur.

Confer cum Epheſ. 5. 22. 24 & Coloſſ. 3. 18. Confer cum 1. Ad Tim. 2. 9. 10.

3. 4. *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus: ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.* Ornatui & cultui externo ne immodice ſtudeant mulieres Chriſtianæ, cincinnis, & artificioſa diſpoſitione capillorum, aut auri ac gemmarum pompa & ſplendore, aut veſtium luxu & pretio ne glorientur: ſed ornando virtutibus Chriſtianis animo curas ſuas impendant, puritate ſcilicet incorruptibili, lenitate, ac modeſtia. Hunc cultum ac ornatum, qui apud Deum pretioſus eſt, conſectentur, ut illi placeant.

5. 6. *Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres, ſperantes in Deo, ornabant ſe, ſubjectæ propriis viris.* Hoc enim modo ſanctæ mulieres veteris Teſtamenti, quæ in Deum ſperaverunt, & illi placere ſtuduerunt, ſe ornabant, manſuetudine, modeſtia, ſilentio, obedientia quam maritis ſuis exhibebant. *Sicut Sara obediebat Abrahæ * dominum eum vocans: cujus eſtis filiæ benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem.* Sic Sara generis veſtri mater obediebat Abrahæ, dominum vocare ſolita. Sara (inquam) cujus filiæ ſecundum ſpiritum eſtis, ſi virtutes ejus imitemini: nec ullo metu a ſtudio pietatis, pudicitiæ, modeſtiæ, obedientiæ vos abduci patiamini.

* Confer cum Geneſ. 12. 5. & 18. 6. & 12.

7. *Viri ſimiliter cohabitantes * ſecundum ſcientiam quaſi infirmiori vaſculo * muliebri impartientes honorem, tanquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes veſtræ.* * Mariti viciſſim ſapienter, & ſecundum rectam rationem, ac Dei legem cohabitent & converſentur cum uxoribus ſuis, illas ob ſexus infirmitatem honeſte, humane, & prudenter tractantes, tum in domeſtico regimine, & convictu, tum in uſu conjugii: ut non impediantur orationes veſtræ jurgiis, rixis, diſſidiis, incontinentia. Ad hunc porro honorem uxoribus impertiendum ea ratio viros adducere debet, quod ejuſdem gratiæ participes ſint mulieres, & ad vitæ æternæ hereditatem pariter a Deo vocatæ.

* Omnia conjugum inter ſe officia hoc vocabulo ſignificantur.
* Corpus, tam viri, quam mulieris, vaſis nomine in Scriptura ſacra non ſemel appellatur.
* Confer cum 1. Cor. 7. 5.

8. 9. *In fine autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles.* Denique unius animi eſtote, nullus ſit inter vos diſſenſioni ac diſcordiæ locus; alii aliorum malis affectu mutuo condolete; fratres Chriſtianos præcipua caritate diligite; ad miſericordiam & indulgentiam propenſi, manſueti & humiles ſitis. *Non reddentes*



*dentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed e contrario benedicentes: quia in hoc vocati eſtis, ut benedictionem hæreditate poſſideatis.* Injuria affecti, voſmetipſos nec verbis nec factis ulciſcamini; ſed e contrario bene precamini & benefacite illis qui vos lædunt aut maledictis impetunt; quia ad hæreditatem cæleſtis benedictionis, & poſſeſſionem æternorum bonorum, a Deo vocati eſtis.

10. 11. 12. 13. *Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam ſuam a malo, & labia ejus ne loquantur dolum. Declinet a malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & ſequatur eam: Quia oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum: vultus autem Domini ſuper facientes mala.* Qui enim vitam vehementer diligit, & dies tranquillos & proſperos deſiderat, cohibeat linguam ſuam a maledicentia, & labia ſua a ſermone doloſo & mendaci, quo circumvenitur proximus. Declinet a peccato, & operetur quod bonum eſt: ſummo ſtudio & ſolicitudine quærat pacem, & ſectetur eam. Juſtos enim Dominus benignis & faventibus oculis reſpicit, curam eorum gerit, ac eorum preces propitius exaudit: contra vero peccatoribus vultu ad ſeveritatem compoſito pœnas proxime infligendas comminatur. *Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?* Et quis eſt, qui vobis verum nocumentum inferre valeat, ſi vitam veſtram ad omnis boni, virtutiſque normam ſummo ſtudio componatis?

Pſalm. 33. 13. & ſeq. ſecundum Verſionem LXX. Interp.

14. *Sed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati.* Sed ſi etiam vos affligi propter juſtitiam ac pietatem contingat, beati eritis. *Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.* Ceterum ne timueritis mala quæ vobis intentant perſecutores, & terribilibus illorum minis ne conturbemini: ſed tranquillo & coſtanti animo eſtote.

15. 16. *Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe.* Domini Jeſu Chriſti ſanctitati gloriam reddite, illique laudem dicite & gratias agite ex intimo pii cordis affectu. Parati vero eſtote ad reſpondendum pro defenſione veſtra omnibus a vobis poſcentibus rationem ſpei quam in Chriſtum habetis, ſive fidei quæ vos ſperare docet vitam & gloriam æternam in cœlo. Parati (inquam) eſtote ad reſpondendum, ſive bono animo interrogantibus diſcendi gratia, ſive malo animo, nempe Magiſtratibus infidelibus auctoritate judiciaria, ſpei veſtræ, quam inanem eſſe putant, rationem a vobis exigentibus. Sed cum *modeſtia, & timore, conſcientiam habentes bonam, ut in eo quod detrahunt vobis, confundantur, quia calumniantur veſtram bonam in Chriſto converſationem.* Reſpondete autem verbis placidis & modeſtis, & cum reverentia perſonis debita pro cujuſque conditione vel dignitate: bonam conſcientiam in omni actu ſervantes, quæ loquendi fiduciam præbet: ut qui detrahunt vobis, & vitam quam ſecundum Chriſti Evangelium ducitis calumniantur, tamquam ſceleratam & maleficam, pudore afficiantur, & obmuteſcere cogantur, cum ex morum veſtrorum innocentia & converſationis veſtræ puritate, Religionis Chriſtianæ, quam profitemini, ſanctitas eluxerit.

17. 18. *Melius eſt enim benefacientes (ſi voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes.* Utilius, glorioſius, & optatius eſt pro juſtitia pati (ſi Deus ita decreverit conſilio voluntatis ſuæ) quam propter crimina. *Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus * eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret * Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu.* * Siquidem & ipſe Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris paſſus eſt, ut nos ad Deum adduceret, illique offerret, mortuus quidem carne, virtute autem divinitatis ſuæ, ſive Spiritus ſancti, ſive animæ ſuæ beatæ in corpus redeuntis, & illi vitam novam ſubminiſtrantis, ad vitam immortalem & glorioſam reſuſcitatus. Chriſtum porro *ſemel* paſſum pro omnium hominum peccatis paſſione mortis dicit, ut mortis ejus efficaciam ſignificet: quæ ſemel oppetita vim habet infinitam abolendi omnia omnium hominum & omnium temporum peccata.

* Græce, ἔπαθεν, *paſſus eſt.*
* Græce προσαγάγῃ τῷ Θεῷ, *Ut nos adduceret Deo*, ſicque legit S. *Aug. Ep. 164. alias 99. c. 6.* & alibi.
* Confer cum 2. Cor. 13. 4. *Nam etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed vivit ex virtute Dei.*

19. 20. *In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit: Qui increduli fuerant aliquando, * quando exſpectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt, octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.* Per quem, vel, ſecundum quem ſpiritum deſcendens ad inferos, animabus juſtorum in Limbo detentis, & in Purgatorio reliquias peccatorum ſuorum pœnas luentibus, redemptionem ſuam, perfectamque liberationem annuntiavit: e quarum numero erant illorum animæ, qui exhortationibus & admonitionibus Noe diluvium Dei nomine denuntiantis fidem adhibere noluerant, de Dei patientia & longanimitate præſumentes toto tempore quo fabricabatur arca: Qui tamen diluvio terram inundante ad Deum per pœnitentiam converſi, & miſericordiam illius implorantes, remiſſionem peccatorum obtinuerant, & in Purgatorium carcerem, pœnas temporales luituri, miſſi fuerant; cum octo dumtaxat perſonæ, ſcilicet Noe & uxor ejus, tres ejus filii, & eorum uxores, ſalvæ factæ ſint in medio aquarum arcam ferentium, ceteris ab aqua abſorptis & pereuntibus. Vide S. Hieronymum in Quæſt. Hebraicis in Geneſ. ad illum Verſum cap. 6. ſecundum Hebraicum Textum: *Non judicabit Spiritus meus homines iſtos in ſempiternum, quia caro ſunt.*

* Secundum Græcum, *Quando exſpectabat Dei patientia.* Sic legerunt S. Hieronym. Comment. in cap. 54. Iſaiæ; & S. Auguſtin. Epiſt. 164. Verſio Syriaca: *Cum longanimitas Dei præcepit ut fieret arca, ob ſpem Pœnitentiæ eorum.* Æthiopica: *Cum exſpectabat eos patientia Dei.* Ita etiam habet Miſſale Romanum in Epiſtola Feriæ 6. poſt Paſcha.

Vel, Spiritu divinitatis ſuæ veniens per internas inſpirationes, & per externas adhortationes ac admonitiones juſti Patriarchæ Noe, & per ipſius arcæ fabricam, prædicavit Pœnitentiam animabus incredulis, quæ in carne, velut in carcere, & tenebris ignorantiæ, vinculiſque peccatorum detinebantur, cum illas Dei patientia & longanimitas expectaret toto tempore quo fabricabatur arca. *Chriſtus enim nondum venerat in carne, ſicut venit quando poſt hæc in terra viſus eſt & cum hominibus converſatus eſt. Verumtamen ab initio generis humani, vel ad arguendos malos, ſicut ad Cain, ac prius ad ipſum Adam uxoremque ejus, vel ad conſolandos bonos, vel ad utroſque admonendos, ut alii ad ſalutem ſuam crederent, alii ad pœnam ſuam non crederent, ipſe utique non in carne, ſed in Spiritu veniebat, viſis congruis alloquens quos volebat, ſicut volebat.*

S. Auguſt. Epiſt. 164. alias 99. Ad Evodium. Vener. Beda in Comment. S. Thomas, 3. p. q. 52. Art. 2. ad 3.

Vel, Præſentiam ſuam exhibuit, & mortis ſuæ ac proxime futuræ reſurrectionis ſuæ virtutem manifeſtavit animabus, juſtis quidem ad ſolatium & liberationem, damnatis autem ad terrorem & ſupplicii cumulum: inter quos erant illi increduli, qui temporibus Noe Dei patientiam contempſerant.

21. 22. *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit Baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio * in Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti.* Cui figuræ reſpondet Baptiſmus nobis ſalutem afferens: non externa tantum carnis ablutione, ſed promiſſione Deo facta cuſtodiendi conſcientiam puram: ſalvos (inquam) nos facit Baptiſmus per Reſurrectionem Jeſu Chriſti, quæ nobis formam exhibet reſurgendi ad juſtitiam & vitæ novitatem. *Qui* (nempe Chriſtus) *eſt in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ hæredes efficeremur: Profectus in cœlum, ſubjectis ſibi angelis, & poteſtatibus, & virtutibus.* Qui deſtructa morte, ut nos vitæ æternæ heredes faceret, aſcendit in cœlum & eſt ad dexteram Dei, ſupremam in ejus regno poteſtatem, gloriam, & dignitatem obtinens, tamquam a Deo ſecundus, ſubjectis ei a Patre omnibus Angelorum Ordinibus. Quod de Chriſto ſecundum humanam naturam S. Petrus dixit, cum Coapoſtolo Paulo conveniens ad *Hæbreos cap. 2. Verſ. 7. & 8.*

* *ſtipulatio, arrabo, pignus, demonſtratio*, ut exponit Oecumenius.

---

## CAPUT III.

### Senſus Moralis.

1. 2. *Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis: ut & ſi qui non credunt verbo, per mulierum converſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore caſtam converſationem veſtram.* „ Quod mulier viro ſubjecta ſit ut capiti, ut directori, lex naturæ eſt; quod illi ſubdatur ut domino, pœna peccati eſt, *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui* (ait Deus primæ mulieri poſt ejus peccatum) *Maritum* igitur *habere dominum meruit mulieris non natura, ſed culpa: Quod tamen niſi ſervetur, depravabitur amplius natura, & augebitur culpa.* Servitus iſta conditionis eſt, ſed eam lex evangelica levem facit per gratiam Sacramenti, quæ præſtat ut cum ſervitute dilectionis conjuncta ſit. Chriſtianæ itaque mulieres viris ſuis in omnibus ſubjectæ ſint, *ſicut Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto*: ipſis fidem, reverentiam, & obedientiam ſervent. Alienos viros blandis obſequiis demereri, vel illis placere ne ſtudeant: Chriſtum in ſuis revereantur, timeant, diligant: nulli deſint officio conjugali, pareant illis *in omnibus* ſecundum rationem & Dei legem, non ſecundum nefariam cupiditatem: *Sicut oportet, in Domino.* Mariti abſentiam timeat uxor, præſentiam revereatur. Oculi ejus, cor ejus, deſiderium ejus, ad maritum unice convertantur, *Ad virum tuum converſio tua* (inquit ſacer Textus. *) Caſtitate ſua manſuetudine, modeſtia, dilectione, rei familiaris cura, pietate, patientia illum ſibi conciliet, Chriſto lucrari ſatagat. Mulieri-

S. Paulus Epheſ. 5.

Coloſ. 8. 31.

* Geneſ. 2. ſecundum Verſionem LXX. Interpretum.

lieribus in Eccleſia ſilentium indicitur, ſed viros ſančta converſatione ſua docere, ad virtutis amorem, & ad omnia Chriſtianæ vitæ officia traducere poſſunt. Bonum exemplum mulieris, domeſtica prædicatio, Concionatorum eloquentia, & Doctorum argumentis plerumque efficacior ad converſionem & ſanctificationem mariti. Sic Cæcilia Virgo & Martyr Valerianum ſponſum ſuum; ſic Monica Auguſtini mater maritum infidelem; ſic Clotildis Clodoveum Regem Francorum, ſic aliæ Chriſtianæ mulieres non paucæ viros ſuos ſančta converſatione & domeſticis virtutum exemplis Chriſto lucrifecerunt.

*Oecumenius in Comment.*

*Efficacior eſt demonſtratio per opera quam ſedulitas anxia quæ eſt in verbis: & mutum opus præſtantius eſt ſermone operibus deſtituto.*

*Modeſtia Chriſtianarum mulierum in habitu & cultu.*

3. 4. 5. 6. *Quarum non ſit extrinſecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus; ſed qui abſconditus eſt cordis homo, in incorruptibilitate quieti & modeſti ſpiritus, qui eſt in conſpectu Dei locuples.* Immoderatus & nimis exquiſitus ornatus & cultus corporis, Chriſtianas mulieres dedecet. Immemores ſunt vocationis ſuæ, cum ornando corpori nimis ſtudent. Caſtitatem profitentur; & alienæ, pudicitiæ inſidiantur, cum formam emendicatis ab arte lenociniis elaboratam, & ſplendore veſtium auro intertextarum oculos virorum præſtringentem oſtentant. Ad humilitatem inſtituuntur a Chriſti Evangelio, & vanitati ac gloriæ ſæculi ſtudent. Paupertas ſpiritus illis præcipitur, & in veſtium luxu pretium ingens impendunt, vel ſuſtentandæ familiæ, vel ſolvendis debitis, vel ſublevandis pauperibus neceſſarium, contra juſtitiam & caritatem graviter peccantes. Quid alteri concupiſcentiam importas, o mulier?

*Tertull. l. De cultu Feminarum.*

*Periit ille ſimul ut tuam formam concupierit, & facta es tu gladius illi: ut etſi a culpa vaces, ab invidia non libereris. Ut cum in alicujus agro latrocinium geſtum eſt, crimen quidem dominum non continget: dum rus tamen ignominia notatur, ipſe quoque in familia aſpergitur*, „ Verum „ etſi timenda non eſſet dignitas formæ, ut nec poſ„ ſidentibus gravis, nec appetentibus exitioſa, nec „ conjunctis periculoſa, non expoſita tentationibus, „ non circumdata ſcandalis; ſufficit quod Angelis „ Dei non eſt neceſſaria. Viderit quem juvat de carne gloriari. *Nobis autem primo quidem nullum gloriæ ſtudium eſt, quia gloria exaltationis ingenium eſt. Porro exaltatio non congruit profeſſoribus humilitatis ex præſcriptis Dei. De hinc ſi omnis gloria vana & ſtuporata, quanto magis quæ in carne?* Chriſtianis præſertim. *Nam etſi gloriandum eſt, in ſpiritus bonis, non in carne placere velle debemus, quia ſpiritalium ſectatores ſumus. Quibus operamur, illis gaudeamus. De his gloriam carpamus; de quibus ſalutem ſperamus. Plane gloriabitur Chriſtianus etiam in carne, ſed cum propter Chriſtum lacerata duraverit, ut ſpiritus in ea coronetur, non ut oculos & ſuſpiria adoleſcentium poſt ſe trahat*... Sanctæ feminæ, ſolis maritis veſtris placere debetis. In tantum autem eis placebitis, in quantum aliis placere non curaveritis. *Uxor nulla deformis eſt marito ſuo. Satis placuit, cum electa eſt, ſeu moribus, ſeu forma commendata. Ne qua veſtrum putet, ſi temperaverit a compoſitione ſui, odium & averſionem maritorum proſecuturam. Omnis maritus caſtitatis exactor eſt. Formam vero fidelis non expoſtulat, quia non iiſdem bonis, quæ Gentiles bona putant, capimur... Omnem hanc ornatus ſervitutem a libero capite depellite. Fruſtra laboratis ornatæ videri. Fruſtra peritiſſimos quoſque ſtructores capillaturæ adhibetis. Deus vos velari jubet: credo ne quarumdam capita videantur.* Ornandus animus, templum & imago Dei. Inquietum & immodeſtum animum demonſtrat ornatus & cultus exterioris immodeſtia. Saræ matris veſtræ ſecundum fidem, aliarumque ſanctarum mulierum exempla ſectemini, quæ caſtitatem & modeſtiam externo cultu & habitu præferebant, & viris propriis obedientes, nemini niſi ipſis ſecundum Deum; ipſi autem Deo ſuper omnia placere ſtudebant. *Sic enim aliquando & ſanctæ mulieres, ſperantes in Deo ornabant ſe, ſubjectæ propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans.*

7. *Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam,*

Maritorum erga uxores officia.

*quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes veſtræ.* Maritorum erga uxores officia, ex quibus pax domeſtica, & mutua pendet ſanctificatio, accurate deſcribit & commendat Apoſtolorum Princeps. 1. Ne uxores contemnant & vilipendant ſive ob deformitatem, ſive ob infirmitates animi vel corporis, ne illas ut ancillas tractent, ſed ut individuas vitæ ſocias honorent & diligant. (Neque enim ſincere amare poſſumus, quos contemnimus.) Eas honeſte & leniter tractent, non verbis aſperis & contumelioſis, multo minus verberibus affligant. Sic fragiliora vaſa leniter tractamus, ne frangantur. 2. Uxorum curam gerant, ne quid illis deſit neceſſarium perſonæ, aut ſtatus ſuſtentationi ac decoro.

*Oecumenius in Comment.*

3. Rerum domeſticarum curam cum dignitate quadam illis permittant, nec difficiles ſint ac moroſi in diſquirendis earum expenſis, nec illarum erga pauperes beneficentiam impediant. 4. Ut ſapienter eas regant, nec inordinatis eorum affectibus obſecundent, ut primus Parens Evæ, putans venialiter ſe tranſgreſſorem fore divini præcepti, ſi vitæ ſociam non deſereret etiam in ſocietate peccati: illique *non ſecundum ſcientiam* condeſcendens: quo condeſcenſu & cecidit ipſe a felici innocentiæ ſtatu, & totum genus perdidit. Sic alienigenis uxoribus morem gerens Salomon in idololatriam lapſus eſt. Sic impiæ crudelique Jezabeli obſecutus Achab Rex Iſrael, miſerrime periit, 5. Mariti uxores, quaſi conſilii inopes ſuis præceptis ac monitis in officio contineant; & illarum vitia prudenter leniterque corrigant; leviora quædam, quæ utcumque tolerari poſſunt, partim diſſimulent, partim ferant caritate conjugali. Sic ſanctus Job improbam uxorem: ſic David Rex arrogantem Michol, corripuerunt & ſuſtinuerunt. 6. Ne temerariis ſuſpicionibus, & inſana zelotypia injuriam faciant ſapientibus & caſtis uxoribus. *Non zeles mulierem ſinus tui, ne oſtendat ſuper te malitiam doctrinæ nequam.* *Eccli. 9. 1.* Zelotypiæ morbus & maritum & uxorem miſeros facit. Vir zelotypus uxoris honori derogat, fidem illius conjugalem temere ſuſpectam habens. Felix uxor *in quo confidit cor viri ſui*. Felix talis uxoris conſortio maritus, Quæ *Reddet ei bonum & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ*, *Proverb. 31. 10* 7. Honeſte, caſte, temperanter conjugio utantur, modum & finem ratione & lege Dei præſcriptum ne tranſiliant, ne ad uxores petulanter & impudenter quaſi ad meretrices accedant. Illorum hæreat animis antiqui Patris ſententia. *Adulter eſt ardentior amator uxoris.* 8. Mariti uxores honorent ut gratiæ Chriſtianæ comparticipes, & ad vitæ æternæ hæreditatem pariter vocatas; & in omnibus ita converſentur, ut ſibi invicem non ſint impedimento, imo ſint adjumento & exemplo ad orationem, & cetera Chriſtianæ vitæ officia. *Infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem, tamquam & coheredibus gratiæ vitæ: ut non impediantur orationes veſtræ.*

8. 9. *In fine autem omnes unanimes, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles.*

Caritatis caracteres.

Summa Chriſtianæ pietatis, caritas, quæ fideles tam arcte conjungit, ut ſint *anima una & cor unum* in Deo. *Unanimes.* 2. Commiſerationem ipſis inſpirat, & ſanctam ſympathiam, qua malis & bonis aliorum non minus afficiuntur, quam propriis; gaudent cum gaudentibus, flent cum flentibus, omnibus quavis calamitate afflictis compatiuntur. *Compatienties* 3. Efficit ut Chriſtiani ſibi mutuo opitulentur, ut fratres ex eodem patre Deo, eodemque Spiritu, in Chriſto Jeſu regenerati. *Fraternitatis amatores.* 4. *Luc. 17. 6.* Promptos & faciles facit ad miſericordiam quæ erogando pecuniam, vel ignoſcendo injuriam exercetur. *Miſericordes.* Hæc duo miſericordiæ genera Deus in præcepto conjunxit. *Dimittite, & dimittetur vobis*, miſericordia eſt ignoſcentis. *Date, & dabitur vobis*, miſericordia eſt erogantis.

*S. Aug. Serm. 259. alias ex Sirmondianis 19.*

5. Caritas impedit ne propter bona naturæ, fortunæ, vel gratiæ nos ſuper alios extollamus: immo facit ut infra omnes, non ſolum æquales, ſed etiam inferiores, non deprimamus. *Modeſti, humiles.* Benignitas, affabilitas, modeſtia, humilitas, comites ſunt individuæ caritatis. Quo profundius eſt fundamentum humilitatis, eo celſius aſſurgit faſtigium caritatis. 6. Caritas ultionem neſcit, bonum malo, benedictionem maledictioni, preces perſecutionibus, beneficia odio & injuriis rependit, quod Chriſtus Magiſter & Dominus noſter verbo & exemplo nos docuit. Dilectio inimicorum propria virtus eſt & nota Chriſtianorum. Inaniter ſperat ſe noviſſimæ benedictionis Chriſti, qua electi ad regni cœleſtis poſſeſſionem vocabuntur, heredem futurum, qui caritatem illius imitari recuſat. *Non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed e contrario benedicentes; quia in hoc vocati eſtis, ut benedictionem hereditate poſſideatis.*

10. 11. 12. 13. *Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam ſuam a malo, & labia ejus ne loquantur dolum.*

Lingua a malo cohibenda.

Nemo non diligit vitam, & quidem diuturnam. Nemo non deſiderat dies bonos, felices ac lætos. Bonam rem quærit, ſed non in regione ejus illam quærit. *Semper dies mali in ſæculo, ſed ſemper dies boni in Deo.*

*S. Aug. Enarr. 2. in Pſal. 33. num. 17.*

Dies boni, dies æternæ felicitatis in gloria cœleſti. Hos pauci diligunt, ſiquidem linguam ſuam non cohibent a detractione & dolo. Frequens apud Chriſtianos detractio, rara retractatio, humiliſque pro damno famæ proximis illato ſatisfactio. *Exacuerunt ut gladium linguas ſuas, intenderunt arcum rem amaram,* *Pſalm. 63.* *ut ſa-*



*ut ſagittent in occultis immaculatam. Subito ſagittabunt eum, & non timebunt, firmaverunt ſibi ſermonem nequam: narraverunt ut abſconderent laqueos, dixerunt. Quis videbit eos?* Cohibenda omnino lingua eſt a blaſphemia, calumnia, detractione, ſuſurratione, conviciis, verbis impudicis, mendacibus, doloſis, proditoriis, adulatoriis, ſi vitam æternam, & dies bonos, felices, lætos, nulla nocte finiendos, in Deo habere volumus. Sed heu! „ Tota die inju„ ſtitiam cogitavit lingua tua, ſicut novacula acuta „ feciſti dolum. Dilexiſti malitiam ſuper benignita„ tem, iniquitatem magis quam loqui æquitatem. „ Dilexiſti omnia verba præcipitationis, lingua do„ loſa. Propterea Deus deſtruet te in finem: evellet „ te, & emigrabit te de tabernaculo tuo, & radicem „ tuam de terra viventium.

*Pſal. 51. 4. & ſeq.*

„ Ante te eſt æquitas, „ ante te eſt iniquitas; linguam habes, quo vis eam „ vertis; quare ergo potius ad iniquitatem, & non „ ad æquitatem? Cibos amaritudinis non das ventri „ tuo, & cibos iniquitatis das linguæ tuæ malignæ? „ Sicut eligis quod veſcaris, ſic elige quod loqua„ ris. Cave ne te Deus deſtruat in finem, ne evel„ lat te, quia radicem non habes in terra viventium. *Radix noſtra, caritas noſtra: fructus noſtri, opera noſtra: opera tua de caritate procedant, tunc eſt radix tua in terra viventium.*

*S. Auguſt. in hunc Pſal.*

Chriſtianæ juſtitiæ officia.

*S. Aug. l. contra Adimantum, c. 26.*

Ut germinet, fructuſque pariat æternitate dignos, peccatum fuge, virtutem ampleƈtere, bonum operare. Eſto arbor bona, fructus bonos profer. Mala arbor fructus bonos facere non poteſt, ſed ex mala fieri bona poteſt, ut bonos fructus ferat. *Declinet a malo, & faciat bonum.* His duabus partibus Chriſtiana juſtitia conſtat. Qui ad illam pervenerunt, aut pervenire nituntur, ad cœleſtem patriam ſine intermiſſione ſuſpirant, pacem æternaque bona ardenter deſiderant: pacemque interim ſectantur cum Deo, nihil admittentes, nec deſiderantes quidem, quod cum divina gratia & caritate pugnet; pacem in ſemetipſis, ut omnes animi ſui motus compoſitos habeant & ſubditos legi mentis, & carnales concupiſcentias habentes edomitas, fiant regnum Dei; & quod excellit in homine, id eſt mens & ratio, ſubjiciatur potiori, quod eſt ipſa Veritas unigenitus Filius Dei: pacem denique cum proximo, nullis inimicitiis, nullis diſſidiis, nullis rixis, nullo frigore caritatis ſolvendam, *Inquirat pacem, & ſequatur eam.* Qui ſic affecti ſunt, ſingulari Dei cura, vigilantia, patrocinio, & beneficentia digni ſunt: ſed nemo dignus eſt, niſi quem dignum Deus fecerit, prior diligens, & in corde illius diffundens caritatem qua redametur; formanſque orationem quæ exaudiri mereatur. *Quia oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum.* Malos contra intuetur, quantaſcumque factis ſuis tenebras ſuperſtruxerint, quantoſcumque dolos in corde ſuo abſconderint; videt ut teſtis oculatiſſimus, ut Judex incorruptus, videt ad eorum perditionem, niſi pœnitentiam agant, & bonum operentur; dum tempus eſt. *Vultus autem Domini ſuper facientes mala.* Ne conturbentur juſti, cum improbos in hoc ſæculo florere vident, in honore eſſe, bonis temporalibus abundare, ſe vero illorum perſecutionibus expoſitos.

*Pſalm. 36. 9.*

*Inimici* enim *Domini mox ut honorificati fuerint & exaltati, deficientes quemadmodum fumus deficient.* Juſti vero terram, iſta in qua mortales vivimus, meliorem, hereditate obtinebunt, & delectabuntur in multitudine pacis. Nulla nobis vere nocere poteſt adverſitas, ſi nulla nobis dominetur iniquitas. Qui Deo per innocentiam ſinceramque pietatem probatus eſt, nihil ab hominibus malis timendum habet.

*S. Chryſoſtom.*

*Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (ait S. Paulus,) *Nemo læditur niſi a ſemetipſo.* Fidei oculis temporalia damna intuere: lucra ſunt homini Chriſtiano & juſto. *Et quis eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis?*

14. 15. 16. *Sed & ſi quid patimini propter juſtitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini.*

Magna fœlicitas pro fide & juſtitia pati.

Bonum patientiæ, beatitudinem ex rebus adverſis propter Deum toleratis conſequentem, ſeu cum illis conjunctam, mundus non cognoſcit. Siquidem ſe miſeros ut plurimum putant homines in afflictionibus, conqueruntur, murmurant, perturbantur, animo cadunt. Felices qui nihil patiuntur, ait mundus: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*, ait Chriſtus. Quis felices dixerit inſignes illos, quibus mundus arridet, peccatores, qui *dicunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad infernum deſcendunt?* Pati pro juſtitia, glorioſum eſt. Moleſtias hujus vitæ, tormenta, mortem ipſam pro fide & juſtitia non pertimeſcit Chriſtianus, cujus animus in Deo per fidem & caritatem firmatus eſt. Qui de Religione & juſtitia Chriſtiana erubeſcit, gloriam & honorem debitum ſanctitati & magnitudini Dei non reddit, nec illam, ut par eſt, ſincero cordis affectu colit, operibuſque prædicat. De ſpe ſua confunduntur, qui in rebus terrenis illam collocant, qui hominibus confidunt, qui de ſuis viribus præſumunt; non illi qui bona æterna ſperant, quorum omnis fiducia in Dei promiſſis, gratia, & protectione eſt. De fide & ſpe ſua rationem reddere poſcentibus quiſque ſecundum ſtatum ſuum & modum poteſt, qui recte inſtitutus eſt in Religione Chriſtiana Catholica, & cujus in animo fides & ſpes vivunt & radices egerunt.

Quomodo paratus eſſe debeat Chriſtianus omnis ad rationem de fide ſua reddendam.

*S. Aug. l. 14. De Trin. c. 1.*

Dent operam Paſtores ut noverint omnes & ſinguli curæ ipſorum commendati *qui credere debeant propter adipiſcendam vitam beatam*, tametſi omnes ſcire non poſſint *quemadmodum hoc ipſum & piis opituletur, & contra impios defendatur.* Chriſtianos omnes Theologiæ ſcientia pollere non eſt opus ad ſalutem, ſed fide & ſpe viva inſtructos eſſe neceſſe eſt, & promptos ac paratos eſſe ad reddendam rationem generalem eorum quæ credunt & ſperant, ex principiis generalibus fidei, quæ nemo Chriſtianus Catholicus ignorare ſine culpa ſua poteſt: & ad fidem conſtanter profitendam ac retinendam in perſecutionibus. *Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris, parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea quæ in vobis eſt ſpe.*

*Beda in Comment.*

„ Duobus modis (ait Venerabilis Beda) de ſpe & „ fide noſtra rationem poſcentibus reddere debemus, „ ut & juſtas ſpei ac fidei noſtræ cauſas omnibus „ intimemus, ſive fidelibus, ſive infidelibus quæren„ tibus: & ipſam fidei ac ſpei noſtræ profeſſionem „ illibatam ſemper teneamus, etiam inter preſſuras „ adverſantium, oſtendentes per patientiam quam „ rationabiliter eam ſervandam didicerimus, pro „ cujus amore nec adverſa pati, nec mortem ſubire „ formidemus. In ratione porro fidei & ſpei noſtræ infidelibus reddenda, aut inſtruendis rudibus arrogantia & oſtentatio vitanda eſt, modeſtia & humilitas ſervanda; & Religioni quam profitemur, conciliandа reverentia eſt ſancta converſatione & inculpatis moribus, tam apud domeſticos fidei, quam apud infideles & inimicos. *Sed cum modeſtia & timore conſcientiam habentes bonam: ut in eo quod detrahunt de vobis, confundantur, quia calumniantur veſtram bonam in Chriſto converſationem.*

17. 18. *Melius eſt enim benefacientes (ſi voluntas Dei velit) pati, quam malefacientes. Quia & Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo, mortificatus quidem carne, vivificatus autem ſpiritu.*

Quo animo adverſa pati debeant Chriſtiani.

Pro peccatorum ſuorum expiatione hujus vitæ moleſtias patienter ferre, aut carnem ſuam ſpontaneis macerationibus affligere, gratia Dei eſt Pœnitentibus communis. Pro juſtitia pati, gratia ſingularis Martyrum. Ad aliena peccata delenda & expianda innocentem pati, gratia eſt hominis Dei propria; qui & pœnitentiam in ſemetipſo dedicavit pro nobis omnibus paſſus, juſtus pro injuſtis; & paſſione ac morte ſua Martyres initiavit, animavit, roboravit. Cum res adverſas patimur, Dei voluntati nos ſubjiciamus, qui nos vult pati vel ad probationem & exercitationem virtutis, vel ad expiationem peccatorum noſtrorum. Indigni ſumus qui patiamur ut Martyres: patiamur ut pœnitentes. Chriſto pro nobis morienti conformemur, cupiditates noſtras clavis ipſius configamus; peccato & mundo moriamur, carne mortificati, ſpiritu vivamus cum Jeſu, ut nos quaſi ſpiritales victimas offerat Deo Patri ſummus Sacerdos noſter. Chriſtus ſemel pro nobis mortuus eſt; nobis quotidie propter ejus gloriam moriendum eſt amoris pœnitentis præparatione, ut mortis ejus fructum perpetuo percipiamus, Nam, ut ait ſanctus Ambroſius, *Chriſtus ſemel quidem pro peccatis populi mortuus eſt, ſed quotidie peccata populi redempturus.*

19. 20. *In quo & his, qui in carcere erant, ſpiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando exſpectabant Dei patientiam in diebus Noe, cum fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt octo animæ ſalvæ factæ ſunt per aquam.*

*S. Ambroſ. l. 20. in Luc. n. 8.*

„ Bonus Paſtor „ oves ſuas quæſiturus in inferiores terræ partes pe„ netravit. Deificata Chriſti anima ad inferos deſcen„ dit, ut quemadmodum iis qui in terra verſaban„ tur, juſtitiæ Sol ortus erat, ita etiam iis qui infra „ terram in tenebris & umbra ſedebant, illuceret: & „ quemadmodum his, qui in terra erant, pacem, „ captivis remiſſionem, cæcis viſum evangelizaverat; „ atque iis quidem qui fidem ipſi adhibuerant, æter„ næ ſalutis autor extiterat; eorum autem qui con„ tumaces & incredulos ſe præbuerant, infidelitatem „ coarguerat; ſic etiam iis qui in inferno erant: ut „ ipſi omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, „ & infernorum... Ne quis vero exiſtimet eos qui olim increduli fuerant, & in infidelitate mortui, fructum mortis ejus percepiſſe, & ex inferno damnatorum liberatos a Chriſto ad inferos deſcendente; ſed eos ſolum qui crediderant, & vitam ſuam bonis operibus adornantes, ſeipſos ita præparaverant, ut ſi

Chriſti deſcenſus ad inferos.

*S. Joan. Dam. l. 3. De Fide, cap. 29.*

eorum

eorum temporibus adveniſſet, explicite in eum credidiſſent, ejus prædicationem audientes & miracula videntes. *Non enim hereditarie habetur ſalus, quandoquidem licet ad viventes omnes venerit, non tamen omnes ſalvat, ſed eos tantum qui crediderint*. Etenim quamvis præparetur voluntas a Domino ut credant, fideſque ſit Dei donum, *eſt* tamen *etiam opus liberæ voluntatis ſingulorum, ut cum rationales ſint, non inſenſibiliter ſe habeant ad magnificentiam ejus qui tale donum præſtitit, ſed ſe dignos præbeant dantis bonitate*. Opportune autem meminit, Apoſtolorum Princeps incredulitatis hominum qui diluvii tempore vivebant, ut ex Scriptura demonſtret quod *Ab initio prædicabatur hominibus ſalus, ſed deſpiciebatur ob declinationem ipſorum ad vana & voluptuoſa. Cum enim illo tempore innumerabiles eſſent homines, octo ſolum credentes his quæ per arcæ præparationem prædicabantur, ſervati fuerunt*.

*Oecumenius in Comment.*

Quamvis initium fidei non ſit ab homine, gratiæ tamen fidei homo libere cooperatur.

21. 22. *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti, Qui eſt in dextera Dei, deglutiens mortem, ut vitæ æternæ heredes efficeremur: profectus in cœlum, ſubjectio ſibi Angelis, & Poteſtatibus, & Virtutibus*. Baptiſmus diluvio adumbratus, corpus lavat, animam purificat, veterem Adamum in aqua ſepelit, peccata ſubmergit, nos per crucem Chriſti, cujus arca typus erat, in Eccleſiam introducit, cujus & hæc figura erat. „ Arca, „ inquam, figura eſt peregrinantis in hoc ſæculo ci„ vitatis Dei, hoc eſt, Eccleſiæ, quæ fit ſalva per „ lignum in quo pependit Mediator Dei & hominum „ homo Chriſtus Jeſus. Quod oſtium in latere acce„ pit, ſignificat vulnus lateris Jeſu Chriſti: hac quip„ pe ad illum venientes ingrediuntur, quia inde „ Sacramenta manarunt quibus credentes initiantur. „ Quod de lignis quadratis arca fieri juſſa eſt, undi„ que ſtabilem ſanctorum vitam ſignificat: quacum„ que enim verteris quadratum, ſtabit. Cuncta ani„ malium genera in arca clauduntur: ſicut omnes „ gentes Eccleſia continet. Mundi & immunda ibi „ ſunt animalia: ſicut in Eccleſiæ Sacramentis & „ boni & mali verſantur. Noe cum ſuis octavus in „ arca numeratur: quia in Chriſto ſpes noſtræ reſur„ rectionis apparuit, qui octavo die a mortuis reſur„ rexit. Poſt ſeptem dies ex quo ingreſſus eſt Noe „ in arcam, factum eſt diluvium: quia in ſpe futu„ ræ quietis, quæ ſeptimo die ſignificata eſt, bapti„ zamur. Extra arcam omnis caro, quam terra ſu„ ſtentabat, diluvio conſumpta eſt: quia extra Ec„ cleſiæ ſocietatem, aqua baptiſmi quamvis eadem „ ſit, non ſolum non valet ad ſalutem, ſed valet „ potius ad perniciem . . . . Non externa & ſenſibilia ſigna, quæ Sacramenta vocantur, electos diſcernunt a reprobis, ſed gratia ſub ſignis exterioribus abſcondita, puritas cordis quam nobis tribuit, illius gratiæ conſervatio, aut reparatio, & perſeverans ad fidem uſque vitæ fidelitas in conditionibus ſacri fœderis, quod in Baptiſmo cum Deo contraximus, adimplendis. *Non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum ſalvos nos facit*. Noſtram porro ſalutem in Baptiſmo Chriſtus operatur, mortis ſuæ, Reſurrectionis, & glorioſæ Aſcenſionis virtute. Morte ſua mortem noſtram perimit, cauſam ejus deſtruens, videlicet peccatum. *Deglutiens mortem*. Reſurrectione ſua nos in novam fidei & gratiæ vitam parturit, & ad vitam æternam gloriæ cœleſtis nobis jus tribuit. *Per reſurrectionem Jeſu Chriſti*. Aſcenſione ſua cœlum nobis aperit, civeſque ſupernæ Jeruſalem nos efficit ſpe quam ex hoc admirabili Myſterio concipimus, naturam noſtram in Chriſto ad dexteram Patris provectam conſiderantes. *Ut vitæ æternæ heredes efficeremur . . . Profectus in cœlum . . . Qui eſt in dextera Dei . . . Subjectis ſibi Angelis, & Poteſtatibus, & Virtutibus*. Hæc Myſteria ſæpe meditemur, Chriſtum qui per illam ſalutem noſtram operatus eſt adoremus; perpetuas illi gratias agamus quod illorum virtutem per baptiſmum nobis applicaverit, ſupplices oremus ut eorum fructus in nobis renovetur, & jugiter permaneat.

Diluvium typus Baptiſmi Arca, Eccleſiæ figura.

*S. Aug. l. 15. De Civit. Dei c. 26. & l. 12. contra Fauſtum, c. 15. 16. & 17.*

## CAPUT IV.

### *Senſus Litteralis.*

1. 2. *CHriſto igitur paſſo in carne *, & vos eadem cogitatione armamini: quia qui paſſus eſt * in carne, deſiit a peccatis. Ut jam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne vivat temporis*. Cum igitur Chriſtus paſſus ſit pro nobis ſecundum carnem, ea cogitatione velut ſcuto vos munite: quod quicumque ſimilitudini mortis Chriſti conformatus, carne mortificatus eſt & carnales affectus in ſe crucifixit, abſtinet in poſterum a peccatis: ut jam omni tempore quod ipſi in hoc mortali corpore reliquum eſt, vivat non ſecundum cupiditates, quas homines carnales ſectari ſolent, ſed ſecundum voluntatem & præcepta Dei.

* *Carne*, id eſt ſecundum naturam humanam.

* Ad Chriſtum id perperam refert Eraſmus, ut ſequentia probant.

3. 4. 5. *Sufficit * enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis, deſideriis, vinolentis, comeſſationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus*. Sufficere enim vobis debet, quod anteacto vitæ tempore, Gentium a Deo alienarum more vixeritis, iiſdem cupiditatibus & vitiis dediti: omnis generis libidinibus, pravis deſideriis, ad novas ſemper carnis voluptates inardeſcente animo, vini ingurgitationibus, & ebrietatibus, conviviis ad luxum & laſciviam inſtitutis; in compotationibus, quibus ebrioſi certare ſolent, & ad numerum bibere, in nefariis & abominandis idolorum cultibus, quibus communicaſtis, Gentilium exemplo corrupti, quemadmodum majores veſtri, de quibus ſcriptum eſt. „ Commixti ſunt „ inter Gentes; & didicerunt opera eorum. *In quo admirantur † non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confuſſionem, blaſphemantem*. Oh morum veſtrorum mutationem quaſi ob rem inſolentem ac peregrinam admiratione turbantur, videntes quod non amplius cum ipſis confluatis ad luxurioſa convivia, feſta, ſpectacula; ideoque Religioni Chriſtianæ maledicunt, voſque probris inſectantur tamquam a communi humanitate alienos, & civilis ſocietatis inimicos. *Qui reddent rationem ei, qui paratus eſt judicare vivos & mortuos*. Qui maledictorum ſuorum, omniumque pravorum operum rationem reddent Chriſto vivorum & mortuorum ſummo Judici, idque intra breve tempus. Sive, qui immutabiliter ac firmiter judicat vivos & mortuos. Id enim ſignificat, *paratus eſt judicare*, ut obſervat Oecumenius.

* Id per litorem dictum, quæ figura eſt vim orationis extenuans & mitigans exprobrationis aſperitatem, ut Ezech. 44. 6. *Sufficiant vobis omnia ſcelera veſtra*: cum nullum nimium non fuiſſet.

*Pſal. 105. 35.*

† Secundum Græcum, *Unde novum videtur illis, calumniantibus quod non accuratis cum ipſis in eamdem luxus refuſionem.*

6. *Propter hoc enim & mortuis evangelizatum eſt: ut judicentur quidem ſecundum homines in carne, vivant autem ſecundum Deum in ſpiritu*. Propter hoc enim Chriſtus ad inferos deſcendens animabus in Limbo & in Purgatorio detentis lætum liberationis ſuæ nuntium attulit, ut ſe vivorum & mortuorum judicem eſſe demonſtraret: eos ſecundum animam æternæ vitæ participes faciens, qui Noetici diluvii tempore increduli primum fuerant, tandemque incredulitatis, ac ceterorum peccatorum pœnitentes, communi tamen orbis naufragio fuerant involuti, & morte corporis cum impiis puniti, eidemque damnationi (ut videbatur hominibus) addicti. Vel: Propterea mortuis nuntiavit Chriſtus ſe Meſſiam eſſe & Filium Dei, qui paſſione & morte ſua humanum genus redemerit, ut condemnaret eos, qui ſecundum carnem; eos autem vita æterna donaret; qui ſecundum ſpiritum vixerant. Vel: Propter hoc prædicatum eſt Evangelium infidelibus & peccatoribus, qui in tenebris & in umbra mortis ſedebant, ut impii & carnales qui veritatem reſpuerant, judicarentur & condemnarentur: qui autem veritati & Spiritui Dei obediverant, vita æterna donarentur. Quo ſpectare videtur illa Chriſti Domini ſententia: *In judicium ego in hunc mundum veni: ut qui non vident, videant, & qui vident, cæci fiant*.

*Oecumenius Comment.*

*Joan. 9. 39.*

7. 8. 9. *Omnium autem finis appropinquavit*. Ceterum omnium rerum finis, mundique conſummatio inſtat. Noviſſima enim eſt mundi ætas. Sive: Finis Reipublicæ, templi, cultuſque Judaici in propinquo eſt, *Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus*. Sitis igitur prudentes, temperantes, vos modeſte gerite; vigiles & aſſidui in oratione eſtote. *Ante omnia autem, mutuam in vobiſmetipſis charitatem habeatis: quia charitas operit multitudinem peccatorum*. † Hortor imprimis ut inter vos mutuo perſeverantem caritatem habeatis; quia charitas multa peccata & injurias proximorum diſſimulat, tolerat, excuſat, condonat: & conſequenter meretur ut propria peccata, quæ juſtus charitatem habens & exercens ſæpe committit (levia dico) ipſi a Deo remittantur. *Hoſpitalem invicem ſine murmuratione*. Prompti eſtote ad Chriſtianos peregrinos, egenos, exules Chriſti cauſa, hoſpitio ſuſcipiendos, reficiendos, ac fovendos, ſine murmuratione de multitudine hoſpitum, de ſumptu, aut de moribus eorum quos recipitis.

† Confer cum Proverb. 10. 12 *Odium ſuſcitat rixas & univerſa delicta operit caritas.*

† Græce, Μὴ ξενίζεσθε, *Nolite mirari*. Ita legunt S. Cyprian. Epiſt. 56. S. Hieron. in cap. 4. Amos Prophetæ, & Beda in Comment. Vel, *Nolite expaveſcere*. Sic legunt Tert. Scorpiaci cap. 12. & S. Fulg. Ab Traſim. lib. 3. c. 30.

10. *Unuſquiſque, ſicut accepit gratiam †, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei*. Unuſquiſque juxta donum & facultatem ſibi collatam a Deo proximos adjuvet, in communem utilitatem conferens quod habet, ut miniſter fratrum, & bonus ac fidelis diſpenſator donorum Dei, quæ varia ſunt ac multiplicia.

11. *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tanquam ex virtute, quam adminiſtrat Deus: ut in omnibus honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum: cui eſt gloria & imperium in ſæcula ſæculorum.*



*Amen*. Qui donum accepit ſermonis, ſic loquatur quaſi Deo per os ipſius loquente, nec aliud prædicet aut doceat quam eloquia Dei. Qui ſacrum aliquod Miniſterium obit in Eccleſia, ita illo fungatur tamquam ex virtute quam accepit a Deo: tam ſancte, tam fideliter Eccleſiæ ſerviat, ut omnes agnoſcant Deum in Miniſtro ſuo potenter operari: ut in omnibus quæ agit glorificetur Deus per Jeſum Chriſtum, cujus merito omnem benedictionem ſpiritualem & omnia gratiæ dona accepimus: cui debetur gloria, & cujus ſummum eſt in omne ævum permanens imperium.

12. 13. *Chariſſimi, nolite peregrinari a in fervore, b qui ad tentationem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat: Sed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exultantes*. Fratres cariſſimi, ne perturbemini velut re nova & peregrina, cum vos igne perſecutionum & afflictionum Deus probat; Quin potius gaudete quod paſſionum & crucis Chriſti conſortes ſitis; ut in manifeſtatione & conſortio gloriæ ejus gaudio, quod explicari humanis verbis non poteſt, exultetis.

b Τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει, *Dum per ignem exploramini*. Graves afflictiones ignis nomine in Scripturis ſignificantur. *Pſalm. 16. 3. 65. 10.*

14. *Si exprobramini in nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei, & qui eſt ejus Spiritus, ſuper vos requieſcit*. Si probris & maledictis propter Chriſti nomen afficimini, beati eſtis: * quoniam Spiritus Dei in vobis requieſcit, & honorem, gloriam, ac divinam quamdam virtutem, firmitatem & conſtantiam in malis pro Chriſto perferendis vobis tribuit. Additur in Græco Textu: *Secundum eos quidem blaſphematur, ſecundum vos autem glorificatur*. Id eſt, Spiritus Dei ab infidelibus quidem perſecutoribus veſtris blaſphematur, apud vos autem glorificatur, quia dum illi falſo vos accuſant, in illos quidem refunditur confuſio, in vos autem gloria. Verum nec Syriaca Verſio, nec ulli Codices Latini hanc additionem habent. Unus e Latinis ſanctus Cyprianus hanc legit & citat Epiſt. 56. Ad Thibaritanos, *De Exhortatione Martyrii*.

* Confer cum *Matth. 5. 11.*

* Græce κακοποιὸς, *maleficus*, ſeu facinoroſus. Apud Tertullian. & S. Cyprian. lib. 3. Teſtim. c. 31. legitur: *Maleficus*: In Syriaca Verſione, *Malorum patrator*.

15. 16. *Nemo autem veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, * aut alienorum appetitor. † Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine*. Nemo autem veſtrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alieni appetens, & per fraudem & malas artes tollens ubi poteſt. Quæ crimina vel publicis legibus puniuntur, ut homicidium & furtum; vel odium & ultionem eorum, quibus fit injuria, in hujuſmodi criminum reos provocant, ut maledicentia, aut nota alieni appetentia, aut curioſior alienarum rerum inquiſitio & inſpectio. Si autem quis veſtrum patitur & affligitur, vel a Poteſtate publica, vel a privatis, quia Chriſtianus eſt: id pudori aut ignominiæ non ducat; immo hac de cauſa Deum glorificet.

† Græce, ἀλλοτριοεπίσκοπος, *alienorum inſpector*. Tertull. legit, *alieni ſpeculator*. S. Cypr. & S. Aug. in Expoſit. inchoata Epiſt. ad Rom. *Curas alienas agens*; id eſt, alienis negotiis malo animo ſe ingerens.

17. 18. *Quoniam tempus eſt ut incipiat judicium a Domo Dei. * Si autem primum a nobis: quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?* Tempus adeſt quo Deus judicium ſuum inchoat a domo ſua, & ab Eccleſia ſua, a cultoribus & fidelibus ſuis, ut eos ab omni labe purget per afflictiones temporales, ſeque dignos efficiat. Si autem primum fideles & domeſticos ſuos Deus ſic flagellat ad eorum emendationem & probationem: quam miſerabilis erit finis, quæ ſors æterna eorum qui Evangelio credere & obedire nolunt? *Et ſi juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi parebunt?* † Si juſtus nonniſi per ſeverum Dei judicium ejus peccata caſtigantis, id eſt, per multas difficultates, afflictiones, moleſtias, perſecutiones ad ſalutem pervenit: quomodo impius & peccator in Dei judicio ſtare poterunt, & condemnationem æternaque ſupplicia vitare?

* Confer cum *Ezech. 9. 6. A Sanctuario meo incipite.*

† *Proverb. 11. 31.* ſecundum Verſion. LXX. Inter. ubi Vulgata noſtra ex Hebræo: *Si juſtus in terra recipit: quanto magis impium & peccator?* Id eſt, ſi juſtus pro levioribus peccatis pœnas non leves dat ſæpe in hac vita: quantas pro gravibus peccatis pœnas impius & peccator in altera dabunt?

17. *Itaque & hi qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fidei Creatori commendent animas ſuas in benefactis*. Itaque qui ſecundum voluntatem Dei affliguntur & perſecutionem patiuntur, in bonis operibus perſeverantes, animas ſuas, quas poſt mortem corporis ſuperſtites eſſe fides docet, Deo ipſarum creatori commendent, qui in ſuis promiſſis implendis fidelis eſt, & mala in hoc ſæculo ob ejus amorem conſtanter tolerata æternis bonis in futuro compenſabit.

## CAPUT IV.

### *Senſus Moralis.*

1. 2. *CHriſto igitur paſſo in carne, & vos eadem cogitatione armamini; quia qui paſſus eſt in carne, deſiit a peccatis: Ut jam non deſideriis hominum, ſed voluntati Dei, quod reliquum eſt in carne vivat temporis*. Paſſio & mors Chriſti non ſolum redemptionis noſtræ pretium fuit, ſed etiam figura mortificationis peccatorum noſtrum & pravorum affectuum. Chriſtus morte ſua, non ſolum peccatum deſtruxit, ſed & nobis virtutem dedit deſtruendi illud in nobiſmetipſis. Mortuus eſt pro nobis, ut nos ſibi conformes efficeret: ut ſicut ipſe mortuus eſt in perpetuum ſimilitudini carnis peccati, ita moriamur peccato, non amplius unquam in eo victuri, & ab actionibus vitæ carnalis ita deſiſtamus, ut nullum habeamus motum ad peccatum; ut ad mundi illecebras & carnales cupiditates quaſi ſine ſenſu ſimus; ut nullum habeamus cum mundo corrupto & Chriſti inimico commercium. Non mundi deſideria, ſed voluntatem Dei ſequamur ut regulam noſtram, ut ducem viæ noſtræ, ne aberemus, & in mortem æternam ruamus præcipites. Hinc Apoſtolus Gentium ait: „ Conſepulti ſumus cum illo per baptiſ„ mum in mortem: ut quomodo Chriſtus ſurrexit a „ mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate „ vitæ ambulemus, . . . . . . Hoc ſcientes; quia „ vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, ut deſtrua„ tur corpus peccati, & ultra non ſerviamus pec„ cato. Qui enim mortuus eſt, juſtificatus eſt a pec„ cato . . . . Si autem mortui ſumus cum Chriſto, „ credimus quia ſimul etiam vivemus cum Chriſto: „ ſcientes quod Chriſtus reſurgens ex mortuis jam „ non moritur, . . . . . Ita & vos exiſtimate vos „ mortuos quidem eſſe peccato, viventes autem Deo „ in Chriſto Jeſu Domino noſtro. Non ergo regnet „ peccatum in veſtro mortali corpore, ut obediatis „ concupiſcentiis ejus. „ In Chriſto crucifixo defigamus mentis oculos: mortis ejus meditatio nos armet ac muniat contra peccatum, ne ab ipſo vincamur. Ei qui pro nobis paſſus & mortuus eſt, non partem aliquam vitæ noſtræ dumtaxat impendamus, ipſam dividentes Mundum inter & Deum; ſed totum quod reliquum eſt temporis in carne hac mortali, Chriſto conſecremus, ut ſecundum Dei voluntatem & Evangelium vivamus.

Peccato moriendum.

*Rom. 6.*

2. 3. 4. *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam, his quis ambulaverunt in luxuriis, deſideriis, vinolentiis, comeſſationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus*. Paganorum more vivunt, qui pravis deſideriis conſentiunt, quamvis illa non impleant, quia deeſt occaſio, vel facultas. Ad Gentilium vitam pertinent comeſſationes & convivia luxurioſa, ebrietates, & compotationes quibus ebrioſi certant inter ſe & ad numerum bibunt, adulteria, fornicationes, omne libidinum genus, aliaque vitia inter Chriſtianos, heu! nimium communia. Fruſtra gloriamur quod nefariis idolorum cultibus contaminati non ſimus, ſi cupiditatibus noſtris meliorem victimam ſacrificamus, animam noſtram, & ſalutem noſtram. Non uno modo ſacrificatur idolis. Cupiditas cujuſque dominatrix, idolum eſt quod colit, cui ſervit. Vitæ pravæ, ac mundanæ, quam in hunc uſque diem duximus, finem tandem imponamus. Renuntiemus affectibus, occaſionibus, conſuetudini peccati; corruptioni, moribuſque ſæculi. Converſionem noſtram, morumque mutationem in melius Mundus contemnat, irrideat, nos ſingularitatis accuſet, velut ab humanitate peregrinos, a publicæ lætitiæ feſtivitate exules, ut moroſos, ut inſtabiles, ut levis ingenii & puſilli animi homines, ut ſtultos ſugillet (ſi velit) probriſque & contumeliis afficiat: hæc gloria noſtra erit, a Mundo contemni, ludibrio haberi, & perſecutionem pati, exemplo Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti: *In quo admirantur, non concurrentibus vobis in eamdem luxuriæ confuſionem*. Dei judicium ante oculos habeamus; mundi judicium non curabimus. Hunc Deus judicabit & damnabit: pios vero qui non ſunt de hoc mundo, & quos propterea odit mundus, coronabit, & vita æterna donabit in cœlo. *Qui reddent rationem ei, qui judicaturus eſt vivos & mortuos*. Terribile illud judicium præveniamus, Pœnitentiam agentes, concupiſcentias noſtras crucifigentes, & carnem noſtram mortificantes, ut ſecundum Deum in ſpiritu vivamus. Hic finis eſt prædicationis Evangelii hominibus in regione umbræ mortis degentibus, aut jam a morte peccati per Chriſtum liberatis. *Propter hoc & mortuis evangelizatum eſt: ut judicentur quidem ſecundum homines in carne, vivant autem ſecundum Deum in ſpiritu*. „ Qui enim mundanis concupiſcentiis „ mortui ſunt, & Chriſto conformes effecti, ſeipſos „ carne condemnant ob negligentem ac ſegnem vi„ tam priorem. Hoc autem eſt ſpiritu vivere ſe„ cundum Chriſtum. Nam prioris vitæ condemnatio „ ipſos promptiores ac ferventiores reddit ad opera „ bona vitæ Chriſtianæ ac ſpiritualis.

Quæ vita gentilis?

*Oecumenius.*

7. *Omnium autem finis appropinquavit. Eſtote itaque prudentes, & vigilate in orationibus*. Mille anni ante oculos Domini tamquam dies heſterna quæ præteriit.

Vigilantia Chriſtiana, & perſeverans oratio.

teriit. In fines ſæculorum devenimus. Noviſſima hora eſt. Incerta nobis eſt hora mortis noſtræ, qua mundus hic nobis finietur. Præterit figura hujus mundi. Incertus eſt nobis ultimus dies, ut obſervemus omnes dies, ſemperque ad migrandum, & ad rationes ſummo Judici reddendas parati ſimus. Ideo nos ut ſobrii ſimus ac temperantes, ut vigilemus, & oremus, Apoſtolorum Princeps hortatur. Temperantia in cibo & potu animum reddit orationi & omnibus Chriſtianæ vitæ officiis idoneum.

*Luc. 21. 34.*

*Attendite vobis*, (ait Chriſtus) *ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis hujus vitæ, & ſuperveniat in vos repentina dies illa: tamquam laqueus enim ſuperveniet in omnes, qui ſedent ſuper faciem omnis terræ.* Verum non in cibi tantum & potus moderatione ſita eſt temperantia, ſed in rerum omnium, quæ ſenſus illiciunt, moderato uſu, & ad regulas rationis & Evangelii coarctato: ut in rerum periturarum uſu conſulamus neceſſitati, nuſquam ſerviamus voluptati, & ad finem æternitatis neceſſitatum temporalium levamen referamus: a quibus nos Dominus eruet, cum reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Ad hæc, vigilandum eſt ne nos Dominus imparatos inveniat; ne nos ſpiritaliter dormientes, & nobis ipſis non ſatis attendentes hoſtis ad nocendum pervigil, ſcilicet diabolus intercipiat, & perdat: ſicut Siſara incaute dormiens a femina peremptus eſt; ſicut Holophernes vino ſomnoque ſepultus muliebri manu cecidit; ſicut Jonas in extremo periculo gravi ſomno oppreſſus, in mare jactatus eſt a nautis.

*Marci 13. 31. 37.*

*Videte* (inquit Chriſtus) *vigilate, & orate! neſcitis enim quando tempus ſit ..... Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate*, Vigilandum ad orationem; ut ſit humilis, attenta, fervens, cum fide, reverentia, & fiducia, perſeverans.

S. *Hilarius Tract. in Pſalm.* 63. *num.* 6.

*Vigilandum in oratione Dei eſt, & ſemper orandum; ut cum fatigari anima & affligi ſubrepentium illecebrarum aculeis cœperit, Deus ſemper oratus exaudiat, noſque ab his quæ timemus eripiat. Deus enim non tam tantum orandus eſt, cum quæ timentur ingruerint; ſed timenda ea ſunt, quæ cum cœperint adeſſe dominantur: & ſemper atque indefeſſis precibus orandus eſt, ut nos a timore eorum, quorum dominatum timemus, eripiat. A timore inimici eripe animam meam* (ait Propheta.) Verumtamen *Dei miſericordiam non metus noſter, ſed fides promeretur: & longæ præparationis documenta opus eſt, ut mereamur audiri.*

Caritas, ſumma Chriſtianæ legis.

8. *Ante omnia autem mutuam in vobiſmetipſis caritatem continuam habentes: quia caritas operit multitudinem peccatorum.* Caritas virtus univerſalis eſt, ſine qua ceteræ non poſſunt. Hæc una bonis operibus meritum tribuit.

*S. Auguſt.*

*Hæc ſi deſit, fruſtra habentur cetera; ſi adſit, recte habentur omnia.* Ante omnia habenda eſt, quia vita animæ eſt, ſumma legis, finis præcepti. *Continua* ſit oportet, cujus Deus principium & finis eſt, Chriſtus exemplar; ratio movens, Dei bonitas ...... Nullis inimicitiis ſacrum ejus vinculum abrumpatur, nullis diſſenſionibus, contentionibus, litibus, aut rixis ſolvatur. Per externa opera & officia proximis exhibenda ſe prodat, quoties datur occaſio. Otioſa enim & ſterilis caritas eſſe non poteſt. Late pateat, ad inimicos ipſos extendatur.

*Matth. 18. 22.*

Præceptum Domini eſt: *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos.* Non ſit languens & tepida, ſed vehemens & fervens. Multitudinem operiat peccatorum, benigne diſſimulans, patienter ſuſtinens, libenter condonans, *non ſepties* tantum, ſed *ſeptuageſies ſepties*, id eſt, quotieſcumque in nos peccabit frater. Sic impetrabimus a Deo remiſſionem peccatorum noſtrorum.

*Matth. 6. 14.*

*Si enim dimiſeritis hominibus peccata eorum* (ait Chriſtus Dominus) *dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis delicta veſtra: ſi autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra.* Hac lege veniam delictorum Oratione Dominica deprecamur: *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.*

Quomodo Sacerdotes Pœnitentiæ Miniſtri peccatorum vulnera curare debeant.

Deus peccata noſtra tegit ac delet, eaque nihilominus miſericordi ſeveritate punit ad ſalutem: ita & Sacerdotes in adminiſtratione Sacramenti Pœnitentiæ peccata Pœnitentium tegant inviolabili ſecreto, illa vice Dei remittant, ſed nimia facilitate & lethifera indulgentia illorum curationem & ſalutem non impediant. *Vulnus enim grande ac vetus, & diu ſerpens perfectioris medicinæ remedia depoſcit, ut Domini legitima miſeratione curetur.* Unde Rex pœnitens & Propheta ait: *Viam iniquitatis amove a me, & de Lege tua miſerere mei.*

*S. Amb. Serm. 4. in Pſalm. 118. num. 23.*

„ Cito enim refricatur vulnus, quod ſanatum medicinæ lege non fuerit; „ immo etiam ſeriorem curatio ſentit profectum. „ Ideoque ſi virus in interiora proſerpit, medicamenta foris appoſita non ſentit. Exigit ergo medicinæ ratio, ut aut ſectione, aut aduſtione curetur. Niſi enim putrefacta recidantur, aut humor „ inutilis decoquitur, fruſtra medicinæ manus adhibentur ad vulnera. Et ideo bonus Medicus hujuſmodi ægrum legitime dicit eſſe curandum, ut „ poſſit medicina proficere. *Lege ergo miſeretur, qui cum juſtitia ſapientia que miſeretur, ut ea dimittat, quæ ſcit jure poſſe dimitti; ne cum alterius miſeretur, ſe ipſum legi faciat obnoxium.*

Bonus talentorum a Deo acceptorum uſus.

10. *Unuſquiſque, ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* De talentis & donis a Deo ſibi collatis nemo extollatur, ſed Deo a quo illa gratis accepit, humiliter gratias agat. 2. Agnoſcat ſe illa accepiſſe, non in privatum commodum, ſed in proximorum utilitatem. 3. Se illa impendere debere ſecundum voluntatem & mandata Domini a quo illa accepit. 4. Unum quemque laborare debere ut proximo ſit utilis, ſecundum talenta & dona quæ ipſi Dominus liberaliter contulit, alios doctrina, & verbi divini prædicatione, alios conſilio, alios induſtria, alios auctoritate, alios divitiis, alios infirmorum cura, alios afflictorum ſolatio. Nemo diſpenſatur ab opera navanda ſaluti proximorum, prout ipſi Dominus dedit. *Unicuique* enim *Deus mandavit de proximo ſuo.* Nemo igitur talentum abſcondat, nec in ſudario repoſitum ſervet, ut ſervus inutilis & piger, de quo Evangelica Parabola, ſed tanquam Dei diſpenſator & Miniſter, in aliorum utilitatem ad gloriam Domini ſui impendat. 5. Intra fines talentorum ſibi a Deo collatorum quiſque ſe contineat, nec iis ſe ingerat functionibus aut muneribus ad quas obeundas, & ad quæ gerenda talentum a Deo non accepit. Talenta ſua non negligat, alienis non invideat. *Unuſquiſque, ſicut accepit gratiam, in alterutrum illam adminiſtrantes.*

*Eccli. 17. 12. Matt. 25. Luc. 19.*

6. Nemo ſe exiſtimet talentorum ſuorum eſſe dominum, ſed diſpenſatorem, ac proinde ſumma fidelitate & caritate illa diſpenſare debere. *Sicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.* 7. Ex bono vel malo uſu, ex fideli vel infideli diſpenſatione, quiſque judicabitur a Domino, qui talenta dedit, aliis plura, aliis pauciora, aliis majora, aliis minora. Suis ergo talentis quiſque Chriſtianus ſic utatur, quaſi rationem Domino redditurus.

11. *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei: ſi quis miniſtrat, tamquam ex virtute quam adminiſtrat Deus*, &c. Donum ſermonis, omnium donorum excellentiſſimum eſt.

Dono verbi quomodo uti debeant Concionatores.

Sacra hæc functio poſtulat, ut qui verbi talentum accepit, ea dignitate, reverentia, & ſanctitate, qua par eſt, tractet eloquia Dei. Non humanis commentis illa adulteret, non Academica & plane ſæculari eloquentia emolliat; non incertorum miraculorum, anilium viſionum, falſarum aut dubiarum hiſtoriarum narratione, non inutilium admixtione quæſtionum, ſermonum Dei deprimat majeſtatem. Nihil in concione proferat quod verbo Dei vel ſcripto vel tradito non conveniat. Scripturam ſacram non exponat niſi ſecundum analogiam fidei. Illam meditetur, ſcrutetur, ea impleatur, nutriatur, ut ea paſcat oves Chriſti.

*S. Aug. lib. 4. De Doctr. Chriſt.*

Opere prius doceat quam „ ſermone; & ſit ejus quaſi copia dicendi, forma „ vivendi. In ipſo ſermone rebus ſtudeat magis placere quam verbis; nec æſtimet dici melius, niſi quod dicitur verius, nec Doctor verbis ſerviat, ſed verba Doctori. Denique ita concionetur, ita vivat, ut dicere poſſit cum Apoſtolo Gentium:

*2. Cor. 2. 17.*

*Non ſumus ſicut plurimi, adulterantes verbum Dei, ſed ex ſinceritate, ſed ſicut ex Deo, coram Deo, in Chriſto loquimur*, Et Concionator, & quicumque ad Eccleſiaſticum Miniſterium vocatus eſt, illud exerceat cum humilitate, ob gloriam Dei, ob ſanctæ Eccleſiæ utilitatem, ob ſuam & proximorum æternam ſalutem. Non honorem quærat, ſed laborem; non temporales reditus, ſed ſpiritales fructus; humilitatis miniſterium ne vertat in elationis & vanitatis argumentum. Si quem fructum ſpiritalem faciat, gratias Deo referat per Jeſum Chriſtum: ut a quo eſt & talentum, & bonus talenti uſus, & miniſterium, & ſancta fideliſque adminiſtratio, & omne bonum & datum optimum, ad eumdem per Jeſum Chriſtum ſummum Sacerdotem & Mediatorem noſtrum revertantur. *Ut in omnibus honorificetur Deus per Jeſum Chriſtum.*

Chriſti paſſionibus communicandum, ut ejus gloriæ conſortes ſimus.

12. 13. 14. 15. 16. *Cariſſimi, nolite peregrinari a fervore qui ad tentationem vobis fit, quaſi novi aliquid vobis contingat: ſed communicantes Chriſti paſſionibus gaudete, ut & in revelatione gloriæ ejus gaudeatis exſultantes.* Res nova & peregrina videri Chriſtianis non debet, quod pii perſecutiones & afflictiones omnis generis patiantur. Id a Chriſto Jeſu prædictum, id omnium ſæculorum experimento comprobatum eſt. Hæc eſt Chriſtianæ vocationis ratio: hæc prima conditio fœderis quod cum Chriſto inivimus: hoc pretium coronæ & gloriæ æternæ, quam amicis ſuis promiſit, Chriſtiani ſumus, ut Chriſto conformes ſimus. Id vero aſſequimur, cum perſecutiones & afflictiones propter Chriſtum ſuſtinemus,

Opor-



Oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam ſuam: Chriſtianum igitur paſſionis ejus participem eſſe oporet, ut ad conſortium gloriæ ipſius perveniat. Tribulationes æterni gaudii; opprobria, perennis honoris pignora ſunt, & ſemina gloriæ immortalis. Afflictiones pro Chriſto toleratæ Deum in nobis, & nos in Deo requieſcere faciunt. *Si exprobramini in*

*Pſ. 90. 15. 16.*

*nomine Chriſti, beati eritis: quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis ejus, & qui eſt ejus Spiritus ſuper vos requieſcet.* Ait enim per Prophetam: *Cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum, & oſtendam illi ſalutare meum.* Qui ſcelerum ſuorum pœnas legibus luunt, tantum abeſt ut gloriam & honorem ſibi acquirant, ut contra perpetua ignominia & infamia afficiantur, quæ in Chriſtianum nomen etiam redundat. Qui ſic patiuntur Chriſtiani, hoc nomine indigni ſunt. Religionem dedecorant. Unde Tertullianus ad Gentiles: „ Veſtros jam con-

*Tertull. Apolog. cap. 44.*

„ teſtamur actus, qui quotidie judicandis cuſtodiis „ præſidetis, qui ſententiis elogia diſpungitis. Tot „ a vobis nocentes variis criminum elogiis recenſentur; Quis illic ſicarius, quis manticularius, quis „ ſacrilegus, aut corruptor, aut lavantium prædo, „ idem etiam Chriſtianus adſcribitur? Aut cum Chriſtiani ſuo titulo offeruntur, quis ex illis etiam „ talis, quales tot nocentes? De veſtris ſemper æſtuat „ carcer: de veſtris ſemper metalla ſuſpirant: de „ veſtris ſemper beſtiæ ſaginantur: de veſtris ſemper „ munerarii noxiorum greges paſcunt. Nemo illic „ Chriſtianus, niſi hoc tantum: aut ſi & aliud, jam „ non Chriſtianus. Nos ergo ſoli innocentes. “ Fieri tamen poſſe non negamus operante Chriſti gratia, ut Chriſtianus in crimen aliquod legibus puniendum lapſus, in ſpiritu pœnitentiæ patiatur, & pœnam in ſacrificium convertat, illique paſſio gloriam apud Deum pariat & vitam æternam: ſed plenus ac perfectus triumphus eſt pro veritate fidei, pro juſtitia, pro Eccleſia pati. Mors hujuſmodi ignominioſa quidem eſt impiorum judicio, qui juſtorum vitam inſaniam æſtimant, & finem illorum ſine honore; ſed in conſpectu Domini pretioſa eſt .... Magna gratia eſt in Chriſtum credere; maxima pro

*Tertull. Ad Martyres & in Scorpiaco.*

ipſo pati. „ Hoc opus habet gloriam placendi Deo, „ & prædam vivendi in æternum (ut loquitur Tertullianus.) Non erubeſcat Chriſtianus pati pro „ veritate in ſalutem, quæ viri & feminæ ethnicæ „ affectaverunt pati pro vanitate in perditionem. Cui hoc a Deo datum eſt, illi gratias agat, qui *evulſum hominem de diaboli gula per fidem, jam & inculcatorem ejus voluit efficere per virtutem: ne ſolummodo evaſiſſet, verum etiam eviciſſet inimicum. Amavit qui vocaverat in ſalutem, invitare & ad gloriam; ut gaudeamus liberati, exultemus etiam coronati.* In hoc ſæculo & boni patiuntur, & mali: ſed intereſt qua de cauſa, quo animo, quo fine quiſque patiatur. *Nemo autem veſtrum* (ait Apoſtolorum Princeps) *patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Chriſtianus, non erubeſcat: glorificet autem Deum in iſto nomine.*

Nihil adverſi pati, præjudicium quoddam eſt damnationis.

*Hebr. 12.*

17. 18. *Quoniam tempus eſt cum incipiat judicium a domo Dei. Si autem primum a nobis: quis finis eorum, qui non credunt Evangelio?* Deus ſumme juſtus nulla peccata impunita relinquit. Judicium ſuum in hoc mundo jam exercet in electos ſuos & amicos, quod in malis & reprobis conſummabit in futuro. Magna Dei miſericordia eſt in hoc mundo affligi & emendari ad ſalutem. Ut enim ait Apoſtolus Gentium: *Quem diligit Dominus caſtigat: flagellat autem omnem filium quem recipit. Quis enim filius quem non corripit pater?* Certum vero iræ divinæ ſignum, & damnationis præjudicium eſt, nihil adverſi pati, ex illorum eſſe numero, de quibus ait Propheta:

*Pſ. 72. 5. 6.*

*In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur: Ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua.* Ipſos in proſperitate ſaginari ut victimas juſtitiæ ſuæ Dominus permittit, parcit illis tantiſper ad malam libertatem, dum hanc vitam agunt, ut in fine omnem iram ſuam in eos effundat. *Peribunt propter iniquitatem ſuam.* Juſtis ipſis timendum eſt propter vitiatæ naturæ fragilitatem, propter quotidiana ſalutis pericula, propter hoſtium ſpiritualium inſidias & incurſus. Quanto magis impiis & peccatoribus timendum eſt, eo nomine quod non timeant terribilia judicia Dei? *Auferuntur judicia tua a facie ejus.* Si juſti in hac vita ob levia peccata caſtigantur, & multas tribulationes patiuntur: Quanto magis impii & peccatores poſt mortem totum iræ divinæ

*S. Aug. lib. 22. contra Fauſtum, cap. 20.*

pondus in æternum ſuſtinebunt? *Et ſi juſtus vix ſalvabitur; impius & peccator ubi parebunt?* „ Hinc „ intelligitur quomodo non parcatur impiis, tamquam „ ſarmentis præciſis ad combuſtionem; quando juſtis „ non parcitur propter perficiendam purgationem. “

19. *Itaque & hi qui patiuntur ſecundum voluntatem Dei, fideli Creatori commendent animas ſuas in benefactis.* Secundum voluntatem Dei, non ſolum permittentis, ſed decernentis, etiam juſti tribulationes patiuntur.

Dei voluntati nos conformare in rebus adverſis debemus.

*Nullus enim hominum eſt tanta juſtitia præditus, cui non ſit neceſſaria tentatio tribulationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem.*

*Oecumen.*

In afflictionibus igitur, in perſecutionibus, & omnibus hujus vitæ moleſtiis, ſeſe divinæ voluntati conforment, ſe totos Dei permittant arbitrio, nulla crucis aſperitate deterriti, in bonis operibus ad mortem uſque perſeverent, & exemplo Chriſti ſpiritum ſuum commendantis Patri, animas ſuas fideli Creatori commendent. Fideles ſint in probatione, fidelis erit in remuneratione: fideles ſint in benefactis, fidelis erit in promiſſis. Qui pro juſtitia patitur, non propterea ſe extollat, ſed modeſte ac humiliter de ſe ſentiat, gravioribus flagellis ſe dignum exiſtimans: & quanto majora pati videtur, tanto firmius Deo inhæreat, ut ſeipſum agnoſcat

*Daniel. 9.*

& profiteatur inutilem, & dicat: *Tibi Domine juſtitia, nobis autem confuſio faciei .... Juſtus Dominus Deus noſter in omnibus operibus ſuis quæ fecit: non enim audivimus vocem ejus.*

---

## CAPUT IV.

### *Senſus Litteralis.*

1. 2. 3. 4. SEniores ergo, *qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior & teſtis Chriſti paſſionum: qui & ejus, quæ in futuro revelanda eſt, gloriæ communicator.* Epiſcopos ergo, qui apud vos ſunt, obſecro ego Coepiſcopus, & teſtis paſſionum Chriſti, tum verbo, tum opere, quia & crucem ac mortem ejus prædico, & paſſionem ejus in me ipſo repræſento, multas pro illius nomine afflictiones ſuſtinens: Qui & gloriæ in ejus adventu revelandæ conſors futurus ſum & particeps. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes* * *non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie.* Paſcite ac regite gregem Dei vobis commiſſum, illique providete Paſtorali vigilantia & ſolicitudine, non velut inviti, & ex triſtitia, ſed lubenti, prompto & alacri animo, ſecundum Dei voluntatem, & propter unam ejus gloriam: non ut ſacrum illud miniſterium in occaſionem lucri vertatis; ſed recto & optime affecto erga plebem Chriſtianam animo, & ſincera caritate. *Neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo.* † Neque dominationem in hereditatem Domini exerceatis; ſed gregi vos exemplaria viva præbete Chriſtianarum virtutum ac bonorum operum; non falſa & fallaci ſpecie aliis imponentes, ſed ex animo virtutem colentes. *Et cum apparuit Princeps Paſtorum, percipietis immarceſſibilem gloriæ coronam.* Et cum Princeps Paſtorum Chriſtus, qui vos Eccleſiæ ſuæ præfecit, glorioſus apparuerit in die judicii, reportabitis coronam glorioſam, quæ numquam marceſcet, aut exareſcet, ſcilicet vitam æternam in cœlis 5. 6. 7. *Similiter adoleſcentes* * *ſubditi eſtote Senioribus. Omnes autem invicem humilitatem inſinuate* †*: quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* §. Vos etiam juniores ſeu minores, Presbyteris & Epiſcopis ſubditi eſtote & obedite. Omnes autem vobis mutuo humilitatis exemplum præbete: ſeu (quæ vis eſt Græci Textus) *humilitatem induite*; & arcte vobis adſtringite in modum pretioſæ veſtis fibula conſtrictæ, ne decidat, vel facile excutiatur; quia Deus ſuperbis ex adverſo ſe opponit: humiles autem uberioribus gratiæ ſuæ donis cumulat. *Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis.* () Humiliter vos Deo omnipotenti ſubjicite, & hominibus propter Deum, ut vos exaltet in die adventus ſui. *Omnem ſollicitudinem veſtram projicientes in eum: quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Omnem ſolicitudinem veſtram in ſinum providentiæ ejus conjicite, & ab ea toti pendere amate, curis inordinatis & inquietis reſecatis: quoniam veſtri curam gerit.

8. 9. *Sobrii eſtote, & vigilate; quia adverſarius* † *veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret: cui reſiſtite fortes in fide: ſcientes eamdem paſſionem ei, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri.* Sobrietatem & animi vigilantiam colite, ſemper vobis ipſis, officiiſque veſtris attendentes. Quia diabolus humani generis, & maxime fidelium & piorum hoſtis infenſiſſimus & acerrimus obambulat, ferocientis ac rugientis, atque ad prædam parati leonis inſtar, quærens quem devoret, ac nequitia ſua ſeductum pertrahat ad peccatum; cui firma fide reſiſtite, promiſſionum divinarum veritati, Dei potentiæ, & gratiæ ejus auxilio confidentes, & hac fiducia velut clypeo undique protecti ad jacula tenta-

*Senior* hic dignitatis & officii nomen eſt, non ætatis. Epiſcopi Apoſtolico loquendi more Presbyteri vocati. Vide *S. Hier. Epiſt. 85. Ad Evagrium*, *Bedam Oecume.* &c.

* Græce, ἐπισκοποῦντες, *ſuperintendentes.*

† Illis verbis *ex animo*, nihil eſt quod reſpondeat in Græco Textu & Syriaca Verſione: illaque S. Bernardus omittit, hanc ſententiam proferens *Ep. 258.*

* Græce, νεώτεροι, *juniores*, quo nomine inferiores quique & minores ſignificantur, tum ſecundus ordo Cleri, tum plebs ſubjecta.

† Ἐγκομβώσασθε, *Vobis circumdate*, ſeu *innodate, arcte, vobis adſtringite.*

§. *Prov. 3. 34.* ſecundum Verſionem Septuag. Inter *Jacobi 4.*

() Secundum Græcum, *Ut vos exaltet in tempore.* Latinus Interpres addidit, *viſitationis*, explicationis gratia.

† Ὁ ἀντίδικος, *Qui in cauſa & lite alteri adverſatur.* Diabolus ſcilicet in cauſa

tio-

ſalutis noſtræ nos accuſat apud Deum, noſque pertrahendo in peccatum, efficere nititur ut cauſa cadamus.

tionum repellenda. Ceterum ſcitis reliquos omnes Chriſtianos toto orbe diſperſos non abſimiles perſecutiones & afflictiones pati iis quas patimini. Communis hæc ſors fidelium & piorum eſt.

10. 11. *Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque.* Deus omnis gratiæ, omniſque boni ſalutaris auctor & largitor, qui vocavit nos ad æternæ gloriæ ſuæ ac beatitudinis participationem meritis Chriſti Jeſu, parumper afflictos, & ad breve tempus, vos perficiat, confirmet, conſolidet inconcuſſo nixos fundamento. *Ipſi gloria & imperium in ſæcula ſæculorum* debetur. *Amen.*

12. *Per Silvanum fidelem fratrem vobis, ut arbitror, breviter ſcripſi, obſecrans & conteſtans hanc eſſe veram gratiam Dei, in qua ſtatis.* Paucis, ut arbitror, ad vos ſcripſi per Silvanum fidelem fratrem in Evangelico Miniſterio: ut vos adhortarer ad perſeverandum in fide quam ſuſcepiſtis, & conteſtarer ut Apoſtolus Chriſti, Religionem Chriſtianam in qua firmi permanetis, eſſe veram gratiam Dei, ſecundum quam viventes, & in finem uſque perſeverantes, Deo grati eſtis, & vitam æternam jure ſperatis.

* Urbs Roma Babylonis nomine pariter ſignificata *Apocal.* 17. & 18. * *Euſeb. lib.* 2. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 15. *S. Hieron. in Catal. in Marco, & Epiſt.* 17.

13. *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone * coelecta, & Marcus filius meus.* Eccleſia Romana, divinæ electionis vobiſcum particeps & conſors, & Marcus filius meus, vobis ſalutem dicunt. Babylonis nomine Romam hic ab Apoſtolo ſignificari ob idololatriæ confuſionem, Papias, * Euſebius, S. Hieronymus, Beda, Oecumenius, & omnes Catholici Interpretes conſentiunt.

* Græce, εἰρήνη ὑμῖν, *Pax vobis.*

14. *Salutate invicem in oſculo ſancto.* Vos mutuo pro recepto fidelium more charitatis oſculo conſalutate. *Gratias * vobis omnibus, qui eſtis in Chriſto Jeſu. Amen.* Vobis omnibus qui Chriſto Jeſu per fidem conjuncti eſtis, pacem adprecor.

---

## CAPUT V.

### *Senſus Moralis.*

Sanctus Petrus humilitatis exemplum Paſtoribus præbet.

1. *SEniores ergo qui in vobis ſunt, obſecro, conſenior & teſtis Chriſti paſſionum; qui & ejus: quæ in futuro revelanda eſt, gloriæ communicator.* Sanctus Petrus Apoſtolorum Princeps, Paſtorum omnium & ovium Chriſti ſummus ſub ipſo Paſtor, Eccleſiæ viſibile caput & rector univerſæ, Paſtoribus omnibus imitandum humilitatis præbet exemplum, ſe collegam & *Compresbyterum* inferiorum ſuorum inſcribens, & ad illos obſecrationis & adhortationis verba dirigens, ut frater; non imperii, ut dominus. Apoſtolicæ illius humilitatis, quemadmodum & dignitatis hæredes ſunt Romani Pontifices, qui ceteros Epiſcopos ut fratres ſalutant & complectuntur, & ſe *Servos ſervorum Dei* inſcribunt. Exemplum dedit Chriſtus Dominus, Apoſtolos ſuos fratres vocans: *Ite, nuntiate fratribus meis,* & ſe veniſſe teſtatus ut miniſtraret. Quo igitur quiſque ſublimiorem tenet in Eccleſia gradum ac locum, eo ſit humilior; ſeque feliciorem exiſtimet communione paſſionum Chriſti, & crucis ejus conſortio, quam ſplendore dignitatis & gloria temporali: quia humiliationes, & afflictiones propter Chriſtum toleratæ, gradus ſunt ad gloriam ſempiternam.

*Matth.* 28.

Paſtorum officia. *Concil. Trid. Seſſ.* 23. *cap.* 1. *De Reformat.*

2. 3. 4. *Paſcite qui in vobis eſt gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſpontanee ſecundum Deum: neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie: Neque ut dominantes in cleris, ſed ut forma facti gregis ex animo.* Qui ad Paſtorale munus vocati ſunt a Deo, officia ſua diſcant ab Apoſtolorum Principe. 1. Noverint ſe non ad otium & quietem vocatos, ſed ad laborem, ut gregem paſcant verbi divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, bonorum operum exemplo, temporalium etiam ſubſidiorum (quantum in ipſis eſt) ſubminiſtratione. 2. Gregem Dei ſe paſcere debere conſiderent, non ſuum. Dei proinde gloriam, non ſuam quærant; auctoritatis Chriſti zelatores ſint, non ſuæ. *Paſcite gregem Dei.* 3. Portionem Dominici gregis ſibi commiſſam regant, alienæ Diœceſeos aut Parochiæ regimini non ſe immiſceant, imprudenti, inquieto, tumultuoſoque zelo falcem mittentes in meſſem alienam. *Qui in vobis eſt.* 4. Sacram reſidentiæ legem religioſe obſervent, ſub peccato mortali obligantem, cum munia Paſtoralia ab iis præſtari & impleri non poſſint, qui gregi non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more illum deſerunt. *Qui in vobis eſt.* 5. Non propter rerum temporalium penuriam, Paſtoralem curam ſuſcipiant, ut habeant unde vivant, aut lautius vivant, ſed propter bonum ſalutis animarum Chriſti ſanguine redemptarum, neque cum triſtitia ſacrum munus obeant, nec de difficultatibus ac moleſtiis Paſtoralis curæ, de labore nimio, de indocilitate, ingratitudine, aliiſque vitiis ſubditorum amare conquerantur. *Non coacte, ſed ſpontanee, ſecundum Deum.* 6. Diteſcere, aut conſanguineos augere ex Eccleſiæ bonis, ex patrimonio pauperum non ſtudeant, nec lucrum captent ex divino Miniſterio: nullam partem in ejus functionibus habeat cupiditas, totum ſibi vendicet caritas. Nullum præmium quærant præter Deum, nullum lucrum niſi animarum. *Neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie.* Væ, ait Dominus per Prophetam, *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcebant ſemetipſos! Nonne greges a Paſtoribus paſcuntur? Lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis.* 7. Clerum, ac populum Chriſtianum regant ut Patres, non ut domini, non ſuperbe & aſpere imperent ut mancipiis, ſed amanter & ſuaviter ut filiis. Caritas reverentiam conciliet auctoritati, ne juſte ipſis exprobret Dominus: ,, Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis, quod confractum eſt, non alligaſtis, & quod abjectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis; ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia .... Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur: vos autem non ſic (*ait Chriſtus Dominus Diſcipulis ſuis.*) Neque ut dominantes in Cleris (*ait Apoſtolus noſter.*) 8. Paſtor ſit exemplar & forma gregis. Nihil dicat aut jubeat ad ſanctam morum diſciplinam, aut Chriſtianam converſationem pertinens, quod prior non faciat. Omnium exemplo virtutum præluceat ovibus. Illas ut certo dirigat in viam ſalutis, ab ea nuſquam aberret. ,, Ne ſit ex eorum numero, qui onera gravia & importabilia imponunt in humeros hominum, digito autem ſuo nolunt ea movere, qui præclara dicunt, & non faciunt.... Quam monſtruoſa res eſt ſedes prima, & vita ima; vultus gravis, actus levis; ſermo multus, fructus nullus; ingens auctoritas, & animi inſtabilitas! Paſtor forma ſit gregis, non violenta ad deſtructionem, ſed naturalis & amica ad perfectionem. *Forma facti gregis ex animo.* Multi Apoſtolici ſortiuntur Miniſterii locum, ſed non zelum. Succeſſores Apoſtolorum omnes cupiunt eſſe, imitatores pauci. O utinam tam vigiles reperirentur ad curam, quam alacres currunt ad Cathedram! Vigilarent utique ſolicite ſervantes Sponſam ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris inventam, ſibi creditam & commendatam. Paſtor animarum *exemplum* ſe præbeat ovibus *in verbo, in converſatione, in caritate, in fide, in caſtitate:* ut *Cum apparuerit Princeps Paſtorum,* percipiat *immarceſſibilem gloriæ coronam.* Hanc illi ſoli percipient, qui ſecundum Chriſti voluntatem, Spiritum, legem ac regulas, Paſtorale munus obierint. Glorioſam illam coronam non conſequentur, qui pecuniam, honorem, gloriam in ſacro Miniſterio quærunt. *Receperunt mercedem ſuam.*

*Beda.*

*Ezechiel.* 34.

*Luc.* 22. 25.

*Matt.* 23. 4.

*S. Bernard.*

*Tim.* 4. 12.

Reverentia & obedientia a Clero & Populo Epiſcopis, aliiſque Paſtoribus exhibenda.

5. *Similiter adoleſcentes ſubditi eſtote Senioribus.* Clerus & populus reverentiam & obedientiam Paſtoribus exhibeant. Hierarchicus ordo ſervetur. *Cum Epiſcopo ſubjecti eſtis ut Jeſu Chriſto* (inquit S. Ignatius Martyr) *videmini mihi non ſecundum homines viventes, ſed ſecundum Jeſum Chriſtum propter vos mortuum, ut credentes in mortem ipſius, mori effugiatis. Neceſſarium igitur eſt, quemadmodum facitis, ſine Epiſcopo nihil operari vos: ſed ſubjici & Presbyterio ut Apoſtolis Jeſu Chriſti ſpei noſtræ, in quo converſantes inveniamur.* Quicumque tandem juniores ſunt ætate, ſeniorum, maxime vero Paſtorum ac Directorum ſuorum conſiliis auſcultent. *In multitudine Presbyterorum prudentium ſta,* (inquit Sapiens) *& ſapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei poſſis audire, & proverbia laudis non effugiant a te.* Nemo vero humilitatis lege non tenetur, ſive juvenis, ſive ſenior, ſive ſubditus, ſive Præpoſitus, ſive Clericus, ſive ſæcularis, ſive ſecundi, ſive primi ordinis Sacerdos. Hanc mutuis exemplis ſibi inſinuent omnium ordinum & conditionum Chriſtiani, hac velut veſte pretioſa ornent animam, hanc ſibi arctiſſimo nexu adſtringant. Semper ad hanc virtutem exercendam parati ſint, ut ſuperbia per primi parentis peccatum omnibus inſita penitus deſtruatur. Omnes & ſinguli ſe mutuo honore præveniant, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam operentur, ſed ex humilitate ſuperiores ſibi invicem exiſtimantes ſecundum gratiæ dona, quanto majores ſunt, humilient ſe in omnibus. Agnoſcant Prælati ſervos ſe eſſe fidelium, non dominos; tales ſubditis ſe præſtent; ut non ſolum auctoritate, ſed magis humilitate clareſcant. Cogitent Deum ſuperbis velut gloriæ ſuæ invaſoribus & raptoribus ex adverſo ſe opponere, eos contemptui & ludibrio exponere, dejicere ex faſtigio celſi-

*S. Ignatius M. Epiſt. Ad Tralleſios.*

*Eccli.* 6. 35.

Humilitas ab omnibus, etiam ab ipſis Paſtoribus ſervanda.

*Philipp.* 2. 3. *Eccli.* 3. 21.



celſitudinis quam affectant, eorumque conatus & ſtudia deludere, quod Luciferi & Adami exempla demonſtrant. *Omnes autem invicem humilitatem inſinuate: quia Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam.* ,, Deus humiles reſpicit, ut attollat; excelſa cognoſcit, ut dejiciat. *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit, & alta a longe cognoſcit.* Aliud eſt levare ſe ad Deum; aliud eſt levare ſe contra Deum. Qui ante illum ſe projicit, ab illo erigitur; qui adverſus illum ſe eregit, ab illo projicitur. *Alia eſt enim ſoliditas magnitudinis, alia inanitas inflationis. Qui foris tumeſcit, intus tabeſcit.* Qui *eligit abjectus eſſe in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum;* eligit illum Deus, ut inhabitet in atriis ejus, & nihil ſibi aſſumentem ille in ſedem beatitatis aſſumit.

*Pſal.* 137. 6.

*S. Aug. Serm.* 351. *alias* 50. *inter Homil.* 50. *Pſ.* 85. 11.

6. 7. *Humiliamini igitur ſub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore viſitationis.* Sub potenti manu Dei nos humiliamus, cum mentes noſtras ejus veritati & ſapientiæ, voluntates noſtras ejus voluntati ac decretis: conſilia noſtra, vitam noſtram, omnes res noſtras, ejus providentiæ ſubjicimus; agnoſcentes quicquid mali in nobis eſt eſſe ex infirmitate, ignorantia, & malitia noſtra; quicquid boni, eſſe ex miſericordia & operatione divina. Nihil nobis Deum debere; nos Deo debitores eſſe omnium bonorum naturalium, ut ejus creaturas; omnium donorum ſupernaturalium, ut Chriſti ſanguine redemptos, & in adoptionem filiorum per ipſum vocatos; debitores omnium pœnarum, ut in Adamo lapſos, & propriis peccatis gravatos; proinde quicquid adverſi & moleſti patiamur in hac vita, infra noſtra merita eſſe; & Dei erga nos miſericordiam ſuperexaltari judicio. Quid ſuperbis terra & cinis, vanitas, ſaccus ſtercorum, cibus vermium, nihil Deo rebelle? Humiliare ſub potenti manu Dei. Sub manu hominum quotidie ſe humiliant Aulici ambitioſi, ad occurſum majoris cujuſque decreſcunt, ut loquitur Tertullianus, & nullum ſæpe humiliationum ſuarum fructum reportant. Qui vero ſe humiliat ſub potenti manu Dei, ſincero animo, cujus ipſe receſſus omnes ſcrutatur & intuetur, nuſquam id inutiliter facit. Deus enim illum exaltabit in gloria. *Superbum ſequitur humilitas, & humilem ſpiritu ſuſcipiet gloria,* ait Spiritus ſanctus per os Salomonis. Æternæ veritatis eſt Chriſti Oraculum: *Qui ſe humiliat, exaltabitur: & qui ſe exaltat, humiliabitur.* In ipſo judicii die, in tempore viſitationis, electi humiliare ſe pergent ſub potenti manu Dei. Chriſto enim ad regni cœleſtis poſſeſſionem illos vocanti, & dicenti, *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare;* reſpondebunt: *Domine, quando te vidimus eſurientem, & pavimus te?* &c. Defixa ſcilicet altis radicibus in ipſorum animis humilitas illos bonorum operum ſuorum quaſi immemores feciſſe videtur. Ad Dei magnitudinem, potentiam, & miſericordiam attenti, recte factorum ſuorum quaſi obliti, admirantur quod illos tanto honore, tantaque gloria dignetur; totum ejus bonitati, nihil ſuis meritis tribuentes. Ideo & in hoc mundo exultant ſancti cum ex Dei voluntate humiliantur & affliguntur, ſub ejus omnipotenti manu ſe magis humiliantes dicunt: *Repleti ſumus mane miſericordia tua & exultavimus; & delectati ſumus omnibus diebus noſtris. Lætati ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti.*

*Proverb.* 29. 13.

*Pſal.* 89. 14.

Fiducia in Dei providentia & paterna bonitate.

7. *Omnem ſolicitudinem veſtram projicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis.* Nos coram Deo, ut par eſt non humiliamus, niſi omnem fiduciam noſtram, ſpes omnes, ſolicitudinem omnem in Deum conjiciamus, & a Deo totum quod nobis neceſſarium eſt ſive ad hanc vitam ſuſtentandam & tuendam, ſive ad æternam ſalutem, tanquam ab univerſali Proviſore, & ab optimo Patre expectemus, totique ab ejus providentia quæ neminem negligit, quæ omnia complectitur, pendeamus: Media tamen ab ea ordinata adhibentes, operam ſcilicet ac induſtriam, preces ac ſupplicationes, & quæcumque ad finem conſequendum adhibenda ratio & prudentia dictant in temporalibus negotiis: & quæcumque lex Dei præſcripti in ſummo ſalutis æternæ negotio. Hæc in Dei Providentia & cura quam de nobis gerit, fiducia, Chriſtiani hominis animum ab omni anxietate, curiſque ſuperfluis liberat, & tranquillitatem ac pacem affert imperturbabilem. *Jacta ſuper Dominum curam tuam* (ait Propheta) *& ipſe te enutriet: non dabit in æternum fluctuationem juſto.* Videris fluctuare in mari iſto, ſed excipit te portus. Tu tantum antequam intres in portum, ab anchora noli abrumpi. Fluctuat navis in anchoris, ſed non longe a terra projicitur, nec in æternum fluctuabit, etſi ad tempus fluctuat. *Contriſtatus ſum* (inquit) *in exercitatione mea, & conturbatus ſum. Exſpectabam eum qui ſalvum me fecit a puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate.* Fluctuans loquitur, ſed non in æternum fluctuabit: nam anchora ligatur: anchora ſpes ejus eſt. *Non dabit in æternum fluctuationem juſto.*

*Pſal.* 54. 23. *S. Auguſt. in hunc Pſ. n.* 24.



Diabolo reſiſtendum. nobis ſemper infeſto.

8. 9. *Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret; cui reſiſtite fortes in fide.* Diabolus ad noſtram perditionem vigilat juratus hoſtis, quemadmodum ad noſtram ſalutem vigilat Deus optimus pater & potentiſſimus protector. Cor noſtrum inordinato creaturarum amore, ſenſus noſtros pravo earum uſu corrumpit. ,, Circuit ille nos ſingulos, & tamquam hoſtis clauſos obſidens, muros explorat & tentat, an ſit pars aliqua membrorum minus ſtabilis, & minus fida, cujus aditu ad interiora penetretur. Offert oculis formas illices, & faciles voluptates, ut viſu deſtruat caſtitatem. Aures per canoram muſicam tentat, ut ſoni dulcioris auditu ſolvat, & molliat Chriſtianum vigorem. Linguam convitio provocat, manum injuriis laceſſentibus ad petulantiam cædis inſtigat; ut fraudatorem faciat, lucra opponit injuſta; ut animam pecunia capiat, ingerit pernicioſa compendia: honores terrenos promittit, ut cœleſtes adimat: Oſtentat falſa, ut vera ſubripiat: & cum latenter non poteſt fallere, exerte atque aperte minatur: terrorem turbidæ perſecutionis intentans, ad debellandos Dei ſervos inquietus ſemper & ſemper infeſtus, in pace ſubdolus, in perſecutione violentus. Quamobrem contra omnes diaboli vel fallaces inſidias, vel apertas minas, ſtare debet inſtructus animus & armatus, tam paratus ſemper ad repugnandum, quam eſt ad impugnandum ſemper paratus inimicus. Quibus vero pugnandum armis? Fidei fortitudine, quæ divinarum promiſſionum veritate nos circundans & muniens, contra omnes mundi errores, amores, & terrores, quibus animos noſtros expugnare nititur adverſarius, invictos nos præſtat. *Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno, A ſagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano.* Timor nocturnus puſillanimitas eſt in rebus adverſis, ſive afflictionum metus. Ab hac tentatione non timet, qui ſcuto veritatis protegitur. Ingerit enim veritas oculis cordis nunc quidem peccata quæ fecimus, nunc æterna ſupplicia quæ meruimus, ut eorum comparatione quæ evadimus, univerſa quæ patimur delicias reputemus: nunc quoque cœleſtia præmia ad quæ tendimus, crebro memorantes, Quoniam *non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur, in nobis:* ,, Nunc etiam ea quæ pro nobis pertulit Chriſtus, ut crebro conſiderantes quanta ſuſtinuit illa Majeſtas pro inutilibus ſervis, erubeſcamus non ſuſtinere vel parva pro nobis. Sagitta volans in die, vana gloria eſt. Leviter volat, leviter penetrat, ſed non leve infligit vulnus, cito interficit. Verumtamen repelli & obtundi poteſt ſcuto inexpugnabili veritatis. Quid enim aliud tam contrarium vanitati? Difficile prorſus homo verbis laudantium hominem in vita ſua abduci poterit ut altum ſapiat, ſi ſe intus ad lucem veritatis ſollicita conſideratione diſcutiat. Nonne enim ſi propriam cogitat conditionem, dicturus eſt ſibi. *Quid ſuperbis terra & cinis?* Nonne ſi propriam conſideret corruptionem, fateatur neceſſe eſt, quoniam non eſt in eo bonum! Sed etſi forte aliquid habere videtur, quid reſpondeat Apoſtolo dicenti: *Quid habes quod non accepiſti?* Et alibi: *Qui ſtat, videat ne cadat.* Negotium perambulans in tenebris, cupiditas eſt honorum & divitiarum, ambitio & avaritia. Quid vero hunc fovet vermem aliud quam mentis alienatio, & oblivio veritatis? Aut quid niſi veritas hunc prodendum veſtigat proditorem, & negotium arguit tenebrarum? Nimirum hæc eſt quæ dicit: *Quid prodeſt homini ſi univerſum mundum lucretur, ſe autem perdat, & detrimentum ſui faciat?* Et ,, *Potentes potenter tormenta patientur.* ,, Hæc eſt quæ ſedula ſuggeſtione reducit in mentem quam ſit in ambitu frivola conſolatio, grave judicium, uſus brevis, finis ignotus. Dœmonium meridianum, eſt malum virtutis imagine palliatum. Quos enim perfectos boni noverit amatores diabolus, malum eis ſub ſpecie boni non mediocris, ſed perfecti perſuadere conatur; ut cito conſentiat qui magnopere diligit bonum, & facile qui currit, incurrat. Sola porro veritas palliatam detegit falſitatem.

*S. Cyp. Tract. De zelo & livore.*

Fide contra diabolum pugnandum eſt.

*Pſal.* 90. 5.

*S. Bern. Serm* 5. & 6. *in Pſal.* 90.

*Rom.* 8.

*Eccl.* 10.

2. *Cor.* 4. 1. *Cor.* 10.

*Matth.* 16. *Sap.* 6.

Solatii in rebus adverſis multiplex argumentum.

10. *Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu, modicum paſſos ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque.* Multiplex ſolatii in rebus adverſis argumentum fidelibus proponit Apoſtolorum Princeps. 1. Quod Deus non ad æternam ſuam gloriam vocaverit per meritum Jeſu Chriſti Filii ſui, ut illi conformes ſimus, paſ-

ſionis & mortis ejus ſimilitudinem in nobis exprimentes: ad quod nos juvant plurimum res adverſæ. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei*. Ita diſpoſuit ille *Qui nos vocavit in æternam ſuam gloriam in Chriſto Jeſu*. 2. Quod nos vocaverit *Deus omnis gratiæ*, Deus in miſericordia dives, qui nos immenſa caritate diligit: cujus gratiam, vires efficaciſſimas infirmis voluntatibus noſtris tribuentem, ad omnia ſalutis noſtræ impedimenta vincenda nobis non defuturam ſperare debemus, niſi ipſi gratiæ defuerimus. *Gratia* enim *Dei in omnibus principaliter præeminet, ſuadendo exhortationibus, movendo exemplis, terrendo periculis, incitando miraculis, dando intellectum, inſpirando conſilium, corque ipſum illuminando & fidei affectionibus imbuendo: ſed etiam voluntas hominis ſubjungitur ei atque conjungitur, quæ ad hoc prædictis eſt excitata præſidiis, ut divino in ſe cooperetur operi, & incipiat exercere ad meritum, quod de ſuperno ſemine concepit ad ſtudium, de ſua habens mutabilitate, ſi deficit; de gratiæ opitulatione, ſi proficit*. 3. Quod Deus afflictiones nobis non immittit, niſi ut nos probando purificet ac perficiat, confirmet, & in Chriſto totius ædificii ſpiritualis fundamento conſolidet. *Ipſe perficiet, confirmabit, ſolidabitque*. 4. Hujus vitæ afflictiones breves eſſe, quaſi momentaneas, & leves, ſi cum gloriæ & gaudii cœleſtis magnitudine & æternitate comparentur. *Modicum paſſos*. Quo ſpectant illa Domini verba apud Prophetam: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper a te, & in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui*.

Act. 14. 21.

*Auctor lib. De Vocatione omnium Gentium l. 2. c. 26. inter Opera S. Poſperi, & S. Leonis editorum.*

Iſai. 54. 7. 8.





# IN EPISTOLAM II. S. PETRI APOSTOLI, COMMENTARIUS LITTERALIS ET MORALIS,

## *PROLOGUS.*

De iſtius Epiſtolæ auctoritate quamvis olim dubitatum ſit a nonnullis, * ut referunt Origenes, Euſebius, S. Hieronymus & alii, illam tamen in ſacrarum Scripturarum Canone habuit ſemper Eccleſia, ut conſtat ex Conciliis Laodiceno, * Carthaginenſi III. Innocentio I. Romana Synodo ſub Gelaſio I. & Tridentina, ex SS. Athanaſio, Cyrillo Hieroſolymitano, Gregorio Nazianzeno, Hilario, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Gregorio Magno &c. Hanc S. Petro vindicant inſcriptio, & primi capitis Verſus 16. 17. 18. ubi glorioſam Chriſti Jeſu Transfigurationem commemorat, ejuſque teſtem ſe fuiſſe ſcribit. Quod Simeoni Hieroſolymorum Epiſcopo, cui hanc Epiſtolam temere tribuit Grotius, aut alteri quam uni ex tribus Apoſtolis a Chriſto ad hujus Myſterii ſpectaculum aſſumptis non convenit. Stylo diſcrepare a priori Epiſtola viſa eſt S. Hieronymo, quod in diverſitatem Interpretis refert. Hanc tamen diſſimilitudinem alii non agnoſcunt. Didymus Alexandrinus vetus Scriptor Eccleſiaſticus ex mundi revolutione & immutatione ab ejus Epiſtolæ Auctore prædicta, illam falſitatis perperam arguit, & canonicam illi derogat auctoritatem. Ad eoſdem ſcripta eſt hæc Epiſtola, ad quos præcedens, ſcilicet ad Fideles ex Judaiſmo converſos. Anno vitæ ſuæ ultimo eam ſcripſit S. Petrus, cum revelatione divina certus eſſet *de veloci depoſitione tabernaculi ſui*, id eſt corporis. Chriſtianos hortatur ut fidem, etiam ſe mortuo, firmiter retineant, errorumque Magiſtros fugiant, quorum mores & ſtudia depingit.

*Origen. in Pſal. 1. Euſeb. l. 3. Hiſt. c. 3. & l. 6. c. 16. Conc. Laod. c. 9. Carthag. 3. c. 47. Innoc. 1. Epiſt. Ad Exup. Synod. Trid. Seſſ. 4.*
* *SS. Athan. in Epiſt. Feſtali, in Synopſi, & Orat. 2. Contr. Arian. Cyrill. Hieroſ. Catech. 4. Hilar. l. 1. De Trin. Ambr. l. De Incarnat. Hieron. in Catal. & Epiſt. Ad Hedibiam Quæſt. 2. S. Aug. l. 2. De Doctrin. Chriſt. c. 8. S. Greg. Mag. Hom. 18. in Ezech.*

### CAPUT I.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. *Simon Petrus, ſervus & Apoſtolus Jeſu Chriſti, iis qui coæqualem * nobiſcum ſortiti ſunt fidem in juſtitia Dei noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti: Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Jeſu Domini noſtri*. Simon Petrus Jeſu Chriſti in Evangelii prædicatione ſervus, & Apoſtolus ſive legatus, iis qui parem nobiſcum fidem Myſteriorum & promiſſionum Dei gratuita illius miſericordia conſecuti ſunt per juſtitiam & merita Jeſu Chriſti Dei & Salvatoris noſtri: Gratia & pax, & cetera dona ſpiritualia in vobis magis ac magis creſcant per fidem qua Deum Patrem cognoviſtis, & quem ille miſit Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

* Ἰσότιμον πίστιν, *atque pretioſam*, ſeu *æque honorificam fidem*.

3. 4. 5. 6. 7. *Quomodo * omnia nobis divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem donata ſunt, per cognitionem ejus, qui vocavit nos propria gloria & virtute*. * Sicut divina ejus potentia nobis largita eſt omnia quæ ad vitam ſpiritualem & pietatem Chriſtianam pertinent, per fidem qua Filium ejus cognoſcimus, qui vocavit nos per glorioſam ſuam virtutem, id eſt, ea vocatione quæ ſummam ejus potentiam, bonitatem, miſericordiam glorioſe manifeſtat. *Per quem * maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit: ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ: fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem*. Per quem, ſcilicet Chriſtum. Deus Pater magnam & pretioſa dona, ſcilicet bona ſpiritualia & cœleſtia, quæ olim per Prophetas ſuos promiſerat, nobis contulit, ut per hæc divinæ naturæ participes fieretis: ſi tamen fugiatis corruptionem carnalium cupiditatum, quæ in mundo dominantur. *Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam, in ſcientia autem abſtinentiam, in abſtinentia autem patientiam, in patientia autem pietatem, in pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem*. Cum Deus tanta in vos per Jeſum Chriſtum beneficia contulerit, & vos curam omnem ac diligentiam adhibete, ut fidei veſtræ ceteras virtutes, vitæque probitatem adjungatis; probitati ſcientiam ſeu prudentiam virtutum directricem ac moderatricem; ſcientiæ ſeu prudentiæ temperantiam & continentiam, temperantiæ patientiam; patientiæ pietatem in Deum; pietati amorem fraternum; amori fraterno caritatem; quæ omnes etiam inimicos & perſecutores complectatur.

* Ab hoc Verſu pendet ſenſus uſque ad Verſum 5.
* Græce, διὰ δόξας καὶ ἀρετῆς, *per gloriam & virtutem*.

8. 9. *Hæc enim ſi vobiſcum adſint, & ſuperent * non vacuos nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione*. Hæc enim virtutum dona ſi vobis inſint, & accreſcant in dies, efficient ut cognitio Chriſti, quam adepti eſtis per Evangelium, non ſit ſterilis & infructuoſa in vobis. *Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt, & * manu tentas *, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum*. Qui vero his virtutibus deſtitutus eſt, errat in tenebris quaſi cæcus, manu palpans ac viam quærens, oblitus ſe a veteribus peccatis in Baptiſmo fuiſſe purgatum.

* Græce, δι' ὧν, *per quæ*. Unus tamen Roberti Stephani Codex, habebat, δι' ὅν, *per quem*.
* *Superent*, id eſt, *exuberent*.
* Μυωπάζον ἀπὸ τῶν μύων, a muribus cæcis qui ſub terra degunt, nempe talpis quæ extra ſubterranea ſua foramina nihil vident, & hac illac errant, donec cavum ſuum inveniant. Vel a verbo μυεῖν, *nictare*, unde μύωπες, qui non vident niſi quæ prope admoventur, & oculis ſemiclauſis. His metaphoris ſignificantur homines in ſalutis negotio cæcutientes.

10. 11. 12. *Quapropter, fratres, magis ſatagite; ut per bona opera, certam veſtram vocationem & electionem faciatis: hæc enim facientes * non peccabitis aliquando*. Magis igitur ac magis in dies adnitimini & operam date, ut veſtram vocationem & electionem ad æternam gloriam per bona opera certam & firmam eſſe oſtendatis, eam exequendo & ad exitum perducendo, cum gratia Dei, per media ab ipſo præordinata & præparata, quæ merita veſtra ſunt, ipſiuſque dona. Hæc enim virtutum opera perſeveranter exercentes, nunquam peccabitis gravi ac lethali peccato, quo a gratia Dei excidatis. *Sic enim abundanter miniſtrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti*. Hac enim ratione vobis facilis & amplus ad æternum regnum Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti aditus patefiet, abundantia & opulentia præmii bonis operibus reſpondente. *Propter quod incipiam * vos ſemper commonere de his: & quidem † ſcientes & confirmatos vos in præſenti veritate*. Quapropter non negligam hæc vobis frequenter in memoriam revocare, tametſi jam ſatis inſtructi ſitis & bonorum operum exercitatione confirmati in veritate de qua impræſentiarum ad vos ſcribo.

* Quamvis in Græco nihil reſpondeat his verbis, *per bona opera*, ſunt tamen de mente Apoſtoli, ut ex toto hujus loci contextu evidens eſt. Vide Concil. Trid. Seſſ. 6. cap. 11. & S. Thom. 1. p. Quæſt. 23. Art. 8.

13. 14. 15. *Juſtum autem arbitror quamdium ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione: certus quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi*. Mei autem muneris Apoſtolici & Paſtoralis eſſe arbitror ut, quandiu in hoc mortali corpore tamquam in tabernaculo vitam ago, meis vos adhortationibus excitem ad conſtantiam in fide & ſtudium bonorum operum: cum certo ſciam ex Chriſti Domini revelatione, me hoc tabernaculum brevi relicturum, id eſt ex hac vita migraturum, mortem obeundo pro Chriſto. *Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt * obitum meum, ut horum memoriam faciatis*. Hæc autem vobis qualibet occaſione data inculcando, dabo operam ut poſt exitum meum ea frequenter in memoriam revocetis.

* Græcus Textus; οὐκ ἀμελήσω *non negligam*.
† Καίπερ, *etſi*.

16. 17. 18. *Non enim doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & præſentiam; ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis*. Ceterum non fabulas igenioſe & artificioſe confictas ſecuti, notam vobis fecimus potentiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, & ejus adventum; ſed ut qui oculis noſtris illius majeſtatem aſpeximus. *Accipiens enim a Deo Patre honorem & gloriam, voce delapſa ad eum hujuſcemodi a magnifica gloria: Hic eſt † Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, * ipſum audite*. Ille enim a Deo Patre ſingulare & eximium honoris & gloriæ teſtimonium accepit, cum e nube

* Μετὰ τὴν ἐμὴν ἔξοδον. *Poſt exitum meum*.

lucida in qua magnifice & glorioſæ transfiguratus eſt, vox illa ad ipſum delata eſt : *Hic eſt Filius meus* unicus, ex ſubſtantia mea mihi ab æterno natus æqualis, mihi infinite dilectus, in quo mihi unice complaceo, & oblector, Ipſum ut Doctorem & Legislatorem a me hominibus datum audite, illique obedite. *Et hanc vocem nos audivimus de cælo allatam, cum eſſemus eum ipſo in monte ſancto.* Et hanc vocem de cœlo venientem nos ipſi audivimus, tum eſſemus cum ipſo in monte ſancto, in quo gloriæ ſuæ ſpecimen admirabili corporis ſui Transfiguratione nobis exibuit.

* Secundum Græcum ὁ ὑιος μϋ ὁ ἀγαπιτος, *ille Filius meus, ille dilectus.*

* His verbis *Ipſum audite*, nihil in Græco Textu reſpondet. Divina tamen ſunt ex *Matt.* 17. 5. *Marc.* 9. 6. & *Luc.* 9. 35. Vide Commentar. noſtrum in Evang.

19. *Et habemus * firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Nos vero non hac tantum viſione nitimur ad Chriſti Jeſu Domini noſtri divinitatem, potentiam, & gloriam Judæis aut aliis infidelibus perſuadendam, apud quos teſtimonium noſtrum indubitatam fidem forte non faceret; ſed ipſos convincimus Prophetarum oraculis, quorum auctoritas diuturnitate temporis & majorum conſenſu roborata eſt, & quæ Judæorum opinione certiora ſunt & ad fidem faciendam aptiora. Hæc autem in Chriſto Jeſu, qui Legis & Prophetarum finis eſt, & in ejus adventu adimpleta eſſe demonſtramus. Quibus quidem oraculis dum attenditis & adhæretis, legendo Prophetarum libros, & ex eis ſcrutando veritatem Myſteriorum quæ vobis prædicamus, bene facitis, iis utendo quaſi lucerna in obſcuro loco lucente, donec depulſis omnino ignorantiæ tenebris perfectius fidei lumen vobis affulgeat, & plenior Chriſti cognitio quaſi ſtella matutina in cordibus veſtris oriatur qua duce tandem ad meridiem beatæ æternitatis pervenietis, ubi Deum ſicuti eſt videbitis, qui *Lux eſt in quo tenebræ non ſunt ullæ.*

* *S. Auguſt. Serm.* 43. *alias De Vebis Apoſt.* 27. legit, *certiorem*. Propheticum ſermonem & ſic exponit : *Vox de cælo, qua fideles admonentur : propheticus ſermo, quo infideles convincantur,*

20. 21. *Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit.* Illud autem ante omnia vobis perſuaſum ſit, quod nulla Scriptura Prophetica edita eſt a Prophetis proprii ingenii inventione, verbiſque & phraſibus a ſe delectis & proprio arbitrio contextis compoſita. Vel, Omnis interpretatio Scripturæ † privata cujuſquam auctoritate & humani ingenii ſenſu fieri non debet. *Non enim voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia : ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines.* Non enim Prophetia humani ingenii inventum eſt, nec privato cujuſquam ſtudio comparata, nec hominis alicujus voluntate prolata aut ſcripto conſignata : ſed viri ſancti Oracula Prophetica ediderunt Spiritus ſancti afflatu, lumine, revelatione, impulſu : tametſi ſana mente & libero motu voluntatis, prout Spiritus Sanctus inſpiravit, & voluit, futura prædixerint, prædictioneſque ſuas ſcripto conſignaverint. Neminem porro proprio ſtudio, aut voluntate intellectum ad futurorum cognitionem applicante Prophetam evaſiſſe, ſed Prophetiam ſupernaturale Dei donum eſſe, alia Scripturæ ſacræ loca confirmant. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum* (ait Iſaias) *& ſciemus quod Dii eſtis vos.* Et alibi Deum ſic loquentem inducit : *Quis ſimilis mei? vocet & annuntiet : & ordinem exponat mihi, ex quo conſtitui populum antiquum ; ventura & quæ futura ſunt annuntient eis.* Homini vero penitus occulta eſt futurarum rerum cognitio. Hinc illud Tertulliani : *Idoneum teſtimonium divinitatis, veritas divinationis.*

* Donum Scripturas ſacras interpretandi, prophetiæ nomine inſignitur. *Rom.* 12. 6. 1. *Cor.* 13. 2. 8. 1. *Theſſal.* 5. 20.

*Iſai.* 41. 23. & 44. 7. *Tertull. Apolog. c.* 20.

---

# C A P U T I.

## *Senſus Moralis.*

1. 2. *Simon Petrus, ſervus & Apoſtolus Jeſu Chriſti, iis qui coæqualem nobiſcum ſortiti ſunt fidem in juſtitia Dei noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti. Gratia vobis & pax adimpleatur in cognitione Dei, & Chriſti Jeſu Domini noſtri.* Paſtores dignitate & auctoritate ſuperiores ovibus, oves fide Chriſtiana coæquales Paſtoribus. Iſtæ Paſtorum dignitatem & auctoritatem revereantur ; illiſque obediant ; illi oves ut ejuſdem conſortes fidei diligant, curam earum gerant, & ad Chriſtianam perfectionem perducere ſatagant, ut miniſtri Dei, ut Apoſtolorum & Diſcipulorum Domini ſucceſſores. Pretioſum fidei donum in ſubditis magni faciant : pro ſe ac pro illis Deo gratias agant, a quo illud acceperunt nullis ſuis præcedentibus meritis. Omne enim meritum noſtrum ex Dei miſericordia, omnis ſanctitas noſtra ex Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti gratia, totum fidei noſtræ pretium ex Chriſti juſtitia. Initium autem & fundamentum juſtitiæ noſtræ fides eſt in Deum verum, & in eum, quem miſit, Jeſum Chriſtum. Hujus fidei per caritatem viventis & operantis fructus pax eſt, qua ab offenſione Dei liberamur, quam Chriſtus a morte redivivus Diſcipulis ſuis tribuit, quam Sacerdos in Altari Fidelibus adprecatur, quæ *Mater eſt omnium bonorum, ac ſubſtantia gaudii noſtri* : quam Chriſtus Diſcipulis ſuis in domos ingredientibus offerre divinitus edixit. Hujus incrementum in hoc ſæculo, conſummatio in cœlo, votorum noſtrorum ſumma ſit.

*Oecumenius.*

3. 4. *Quomodo omnia nobis divinæ virtutis ſuæ, quæ ad vitam & pietatem donata ſunt, per cognitionem ejus qui vocavit nos propria gloria & virtute, Per quem maxima & pretioſa promiſſa donavit : ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ : fugientes ejus, quæ in mundo eſt concupiſcentiæ corruptionem.* Quæcumque ad vitam ſpiritualem & Chriſtianam pietatem pertinent, & ad finem æternæ beatitudinis referuntur, dona Dei ſunt. Hæc inter fides primum tenet locum. Ad illam nos vocavit Chriſtus efficaciſſima virtute & glorioſiſſima poteſtate, quam in reſurrectione ſua accepit a Patre. Hac virtute faciem orbis terrarum immutavit, homines a falſorum numinum cultu, ad ſuam Patriſque notitiam & cultum traduxit, trahens illos ad ſe vinculis caritatis, & bonis voluntatibus, quas in ipſis operatus eſt. Cantent igitur Domino Canticum novum homines novi, quia mirabilia fecit. *Salvavit ſibi dextera ejus, & brachium ſanctum ejus. Notum fecit Dominus Salutare ſuum, in conſpectu gentium revelavit juſtitiam ſuam. Recordatus eſt miſericordiæ ſuæ, & veritatis ſuæ domui Iſrael. Viderunt omnes termini terræ Salutare Dei noſtri.* Magna & pretioſa beneficia, quæ per Prophetas olim promiſerat, nobis per Jeſum Chriſtum Filium ſuum contulit, fidem, ſpem, caritatem, gratiam ſanctificantem, virtutes, dona, Sacramenta. *Maxima* ſunt hæc beneficia, magnitudini ſummæque potentiæ Donatoris reſpondentia. *Pretioſa* ſunt, ſiquidem inæſtimabili pretio Sanguinis Chriſti nobis parta. Ineffabilia ſunt, quia nos ad æternam beatitudinem & gloriam promovent & perducunt, ad illa bona de quibus Apoſtolus Gentium poſt Prophetam ait : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus iis qui diligunt illum* : Eripuit nos de tenebris ignorantiæ, de ſervitute peccati & diaboli, juſtificavit, adoptavit, ut per tot tantaque dona, divinæ naturæ conſortes efficiamur : imprimis vero per gratiam ſanctificantem, quæ nos filios Dei adoptivos, Chriſti membra, fratres, & cohæredes efficit, Spiritus ſancti exempla conſecrat : poſtea vero per gloriam, in qua noſtra deificatio complebitur. *Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus : quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Verum cum natura divina puriſſimus ſit Spiritus, ipſaque ſanctitas, participes ejus eſſe non poſſumus, niſi carnalibus cupiditatibus, quæ in hominibus corruptis regnant, omnino renuntiemus, niſi voluptates, quas ſenſibus noſtris mundus offert ; quibus diabolus animum noſtrum expugnare, ſibique ſubjicere nititur, fugiamus. Hoc in certamine ſalutem ſuam nemo in tuto ponit, niſi qui hoſtem fugit. *Fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.* ,, Surſum vocatos ,, animos deſideria terrena non deprimant ; ad æterna præelectos peritura non occupent ; viam veritatis ingreſſos fallaces illecebræ non retardent : & ,, ita a Fidelibus hæc temporalia decurrantur, ut ,, peregrinari ſe in hac mundi valle cognoſcant, in ,, qua etiamſi quædam commoda blandiantur, non ,, amplectenda nequiter, ſed tranſeunda ſunt fortiter. ,, Ad hanc enim nos devotionem beatiſſimus Apoſtolus Petrus incitat, & ſecundum illam dilectionem, quam paſcendis Chriſti ovibus trina dominici amoris profeſſione concepit, dicit : *Chariſſimi, obſecro vos tamquam advenas & peregrinos, abſtinere vos a carnalibus deſideriis, quæ militant adverſus animam.* ,, Cui autem niſi diabolo carnales militant ,, voluptates, qui animas ad ſuperna tendentes corruptibilium bonorum delectationibus obligare, & ,, ab illis ſedibus, de quibus ipſe excidit, gaudet ,, abducere? Contra cujus inſidias vigilare debemus, *fugientes ejus, quæ in mundo eſt, concupiſcentiæ corruptionem.*

Mundi corruptio fugienda, ut bonis a Deo promiſſis fruamur, & ne ab iis quæ nobis contulit, excidamus.

*Pſal.* 97. 1. 2. 3.

*Iſai.* 64. 1. *Cor.* 2. 9.

1. *Joan.* 3. 2.

*S. Leo M. Serm.* 72. *De Aſcenſ. Dom.* 2.

1. *Petri* 2. 11.

5. 6. 7. 8. 9. *Vos autem curam omnem ſubinferentes, miniſtrate in fide veſtra virtutem, in virtute autem ſcientiam.* Cum Deus nos ad conſortium naturæ ſuæ evexerit, & tanta in nos miſericordiæ ſuæ dona uberrime effuderit, omnem curam adhibere debemus, ut ea in nobis permaneant & creſcant fideli cooperatione & exercitatione virtutum, ſine quibus fides ſterilis, inanis, & mortua eſt : quemadmodum & virtutes ſine fide, quæ totius ædificii ſpiritualis fundamentum eſt, ſunt inutiles ad ſalutem, nec Deo ſerviunt in hominibus, a quo dantur hominibus, ſed gloriæ ut plurimum humanæ ; aut commodis & emolumentis temporalibus. Sed virtutes in fide fundatæ veræ ſunt, bonum hominem faciunt, & ſi propter Deum earum opera exerceantur, fructuoſæ ſunt ad ſalutem, ex illis Deo placet, & ab illo vita remuneratur æterna. 2. ,, Virtutum ſtudio adjungenda eſt ſcientia, ſive cognitio Myſteriorum ,, Dei & voluntatis ejus, quam non aſſequuntur, ,, niſi qui exercitatos habent ſenſus in habitu bonorum operum. Hæc ſcientia eſt de qua Spiritus ſanctus per os Salomonis ait ; *Scientia ſanctorum prudentia.* Quæ opera virtutum dirigit, & Chriſtianæ Religionis principiis, ac ratione a Deo illuminata moderatur, ne modum excedant, aut ab ea deficiant. Hæc circumſtantias omnes circumſpicit, conſiderans qua, quomodo, & quando incedere oporteat in omni converſatione humana, ut Deo placeamus, nec a recto juſtitiæ tramite aberremus. Hac vera & Chriſtiana ſcientia qui deſtituti ſunt, errant ſæpe, & labuntur bona (ut ipſis videtur) intentione, & zelo imprudenti gravia peccata committentes, & viam ſalutis deſerentes, ut Judæi juſtitiam Dei ignorantes, & ſuam quærentes ſtatuere, nec juſtitiæ Dei ſubjecti, de quibus Apoſtolus Gentium ſcribit : *Æmulationem Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiam.* Hæc ſcientia *diſcretio* nuncupatur a vitæ ſpiritualis Magiſtris, a Chriſto vero in Evangelio *lucerna & oculus corporis* appellatur, eo quod ipſa cogitationes homi- ,, nis univerſas, actuſque diſcernens, cuncta quæ ,, ſunt gerenda pervideat atque perluſtret. Quæ ſi ,, menti noſtræ defuerit, ea non vero judicio & ſen- ,, tentia communita, ſed quovis errore ac præſum- ,, ptione decepta, totum corpus operum noſtrorum ,, tenebroſum faciet, hoc eſt, vitiorum & perturba- ,, tionum tenebris involutum. *Si enim* : ait Chriſtus, ,, *lumen quod in te eſt tenebræ ſint, ipſæ tenebræ quantæ erunt?* Nulli namque dubium eſt, errante judi- ,, cio cordis noſtri, cogitationes quoque & opera no- ,, ſtra, majorum peccatorum tenebris implicari. Ze- ,, lus abſque ſcientia & diſcretione plerumque perni- ,, cioſus eſt, devotio illuſionibus obnoxia. *Diſcretio omni virtuti ordinem ponit, ordo modum tribuit & decorem, etiam & perpetuitatem. Diſcretio non tam virtus eſt, quam quædam moderatrix & auriga virtutum, ordinatrixque affectum, & morum doctrix. Tolle hanc, & virtus vitium erit.* 3. Scientiæ adjungenda eſt abſtinentia, ſeu temperantia, non ſolum a cibo & potu, omnibuſque carnis voluptatibus, ſed ab omnibus vitioſis affectibus, quorum immoderatio rationem obnubilat, ac prudentiæ judicium pervertit. *In ſcientia abſtinentiam.* Univerſalis quodam modo ,, hæc virtus eſt. Nam & demiſſe de ſe ſentit vere ,, humilis, qui in gloria continentiam adhibet : & ,, Evangelicæ paupertatis menſuram explet, qui in ,, congerendis opibus continentiam ſervat, & ab ira ,, tranquillus eſt, qui animi elationem in officio ,, continet. Ea denique abſolutæ continentiæ ratio ,, eſt, ut linguæ, ut oculis limites præſcribat, ut ,, auribus minime curioſam indulgeat auſcultationem, ,, & ſingulis ſenſibus cancellos quoſdam ipſorum officii circumſcribat atque circumdet, extra quos qui ,, egreſſus ſit, incontinens ac petulans eſt. Hinc & ,, Apoſtolus Gentium ait : *Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet.* Eſt ergo continentia ; peccatorum ſublatio, vitioſarum affectionum amandatio, corporis ad naturales uſque paſſiones, cupiditateſque mortificatio, principium vitæ ,, ſpiritualis, ſempiternorum bonorum conciliatio, ,, voluptatis aculeum abolens. Siquidem voluptas ,, nihil eſt aliud quam hamus Maligni, quo ad exitium pertrahimur. Qui autem adhibita continentia ,, ab ea ſe neque effeminari, neque inflecti patitur, ,, quodvis peccatum effugit. Si vero cum a pluribus ,, evaſerit, tamen ſub unius adhuc dominatu ſit, nequaquam is in continentium numero habendus eſt, ,, quemadmodum neque ſanus, qui uno aliquo corporis morbo laborat, neque liber, cui vel unus ,, dominatur.

*Oecumenius.*

*Proverb.* 9. 10.

Zelus ſine prudentia & diſcretione plerumque pernicioſus.

*Rom.* 10. 2.

*Matt.* 6. 22.

*Caſſianus Collat.* 2. *cap.* 2.

*Matt.* 6. 23.

*S. Ber. Serm.* 49. *in Cant.*

*S. Baſil. in Regulis fuſ. diſput. Interrog.* 16. & 17.

1. *Cor.* 9. 25.

4. Abſtinentiæ ſeu continentiæ adjungenda patientia eſt, ſine qua diu durare non poteſt. Quicumque enim moleſtiarum hujus vitæ impatientes ſunt, facile a voluptatibus carnalibus expugnantur. Celebre illud Philoſophi Moralis effatum : *Suſtine, & abſtine.* Longe celebrius divinum illud Apoſtoli noſtri : *In abſtinentia autem patientiam.* ,, Qui bonis cœleſtibus inhærent, eorumque guſtu afficiuntur, patientiam ,, cum abſtinentia conjungunt, qua æquo animo mala ,, toleramus, ne animo iniquo bona deſeramus, per ,, quæ ad meliora perveniamus. *Vis enim deſideriorum facit tolerantiam laborum & dolorum : & nemo niſi pro eo quod delectat, ſponte ſuſcipit ferre quod cruciat.* ,, Sane cum pro iſta temporali vita ac ſalute multa homines horrenda mirabiliter ſufferant, ,, ſatis nos admonent quanta ſufferenda ſint pro vita ,, bona, ut etiam poſtea poſſit eſſe æterna, & ſine ,, ullo temporis termino, ſine utilitatis ullius detrimento, vera felicitate ſecura. Dominus ait : *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Non ait, ,, villas veſtras, laudes veſtras, luxurias veſtras : ,, ſed, *animas veſtras.* Si ergo tanta ſuffert anima ut ,, poſſideat unde pereat, quanta debet ſufferre ne ,, pereat? Si tanta ſuffert pro ſalute carnis ſuæ inter ,, manus ſecantium ſive urentium Medicorum, quanta debet ſufferre pro ſalute ſua inter furores quorumlibet inimicorum? Cum Medici ne corpus moriatur per pœnas corpori conſulant ; inimici autem ,, pœnas & mortem corpori comminando, ut anima ,, & corpus in gehenna occidantur impellant. Quamquam & ipſi corpori tunc providentius, conſulatur, ,, ſi temporalis ſalus ejus pro juſtitia contemnatur, & ,, pena vel mors ejus patientiſſime pro juſtitia ſuffe- ,, ratur.

Patientia continentiæ adjungenda.

*Epictetus.*

*S. Aug. lib. De Patientia.*

*Luc.* 21. 19.

5. Patientiæ adjungenda pietas, ſine qua vera & Chriſtiana patientia non eſſet, ſed Philoſophica. Ad unius igitur Dei gloriam & honorem referantur neceſſe eſt, quæcumque in hoc mundo adverſa & moleſta ſuſtinemus. Parato ſimus animo ad quaſvis afflictiones & perſecutiones tolerandas pro religione & juſtitia, ut in pace Eccleſiæ Martyrii meritum quodammodo habeamus. Pax enim a paganis, pax ab hæreticis, ſed nondum pax a falſis fratribus, a quibus in qualibet conditione multa pati oportet ſinceræ pietatis profeſſores. *In patientia autem pietatem.*

Patientiæ pietas adjungenda.

6. Cum vero pietas ſit Dei cultus, qui vere non colitur niſi diligatur, & ex amore Dei dilectio proximi oriatur, pietati fraternus amor adjungendus eſt, non in ſolis verbis, ſed in beneficentia, & miſeriarum, tum temporalium, cum ſpiritualium levamine conſiſtens. Diligendi autem ſunt proximi, non propter ipſos, multominus propter nos, & propter utilitatem noſtram ; ſed propter Deum, & propter ſpirituale ipſorum bonum, quod procurare & promovere ſtudiis omnibus debemus, abſque ulla perſonarum acceptione, ſolius Dei intuitu, ad cujus imaginem conditi ſunt, & Chriſti Jeſu, cujus ſanguine redempti ſunt ; & tanto magis illos diligere debemus, quanto fidelius ipſos Chriſto ſervire novimus. *In pietate autem amorem fraternitatis, in amore autem fraternitatis caritatem.*

Fraterna caritas.

Admirabilis illa virtutum concatenatio, Chriſtiani hominis perfectio eſt, & omnia ejus officia complectitur. Ejus officia erga Deum, fide, pietate, & caritate conſtant ; officia erga ſe ipſum, ſcientia, temperantia, & patientia : ejus officia erga proximum amore fraternitatis comprehenduntur. Qui hæc implent fideliter, & in his quotidie proficiunt : (Qui enim non proficit, deficit ;) vacui & ſine fructu coram Deo non comparebunt : ſed cum exultatione offerent illi manipulos ſuos, & bonorum operum ac meritorum ſuorum fructum & mercedem copioſam in cœlis percipient. *Hæc enim ſi vobiſcum adſint, & ſuperent ; non vacuos, nec ſine fructu vos conſtituent in Domini noſtri Jeſu Chriſti cognitione.* Qui autem his virtutibus, & earum operibus deſtituti ſunt, cæcutiunt in plena Evangelii luce, ea tantum vident, iiſque ſolis afficiuntur, quæ corporis ſenſibus propinqua ſunt & obvia, nempe bona temporalia, & carnalium lenocinia voluptatum ; iis vero non intendunt quæ procul ab ipſis ſunt, cœleſtibus æterniſque bonis : errant a via ſalutis, palpant fruſtra illam quærentes ſine virtutum & bonorum operum comitatu. In quibus divinum illud oraculum impletur ; *Percutiat te Dominus amentia & cæcitate ac furore mentis, & palpes in meridie, ſicut palpare ſolet cæcus in tenebris, & non dirigas vias tuas.* Horrendo tandem ingrati animi vitio tradunt oblivioni gratiam in Baptiſmo acceptam, remiſſionem peccatorum, juſtitiam & ſanctitatem qua induti ſunt, promiſſa perſeverandi in novitate vitæ ad quam ſunt regenerati, Deo ſolemni ritu facta. *Cui enim non præſto ſunt hæc, cæcus eſt, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum ſuorum delictorum.* Damnabilem illam cæcitatem ut vitemus, auſcultemus Spiritui ſancto per os Salomonis dicenti : *Palpebræ tuæ præcedant greſſus tuos.* Similes ſimus myſticis illis animalibus quæ vidit S. Joannes ante thronum Dei, *plena oculis ante & retro.* ,, In cunctis operibus noſtris, qui nos finis ſequatur, ſedula ,, intentione prævidere curemus ; quid ſecundum Dei ,, voluntatem, quid aliter agatur, ſolerter explo- ,, remus.

Virtutum concatenatio, Chriſtiani hominis perfectio eſt.

*Deuteron.* 28. 28. 29.

*Proverb.* 4. 25. *Apocal.* 4. 6. *Beda.*

10. 11. *Quapropter, fratres, magis ſatagite ut per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis : hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Nos eligit & vocat Deus ſine meritis, ſed neminem ſalvat ſine meritis. Bona opera ſunt ſigillum divinæ electionis, clavis cœli, media ad implendum noſtræ electionis effectum, æternæque gloriæ finem conſequendum a Deo præordinata. *Creati enim ſumus*

Deus nos eligit & vocat ſine meritis, non ſalvat ſine meritis.

*mus in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quæ præparavit Deus ut in illis ambulemus*, ( ait Apoſtolus gentium. ) In Dei miſericordia confidamus, quaſi totum a Deo, & nihil a nobis in negotio ſalutis noſtræ ſit expectandum; ita nihilominus operemur quaſi totum penderet a nobis. In negotiis temporalibus tam ſolliciti, tam attenti, tam ferventes ſumus, ut ea convenientibus mediis ad felicem exitum perducamus: & in negotio ſalutis æternæ tam ſegnes, tam frigidi, ac pene ſtupidi ſimus, quaſi ſempiterna felicitas vel miſeria nobis indifferentes eſſent. Satagamus ergo ut per bona opera certam noſtram vocationem faciamus. Deus nobis Filium ſuum ad ſalutem noſtram operandam dedit: Filius Dei ſanguinem ſuum pro ſalute noſtra effudit, corpus ſuum immolavit, Spiritum ſuum nobis donavit; ſe cum Patre & Spiritu ſancto unum Deum in præmium promiſit, ſi bonis operibus propter ipſum incumbamus, in illiſque perſeveremus; quid hæſitamus? Quis non det partem, ut accipiat totum? Quis non det nummum, ut accipiat regnum? Vænale eſt regnum cœlorum: emamus illud laboribus & bonis operibus noſtris. Præ oculis ſemper habeamus & vitam æternam ad quam tendimus, & viam mandatorum Dei, qua ad illam pervenitur; & non peccabimus aliquando: nobiſque gratiæ ſuæ cooperantibus, & bonorum operum fructum dantibus, Deus gratias uberiores & potentiores ſubminiſtrabit, quibus facile perſeveremus, & ad regnum cœleſte perducamur. *Sic enim abundanter miniſtrabitur nobis introitus in æterum regnum Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti.*

Paſtorum officia.

12. 13. 14. *Propter quod incipiam vos ſemper commonere de his: & quidem ſcientes vos & confirmatos in præſenti veritate.* Sanctus Petrus, cui agnos & oves Chriſtus Dominus commendavit, Paſtoribus Eccleſiæ univerſæ ſe ipſum Paſtoralis ſolicitudinis præbuit exemplar quod imitentur. Ejus igitur exemplo Paſtores & Rectores Eccleſiarum in Miniſterio ſalutis animarum aſſidue verſentur; docere, adhortari, commonere non ceſſent, non ſolum rudes & imperitos, ſed in Chriſtianæ Religionis veritatibus bene inſtitutos; non ſolum incipientes, ſed proficientes & confirmatos. 2. Non tædeat *illos laboris*, ſed Miniſterium ſuum obeant eadem alacritate, eodemque fervore, ac ſi illud auſpicarentur. *Propter quod incipiam*. 3. Eadem repetere & ſæpius inculcare non graventur, ut altius ac firmius hæreant animis auditorum. *Vos ſemper commonere de his*. 4. Vigilantiam Paſtoralem, doctrinam, verbi divini prædicationem, Viſitationem, Sacramentorum adminiſtrationem, diſciplinæ ordinem, correptionem, conſolationem, ſubſidium in neceſſitatibus, non ex conſilio tantum ovibus impendenda, ſed ex Dei præcepto: non ſupererogationis opus eſſe noverint, ſed juſtitiæ. *Juſtum autem arbitror quamdiu ſum in hoc tabernaculo, ſuſcitare vos in commonitione*. 5. Paſtores de vitæ ſuæ & valetudinis conſervatione non ſint adeo ſolliciti ut labori parcant in omnibus Miniſterii ſui partibus exequendis. Corpus hoc mortale inſtar tentorii ſpectent, in quo degunt ut peregrini ad patriam cœleſtem tendentes; ut milites in conſpectu hoſtium caſtra ponentes, ad migrandum, ad ambulandum, ad pugnandum ſemper parati: eoſdemque affectus, ac pias diſpoſitiones in animos ſubditorum transfundant. Vitæ præſentis brevitatem & vanitatem, incertam mortis horam illis ſæpe in memoriam revocent, ut horas omnes obſervent, nec dormientes & imparati inveniantur, cum a Chriſto fuerint evocati. *Certus ſum quod velox eſt depoſitio tabernaculi mei*. 6. Paſtores caritatem & ſollicitudinem ſuam in ſalute animarum illis commiſſarum procuranda ultra vitæ ſuæ tempus extendant. Sanam doctrinam, diſciplinam, ſancta inſtituta, & pietatis exercitia ita ſtabiliant & confirment ſuis in Diœceſibus vel Parochiis, aut Congregationibus, ut poſt eorum obitum non deficiant. Curæ ſuæ ac regimini commiſſis animas æterno diligant amore, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam. *Dabo autem operam & frequenter habere vos poſt obitum meum, ut horum memoriam faciatis.*

Myſterium Transfigurationis Chriſti.

16. 17. 18. *Non enim doctas fabulas ſecuti, notam fecimus vobis Domini noſtri Jeſu Chriſti virtutem & præſentiam, ſed ſpeculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem & gloriam, voce delapſa ad eum hujuſcemodi a magnifica gloria: Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipſum audite*, &c. Transfigurationis Myſterium potentiam, gloriam, præſentiam, majeſtatem, divinitatem Chriſti Jeſu, voce Patris æterni aſſertam, Moyſis & Eliæ, Legis & Prophetarum oraculis, trium ſelectorum Apoſtolorum teſtimonio confirmatam hic locus oſtendit. Chriſtus Jeſus verus æterni Patris Filius, Deus & homo in glorioſa Transfiguratione declaratus eſt, noſtræque per ipſum adoptionis perfectio ſignificata, de qua Apoſtolus gentium ſcribit: *Et non primitias Spiritus habentes, intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exſpectantes, redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus.* Nobis datus eſt Dei Filius Doctor, Legislator, Redemptor, Mediator: ipſum audiamus, ipſi obſequamur & ſerviamus. Falſam doctrinam tradere non poteſt Veritas, neque noxiam Salus & Vita æterna. Humilitatem a Chriſto Jeſu diſcamus, qui totum vitæ ſuæ tempus in humiliationibus & laboribus egit: gloriam vero ſuam demonſtravit raptim, ad momentum; qui teſtes humiliationum ſuarum habuit innumeros, tres vero dumtaxat gloriæ ſuæ quamdiu mortalem vitam egit, quibus & ſilentium de illa imperavit, donec a mortuis reſurrexiſſet. Vocem ejus audimus in monte ſancto, cum Fidei & Moralis Chriſtianæ veritates, Scripturæ ſacræ vel Traditionis teſtimonio roboratas, & ab Eccleſia propoſitas audimus & ſuſcipimus. Scriptura ſacra Dei vox eſt de cœlo allata. E nube auditur, quia fidei umbris involvitur. Cum Chriſto ſumus, quandiu in Eccleſia, ex ejus Spiritu, & ſecundum Evangelium ejus vivimus. *Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam, cum eſſemus cum ipſo in monte ſancto.*

Rom. 8. 23.

In Fidei dogmatibus & Morum regulis tradendis & exponendis Scripturæ ſacræ & Traditioni inhærendum eſt.

19. 20. 21. *Et habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucerna lucenti in caliginoſo loco, donec dies eluceſcat, & lucifer oriatur in cordibus veſtris.* Libris Propheticis, totoque Scripturarum ſacrarum corpore, ac verbo Dei ab Apoſtolis viva voce tradito, & in Eccleſia per continuam Epiſcoporum ſucceſſionem inſtar depoſiti conſervato, & ad nos uſque derivato, fidei morumque regulæ continentur. Verbum Dei non eſt, quod Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto non acceperunt. Ubi de fidei dogmatibus, aut de regulis morum componendorum agitur, privatis viſionibus, aut ratiociniis doctorum virorum deferendum non eſt, niſi cum Dei verbo ab Eccleſia recepto, & expoſito conveniant. Verbum, veritatem, & legem Dei, quæ nos in hujus ſæculi nocte ambulantes illuminat & dirigit, niſi ſequamur, per dubiarum anfractus viarum incedimus, erramus, & in præcipitia labimur. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux* ( ait Spiritus ſanctus per os Salomonis ) & per Davidem: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Cum Sol juſtitiæ Chriſtus in gloria ſua nobis apparuerit, & lumine ſuo mentes noſtras impleverit, ut Deum videamus ſicuti eſt, Scripturæ jam neceſſariæ non erunt, fides evacuabitur, umbræ recedent: Veritas ſine medio, Sol ſine nube, Verbum ipſum Deus ſine ænigmate nos docebit, illuminabit, & eſſentiæ, perfectionum omnium & Perſonarum divinarum viſione beabit. Quandiu vero in hoc ſæculo vivimus, velut in caliginoſo loco, Scripturam Sacram ceu lucernam in Eccleſia accenſam ſequamur, quæ viam ſalutis nobis demonſtrat. Verum Scripturam ſacram privato ſpiritu, privato judicio contra Eccleſiæ ſenſum qui exponere præſumit, ſibi lucernam extinguit. Spiritus Sanctus qui librorum ſacrorum Scriptoribus & res quas ſcriberent, & verba quibus ſcriberent ſuggeſſit, eorumque linguam & calamum virtute ſua movit, ſolus poteſt Scripturæ arcanos ſenſus exponere, aut per ſe ipſum, aut per Eccleſiam, cui veritatem omnem ipſum patefacturum Chriſtus Dominus promiſit. *Hoc primum intelligentes, quod omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata eſt Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpiranti locuti ſunt ſancti Dei homines.* „ Hanc ob cauſam Sanctus „ Paulus Apoſtolus Evangelium, quod prædicabat „ gentibus, cum anteceſſoribus Apoſtolis contulit, „ præſertimque cum illis qui videbantur columnæ „ eſſe, ſcilicet Jacobo, Petro, & Joanne, ne forte „ in vacuum curreret aut cucurriſſet. Et ante annos „ quatuordecim Jeroſolymam venerat Petrum viſurus, & cum eo collaturus, ut ipſemet teſtatur, „ *Oſtendens ſe non habuiſſe ſecuritatem Evangelii prædicandi, niſi Petri, & qui cum eo erant, fuiſſet ſententia roboratum.* Ideo Novatores in rebus fidei „ & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ „ pertinentium ſacram Scripturam ad ſuos ſenſus „ contorquentes contra eum ſenſum quem tenuit & „ tenet ſancta mater Eccleſia, cujus eſt judicare de „ vero ſenſu & interpretatione Scripturarum ſanctarum, aut etiam qui contra unanimem conſenſum „ Patrum ipſam Scripturam interpretari auderent, „ Tridentina Synodus jure merito damnavit. Jus interpretandi & exponendi Scripturas ſacras privato ſpiritu ſibi arrogare, caracter *eſt Hæreticorum* & veterum & recentium. *Hæreſis* ( inquit Tertullianus ) *non recipit quaſdam Scripturas: & ſi quas recipit, non recipit integras: adjectionibus & detractionibus ad diſpoſitionem inſtituti ſui intervertit: & ſi aliquatenus*

Pſ. 118. 105.

Scripturæ ſacræ interpretatio proprio ſpiritu non facienda.

Galat. 2. Galat. 1.

S. Hieron. Epiſt. ad S. Aug. inter Auguſtiniam. 75. al. 11. Synod. Trident. Seſſ. 4.



*nus integras præſtat, nihilominus diverſas expoſitiones commentata convertit. Tantum veritati obſtrepit adulter ſenſus, quantum & corruptor ſtylus. Variæ præſumptiones. Neceſſario nolunt agnoſcere ea per quæ revincuntur. His nituntur quæ ex falſo compoſuerunt, & quæ de ambiguitate cœperunt.*

---

## CAPUT II.

### *Senſus Litteralis.*

Chriſti redemptio ad ſolos prædeſtinatos non pertinet.

Græci Codices hic variant. Plerique habent, ταῖς ἀπωλείαις, *eorum exitia*: alii ταῖς ἀσελγείαις, ut annotavit Robertus Stephanus, *eorum luxurias*, quos Vulgatus interpres Latinus ſequutus eſt.

1. 2. 3. *Fuerunt vero & Pſeudo prophetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & eum, qui emit eos, Dominum negant, ſuperducentes ſibi celerem perditionem.* Fuerunt falſi Prophetæ in veteri populo Judaico, qui ſe quaſi veros Dei Prophetas oſtentarent; ſic etiam inter Chriſtianos erunt Magiſtri erroris & mendacii, qui pernicioſas hæreſes introducent: & Chriſtum Dominum Redemptorem ſuum prava doctrina & impuris moribus abnegantes, ſubitum ac inopinatum ſibi arceſſent exitium. *Et multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur.* Et plurimi eorum laſcivias & impudicitias ſequentur, qui viam veritatis, id eſt Chriſtianam Religionem maledictis & conviciis infidelium exponent: *Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur: quibus judicium jam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.* Et vos artificioſis ſermonibus ſeducentes, de animabus veſtris quæſtum facient, ut avaritiæ ſuæ ſatisfaciant: quibus ſupplicium ab æterno deſtinatum inferre Deus non tardabit: & manus illos perditura non torpeſcit, non ſegnis, otioſa, & ineficax eſt, ſed illos cito comprehendit.

Græce, σειραῖς ζόφου, *Catenis caliginis*. Dæmones omnes ſtatim poſt peccatum in infernum detruſi, deinde quidam permittente Deo in caliginoſum aerem venere, ad tentandos, puniendos, vel exercendos homines: ſuarum tamen ſemper circum ferunt tormenta pœnarum.

Ἀρχαίου κόσμου. *priſco mundo*. Geneſ. 19.

Lot *juſtus* dicitur *ſecundum quemdam modum* Vide S. Aug. Quæſt. 44. in Geneſ. & li. 22. *Contra Fauſtum*, cap. 45.

Secundum Græcum, *quotidie animam juſtam iniquis illorum factis excruciabat*.

4. 5. 6. 7. 8. 9. *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reſervari.* Si enim Deus angelis qui peccaverunt non pepercit, ſed in infernum detruſit, tenebris alligatos ad cruciatum, & ad judicium reſervatos, ut eorum nequitia ac ſuperbia coram ſanctorum angelorum ac hominum cœtu confundatur, eorumque juſta damnatio omnibus innoteſcat. *Et originali mundo non pepercit, ſed octavum Noe juſtitiæ præconem cuſtodivit, diluvium mundo impiorum inducens.* Si Deus antiquo mundo non pepercit, ſed ſeptem dumtaxat homines cum Noe juſtæ Dei vindictæ, quæ terrarum orbi imminebat, prædicatore, ſervavit a diluvio, quo impios univerſos ſubmerſit & extinxit. *Et civitates Sodomorum, & Gomorrhæorum in cinerem redigens, everſione damnavit, exemplum eorum qui impie acturi ſunt, ponens:* Si Deus Sodomorum & Gomorrhæorum civitates funditus delevit, immiſſoque cœlitus igne & ſulphure in cineres redegit, exemplum iræ ſuæ & pœnæ impiis & nefariis hominibus paratæ edidit. *Et juſtum Lot oppreſſum a nefandorum injuria ac luxurioſa converſatione eripuit.* Si Lot virum juſtum, nefariorum hominum injuriis & vita infami ac luxurioſa fatigatum, & oppreſſum, miſſis angelis eripuit ab incendio quo conſumpti ſunt. *Aſpectu enim & auditu juſtus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus affligebant.* Juſtum ( inquam ) illum, cujus aures & oculi Sodomitarum, apud quos habitabat, ſcelera horrebant; & cujus anima juſta abominandis eorum flagitiis quotidie cruciabatur. *Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem judicii reſervare cruciandos.* Hinc intelligitur, Dominum pios eripere & ſervare, ne malorum exemplis corrumpantur, & cum illis pereant: iniquos vero in diem extremi judicii ſervare, in corpore & anima æternum puniendos.

Orationis a verſu quarto huc uſque pendentis, nonus iſte verſus epiphonema ſive clauſula eſt, ut obſervat Oecumenius.

Græce, αὐθάδεις, *præfracti*, ſive *procaces, ſuo ſenſui addicti*. Pro eo quod habet Verſio Latina, *Sectas non metuunt introducere, blaſphemantes*, Græcus Textus habet, δόξας οὐ τρέμουσι βλασφημοῦντες, *Glorias blaſphemantes non metuunt.*

10. *Magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere, blaſphemantes.* Cum autem omnes impii & flagitioſi in diem judicii puniendi ſerventur, tum illi maxime qui carnalibus deſideriis obſequentes, vitam in omni genere turpium voluptatum tranſigunt, Poteſtates, & Deum ipſum omnium Dominum & ſcelerum vindicem contemnunt; audaces, ſibi ipſis ultra modum placentes, qui ſectas in Eccleſia facere non metuunt, Deum blaſphemantes; vel, eos qui in Eccleſia aut republica glorioſi ſunt & ſummis honoribus ornati, maledictis & conviciis laceſſere non reverentur.

11. 12. *Ubi angeli fortitudine & virtute cum ſint majores, non portant adverſum ſe execrabile judicium.* Cum tamen ne angeli quidem, licet fortitudine ac potentia ſuperiores, ſeſe mutuo maledictis execrentur. *Illi vero velut irrationabilia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant blaſphemantes, in corruptione ſua peribunt.* Illi vero ut bruta animalia, ad prædam hominum nata, quiſibus mactantur, maledictis proſcindentes ea quæ non intelligunt, ſcilicet Religionem Chriſtianam, ſacratiſſima fidei Myſteria, & vivendi regulas a Chriſto traditas, peribunt in nefariis voluptatibus, quibus ſe polluunt & corrumpunt.

*Glorias* autem dicit Apoſtolus, ſive Angelos, ſive Eccleſiaſticos Principatus, Oecumenio Interprete.

His gemina ſcribit S. Judas Apoſtol. v. 10.

Secundum Græcum, in *deceptionibus ſuis* ſeu *erroribus* luxuriantur, ſeque eo magis oblectant, quo plures ſeduxerunt.

13. 14. *Percipientes mercedem injuſtitiæ, voluptatem exiſtimantes diei delicias: coinquinationes, & maculæ deliciis affluentes, in conviviis ſuis luxuriantes vobiſcum.* Et iniquitatis ſuæ mercedem reportabunt. Summam felicitatem exiſtimant carnalibus deliciis quotidie frui. Homines hujuſmodi maculæ ſunt & opprobrium Chriſtianæ Religionis, qui deliciis & luxu diffluunt in conviviis ſpecioſo Agaparum nomine inſignitis, in quibus vobiſcum epulantur. *Oculos habentes plenos adulterii & inceſſabilis delicti. Pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii.* Oculos habent plenos adulterio, & ſemper ad peccandum intentos; animas leves & inconſtantes, id eſt, in fide, in caſtitate, in pietatis ſtudio nondum confirmatas ad ſe pelliciunt promiſſis & conceſſione carnalium voluptatum. Cor ſuum omnibus artibus quas avaritia ſuggerit, inſtructum habent, & ad emungendas pecunias ab iis quos ſeducunt, longo uſu ſunt exercitati. Homines ſunt maledicti, & omnium execratione digni.

Græce, δελεάζοντες *inescantes*. Confer cum N. 22. 23. & 24. Videſis Diſſert. noſtram 7. in Hiſt. Eccl. Veter. Teſt. Quartæ mundi ætatis.

15. 16. *Derelinquentes rectam viam erraverunt, ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit.* Recta via veritatis, fidei, & pietatis derelicta, in varios ac fœdos errores prolapſi ſunt, & alios in præcipitium traxere, Balaam filium Boſor, ſive Beor imitati, qui mercedem ſuæ iniquitatis amavit, pecuniam ſcilicet ac munera, quæ ipſi obtulit Balac Rex Moabitarum, ut malediceret populo Iſrael. *Correptionem vero habuit ſuæ veſaniæ: ſubjugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit Prophetæ inſipientiam.* Sed de veſano conſilio ſuo correptus eſt, aſina, cui inſidebat, vocem edente humanæ ſimilem, & angelo prohibente ne populo Dei inſipienter malediceret.

17. 18. 19. *Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſervatur.* Falſi illi doctores ſunt fontes exſiccati, qui procul venientes invitant ad bibendum, ſed ſitientes atque adeuntes fallunt; ſic illi expertes ſunt vitalis aquæ, id eſt ſanæ doctrinæ & pietatis. Nebulæ ſunt ſpem pluviæ non facientes, ſed ventis & procellis errorum & pravarum cupiditatum agitatæ. Quibus tenebræ denſiſſimæ, id eſt, pœnæ inferni in æternum reſervatæ ſunt. *Superba enim vanitatis loquentes, pelliciunt in deſideriis carnis luxuriæ eos, qui paululum effugiunt, qui in errore converſantur.* Tumentibus enim & faſtuoſis ſermonibus vana ſua commenta adornantes, carnis voluptatibus pelliciunt eos, qui paulo ante contagionem hominum in errore verſantium effugerant, Chriſti fidem amplexi. *Libertatem illis promittentes, cum ipſi ſervi ſint corruptionis: a quo enim quis ſuperatus eſt, hujus & ſervus eſt.* Hos autem ad ſuam ſectam pelliciunt; libertatem illis promittentes, quam dare non poſſunt, cum ipſi ſervi ſint concupiſcentiæ & libidinis, quæ animam & corpus corrumpit. Victi enim jure belli victoribus in ſervitutem addicuntur.

20. *Si enim refugientes coinquinationes * mundi in cognitione Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti, his rurſus implicati ſuperantur; facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus.* Qui vero ex mundi corruptelis & inquinamentis evaſerunt per cognitionem & fidem Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & his rurſum ſe implicant, nec repugnantes peccato vincuntur, poſterior eorum ſtatus pejor eſt priore. Confer cum Matth. 12. 45.

* Græce, μιάσματα, quæ Medicis dicuntur ſeminaris ſuis Peſtilentialis in aere corrupto, quæ occulte ſerpunt, & multos inficiunt. Sic & ſeminaria vitiorum, & libidinum, quibus ſcatet mundus in maligno poſitus, homines ad illa pronos facile contaminant & corrumpunt.

21. *Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* Minus enim malum illis fuiſſet non cognoviſſe Religionem & Doctrinam quæ tradit modum aſſequendi veram & ſalutarem juſtitiam, quam poſt ejus agnitionem deficere a lege Chriſtiana, quæ tradit præcepta juſte ac ſancte vivendi.

22. *Contingit enim eis illud veri Proverbii: Canis reverſus ad ſuum vomitum; † & Sus lota in volutabro luti.* Illis enim contigit quod vero Proverbio dici ſolet: Canis immundum animal reſorbet quod evomuerat; &, Sus lota rurſus in cœno volutari amat. Immundis illis animalibus ſimiles ſunt, qui ſemel mundati in priſtina vitia relabuntur.

† Confer cum Proverb. 26. 11. *Sicut canis, qui revertitur ad vomitum ſuum, ſic imprudens, qui iterat ſtultitiam ſuam.*

2. Tim. 3. 8. 3. Reg. 18. 3. Reg. 22. 6. Matth. 7. 15 Act. 20. 29.

## C A P U T II.

*Senſus Moralis.*

1. 2. 3. F*Uerunt vero & Pſeudoprobetæ in populo, ſicut & in vobis erunt magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis*, &c. Falſos Prophetas & Doctores diabolus omni tempore ſuſcitavit. Jamnes, & Mambrès Moyſi reſtiterunt Quadringentos quinquaginta Prophetas Baal una die trucidari juſſit Elias. Sedecias cum aliis Pſeudo-prophetis Achab Regem Iſrael & Joſaphat Regem Juda falſis vaticiniis, & fallaci promiſſione victoriæ ad pugnam contra Regem Syriæ impulit, quibus credens Achab potius quam Micheæ Prophetæ Domini, miſerrime periit. A falſis Prophetis, qui veniunt in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces, cavere diſcipulos ſuos Chriſtus jubet. S. Paulus Aſiæ Epiſcopis prædixit falſos doctores poſt diſceſſum ſuum Eccleſiam illius regionis infeſtaturos, *Ego ſcio* (inquit) *quoniam intrabunt poſt diſceſſionem meam lupi rapaces in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis exurgent viri loquentes perverſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe, Propter quod vigilate*. Jam inde ab Apoſtolicis temporibus ad hunc uſque diem ſurrexerunt in Eccleſia Magiſtri mendacii, qui pernicioſiſſimas hæreſes adinvenerunt & diſſeminarunt, bellum indicentes veritati, & doctrinæ Evangelicæ atque Apoſtolicæ; & Chriſtum Jeſum, qui redemptionis ſuæ participes eos fecerat per baptiſma, rejecerunt & abnegarunt, ut illuſiones cordis ſui, & pravarum cupiditatum impulſum ſequerentur. Simonianos, Nicolaitas, Cerinthianos, Ebionitas, Gnoſticos, & reliqua hæreſum monſtra, ad poſtremam uſque Quietiſtarum, cogita, & humani ingenii perverſitatem ac cæcitatem luge. Hæreſes ad probationem electorum, ad reproborum damnationem, ad manifeſtationem veritatis & juſtitiæ ſuæ permittit Deus, ex malo graviſſimo majora bona omnipotentiæ ſuæ inſuperabili virtute, & ſapientiæ ſuæ admirabili diſpoſitione eliciens. *Oportet hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant*, ait gentium Apoſtolus. Multos ſeducunt & trahunt in interitum juſto Dei judicio: ſed certa & cito ventura damnatio illos manet, quæ eo gravior erit quo plures ſeduxerint. *Superducentes ſibi celerem perditionem.*

Cur Dus hæreſes permittat.

1. Cor. 11.9.

Impudicitia & avaritia plerumque falſos doctores ad ſectas faciendas impellunt.

Falſos doctores plerumque impudicitia & avaritia ad ſectas faciendas, hæreſeſque diſſeminandas impellunt. Luxuria plerumque germen hæreſum eſt. Cor prius corrumpitur ut plurimum, quam mens obtenebretur. Facile acquieſcunt novitati, qui fræna laxant libidini, *Et multi ſequentur eorum luxurias*. Ex Eccleſiæ ſinu Catholicos abſtrahunt, ethnicos avertunt a ſuſcipienda Religione, dantes ipſis occaſionem maledicendi nomini Chriſtiano & Evangelicæ Legi flagitioſis moribus & impudica converſatione, *Per quos via veritatis blaſphematur*. Quapropter Euſebius Cæſarienſis de Gnoſticis ſcribit: „ His miniſtris uſus malignus ille dæmon, primum effecit ut „ ex fidelibus, quicumque ab illis decepti eſſent, ad „ miſerabile exitium tamquam captivi abducerentur. „ Deinde gentibus a fide noſtra alienis amplam obtrectandi & calumniandi Evangelii materiam ſubminiſtravit: dum ab illis primum orta infamia, ad „ totius Chriſtiani nominis opprobrium diffunderetur. „ Atque hinc factus eſt, ut abſurda quædam de nobis „ opinio apud infideles tunc temporis ſpargeretur, „ quaſi nefario concubitu cum ſororibus & matribus „ miſceri, & execrandis dapibus veſci ſoleremus.

Euſeb. lib. 4. Hiſtor. Eccleſ. cap. 7.

Alter falſorum doctorum character eſt avaritia. Blanda, artificioſe ornata, & ad decipiendum compoſita oratione dogmata ſua venditant & cauponantur. *Chriſto Domino noſtro non ſerviunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium*. Veritatem deſerunt & impugnant, errores fabricantur, docent, diſſeminant & tuentur quæſtus gratia; Samaritanorum ceremonias & aureorum vitulorum adorationem cum veri Dei cultu, mundi corruptelas cum Evangelio, artem fœnerandi ſpecioſis prætextibus fucatam cum Chriſti lege, vitam voluptariam cum ejus cruce conciliant. Alii ſpecie pietatis infelices animas illaqueant, & novis corrumpunt erroribus, lucrum & compendium ab eis ſpectantes & captantes. *Et in avaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur*. Hi *Domos univerſas ſubvertunt, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia*, ait Apoſtolus gentium. Utinam vero tales non invenirentur in ipſo Eccleſiæ ſinu, ex ſacro Miniſterio artem diteſcendi facientes, quibus illa Domini per os Ezechielis increpatio convenit: *Væ qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus: & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas, & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas eorum. Et violabant me ad populum meum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficerent animas quæ non moriuntur, mentientes populo meo credenti mendaciis*. Non turbetur cor noſtrum, ſi hujuſmodi falſis Magiſtris omnia proſpere cedere in ſæculo videantur. Punitio eorum eo terribilior erit, quo diutius impuniti manent Deo tolerante. *Quibus judicium jam olim non ceſſat, & perditio eorum non dormitat.*

Rom. 16. 18.

Ad Tit. 1. 2.

Ezech. 13.

4. *Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reſervari*. Si Deus peccatum in creaturis nobiliſſimis tam ſevere ac terribiliter punit, an inultum in hominibus relinquet ab angelicæ naturæ excellentia ac dignitate longe diſtantibus? Ob primum & unicum peccatum e cœlo, in quo conditi fuerant detruſi ſunt ad inferos angeli mali, æterniſque cruciatibus addicti; an levioribus ac brevioribus pœnis damnabuntur homines multiplicium criminum rei? Ob unicum & primum peccatum mortale plures damnantur homines non minus quam angeli: & juſte damnantur ab eo qui in angelis ſuis reperit pravitatem, nec peccantibus pepercit. Unicum inſtans datum eſt angelis ad ſalutis ſuæ negotium peragendum, quo abuſi irremiſſibiliter damnati ſunt: hominibus totum vitæ tempus datur Dei miſericordia & patientia, quo ſi abutantur in Creatoris ſui & Redemptoris injuriam, cruciatus æternos non evadent. *Quod* enim *hominibus mors eſt, hoc angelis caſus*. Nec angelis poſt caſum, nec poſt mortem hominibus ulla ſpes veniæ. Dato igitur ad ſalutem vitæ tempore ne abutamur. Operemur dum lucem habemus, „ venit nox in qua nemo operari poteſt. Angeli apoſtatæ ſuperbia peccarunt, quæ *initium eſt omnis peccati*. Quid autem ſuperbia, niſi perverſæ celſitudinis appetitus? Perverſa autem celſitudo eſt, deſerto eo cui debet animus inhærere Principio, ſibi „ quodammodo fieri atque eſſe principium. Hoc fit „ cum ſibi nimis placet. Sibi vero ita placet, cum „ ab illo bono incommutabili deficit, quod ei magis „ placere debuit, quam ipſe ſibi. Qui angelos apoſtatas imitantur in peccato, ſocii illorum erunt in æterno ſupplicio. Qui carnalium vitiorum puri ſunt, ne ſibi ſuperbe blandiantur, caveant, ne illos dejiciat ſuperbia, quæ ex angelis dæmones fecit: in humilitate firmentur; quæ homines ſanctis Angelis ſimiles reddit.

Terribilia punitionis peccatorum exempla.

Pœna angelorum malorum.

S. Joann. Damaſ. lib. 2. c. 4.

S. Aug. lib. 14. De Civit. Dei, cap. 15.

5. *Et originali mundo non pepercit, ſed octavum Noe juſtitiæ præconem cuſtodivit, diluvium mundo impiorum inducens*. Antiquo mundo Deus non pepercit. *Omnis* quippe *caro corruperat viam ſuam*. A diluvio ſervati non ſunt, niſi qui a corruptione peccati ſe cum Dei gratia puros ſervaverunt. Cum parvo electorum numero juſtitiam & pietatem ſectemur; Chriſti crucem, arcam ſalutis amplectamur, ne cum mundo impiorum divinæ indignationis & ultionis diluvio involvamur & pereamus. Pœnitentiam agamus, ad quam nos Dei patientia nunc per prædicatores invitat; ne theſaurizemus nobis iram in die iræ & juſti judicii Dei. Vigilemus in bonis operibus, ne nos dies illa improviſo occupet, & communi cum impiis involvat interitu. *Sicut in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis. Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes & bibentes, nubentes & nuptui tradentes, uſque ad eum diem quo intravit Noe in arcam, & non cognoverunt donec venit diluvium, & tulit omnes: ita erit & adventus Filii hominis.*

Diluvium generale.

Matth. 24. 38.

6. *Et civitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cineres redigens, everſione damnavit, exemplum eorum qui impie acturi ſunt, ponens*. Exemplum adeo terribile divini judicii homines abominandis libidinibus ſeſe contaminantes a peccato, quod in mundo corrupto tam frequens eſt, non revocat: quid illos emendabit? Flamma quæ Sodomam & vicinas urbes conſumpſit, umbra tantum eſt gehennæ ad ſempiternum impudicorum, & aliorum peccatorum ſupplicium in perpetuum arſuræ. „ Quamquam plus „ habuerit miſericordiæ quam ſeveritatis illud judicium, Quod enim pœnam eorum tamdiu diſtulit, „ miſericordiæ fuit: juſtitiæ, quod aliquando punivit. Et ideo cum Angelos Sodomam Deus mitteret, nobis probare voluit quod malos puniret „ invitus. Sicilicet ut cum legeremus quæ a Sodomitis angeli pertuliſſent, & videremus ſcelerum „ immanitatem, criminum turpitudinem, libidinum „ obſcœnitatem, probaret nobis Deus quod ipſe eos „ noluerit perdere, ſed ipſi extorſerint ut perirent. Chriſtianorum ſterilibus illis impudicitiis deditorum crimen longe gravius & atrocius eſt quam damnatorum illorum Sodomæ & Gomorrhæ civium, cum membra Chriſti corrumpant, & templum Spiritus ſancti, quod ipſi per baptiſmum facti ſunt, polluant. *Et major eſt iniquitas filiæ populi mei peccato Sodomorum,*

Sodomorum & Gomorrhæorum everſio & incendium.

Salvianus lib. 1. De Gubernat. Dei.



*quæ ſubverſa eſt in momento . . . . Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia; & otium ipſius & filiarum ejus: & manum egeno & pauperi non porrigebant. Et elevatæ ſunt: & fecerunt abominationes coram me; & abſtuli eas ſicut vidiſti*. Paria crimina num Deus impunita dimittet in Chriſtianis? *Ignis & ſulphur & ſpiritus procellarum, pars calicis eorum*. Et, *Terræ Sodomorum remiſſius erit in die judicii, quam tibi* Chriſtiano iiſdem vitiis dedito, iiſdem impudicitiis inquinato.

Lament. Jer. 4. 6.

Pſalm. 10. 7.

Matth. 11. 24.

7. 8. 9. *Et juſtum Lot oppreſſum a nefandorum injuria ac luxurioſa converſatione eripuit: aſpectu enim & auditu juſtus erat: habitans apud eos, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciabant*. Magnus piorum cruciatus eſt inter improbos vivere. Cui ſocietas & converſatio impiorum gravis non eſt, & illorum pravis operibus non affligitur, juſtus & Dei amicus dici non meretur. *Vidi prævaricantes, & tabeſcebam*, ait ſanctus Rex & Propheta David, *quia mandata tua non cuſtodierunt*. Qualis vexatio eſt oculis auribuſque caſtis, videre & audire turpia, inſolentia, libidinum irritamenta! Aſpectu & auditu juſti ſimus: avertamus oculos a muliere compta, & ne circumſpiciamus ſpeciem alienam. *Propter ſpeciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiſcentia quaſi ignis exardeſcit*. Aſcendit mors per feneſtras: oculus animam deprædatur. A ſpectaculis oculos avertat Chriſtianus, ne videant vanitatem, ne hiſtriones & ſcenicas mulieres videant, quæ amorem dum fingunt, infligunt. Animo adverſus libidinem cæcus ſit. Aures obſcœnis verbis, cantilenis amatoriis occludat. Invigilet ſenſuum ſuorum cuſtodiæ, ne mundi corruptionem hauriant. Fugiamus de mundi Sodoma, occaſiones peccati, iniquorum conſortia fugiamus. Non Angelus ſolum, ſed Deus ipſe nos monet, nos urget, nos manu apprehendit, gratiam ſubminiſtrans ut exeamus. *Novit Dominus pios de tentatione eripere: iniquos vero in diem judicii reſervare cruciandos*. Deo confidamus ſine præſumptione: judicia ejus timeamus ſine deſperatione. Ne reſpiciamus retro Sodomam conflagrantem, mundum pravarum cupiditatum igne ardentem, ſulphure malorum operum fœtentem, pœnis æternis reſervatam. *Mementote uxoris Loth*.

Impiorum ſocietas, & mundi corruptio fugienda.

Eccli. 2. 8. 9.

Luc. 17.

10. 11. 12. 13. *Magis autem eos, qui poſt carnem in concupiſcentia immunditiæ ambulant, dominationemque contemnunt, audaces, ſibi placentes, ſectas non metuunt introducere blaſphemantes*, &c. Hæreſiarcharum caracteres. 1. Impudicitia. Paucos invenias qui caſti fuerint, quamvis nonnulli continentiæ ſpeciem exterius præ ſe ferrent. 2. Superbia. 3. Poteſtatum Eccleſiaſticarum & civilium contemptus, quas maledictis & convitiis laceſſere non verentur, earumque jugum excutiunt, ſæpe etiam mutata (ubi prævalent) politici regiminis forma, & populis a legitimi Principis dominatione ſubtractis. 4. Audacia & contumacia, qua ſacras Scripturas mutilant, corrumpunt, ac pro ſuo arbitrio in ſenſus alieniſſimos detorquent. *Sequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident*: Traditiones Apoſtolicas rejiciunt, diſciplinam Eccleſiaſticam evertunt. *Libera ſunt illis omnia & ſoluta*, quia nec Deum, nec Eccleſiam, nec Principes timent. *Ubi veritas nulla eſt, merito & talis diſciplina* eſt. Ubi autem metus Dei, *ibi gravitas honeſta, & diligentia attonita, & cura ſollicita, & adlectio explorata, & communicatio deliberata, & promotio emerita, & ſubjectio religioſa, & apparitio devota, & proceſſio modeſta, & Eccleſia unita, & Dei omnia*. Nihil horum apud hæreticos. Simplicitatem volunt eſſe proſtrationem diſciplinæ, pacem paſſim cum omnibus miſcent. Nihil enim intereſt illis, diverſa licet ſentientibus, dum ad unius veritatis expugnationem conſpirent . . . . *Hoc negotium illis non ethnicos convertendi, ſed noſtros evertendi: hanc magis gloriam captant, ſi ſtantibus ruinam, non ſi jacentibus elevationem operentur*. 5. Sectas introducunt & multiplicant, fidem innovando. *Schiſma eſt unitas ipſis. Mentior ſi non a regulis ſuis variant inter ſe, dum unuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur quæ accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio ea compoſuit ille qui tradidit. Idem licuit Valentinianis quod Valentino, idem Marcionitis quod Marcioni, de arbitrio ſuo fidem innovare. Denique penitus inſpectæ hæreſes omnes in multis cum auctoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur*. 6. Inſtar ferocium beſtiarum in omnium ordinum Catholicos ſæviunt, alias gladiis, alias linguis. 7. Eccleſiæ Catholicæ per calumniam affingere ſolent dogmata a quibus aliena eſt, & veritatem impugnant ex imperitia, verbiſque inſolentibus & blaſphemis res ſacratiſſimas diſcerpunt. *Velut irrationalia pecora, naturaliter in captionem & in perniciem in his quæ ignorant blaſphemantes*. Hos ignorantia ex prava diſpoſitione & cordis corruptione conſequens tantum abeſt ut excuſet, magis reos & graviori damnationi obnoxios facit. *In corruptione ſua peribunt, percipientes mercedem injuſtitiæ*. 8. In delicias carnales immerſi, vota virginitatis, & continentiæ impugnant, Sacerdotes, Monachos, Sanctimoniales ad apoſtaſiam ſollicitant & inducunt, in opprobrium & dedecus Religionis. *Voluptatem exiſtimantes diei delicias, coinquinationes & maculæ*. A voluptatibus & deliciis carnis abſtineat, quicumque fidem & integritatem mentis ſervare deſiderat. „ Si „ quis exiſtimat & abundantia ciborum potionumque „ ſe perfrui, & vacare poſſe ſapientiæ, hoc eſt & „ verſari in deliciis, & deliciarum vitiis non teneri, „ ſe ipſum decipit. Cum enim procul ab his remoti, „ ſæpe capiamur naturæ illecebris, & cogantur ea „ cupere, quorum copiam non habemus: quanto „ magis ſi circumdati retibus voluptatum, eſſe nos „ liberos arbitremur? Senſus noſter illud cogitat, „ quod videt, audit, odoratur, guſtat, attrectat, „ & ad ejus rei trahitur appetitum, cujus capitur „ voluptate: quod mens videat, & mens audiat, & „ quod nec audire quippiam nec videre poſſimus, „ niſi ſenſus in ea quæ cernimus & audimus fuerit „ intentus. Vetus quoque ſententia eſt: Difficile eſt, „ immo impoſſibile, deliciis & voluptatibus affluentes „ non ea cogitare quæ gerimus: fruſtraque quidam „ ſimulant, ſalva fide, & pudicitia, & integritate „ mentis, ſe abuti voluptatibus, cum contra naturam ſit copiis voluptatum ſine voluptate perfrui: & Apoſtolus gentium hoc ipſum cavens „ dixerit: *Quæ autem in deliciis eſt vidua, vivens mortua eſt*.

Hæreſiarcharum caracteres.

Ezech. 13. 3.

Tertull. lib. De Præſcrip. Hæret.

A voluptatibus & deliciis carnis abſtinendum.

S. Hier. lib. 2. Contra Jovinian.

1. Tim. 5.

14. *Oculos habentes plenos adulterii, & inceſſabilis delicti. Pellicientes animas inſtabiles, cor exercitatum avaritia habentes, maledictionis filii*. Impudicus oculus impudici cordis nuntius eſt. Amor per oculos in cor illapſus, impudicis obtutibus magis ac magis illum accendit. Peccatum quod in corde latenter vivit, oculorum nutibus foras ſe prodit. Luxuria peccatum eſt maximæ adhæſionis. Difficillima impudicorum converſio. *Non dabunt cogitationes ſuas ut convertantur ad Deum ſuum; quia ſpiritus fornicationum in medio eorum, & Dominum non cognoverunt*. Honorem, fortunæ bona, conſcientiam, animas, falſi Prophetæ & Magiſtri errorum in fœdas voluptates projecti deprædantur. Hi, ut hædi ſua turpitudine infames, propriis, alieniſque peccatis onuſti, Dei maledictione percuſſi, e terra viventium ejicientur in perpetuum.

Impudicorum difficillima converſio.

Oſeæ 2. 4.

15. 16. *Derelinquentes viam rectam erraverunt, ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amavit*. Temporalium bonorum cupiditas veri Dei Miniſtros a recta via, a doctrina ſana, tum fidei, tum morum facile abducit, ut Satanæ per Balac Regem Moabitarum adumbrati votis obſequantur, niſi eos prohibeat Angelus, niſi gratia ipſorum mentem illuminet, mutetque voluntatem, interius, dicens: *Ego veni ut adverſarer tibi, quia perverſa eſt via tua, mihique contraria*. Fruſtra cupiditas urgebit ut Moabitarum deſideriis indulgeant, ut eis placentia loquantur, ſi Angelus aſinam ſiſtat: Fruſtra rogabunt filii hujus ſæculi ut ſaltem nec ſanam doctrinam prædicent ac doceant, nec contrariam ab Eccleſia, a Sede Apoſtolica, ab Epiſcopis reprobatam ac damnatam palam impugnent. *Nec maledicas ei, nec benedicas*. Reſpondebunt: *Num aliud poſſum loqui, niſi quod juſſerit Dominus? . . . . Ad benedicendum adductus ſum, benedictionem prohibere non valeo. Si dederit mihi Baal plenam domum ſuam argenti & auri, non potero præterire ſermonem Domini Dei mei, ut vel boni quid vel mali proferam ex corde meo; ſed quicquid Dominus dixerit, hoc loquar*. Si Balac aras erigat, victimas offerat, idolorum ſuorum cultum, id eſt cupiditatum in mundo regnantium, cum veri Dei cultu conjungi poſtulet, reſpondeat Chriſti Miniſter: *Non eſt idolum in Jacob, nec videtur ſimulacrum in Iſrael*. Alioqui quod ſtultum eſt mundi, forte idiotam, forte mulierculam Deum timentem Deus eliget, ut Prophetæ ex corde ſuo loquentis, & temporalia emolumenta cum veritatis & gloriæ divinæ detrimento quærentis, inſipientiam confundat. Sic Balaam *correptionem habuit ſuæ veſaniæ ſubjugale mutum animal humana voce loquens*. Sic Deus *prohibuit Prophetæ inſipientiam*.

Cupiditas temporalium bonorum Dei Miniſtros a recta via & ſana doctrina nunquam abducat.

Num. 22. 23. 24.

Proverb. 25. 14.

17. *Hi ſunt fontes ſine aqua, & nebulæ turbinibus exagitatæ, quibus caligo tenebrarum reſervatur*. Hæretici & falſi Doctores, qui ſe aqua ſapientiæ, & veræ Fidei, ſanæque Moralis doctrina plenos oſtentant, fontes ſicci ſunt, ſeu potius *ciſternæ diſſipatæ, quæ continere non valent aquas*. Luto ad inquinandos homines, non aqua ad abluendos & potandos pleni ſunt. Nebulæ ſunt lucem veritatis obſcurantes, non doctrinæ ſalutaris imbrem fundentes.

Falſa & vera libertas.

Ventis vehementibus agitati huc illuc circumferuntur: doctrinam, opinioneſque mutant, prout lucri, honorum, mundanæ gloriæ, aut favoris Magnatum ſpes afflat & impellit. *Nubes & ventus & pluviæ non ſequentes, vir glorioſus, & promiſſa non complens.*

19. *Libertatem illis promittentes, cum ipſi ſervi ſint corruptionis: a quo enim quis ſuperatus eſt, ejus & ſervus eſt.* Effrenis quidvis agendi licentia Chriſtianæ libertatis nomine palliata plures in hæreſim pertraxit, quam artificioſa eloquentia, & fallax Philoſophia. Verum nulla durior, nulla turpior ſervitus eſt ea libertate, quam ſectatoribus ſuis errorum Magiſtri pollicentur. Quid enim miſerius, quid turpius, quam propriis & alienis [cupiditatibus ſervire? Vir juſtus, etiamſi ſerviat, li„ber eſt: malus autem etiamſi regnet, ſervus eſt, nec unius hominis; ſed, quod eſt gravius, tot dominorum, quot vitiorum . , . . „ Qualis quæſo poteſt ſervi addicti eſſe libertas, niſi quando eum peccare delectat? Liberaliter enim ſervit, qui ſui domini voluntatem libenter facit. Ac per hoc ad peccandum liber eſt, qui peccati ſervus eſt. Unde ad juſte faciendum liber non erit, niſi a peccato liberatus eſſe juſtitiæ cœperit ſervus. Ipſa eſt vera libertas propter recti facti licentiam, ſimul & pia ſervitus propter præcepti obedientiam. Sed iſta libertas ad bene faciendum unde erit homini addicto & vendito, niſi redimat ille, cujus illa vox eſt, *Si vos Filius liberaverit, tunc vere liberi eritis?* Quod antequam fieri in homine incipiat, quomodo quiſquam de libero arbitrio in bono gloriatur opere, qui nondum liber eſt ad operandum bene? Tunc ergo efficimur vere liberi, cum Deus nos creat, non ut homines, quod jam fecit; ſed ut boni homines ſimus, quod nunc gratia ſua facit, ut ſimus in Chriſto nova creatura.

*S. Aug. lib. 3. De Civit. Dei, cap. 3. Idem, Ench. cap. 20.*

*Joan. 8. 36.*

Prior eſt ſtatis animæ poſt Pœnitentiam in mortale peccatum relapſæ.

20. 21. 22. *Si enim refugientes coinquinationes mundi in cognitione Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti his rurſus implicati ſuperantur: facta ſunt eis poſteriora deteriora prioribus. Melius enim erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo quod illis traditum eſt, ſancto mandato.* Peccata Chriſtianorum graviora ſunt peccatis infidelium. 1. Propter cognitionem Myſteriorum Chriſti & Legis Evangelicæ. *Servus qui cognovit voluntatem domini ſui & non fecit, vapulabit multis.* 2. Propter ingrati animi vitium, quia dona a Deo accepta contemnunt, abjiciunt, conculcant. 3. Propter defectionem & apoſtaſiam a Chriſtiana pietate, violationemque pacti in Baptiſmo ſolemni ritu cum Deo initi. Sed & univerſim pejor eſt animæ in mortale peccatum poſt Pœnitentiam relapſæ ſtatus, curatio difficilior. Se vitiis priſtinis profundius immergunt, qui in ea relabuntur, habitum validiorem inducunt, peccandi conſuetudinem firmant, gratiæ Dei majorem obicem ponunt, Spiritui Dei graviorem contumeliam faciunt: ab eo penitus deſeri merentur, propriique cordis deſideriis tradi: a dæmone denique in domum ſuam antiquam revertente, eamque ſcopis mundatam & ornatam inveniente, arctius poſſidentur. Adducit enim ſecum ſeptem alios ſpiritus nequiores, *& fiunt noviſſima hominis illius pejora prioribus*, ait Chriſtus, cujus ſententiam S. Petrus reſpexit & expreſſit. Indulgentiæ ingratus eſt, qui poſt veniam peccat: ſanitate indignus eſt, qui ſemetipſum, poſtquam curatus eſt, vulnerat: mundari non meretur, qui ſemetipſum poſt gratiam ſordidat. Grave eſt hominem officiorum ſuorum notitia inſtructum delinquere: gravius abſolutum peccare. Servo pejor eſt, qui patronum poſt datam libertatem offendit: beneficiis ingratus eſt, qui datorem tumoris arrogantia deſpicit. „ A mundi igitur coinquinationibus mundati, ne his rurſus implicemur. Serviamus illi, cujus eſſe jam cœpimus. Glorificemus & portemus Deum puro & mundo corpore & obſervatione meliore; & qui per ſanguinem Chriſti Domini noſtri redempti ſumus, per omnia ſervitutis obſequia Redemptoris imperio pareamus, demuſque operam, ne quid immundum & profanum templo Dei inferatur; ne offenſus ſedem, quam inhabitat, derelinquat. Soſpitantis Domini verba ſunt & docentis, curantis pariter & monentis: *Ecce ſanus factus es, jam noli peccare, ne quid tibi deterius fiat.* Dat vivendi morem, dat innocentiæ legem, poſtquam contulit ſanitatem: nec habenis liberis & ſolutis vagari poſtmodum patitur, ſed ipſis potius, quibus ſanatus fuerat, mancipato, gravius comminatur; quod ſit ſcilicet minor culpa deliquiſſe ante, cum necdum noſſes diſciplinam Dei: nulla ſit venia * ultra delinquere, poſtquam Deum noſſe cœpiſti: & quidem hoc tam viri quam mulieres, tam pueri quam puellæ, ſexus omnis atque omnis ætas obſervet: & curet pro Religione ac fide quam Deo debet, ne quod ſanctum & purum de Domini dignatione percipitur, minus ſollicito timore teneatur. Iis enim qui in priora peccata relabuntur, contingit illud veri Proverbii: *Canis reverſus eſt ad ſuum vomitum; &, Sus lota in volutabro luti.* Premebat pectus conſcientia peccatorum, accepta indulgentia quaſi vomuiſti, & relevatum eſt pectus tuum; facta eſt bona conſcientia ex mala conſcientia: quid rurſus converteris ad vomitum tuam? Si canis hoc faciens horret oculis tuis, tu quid eris oculis Dei!

*Matt. 12. 45. Joan. 5. 14.*

*S. Cypr. De Diſcipl. & Habitu Virginum.*

* Id eſt, difficilior.

*S. Aug. in Pſ. 83. n. 5.*

---

## CAPUT III.

### *Senſus Litteralis.*

1. 2. *HAnc ecce vobis, cariſſimi, ſecundam * ſcribo Epiſtolam, in quibus veſtram excito, in commonitione ſinceram mentem: Ut memores ſitis eorum, quæ prædixi, verborum a ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum, præceptorum Domini & Salvatoris.* Hanc ſecundam ad vos Epiſtolam ſcribo, cariſſimi, ut in utraque ſinceras mentes veſtras commoneam, adhorter & excitem: ut memores ſitis Oraculorum a ſanctis Prophetis editorum, de quibus ſuperius dixi, & præceptorum quæ accepiſtis a nobis Apoſtolis Domini & Salvatoris noſtri.

* His verbis Grotii commentum refellitur, hanc ſecundam Epiſtolam S. Petro abjudicantis.

3. 4. *Hoc primum ſcientes, quod venient in noviſſimis diebus * in deceptione illuſores, juxta proprias concupiſcentias ambulantes, dicentes, Ubi eſt promiſſio, † aut adventus ejus? Ex quo enim Patres dormierunt, omnia ſic perſeverant ab initio creaturæ.* Illud imprimis ſcitote, in noviſſima mundi ætate venturos impoſtores, omnibus artibus inſtructos ad illudendum ſimplicitati fidelium, pravis cupiditatibus ſuis obſequentes, qui dicturi ſunt, Fruſtra glorioſus Chriſti adventus ad judicium exſpectatur: vana promiſſio eſt futuri mundi finis, & retributionis generalis præmiorum & ſupplicii, bonis & malis pro meritis ſingulorum faciendæ. Ex eo enim tempore quo Patres antiqui, id eſt Patriarchæ & Prophetæ mortui ſunt, quos hæc prænunciaſſe decantatis, eadem mundi facies, idem ſtatus, eadem œconomia perſeverat, qualis fuit ab initio.

* Hæc verba, *in deceptione*, redundant ſecundum Textum Græcum.

† Secundum Græcum: *Ubi eſt promiſſio adventus ejus?*

† De cœlo aereo, qua parte mediam & infimam aeris regionem continet, hic loquitur Apoſtolus. Pluralis autem numerus pro ſingulari hic uſurpatur, quia nomen Hebraicum *ſcammain*, ſingulari caret.

5. 6. 7. *Latet enim eos hoc volentes, quod cœli † erant prius, & terra de aqua & per aquam conſiſtens Dei verbo: per quæ ille tunc mundus aqua inundatus fuit.* Illi etenim volentes ignorant, (quia nolunt ex Scripturis ſacris diſcere veritatem) quod cœlum jam olim exiſtebat Dei verbo conditum in principio temporis, & terra ex aqua emergens, ſeu extra aquam eminens, & ſuper aquas conſiſtens & firmata, ſive per aquam compacta, coagulata, & veluti fermentata, ne tota diffluat in pulverem, utque frugum, plantarum, aliorumque corporum mixtorum productioni & conſervationi apta eſſet: & tamen Mundum illum antiquum aquarum ſuperiorum immiſſione & inferiorum eruptione per dies quadraginta inundatum & ſubmerſum, univerſum hominum genus communi exitio involviſſe. *Cœli autem qui nunc ſunt, & terra, eodem verbo repoſiti * ſunt, igni reſervari in diem judicii & perditionis impiorum hominum.* Cœli autem & terra, quo nunc ſunt ſtatu, eodem Dei verbo conſervantur, igne cremanda & innovanda in die ultimi generaliſque judicii, & perditionis hominum impiorum. De quo igne ſcriptum eſt: *Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus.*

* Τεθησαυρισμένοι, *Quaſi in theſauro divinæ providentiæ reconditi.*

*Pſalm. 96.*

8. *Unum vero hoc non lateat vos, chariſſimi, quia unus dies apud Dominum † ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus.* Tametſi vos lateat quando venturus ſit ad judicium Dominus: illam tamen veritatem ignorare non debetis, Comparatione æternitatis moram omnem brevem eſſe, & quæ nobis tardare videntur & procul eſſe, Deo eſſe proxima & præſentia: quia unus dies apud Dominum perinde eſt ac mille anni, & mille anni ut unus dies. Unde Propheta ait: *Quoniam mille anni ante oculos tuos tamquam dies heſterna quæ preteriit.*

† *Apud Dominum*, id eſt apud Chriſtum, de cujus adventu ſermo eſt.

*Pſalm. 89.*

9. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſicut quidam exiſtimant: ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, * ſed omnes ad pœnitentiam reverti.* Non ergo Dominus promiſſum de glorioſo adventu ſuo præſtare differt ultra præſtitutum tempus, quaſi illud implere nolit aut non poſſit (ut quidam perperam arbitrantur:) ſed patienter vos exſpectat, nolens aliquos perire ex electis, quos dedit illi Pater, verum eorum numerum impleri volens, † & omnes ad illum converti per pœnitentiam, ut ſalutem æternam conſequantur. Vel: Nolens aliquos perire, quantum in ſe eſt: & ordinans omnes ad finem ſalutis æternæ ſincera proprieque dicta voluntate, & media auxiliaque ſufficientia illis ſubminiſtrans, quibus credere & pœnitentiam agere poſſint, ſi velint: tametſi & ſpecialia, potentioraque deſiderentur, quibus efficaciſſime in illis operetur ut velint.

* Secundum Græcum, *ſed longanimis eſt erga nos.*



† Confer cum Apocal. 6. 11. *Et dictum eſt illis ut requieſcerent adhuc modicum tempus, donec compleantur conſervi eorum & fratres eorum.*

10. *Adveniet autem dies Domini ut fur: in quo cœli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſolventur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera, exurentur.* Dies judicii hominibus improviſus & inexpectatus adveniet, ſicut fur noctu in domos irrepit: qua die aer cœli nomine in Scriptura ſæpe ſignificatus, in morem procellæ, cum ſonitu & ſtridore vehementi tranſibit, & elementa craſſiora, nempe aqua & terra ignis ardore ſolventur, conflabuntur, & in melius commutabuntur: terra autem, & quæcumque in ipſa hominum uſibus ſerviunt opera naturæ vel artis, metalla, plantæ, arbores, animalia, ædificia, generali conflagratione peribunt.

Elementa ultimæ conflagrationis igne non penitus deſtruentur, ſed in melius commutabuntur. Non tranſibunt abolitione ſubſtantiæ; ſed formæ pulchrioris & meliorum qualitatum acceſſu.

11. 12. 13. *Cum igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet nos eſſe in ſanctis converſationibus & pietatibus? Exſpectantes & properantes in adventum diei Domini, per quem cœli ardentes ſolventur, & elementa ignis ardore tabeſcent: Novos vero cœlos, & novam terram ſecundum promiſſa ipſius * exſpectantes, in quibus juſtitia habitat?* Cum igitur hæc omnia diſſolvenda & immutanda ſint, cogitate quales eſſe vos oporteat, qualis vitæ veſtræ ſanctimonia, & pietas actionum eſſe debeat. Vos quippe gerere debetis non ſolum ut ſpectantes diem adventus Domini ad judicium, ſed ardentibus deſideriis in ejus occurſum properantes: qua die (ut dixi) cœli & elementa ignis ardore ut cera colliqueſcent. Cœlos enim novos & terram novam ſecundum promiſſum Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti exſpectamus, Mundum a Deo innovatum & a ſervitute corruptionis liberatum, in quo perfecta & perpetua, ſine ullius peccati admixtione juſtitia erit. Vel: Quibus in cœlis juſti ceu in æternæ felicitatis domicilio habitabunt.

Videſis S. Epiphan. Hæreſ. 64. num. 32. *S. Hieron. l. 18. Comment. in Iſaiam ad cap. 65. S. Auguſt. lib. 20. De Civit. Dei cap. 24. S. Thomam in 4. Sentent. Diſt. 47. Quæſt. 2.*

* *Iſai.* 65. 17. & 66. 22.

14. 15. *Propter quod, chariſſimi, hæc exſpectantes ſatagites immaculati & inviolati ei inveniri in pace.* Quapropter hæc ſpe firma expectantes, chariſſimi, operam date ut Chriſtus vos puros & irreprehenſibiles inveniat, in pace, quæ fructus eſt juſtitiæ. *Et Domini noſtri longanimitatem, ſalutem arbitremini: ſicut & chariſſimus fratres noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis.* Et Domini noſtri patientiam, quai tamdiu tolerat hominum peccata, & adventum ſuum differt, veſtræ ſaluti conducere exiſtimate, ſicut Paulus dilectus frater & Coapoſtolus noſter, ſecundum ſapientiam a Spiritu ſancto ſibi datam, vobis ſcripſit.

Sanctus Petrus Apoſtolum Paulum, divinam ejus ſapientiam, & Epiſtolas commendat, inter quas & illa eſt, in qua ipſius Petri reprehenſio legitur ac defenditur, ſcilicet Epiſtola ad Galatas.

16. *Sicut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his: in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, * quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & ceteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Quod etiam in omnibus Epiſtolis ſuis facit, in iis præſertim quas ſcripſit ad Eccleſias, loquens in eis de his de quibus vos admonui, de Chriſti ſcilicet adventu, & rebus ab eo promiſſis fideliter & patienter eſpectandis, & de fugiendis errorum Magiſtris; cujus in Scriptis nonnulla ſunt obſcura, & quæ ob rerum ſublimitatem, humanæque mentis infirmitatem, difficulter intelligi poſſunt; quæ homines imperiti, indociles & leves, nec in fidei fundamento ſtabiliti & firmati, vertunt ac detorquent in alienos & pravos ſenſus, ſicut & reliquas Scripturas tam veteris quam novi Teſtamenti: atque ita illis abutuntur ad ſuam perditionem, quæ datæ ſunt ad ſalutem.

* Scripturæ ſacræ ſenſu non omnibus prævias.

17. 18. *Vos igitur, fratres, præſcientes cuſtodite: ne inſipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate.* Vos igitur, Fratres, qui hæc omnia ſcitis, & de his præmoniti eſtis, cavete ne inſipientium & impiorum hominum erroribus abducti ac decepti, excidatis a fidei firmitate, quam Apoſtolorum magiſterio tenetis. *Creſcite vero in gratia & in cognitione Domini noſtri & Salvatoris Jeſu Chriſti.* Sed bonorum operum ſtudium magis ac magis creſcite in gratia & fide Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti. *Ipſi gloria & nunc, & in diem æternitatis. Amen.* Ipſi gloria in hoc ſæculo, & in omnem æternitatem debetur.

Hæc glorificatio Deo propria argumentum eſt divinitatis Chriſti Jeſu.

## CAPUT III.

### *Senſus Moralis.*

1. 2. *HAnc ecce vobis, chariſſimi, ſecundam ſcribo Epiſtolam, in quibus veſtram excito in commonitione ſinceram mentem.* Boni Paſtores monitis ſuis & ſanctis adhortationibus oves ipſis commiſſas aſſidue excitare debent, ne tepore erga res ſalutis, officiaque ſua, obdormiant. Caro & Mundus blanditiis ſuis facile ſopiunt ſpiritum, tametſi pervigilem, ejuſque ſinceritatem ac munditiem obſcurant. Si autem ſinceræ ac puræ mentes frequenter excitandæ ſunt, ne torpeſcant & dormiant, quanto magis quæ in tenebris peccatorum alto & placido ſomno correptæ jacent? Nihil vero ad hujuſmodi ſomnum depellendum vel prohibendum aptius & efficacius eſt verbo Dei ſcripto & tradito, quo præcepta Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, divina Prophetarum oracula, & Apoſtolorum doctrina ac monita, fidem moreſque ſpectantia, continentur. Hæc fidelibus inculcanda ſunt, ne ex ipſorum memoria excidant. *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* Hæc memoriæ commendent fideles, verbum Dei audiendo, legendo, & meditando. *Ut memores ſitis eorum, quæ prædixi, verborum a ſanctis Prophetis, & Apoſtolorum veſtrorum, præceptorum Domini & Salvatoris.*

Fideles a Paſtoribus aſſidue excitandi ſanctis adhortationibus.

3. 4. 5. *Hoc primum ſcientes, quod venient in noviſſimis diebus in deceptione illuſores, juxta proprias concupiſcentias ambulantes. Dicentes. Ubi eſt promiſſio, aut adventus ejus?* Diabolus omni tempore impoſtores ſuſcitat, & magiſtros erroris ac impietatis. Hi ſublimium ac fortium ingeniorum gloriam ſibi arrogantes, ſimplicitati fidelium illudunt, a Philoſophia ſubornati. Concupiſcentiæ ſuæ carnalis legem, ac impulſum ſequuntur, non legem Spiritus. In via vitiorum progrediuntur, alioſque pravis exemplis trahunt, non minus quam falſis argumentis & cavillationibus. Hi a dæmone inſpirati, regno ejus propagando ſerviunt, promiſſorum Dei, & judiciorum ejus fidem ac memoriam in cordibus hominum exſtinguere ac delere geſtientes: & ad mundi fruitionem illicientes eos, cum quibus converſantur, quaſi nulla alia poſt mortem vita & felicitas ſperanda eſſet. Adverſus hujuſmodi impoſtores & illuſores vigilent Paſtores, arceant eos a grege Domini, capiant vulpes quæ vineam ejus demoliuntur, illos arguant, convincant, confundant coram omnibus, fideles avertant ab eorum converſatione & ſermone audiendo, qui ut cancer ſerpit: Vocent oves ad paſcua ſalutaria verbi Dei & Chriſtianarum inſtitutionum, illaſque moneant, quod ſi Paſtorum ſuorum adhortationibus, admonitionibus, & inſtructionibus neglectis, ab impoſtoribus decipiantur, non excuſabit eas ignorantia, quia claudunt oculos lumini veritatis, & nolunt intelligere ut bene agant: venenum melle conditum haurire non metuunt, & antidotum ſalutare ſumere recuſant. *Latet enim eos hoc volentes, &c.*

Paſtorum vigilantia contra Magiſtros erroris & impietatis, qui ſublimium ingeniorum gloriam ſibi arrogant.

8. *Unum vero hoc non lateat vos, chariſſimi, quia unus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies unus.* Quam brevis hominum vita, quamvis longa videatur & deſideretur! Momentum, nihilum. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.* Tota mundi duratio, brevis dies. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt enim omnis homo: & cuncta, quæ fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, ſive bonum ſive malum illud ſit.* Igitur *Annos æternos* in mente habeamus. Cogitationes noſtræ & affectus noſtri æternitati Dei jungantur, in eaque defigantur.

Humanæ vitæ brevitas.

*Pſalm. 89. Eccleſiaſt. 1.*

*Pſalm. 76.*

9. *Non tardat Dominus promiſſionem ſuam, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad Pœnitentiam reverti.* Neminem creavit Deus ut perderet, qui vult omnes homines ſalvos fieri *bonitate Creatoris*; qui *dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* miſericordia Salvatoris. *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur a viis ſuis & vivat?* Pœnas differt, ut ad Pœnitentiam nos invitet. *Expectat Dominus ut miſereatur veſtri, & ideo exaltabitur parcens vobis, quia Deus judicii Dominus: Beati omnes qui exſpectant eum.* „ Grandis clementia Dei, ut exſpectet noſtram Pœnitentiam: & donec nos a vitiis convertamur, ille potentem contrahat manum, ne ferire cogatur. Ideo autem miſeretur & parcit, ut exaltetur illius miſericordia, & bonitas Creatoris nota cunctis fiat. Vel certe juxta illud quod in Evangelio loquitur, *Cum exaltatus fuero a terra, omnia*

„ *traham*

Deus non vult aliquos homines perire.

*Eccleſia Lugdun.*

*Ezechiel. 18. 23. & c. 33. 11.*

*S. Hier. lib. 9. Commentar. in Iſaiam.*

*Joan. 12.*

„ *trabam ad me*, idcirco exaltatur in cruce, ut „ parcat omnibus. Ipſe eſt enim Deus judicii: & „ beati ſunt omnes qui exſpectant Dominum ex- „ ſpectantem converſionem ſuam. Contra vero „ miſerrimi, qui patientia ejus abutuntur, ſecundum duritiam ſuam & impœnitens cor theſaurizantes ſibi iram in die iræ & juſti judicii Dei.

Præparatio ad mortem & Judicium divinum.

*Matt.* 24. 42.

*S. Aug. Ep.* 99. *alias* 80. *cap.* 3. *n.* 2.

10. 11. 12. *Adveniet autem dies Domini ut fur*, &c. Incerta univerſalis & particularis judicii dies. *Si ſciret pater-familias qua hora fur venturus eſſet, vigilaret utique, & non ſineret perfodi domum ſuam. Ideo & vos eſtote parati, quia qua neſcitis hora Filius hominis venturus eſt.* Ad rationes vitæ noſtræ Chriſto Judici reddendas nos præparemus, Pœnitentiæ & bonis operibus aſſidue & ferventer incumbamus, ne ſubito præocupati die mortis, quæramus ſpatium Pœnitentiæ, & invenire non poſſimus. *In quo enim quemque invenerit ſuus noviſſimus dies, in hoc eum comprehendet mundi noviſſimus dies: quoniam qualis in die iſto quiſque moritur, talis in die illo judicabitur.* Bonis caducis & perituris non inhæreamus, ne & ipſi pereamus; ſed ad hæc omnia ita nos habeamus, ut nec magni ea æſtimemus, nec magnopere appetamus; nec ubi poſſidemus, ſtudioſius retineamus; nec ſi amittantur, eorum jacturam acerbiori luctu deploramus: ſed ſobrio illorum uſu, totiuſque vitæ noſtræ compoſitione ad normam Evangelii, ſanctitatis & innocentiæ exemplum omnibus exhibeamus. *Cum igitur hæc omnia diſſolvenda ſint, quales oportet vos eſſe in ſanctis converſationibus & pietatibus?* Vita boni Chriſtiani, continua expectatio, ardentiſſimum deſiderium eſt diei Domini. Deſiderat, & præ deſiderio languet, qui diligit. *Exſpectantes & properantes in adventum Diei Domini.* „

*S. Aug. Serm.* 109. *alias* 39. *De Verbis Domini, cap.* 2.

„ Ad hanc exſpectationem, & propter hanc ſpem, „ Chriſtiani facti ſumus. Ab amore ſæculi hujus „ vocati ſumus, ut aliud ſæculum ſperemus & diligamus. Similes igitur ſimus hominibus exſpectantibus Dominum ſuum. Lumbos præcinctos habeamus, & lucernas ardentes in manibus. Declinemus a malo, faciamus bonum, inquiramus „ pacem. Continentiam & juſtitiam ſectemur, ut „ ad pacem, quæ in ſummi boni fruitione eſt, „ perveniamus. „ Ad continentiam pertinet, *Sint lumbi veſtri præcincti*: ad juſtitiam, *& lucernæ ardentes in manibus veſtris*: ad ſpem vitæ & pacis æternæ, *Similes eſtote hominibus expectantibus dominum ſuum.*

14. *Propter quod, chariſſimi, hæc exſpectantes, ſatagite immaculati & inviolati ei inveniri in pace.* Meditatio futuri judicii, & exſpectatio bonorum cœleſtium & æternorum, ſitim bonorum terrenorum & temporalium in nobis extinguit, qua pax interior perturbatur. 2. Ab amore mundi nos abſtrahit, quo animus corrumpitur. 3. Nos ſeparat & avertit a peccato, quod nos impuros, & abominabiles Deo reddit. *Et ero immaculatus cum eo, & obſervabo me ab iniquitate mea, quoniam omnia judicia ejus in conſpectu meo.* Ab hac terra morientium, cum Deo placuerit, migrare parati ſimus, in

*Pſalm.* 17. 23.

qua peregrina eſt, majorique hominum parti ignota, vel exoſa, quæ de cœlo orta eſt, veritas; in qua dominatur injuſtitia; in qua refriguit ac pene extincta eſt caritas. Bonorum operum ſtudio contendamus ad *cœlos novos & terram novam* a Deo promiſſam, in quibus Veritas lucet ſine umbra, & a felicibus incolis videtur ut in ſe eſt, & cum gaudio ineffabili poſſidetur; *in quibus juſtitia habitat* ſine ulla injuſtorum permixtione, in quibus perfecta caritas ſine ulla æmulatione regnat.

16. 17. *Vos igitur, Fratres, præſcienties cuſtodite: ne inſipientium errore traducti, excidatis a propria firmitate.* Inſipientes ſunt, qui ab æternæ Sapientiæ regulis in Scriptura ſacra & Traditione Apoſtolica contentis aberrant, ut proprium ſenſum ſequantur. Ab his cavendum eſt, ne illorum erroribus ſeducti, a firmitate fidei excidamus. Doctrinæ Apoſtolorum & fidei Patrum ab Eccleſia & Sede Apoſtolica expoſitæ firmiter adhærendum eſt, ut fides noſtra in Chriſto Jeſu ſtabilis ſit & inconcuſſa. Scripturas ſacras legere optimum & ſalutare eſt Chriſtianis in fide ſtabilibus, docilibus, humilibus, & voluntatem Dei in verbis Dei pie quærentibus, modo Verſiones & expoſitiones ab Eccleſia approbatas ſequantur, non ab hæreticis hominibus editas, qui Scripturas, *in quibus ſunt quædam difficilia intellectu*, interpretandi ſpiritu privato, ſenſuque & arbitrio proprio jus ſibi arrogantes, illas *depravant* & in alienos ſenſus detorquent, *ad ſuam*, & aliorum, *perditionem*. Cum Epiſcoporum licentia, & Paſtorum ac ſapientium Directorum conſilio, qui panem verbi Dei petentibus lapidem non porrigent, Scriptura ſacra legatur a Fidelibus, Verſiones & expoſitiones ab Eccleſia, a Sede Apoſtolica, ab Epiſcopis prohibitæ, & ſuſpectæ rejiciantur. *Quis ſervus cibaria ab extraneo, ne dicam ab inimico Domini ſui ſperat? Quis miles ab infœderatis, ne dicam ab hoſtibus regibus, donativum & ſtipendium capiat, niſi plane deſertor, & trasfuga & rebellis? Etiam anus illa intra tectum ſuum drachmam requirebat. Etiam pulſator ille vicini januam tundebat. Etiam vidua illa non inimicum, licet durum, judicem interpellabat. Nemo inde inſtrui poteſt, unde deſtruitur. Nemo ab eo illuminatur, a quo contenebratur. Quæramus ergo in noſtro, & a noſtris, & de noſtro: idque dumtaxat quod ſalva regula fidei poteſt in quæſtionem devenire.* Alias autem quæſtiones, quas homines novitatis amantes, inquieti & turbulenti inferunt, vel ut damnatos errores ſuſcitent, vel ut Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ Decreta eludant, vel ut juſtam damnationem perſecutionis odioſo nomine infament, „ ignorare melius eſt, ne quod non debeas noris, „ quia quod debeas noſti. Fides tua te ſalvum fecit, „ non exercitatio Scripturarum. Fides in regula poſita eſt: habes legem & ſalutem de obſervatione „ legis: exercitatio autem in curioſitate conſiſtit, „ habens gloriam ſolam de peritiæ ſtudio. Cedat „ curioſitas fidei, cedat gloria ſaluti. Certe aut non „ obſtrepant, aut quieſcant. Adverſus regulam nihil „ ſcire, omnia ſcire eſt.

*Tertull. lib. De Præſcript. Hæret. cap.* 13. & 24.





# IN EPISTOLAM I. S. JOANNIS APOSTOLI, COMMENTARIUS LITTERALIS ET MORALIS,

## *PROLOGUS.*

*Euſeb. l. 3. Hiſt. Eccleſ. c. 5. S. Hieron. in Catal.*

* *S. Aug. l. 2. Quæſt. Evang. c. 39. Poſſidius in Indiculo Operum S. Auguſt.*

DE hac Epiſtola nemo unquam in Eccleſia dubitavit quin Canonicæ auctoritatis eſſet, ac S. Joannem Apoſtolum haberet auctorem. * Ad Parthos ſcriptam S. Auguſtinus * teſtatur, id eſt ad Judeos Chriſtianæ fidei Profeſſores, qui ſub Parthorum Imperio vivebant, quorum majores ex antiqua diſperſione decem Tribuum in locis trans Euphratem ſedes fixerant. Nec tamen ad ſolos Judæos, ſed ad Chriſtianos omnes illarum regionum ſcripta eſt, quippe qui ejuſdem Eccleſiæ membra erant, ejuſdem fidei conſortes, & ad eamdem ſpem regni cœleſti vocati. Quando, & unde ſcripta ſit, incertum. Sancti Joannis Apoſtoli nomen adſcriptum non habet, quod omittere illi ſolemne eſt, etiam in Evangelio, ubi vix de ſe loquitur niſi per circumlocutionem. At ſtylus ubique ſpirans caritatem (qui S. Joannis character eſt) illum prodit Auctorem. Verſatur potiſſimum in adſtruenda Chriſti Domini vera æconomia, ad quam pertinent imprimis hæc fidei myſteria: Jeſum eſſe Chriſtum, verum Deum ac Dei Filium, eumdemque eſſe verum hominem, vera carne conſtantem, noſtrum Advocatum apud Patrem, & propitiatorem pro peccatis noſtris: Quæ dogmata per totam fere Epiſtolam traduntur contra Simonianos, Ebionem, Cerinthum, alioſque poſtmodum erupturos Hæreticos, quos Antichriſtos vocat, eoſque *ſolvere Jeſum* dicit, id eſt, Incarnationis ejus Myſterium evertere. *In hac Epiſtola maxime caritas commendatur. Locutus eſt multa, & prope omnia de caritate. Qui habet in ſe unde audiat, neceſſe eſt gaudeat ad id quod audit. Sic enim illi erit lectio iſta tamquam oleum in flamma; ſi eſt ibi quod nutriatur, & creſcit, & permanet. Item quibuſdam eſſe debet ſicut flamma ad fomitem; ut ſi non ardebat, accedente ſermone accendatur. In quibuſdam enim nutritur quod eſt, in quibuſdam accenditur, ſi deeſt: ut omnes in una caritate gaudeamus. Ubi autem caritas, ibi pax; & ubi humilitas, ibi caritas.*

*S. Auguſt.*

---

### C A P U T I.

#### *Senſus Litteralis.*

* Secundum Græcum, *Quod erat ab initio.*

1. 2. *QUod fuit * ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtis, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ.* Annuntiamus vobis de Verbo vitæ, de Filio Dei unigenito, qui vita ſubſiſtens eſt in ſinu Patris, & vitæ omnis, naturæ, gratiæ, & gloriæ in creaturis principium, quod erat ab initio ante omnem creaturam, ſcilicet ſecundum Divinam ejus Naturam & Perſonam coæqualem & coæternum Patri, quod audivimus, quod & vidimus oculis noſtris, quod contemplati ſumus, quod manus noſtræ palpaverunt, dum apud nos converſatus eſt, ſcilicet quæ ad ejus œconomiam & aſſumptam carnem pertinent. *Et Vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis Vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Ipſa Vita, (Dei Filius) ſe conſpicuam præbuit in carne aſſumpta, & per converſationem ſuam cum hominibus, per doctrinam & miracula manifeſtam fecit. Quam & nos ejus Apoſtoli vidimus, de qua & teſtimonium perhibemus, & annuntiamus vobis Vitam illam æternam, quæ apud Deum Patrem erat, & apparuit nobis aſſumpta carne.

Confer cum initio Evangelii S. Joannis: *in principio erat Verbum*, &c.

* Confer cum Matt. 13. 16. *Veſtri beati oculi quia vident, & aures veſtræ quia audiunt.*

3. 4. *Quod vidimus & audivimus, * annuntiamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cum Patre, & cum Filio ejus Jeſu Chriſto.* Quod, inquam, vidimus & audivimus, prædicamus vobis, non quæſtus aut commodi noſtri cauſa, ſed ut ſocietatem & communionem cœleſtium bonorum, quæ nobis promiſſa ſunt a Deo, nobiſcum habeatis. Noſtra autem ſocietas, in quam vos adſciſci peroptamus, eſt cum Deo Patre, & Filio ejus Jeſu Chriſto, qui ſua nos amicitia dignantur & gratia, noſque ad æterni regni ſui hereditatem vocaverunt. *Et hæc ſcripſimus vobis, § ut gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum.* Quæ quidem vobis eum in finem ſcribimus, ut de divina illa ſocietate nobis ac vobis tam glorioſa, tam ſalutari gaudeatis, & ſpirituale gaudium quo animos veſtros perfundit ſpes certa & firma bonorum cœleſtium, his, qui in illam vocati ſunt promiſſorum, in vobis impleatur eorumdem fruitione.

§ His verbis *Ut gaudeatis*, nihil reſpondet in Textu Græco hodierno, qui ſic vertitur: *Hæc ſcribo vobis, ut gaudium veſtrum ſit plenum.*

5. *Et hæc eſt annuntiatio *, quam audivimus ab eo, & annuntiamus vobis: Quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ.* Hoc eſt autem quod a Chriſto didicimus, & quod vobis annuntiamus: Quod Deus lux eſt ſpiritualis, æterna, inaceſſa, lux mentium, non corporeorum oculorum, prima & ſumma veritas, bonitas & juſtitia: Lux, (inquam) nullis admixta tenebris errorum & peccatorum: quas ut diſſiparet, Filius Dei, lux vera venit in mundum. *Et vita erat lux hominum; & lux in tenebris lucet & tenebræ eam non comprehenderunt*, ait S. Apoſtolus in principio Evangelii ſui.

* Græce, ἐπαγγελία, *Promiſſio.*

6. 7. *Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus.* Si ergo dixerimus nos habere cum Deo & Filio ejus Jeſu Chriſto ſocietatem, & in tenebris vitiorum vivimus, mentimur, & operibus non probamus, quam profitemur veritatem. *Si autem in luce ambulamus, ſicut † & ipſe eſt in luce; ſocietatem habemus ad invicem, & Sanguis Jeſu Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Si autem pure & ſancte vivimus, Dei puritatem, & ſanctitatem imitari ſtudentes, & ejus veritati, juſtitiæ, ac legi opera noſtra, verba, conſilia, & affectus conformantes, mutuam inter nos ſocietatem habemus, Deo pariter conjuncti: & ſanguis Jeſu Chriſti Filii ejus, pro nobis effuſus, nos ab omni peccato purgat & emundat in dies. Locus hic contra Socinianos palmaris eſt. Chriſtum enim verum & naturalem Dei Filium eſſe demonſtrat: unam eſſe Chriſti Perſonam: ſanguinis ejus, paſſionis ac mortis virtute ac merito nos remiſſionem omnium peccatorum conſequi, tum ejus quod naſcendo contraximus, tum eorum quæ propria voluntate committimus. Quod nullius puri hominis, quantumvis juſti, ſanguis præſtare poſſet.

† Τὸ *ſicut*, non æqualitatem, ſed ſimilitudinem, ſeu imitationem divinæ perfectionis hic ſignificat.

Sociniani refelluntur.

8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Si dixerimus omnis peccati, etiam levioris, nos puros eſſe, nos ipſos fallimus, & a veritate aberramus. Fidei veritas eſt, neminem quantumvis juſtum, excepta beata Virgine, ſine omni prorſus peccato vixiſſe, vivere, aut victurum eſſe. Concilium univerſale Eccleſiæ Africanæ Carthagine habitum anno 418. contra hæreſim Pelagii & Celeſtii, Canonibus 7. 8. & 9. hanc veritatem ad fidem pertinere declaravit. Can. VII. *Quod ait S. Johannes Apoſtolus.* Si dixerimus „ quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, „ & veritas & in nobis non eſt: *quiſquis ſic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem non oportere dici, qui nos habere peccatum, non quia vere ita eſt, eſt anathema ſit. Sequitur enim Apoſtolus & adjungit*, Si autem confeſſi fuerimus peccata no- „ ſtra, fidelis eſt & juſtus ut remittat nobis peccata, „ & mundet nos ab omni iniquitate. *Ubi ſatis apparet, hoc non tantum humiliter, ſed etiam veraciter dici. Poterat enim Apoſtolus dicere, Si dixerimus quia non habemus peccatum, nos ipſos extollimus, & humilitas in nobis non eſt: ſed cum ait, Nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, ſatis oſtendit eum qui dixerit ſe non habere peccatum, non verum loqui, ſed falſum.*

Videſis *S. Auguſt. lib. De perfectione juſtitiæ hominis.*

Can. 8. *Quicumque dixerit, In oratione Dominica*

„ *ideo dicere ſanctos*, Dimitte nobis debita noſtra, *ut non pro ſe ipſis hoc dicant, quia non eſt eis jam neceſſaria iſta petitio, ſed pro aliis qui ſunt in ſuo populo peccatores, & ideo non dicere unumquemque ſan-* „ *ctorum, Dimitte mihi debita mea, ſed*, Dimitte nobis debita noſtra, *ut hoc pro aliis potius quam pro ſe petere juſtus intelligatur, anathema ſit*, &c.

Can. 9. *Quicumque ipſa verba Dominicæ Orationis*, Dimitte nobis debita noſtra, *ita volunt a ſanctis dici, ut humiliter, non veraciter hoc dicatur, anathema ſit. Quis enim ferat orantem, & non hominibus, ſed ipſi Domino mentientem, qui labiis dicit ſibi dimitti velle, & corde dicit, quæ ſibi dimittantur debita non habere?*

9. *Si confiteamur, peccata noſtra, fidelis eſt, & juſtus, * ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Si peccata noſtra confiteamur cum vera contritione cordis, & quæ ad veram pœnitentiam inſtituta ſunt a Chriſto peragamus, Deus qui fidelis eſt in promiſſis ſuis, & qui nunquam deflectere poteſt ab eo quod ſuæ bonitati, ac fidelitati convenit, nobis peccata noſtra remittet noſque ab omni iniquitate purgabit. Juſtum eſt ut Deus pœnitentibus remittat peccata: ſed hæc juſtitia ſtricta non eſt reſpectu hominis. Id ſuæ veracitati debet Deus, non homini peccatori. *Tenemus debitorem, quia tenemus miſericordiſſimum promiſſorem.*

* Confer cum Deut. 32. 4. *Deus fidelis, & abſque ulla iniquitate, juſtus & rectus.*

S. Auguſt.

10. *Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & verbum ejus non eſt in nobis.* Si dixerimus nos non peccaſſe in Adamo primo parente, & additis propriæ voluntatis peccatis, ſeu gravioribus, ſeu levioribus, Deum arguimus mendacii, qui teſtatur in Scripturis ſanctis omnes homines eſſe peccatores. *Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit: & poſuit in eo Dominus iniquitatem omnium noſtrum* (ait Propheta) *Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum & non peccet* (ait Eccleſiaſtes.) Verbum igitur Dei non eſt in nobis per fidem radicatum, nos illi non credere oſtendimus, ſi nos non peccaſſe dicimus.

Iſai. 56. 6.
Eccleſ. 7. 21.

## C A P U T I.

*Senſus Moralis.*

1. 2. Q*Uod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectaverunt de Verbo vitæ: Et vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* Admirabilis & incomprehenſa Verbi vitæ, Filii Dei caritas & humiliatio, qui ab æterno inviſibilis & immortalis, viſibilis & mortalis fieri dignatus eſt in tempore; carne pro ſalute noſtra indutus, ſemetipſum ad nos demiſit, ut nos ad ſe eveheret. Seſe noſtris expoſuit ſenſibus videndum, audiendum, contrectandum, ut nos ſpirituales efficeret, ut nos ad bonorum inviſibilium amorem raperet, ut ad ſui fruitionem in cœlis nos perduceret. Vita ab æterno abſcondita in Deo, manifeſtata eſt nativitate temporali, ut nos vita æterna donaret, *Manifeſtata eſt ipſa vita in carne, ut res quæ ſolo corde videri poteſt, videretur & oculis, ut corda ſanaret. Solo enim corde videtur Verbum: caro autem & oculis corporalibus videtur. Erat unde videremus carnem, ſed non erat unde videremus Verbum: factum eſt Verbum caro, quam videre poſſemus, ut ſanaretur in nobis unde Verbum videremus.* Vita manifeſtata eſt, cum Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. * *Illi carni adjungitur Eccleſia, & fit Chriſtus totus, caput & corpus.* Illius teſtes ſimus, hanc annuntiemus non verbis ſolum, ſed operibus. Deo vivamus in Chriſto, de Deo. Parati ſimus ad vitam cum ſanguine profundendam pro Chriſtianæ fidei veritate & pro juſtitia. Teſtes Dei ſunt Martyres. Deus teſtes habere voluit homines, ut & homines habeant teſtem Deum; nec ſolum teſtem, ſed & remuneratorem. Habet & pax Eccleſiæ Martyres ſuos.

Admirabilis Filii Dei caritas & humiliatio, qui ſe nobis manifeſtavit aſſumpta carne.

S. Aug. Tract. 1. in Joan.

3. 4. *Quod vidimus & audivimus, annuntiamus vobis, ut & vos ſocietatem habeatis nobiſcum. & ſocietas noſtra ſit cum Patre & Filio ejus Jeſu Chriſto.* Apoſtoli viderunt, nos non vidimus, & tamen ſocii ſumus, quia fidem communem tenemus. Fides enim mentibus noſtris præſentia reddit Myſteria, quæ viderunt: cordibus noſtris inſerit veritates, quas audiverunt & prædicaverunt; & Chriſtum Jeſum, cui convixerunt, in animis noſtris habitare facit. Fides dilectione formata & animata, non ſolum Apoſtolorum, ſed & Chriſti, & per Chriſtum Dei Patris ſocietati nos conjungit; communionem operum, paſſionum, gratiarum, meritorum, & gloriæ Chriſti nobis impartiens. Hæc nos Deo conſociat, eo replendos ut ipſius templa; naturæ illius conſortes facit, & veritate nutrit, ut filios; caritate conſummat ut membra Filii ejus unigeniti. Cor noſtrum illi præbeamus indiviſum & integrum; non ad tempus, ſed in perpetuum, ut gaudio illius impleamur, & ſine fine fruamur. *Et hæc ſcribimus vobis, ut gaudeatis, & gaudium veſtrum ſit plenum.* Gaudium plenum dicit in ipſa ſocietate, in ipſa caritate, in ipſa unitate.

Fides nos Deo Petri & Filio ejus Jeſu Chriſto conſociat.

S. Aug.

5. 6. *Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ. Si dixerimus quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus.* Lux ſpiritualis, æterna, inacceſſa, incomprehenſa, quam adoramus, & imitari debemus, Deus eſt; veritas, ſapientia, puritas, ſanctitas, juſtitia ipſa eſt. His virtutibus accedamus ad Deum, ut illuminemur. Tenebras ignorantiæ, errorum, peccatorum, ne diligamus magis quam divinæ veritatis & juſtitiæ lucem. *Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ participatio juſtitiæ cum iniquitate? Quæ conventio Chriſti ad Belial?* Si ergo dixerimus nos ſocietatem habere cum Deo, & peccatis gravioribus lucem juſtitiæ ſanctitatis per gratiam Chriſti in nobis accenſam extinguimus, mentimur, principem tenebrarum Chriſto veræ luci præponimus. Veritatem cognoſcere, & profiteri non ſufficit, ſed facere, ad ſalutem neceſſe eſt. Veritatem facit, qui ſecundum fidem ſuam vivit, qui promiſſiones in Baptiſmo factas obſervat, qui ſignificationem Myſteriorum mortis & Reſurrectionis Jeſu Chriſti in animis noſtris per Sacramentum regenerationis noſtræ impreſſorum, implet, peccato, mundoque mortuus, uni Deo vivens. *Qui facit veritatem, venit ad lucem.*

Veritatem cognoſcere non ſufficit, ſed facere neceſſe eſt.

2. Cor. 6. 14.

Joan. 3. 21.

7. *Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus adinvicem, & ſanguis Jeſu Chriſti Filii ejus emundat nos ab omni peccato.* Via lucis, divinarum perfectionum imitatio eſt, morumque ad legem, ad juſtitiam, & ſanctitatem Dei conformatio. Via tenebroſa, morum deformatio, & a Dei lege aberratio. Deus lux eſt tenebrarum prorſus expers: *Juſtorum ſemita quaſi lux ſplendens, procedit & creſcit uſque ad perfectum diem. Via impiorum tenebroſa, neſciunt ubi corruant.* Societatem inter ſe habent impii ad civitatem Babylonis pertinentes; ſed hæc ſocietas in concupiſcentiis & vitiorum ſimilitudine fundatur. Societatem inter ſe habent juſti; ſed hæc ſocietas fundatur in caritate, in ſimilitudine virtutum, in communione bonorum operum. Caritate mutua conjuncti ſunt, quia in Deo unum ſunt. *Non pro eis rogo tantum*, ait Chriſtus Dominus, *ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbum eorum in me: ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint. Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, ut ſint unum, ſicut & nos unum ſumus. Ego in eis, & tu in me, ut ſint conſummati in unum.* Ad hunc finem abluti ſumus & mundati a peccatis noſtris pretioſo ſanguine Jeſu Chriſti. Ejuſdem efficacia divina lavacri purgamur a peccatis, quæ humana fragiliate vel infidelitate committimus in dies. Si vero non mundamur, culpa noſtra eſt. *Mundare te volui, & non es mundata a ſordibus tuis* (ait Dominus.)

Quæ via lucis, quæ via tenebrarum?

Prov. 4. 18.

Joan. 17.

Ezech. 24. 14.

8. *Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Nemo homo (beata Virgine propter honorem Domini excepta) ſine peccato eſt, nemo Chriſti ſanguine mundari non indiget. Qui ſe peccatorum non agnoſcit, ſeipſum ſeducit, propriæque juſtitiæ inani fiducia tumens, divinæ miſericordiæ ſinum ſibi occludit. Fallacia ſuperbiæ comes: veritas & ſinceritas humilitatis ſocia. Aliud eſt facere juſtitiam, aliud perficere. „ Facere juſtitiam, eſt in vero Dei cultu cum in- „ terno concupiſcentiæ malo interna conflictatione „ pugnare: perficere autem, omnino adverſarium non „ habere. Nam qui pugnat, & adhuc periclitatur, „ & aliquando percutitur, etiamſi non ſternitur: „ qui autem non habet adverſarium, plena pace læ- „ tatur. Et ipſe eſſe ſine Peccato veriſſime dicitur, in quo nullum habitat peccatum; non qui per abſtinentiam mali operis dicit, *Jam non ego operor illud, ſed quod in me habitat peccatum.* Tunc erit juſtus „ ſine ullo omnino peccato, quando nulla lexerit „ in membris ejus repugnans legi mentis ejus, ſed „ prorſus toto corde, tota anima, tota mente diliget „ Deum, quod conſequentur aliquando qui ex fide vivunt, & perfecte currunt. *Curramus* igitur *credendo, ſperando, deſiderando; curramus corpus caſtigando, & eleemoſynas in bonis dandis, maliſque ignoſcendis hilariter & ex corde faciendo, & currentium vires ut adjuventur orando: & ſic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem caritatis.*

Nemo homo ſine peccato, Matre Dominici excepta.
S. Aug. lib. De Natura & Gratia, c. 62.

Rom. 7. 20.

S. Aug. lib. De Perfectione Juſtitiæ hominis, cap. 8.

9. *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet nos ab omni iniquitate:* Remiſſionem peccatorum impetrat humilis & ſincera confeſſio, cum amore pœnitente conjuncta: *Ante omnia confeſſio, deinde dilectio:* Scriptum eſt enim, *caritas cooperit multitudinem peccatorum.* Sola caritas extinguit delicta. Su- „ perbia extinguit caritatem, humilitas roborat ca- „ ritatem. Humilitas pertinet ad confeſſionem, qua „ confitemur nos peccatores eſſe, non ut dicamus „ illud lingua tantum, & ex arrogantia, ne diſpli- „ ceamus hominibus, ſi nos juſtos eſſe dixerimus. „ Dic hominibus quod es, dic inprimis Deo. Non „ vis ut ille damnet, damna. Vis ut ille ignoſcat? tu agnoſce, ut poſſis Deo dicere, *Averte faciem tuam a peccatis meis, quoniam iniquitatem meam ego cognoſco.* Et, *Confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Promiſſorum ſuorum veritati, & Filii ſui Jeſu Chriſti meritis, qui ſanguinis ſui pretium pro hominibus ipſi perſolvit, Deus id debet, ut vere pœnitentibus peccata dimittat. *Pœnitentiam certam non facit niſi odium peccati, & amor Dei.* Pœnitentia gravium & lethalium peccatorum poſt baptiſma commiſſorum confeſſionem Deo & Sacerdoti Dei miniſtro factam complectitur. Pœnitentia leviorum ſeu venialium delictorum, ſine quibus nec juſtorum vita peragitur, confeſſionem Deo ſaltem factam involvit, qua humiliter & veraciter dicimus in Oratione, *Dimitte nobis debita noſtra*, ut Deus nobis illa remittat, & emundet nos ab omni iniquitate. Levia peccata noli contemnere. *Si contemnis, quando appendis; expaveſce, quando numeras. Levia multa faciunt unum grande: multæ guttæ implent flumen, multa grana faciunt maſſam.* Multa peccata venialia ex torpore & negligentia committi ſolita, ad mortale diſponunt. Per illa caritatis fervor minuitur, concupiſcentia roboratur, minores ſunt vires ad reſiſtendum tentationibus; gratiæ actuales quibus infirmitati voluntatis humanæ, ne in illis deficiat, efficaciſſime, potentiſſime, & invictiſſime ſubvenitur, propter illa interdum ſubtrahuntur. *Qui ſpernit modica, paulatim decidet.*

Remiſſionem peccatorum impetrat humilis & ſincera confeſſio.
1. Petri 4. 8.
S. Aug. Tract. 1. in hanc Ep.
Pſalm. 50.

S. Aug. ibid.

Eccli 19. 1.

10. *Si dixerimus quoniam non peccavimus, mendacem facimus eum, & veritas ejus non eſt in nobis.* Qui negat peccatum hominis, negat neceſſitatem & promiſſionem Salvatoris. Qui ſe non peccaſſe dicunt, & de innocentiæ ſuæ integritate gloriantur, Deo mendacium affingunt. *Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit*, ait Propheta: &, *Poſuit in eo Deus iniquitatem omnium noſtrum... Non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet* (ait Spiritus ſanctus per os Salomonis.) Si ergo dixeris, Non peccavi, Deum facis mendacem, cum te vis facere veracem. Et tamen ſolus Deus verax, omnis autem homo mendax. Deus per ſe verax, tu per Deum verax: nam per te mendax. *Nemo de ſuo habet niſi mendacium & peccatum.* Nos igitur agnoſcamus; & humiliter confiteamur peccatores, & aſperſione ſanguinis Jeſu Chriſti ad peccatorum, quæ quotidie committimus, remiſſionem indigere. *Frequenter enim irrepit terrenarum illecebra cupiditatum, & vanitatum effuſio mentem occupat; ut quod ſtudes vitare, hoc cogites animoque volvas: quod cavere difficile eſt homini, exuere autem impoſſibile. Non enim in poteſtate noſtra eſt cor noſtrum, & noſtræ cogitationes, quæ improviſo effuſæ mentem animumque confundunt, atque alio trahunt quam tu propoſueris, ad ſæcularia revocant, mundana inſerunt, voluptaria ingerunt, illecebroſa intexunt; ipſoque in tempore quo elevare mentem paramus, inſertis inanibus cogitationibus ad terrena plerumque dejicimur ... Quis inter tot paſſiones hujus corporis, inter tot illecebras hujus ſæculi, tutum atque intemeratum ſervare poteſt veſtigium? Reſpexit oculus, & ſenſum mentis avertit. Audivit auris, & intentionem inflexit: inhalavit odor, & cogitationem impedivit: os libavit, & crimen retulit: tactus contigit, & ignem adolevit. Aſcendit mors per feneſtras noſtras, ingreſſa eſt domos noſtras*, ait Propheta, Senſus tui, feneſtræ tuæ.

Iſai 53. 6.
Eccl. 7. 21.

Rom. 3. 4.

Pſ. 115. 11.
S. Auguſt.

S. Ambr. lib De Fuga ſæculi, cap. 1.

Joan. 9. 11.

## C A P U T II.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. F*Ilioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis: Sed & ſi quis peccaverit, advocatum * habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum.* Filioli mei, verbo veritatis & ſancto baptiſmo recens in Chriſto renati, quos amore tenerrimo diligo, hanc ad vos Epiſtolam ſcribo, ut peccatum ſollicite vitetis. Verumtamen ſi quis in peccatum lapſus fuerit, ſeu levius, ſeu grave, ex humana fragilitate & infirmitate, ne animum abiiciat, ne deſperet de venia: Advocatum enim habemus apud Deum Patrem Chriſti Jeſu & noſtrum, ipſummet Dominum Jeſum Chriſtum, qui ſuam pro nobis ſatisfactionem, & paſſionis ac mortis ſuæ merita illi repræſentat, & deſiderium ſalutis electorum ſuorum illi exprimens, interpellat pro nobis: interpellat (inquam) non voce, ſed miſeratione, quia quod perire in electis noluit, ſuſcipiendo ſervavit. Tanto major autem eſſe debet noſtra in Chriſto Mediatore fiducia, quod perfectiſſime juſtus eſt, id eſt, innocens & ſanctus, Patri ſumme placens, nullo alio Mediatore ac reconciliatore indigens, jus habens impetrandi quod pro nobis poſtulat ut homo, & dat una cum Patre ut Deus. *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum ſed etiam pro totius mundi.* Et ipſe Jeſus Chriſtus victima eſt propitiationis, & Sacerdos nobis propitium reddens Deum Patrem, cui ſacrificium crucis non pro noſtris ſolum, ſed pro omnium hominum peccatis abolendis ſufficiens obtulit; cujus virtutem omnibus quotquot ſunt, fuerunt, vel futuri ſunt, quantum in ipſo eſt, applicare paratus eſt, ut omnes qui credunt in ipſum non pereant, ſed habeant vitam æternam, omnes (inquam) qui credunt, & ſecundum fidem ſuam vivunt, ac perſeverant, quod in illorum eſt poteſtate cum Dei gratia, *qua ut non adjuventur, in illis cauſa eſt, non in Deo.*

* Græce, παρακλητον quod nomen etſi alias *conſolatorem* ſignificet, cum Spiritui ſancto tribuitur, hic tamen proprie ſignificat advocatum. Eſt autem Chriſtus Jeſus advocatus noſter primarius, propriis meritis innixus. Deipara Virgo, Sanctique ceteri advocati nihilominus noſtri ſecundarii per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cujus Redemptione, meritis, & juſtitia, ipſorum patrocinium & interceſſio apud Deum pro nobis innititur.

S. Auguſt.





3. 4. 5. 6. *Et in hoc ſcimus quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervamus.* Per hoc probabiliter ſcimus & quaſi experimur nos Deum cognoſcere cognitione non ſpeculativa tantum, ſed practica, affectiva, & cum amore conjuncta, quæ ſola ſalutaris eſt, ſi ejus legem animo complectimur, & mandata ejus fideliter obſervamus. *Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt.* Qui ſe noſſe Deum jactat notitia vera & ſalutifera, & mandata ejus non ſervat mendax eſt, & procul abeſt a veritate. *Qui autem ſervat verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta eſt; & in hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus.* In eo autem qui ſervat mandata ejus, caritas qua Deus diligitur, vera, ſincera, integra & plena eſt. Eo certiſſimo ſigno cognoſcimus nos illi intime conjunctos eſſe. *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Qui dicit ſe in Chriſto manere, converſatione ſua Chriſtum imitari debet, ejuſque veſtigia ſectari.

7. *Chariſſimi, non mandatum novum * ſcribo vobis, ſed mandatum vetus quod habuiſtis ab initio: Mandatum vetus eſt verbum quod audiſtis.* Fratres chariſſimi, quod vobis inculco mandatum de proximi dilectione, novum non eſt, ſed vetus, quod ab initio Prædicationis Evangelicæ accepiſtis, imo quod cum ipſa hominis natura inſtitutum eſt, lege naturali omnium animis impreſſa. Vetus, inquam, mandatum eſt ſermo, quem nobis prædicantibus audiſtis: Quamquam divinum illud præceptum protenſum latius, & provectum ſublimius a Chriſto Jeſu fuerit.

* Confer cum Jo. 13. 34.

8. *Iterum mandatum novum ſcribo vobis, quod verum eſt & in ipſo, & in vobis: quia tenebræ tranſierunt, † & verum lumen jam lucet.* Veruntamen & novum mandatum eſt, quatenus a Chriſto renovatum, & vindicatum a corruptelis Judaicis, & ejus exemplo firmatum, & nova efficacia cordibus inſcriptum. Quod & in Chriſto verum eſt, qui novam legem condidit & promulgavit, & in vobis, qui novæ legis eſtis primitiæ, in quibus mandatum illud impleri gaudemus & gratulamur. E tenebris quippe ignorantiæ & peccatorum evaſiſtis, & veram Evangelii lucem aſpexiſtis.

† Græce, παραγεται: *tranſeunt.* Id eſt, paulatim minuuntur. Evangelii luce ſeſe latius in dies diffundente.

9. 10. 11. *Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc.* Qui ſe in luce Evangelii verſari gloriatur, & Chriſti diſcipulum eſſe, cum tamen proximum ſuum oderit, etiamnum tenebris erroris & peccati involvitur. *Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt.* Qui proximum ſuum ſincera & fraterna caritate diligit, lucem Evangelii ſequitur, non impingit in via mandatorum Dei, neminique offendiculo eſt. *Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat; quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus.* Qui autem proximum ſuum odio inſectatur, in tenebris erroris & peccati manet, tenebrarum opera facit, per incerta fertur, rationis & fidei lumen non ſequitur, quia pravorum affectuum tenebræ illi mentis oculos obcæcaverunt.

12. 13. 14. *Scribo vobis, filioli, quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus.* Scribo vobis filioli mei, quaſi modo genitis infantibus, quia remiſſionem peccatorum virtute ac merito Chriſti in Baptiſmo accepiſtis. *Scribo vobis, patres, quoniam cognoviſtis eum, qui ab initio eſt.* Scribo vobis, ſenio-

ſeniores ætate, jamque in Chriſtiana Religione & pietate provecti, quia fide & dilectione complexi eſtis Chriſtum Jeſum Filium Dei, qui ab æterno eſt in Patre ut Verbum vitæ. *Scribo vobis, adoleſcentes, quoniam viciſtis malignum*, Scribo ad vos, adoleſcentes, qui licet adhuc imperfecti ſitis, ad militiam tamen ſpiritalem apti eſtis, & ad eam per Chriſti gratiam inſtructi armis juſtitiæ, ſcuto fidei, galea ſalutis; quoniam malignum ſpiritum ſeu diabolum viciſtis, ejuſque ſervitutis jugum excuſſiſtis, *Scribo vobis, infantes, quoniam cognoviſtis Patrem*. Ad vos ſcribo, pueruli, recens baptiſmate renati, & in rebus fidei rudes adhuc & inexercitati, quoniam patrem veſtrum Chriſtum Jeſum cognoviſtis, eique tenero amore adhæretis. † *Scribo vobis, juvenes, quoniam fortes eſtis, & verbum Dei manet in vobis, & viciſtis malignum*. Ad vos ſcribo, juvenes, quia viribus per gratiam Chriſti ſubminiſtratis valetis; & in vobis fides Evangelii firmas radices habet, qua diabolum viciſtis.

† In plerisque Godicibus Græcis, hic repetitur Verſus 13. iiſdem Verbis, quam repetitionem & Syriaca Verſio, & S. Auguſt. Beda, Oecumenius habent.

15. 16. 17. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo.* Ne diligatis mundum, illi propter ipſum inhærendo, neque res temporales & ſenſibiles, ad quas inordinate diligendas natura corrupta incurvatur. Si quis diligit mundum, caritas qua Deus ſuper omnia diligendus eſt ut Pater, non eſt in eo. *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt*. Omne enim quod eſt in mundo, & ab hominibus mundanis appetitur ac diligitur, pertinet ad voluptates carnis, vel ad divitias, quarum aſpectu homines delectati ad earum concupiſcentiam & avaritiam pertrahuntur, necnon ad omnia vanæ curioſitatis irritamenta: vel ad honores, dignitates, nominis celebritatem, & vanam gloriam, quibus extollitur ſuperbia. Triplex autem illa concupiſcentia, voluptatum, divitiarum, & honorum, non eſt ex Deo auctore, cum ſit mala, & ad peccatum pelliciens, & inclinans; ſed originem habet ex mundi corruptione per peccatum primi parentis. *Et mundus tranſit, & concupiſcentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum*. Mundus quotidie ſeneſcit, finem aliquando habiturus, præterit ejus figura; voluptates carnis, opes, honores, quæ triplicis concupiſcentiæ ſunt objecta, velut aura levis prætervolant. Qui autem Dei voluntatem implet, ejuſque mandata ſervat, æterna beataque vita donabitur.

* Joan. 5. 43. 2. Theſſal. 2. 3.

18. 19. *Filioli, noviſſima hora eſt: & ſicut audiſtis quia Antichriſtus venit, * & nunc Antichriſti multi ſunt, unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt*. Chariſſimi, ultima mundi ætas jam decurrit: & quemadmodum audiſtis a nobis Apoſtolis Chriſti quod venturus ſit Antichriſtus; inſignis ille Chriſti adverſarius, cui per antonomaſiam id nomen tribuitur: ita & nunc multi eſſe cœperunt Antichriſti, principalis illius præcurſores, Pſeudo-prophetæ, magiſtri mendaces, doctrinas dæmoniorum ſpargentes, ſectarum hæreticarum capita, quorum alius Chriſtum Jeſum verum Deum eſſe negat, alius verum hominem, alius paſſionis ac mortis ejus veritatem: Alii alia de eo comminiſcuntur, & doctrinam ab illo traditam evertere conantur. Tales Apoſtolicis temporibus fuere Simon Magus, Baſilides, Cerinthus, Ebion, Gnoſtici; tales ceteri qui poſt Apoſtolica tempora emerſerunt Hæreſiarchæ. Ex illorum ortu ultimam mundi ætatem agi S. Joannes certo colligit. *Unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt. Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum: ſed ut manifeſti ſint quoniam non ſunt omnes ex nobis*. Ex nobis exierunt, defecerunt a fide, ab Eccleſia Chriſti receſſerunt, ſectas erroris inſtituentes: ſed non erant ex numero electorum, non erant filii ad gloriam æternam prædeſtinati, etiam quando erant in profeſſione & nomine filiorum. Nam ſi fuiſſent ex illo felici numero, in fide & juſtitia Chriſtiana uſque in finem perſeveraſſent. Sed ideo permiſit Deus eorum defectionem a fide & ab Eccleſia Catholica, ut manifeſti fierent electis, & ab iis vitarentur, ſimulque patefierent non omnes qui ſunt in Eccleſia, electos eſſe, & ſecundum Dei propoſitum vocatos ut cum Chriſto regnent in æternum.

*S. Auguſt. lib. De Dono Perſever. cap. 9. & De Corrept. & Grat. cap. 9.*

* Hæc ſententia a plerisque Codicibus Græcis excidit. Illam Syrus agnoſcit Interpres & Arabs Erpenii. Ipſe Beza hanc lectionem ex 4. Mſſ. Græcis in Textum ſuum reſtituit.

* *Joan.* 8. 19.

* Græce, *manet*.

* Hæc Joannis Apoſtoli verba ad ſingulos Chriſtianos non referuntur, ſed ad Parthorum Eccleſiam, quæ Sacerdotibus & fidelibus a Spiritu ſancto, perfecte illuminatis & inſtructis magna ex parte conſtabat.

20. 21. *Sed vos Unctionem habetis a Sancto, & noſtis omnia*. Vos vero a Chriſto, Sancto ſanctorum, per ejus gratiam ac cœleſte magiſterium edocti, fideique & ſcientiæ ſalutaris lumine illuſtrati eſtis; ita ut noveritis omnia ad ſalutem neceſſaria, eorumque pleniorem explicationem audire poſſitis ab Epiſcopis, Presbyteriſque veſtris, ſcientiæ dono præditis. *Non ſcripſi vobis quaſi ignorantibus veritatem, ſed quaſi ſcientibus eam: & quoniam omne mendacium ex veritate non eſt*. Non ſcripſi vobis quaſi rerum iſtarum veritatem ignorantibus, ſed quaſi bene gnaris, velut in memoriam revocans quæ ſcitis; præſertim doctrinas impoſtorum cum fidei veſtræ veritate non convenire, nec eſſe a Deo qui prima Veritas eſt.

22. 23. *Quis eſt mendax, niſi qui negat quoniam Jeſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem, & Filium*. Quis meliori jure mendax & impoſtor dicendus eſt, quam ille qui negat Jeſum eſſe Chriſtum, ſeu verum Meſſiam, Salvatorem mundi a Deo promiſſum, verum Deum & verum hominem, hominum Redemptorem & Mediatorem? Quicumque negat Filium Dei, & conſequenter Patrem qui de illo teſtatus eſt, hic eſt Antichriſtus. Hæretici negantes Chriſtum eſſe Filium Dei, nempe Cerinthus & Ebion, negabant Deum eſſe ejus Patrem. Pater enim & Filius ſunt corelativa. *Omnis qui negat Filium, nec Patrem habet: * qui confitetur Filium, & Patrem habet*. Quiſquis Filium Dei abnegat, is nec Deum Patrem eſſe credit: Qui Filium ſe credere profitetur, is & Patrem agnoſcit & credit. Unde Chriſtus Dominus Judæis ait: * *Neque me ſcitis, neque Patrem meum: ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis*.

Unde hinc perperam colligunt Novatores quidam Spiritum ſanctum ita cuilibet adeſſe Chriſtiano, ut vel externo miniſterio doctoris non egeat, vel ipſe privato ſpiritu judicare poſſit de quibuſvis fidei controverſiis, ſive de vero ac genuino Scripturæ ſacræ ſenſu.

24. 25. 26. *Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat*. Puritatem doctrinæ Chriſtianæ, quam ab initio prædicationis Evangelicæ apud vos audiviſtis & accepiſtis, incorruptam conſtanter ſervate: in animis veſtris immotum permaneat fidei fundamentum. *Si in vobis permanſerit quod audiſtis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis*. Si doctrinam fidei ac morum ab initio vobis traditam retinueritis, in ſocietate & amicitia Filii Dei & Patris permanebitis, fide; ſpe & caritate illis adhærentes, & eorum viſione ac fruitione poſt hanc vitam in cœlis beandi. *Et hæc eſt repromiſſio, quam ipſe nobis pollicitus eſt, vitam æternam*. Quod ſummum bonum eſt nobis in puritate fidei perſeverantibus, & morum integritate ad fidem uſque illam ornantibus, a Chriſto promiſſum, vita ſcilicet æterna. *Hæc ſcripſi vobis de his qui ſeducunt vos*. Hæc vobis ſcribenda duxi, quibus vos præmunirem adverſus errores ſeductorum, qui vos a doctrina, quam prædicantibus Apoſtolis aut eorum Diſcipulis accepiſtis, abducere conantur.

27. *Et vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat * in vobis. Et non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, * & verum eſt, & non eſt mendacium. Et ſicut docuit vos, manete in eo*. Ad vos quod attinet, id unum precor & opto, ut Spiritus ſanctus vos interius docens, illuminans, & roborans, quem accepiſtis a Chriſto, maneat in vobis. Illius enim interno lumine plene cognoſcitis doctrinæ, quam accepiſtis veritatem, & oppoſitæ falſitatem. Ac proinde opus non habetis doctore, ſicut opus habent rudes in Chriſtiana Religione, ut diſcant quod neſciunt; vel ſeducti, ut revocentur ad id a quo deſciverunt: cum Spiritus ſanctus, quo uncti eſtis, interius vos doceat omnia ad ſalutem neceſſaria, veritatemque doceat, non mendacium & errorem, ut novatores. Igitur in doctrina accepta, in qua Spiritus ſancti unctione confirmati eſtis, firmi permanete.

28. *Et nunc, filioli, manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus*. Etiam atque etiam obſecro, chariſſimi, in doctrina fidei ab initio accepta conſtantes manete, ut cum Chriſtus ad judicium venerit, coram ipſo ſtemus cum fiducia & gaudio, nec pudore afficiamur propter vos diſcipulos noſtros, ſi in ea non permanſeritis doctrina fidei ac pietatis Chriſtianæ, in qua a nobis inſtituti eſtis.

29. *Si ſcitis quoniam juſtus eſt, ſcitote quoniam & omnis qui facit juſtitiam ex ipſo natus eſt*. Si Deum juſtum eſſe minime dubitatis, ſcitote omnem qui juſte & ſancte vivit, ex ipſo natum eſſe ſecunda nativitate per gratiam Chriſti Jeſu, qua divinæ conſors naturæ factus eſt.

---

## CAPUT II.

### *Senſus Moralis.*

Fiducia in Chriſto advocato noſtro cum ſalutari timore conjuncta ſit.

1. 2. F*ilioli mei, hæc ſcribo vobis, ut non peccetis. Sed & ſi quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum*. Ne dicerent homines, Peccemus, ſecuri faciamus quod volumus, ſiquidem Chriſtus nos mundat ab omni iniquitate: Apoſtolus tollit tibi malam ſecuritatem, & infert utilem timorem. Male vis eſſe ſecurus, ſollicitus eſto. *Fidelis enim & juſtus Deus eſt ut dimittat nobis delicta noſtra, ſi ſemper tibi diſpliceas, & muteris donec perficiaris*. „ Sed forte ſubrepit de „ vita



*S. Auguſt. Tract. 1. in hanc Epiſt. n. 7. & 8.*

„ vita humana peccatum: Quid ergo fiet? Num deſperabis? *Si quis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum*. Ille eſt advocatus: da operam ne pecces: ſi de infirmitate vitæ ſubrepſerit peccatum, continuo vide, continuo diſpliceat, continuo damna, & cum damnaveris, ſecurus ad Judicem venies. Ibi habes Advocatum: noli timere ne perdas cauſam confeſſionis tuæ: *Si enim aliquando committit ſe homo diſertæ linguæ, & non perit; committis te Verbo, & periturus es?* Clama, confide. *Advocatum habemus apud Patrem*. Cum juſtitiæ Dei nihil pro ſe ipſo debeat utpote juſtus & ſanctus, & plene ac ſuperabundanter ſatisfecerit pro nobis, juſtitiam petit a Patre, cum gratiam pro peccatoribus exorat. *Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum*. Invicem pro ſe omnia membra orant, caput pro omnibus interpellat. Cauſam noſtram agit in cœlo ut Advocatus & Mediator noſter, quia infirmitates noſtras & peccata noſtra ipſe portavit in cruce ut victima propitiationis noſtræ. Propitium (inquam) nobis reddidit Patrem, infinitum Sanguinis ſui pretium Divinæ ejus Majeſtati offerens univerſalis Sacerdos.

Chriſti ſangui pro totius mundi peccatis effuſus.

Fiducia noſtra menſuram non habeat, quia virtus Sanguinis ejus menſuram neſcit. Sufficiens eſt pro omnium hominum Redemptione, non tantum ſufficientia pretii & virtutis, ſed ſinceræ voluntatis, qua illum pro omnibus obtulit Deo Patri in pretium ſimul & lavacrum, ut redempti a miſerabili ſervitute, a peccatis omnibus mundaremur. *Emit totum, & poſſidet totum*. Quamobrem ſubdit S. Joannes: *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris tantum, ſed etiam pro totius mundi*. Non ſolum tunc propitiatio fuit pro peccatis noſtris, cum ſeipſum obtulit in cruce propitiatoriam pro omnium hominum peccatis victimam, ſed & modo *eſt*, ſanguinis ſui ſacrificiique virtutem per gratias ad ſalutem ſufficientes omnibus, per gratias etiam efficaces plurimis applicans, qui toto orbe remiſſionem peccatorum per Baptiſmum & Pœnitentiam recipiunt, quamvis in accepta juſtitia perſeveraturi non ſint ſua culpa, quia peccata peccatis addentes perſeverantiæ dono ſe indignos reddunt. „ Sanguis Domini Dei tui, ſi vis, datus eſt pro te: Si nolueris eſſe, non eſt datus pro te. Forte enim dicis, Habuit Sanguinem Deus meus, quo me redimeret: ſed jam cum paſſus eſt, totum dedit; quid illi remanſit quod det & pro me? Hoc eſt magnum, quia ſemel dedit, & pro omnibus dedit. Sanguis Chriſti volenti eſt ſalus, nolenti ſupplicium. Quid ergo dubitas, qui mori non vis, a ſecunda potius morte liberaris? Qua liberaris, ſi vis tollere crucem tuam & ſequi Dominum, quia ille tulit ſuam, & quæſivit ſervum.

*S. Auguſt.*

*S. Auguſtin. Serm. 342. alias 31. ex editis a Sirmondo. n. 4.*

Vita noſtra, ſi ſecundum Dei legem ſit inſtituta, probatio eſt fidei noſtræ.

3. 4. 5. 6. *Et in hoc ſcimus quoniam cognovimus eum, ſi mandata ejus obſervemus*. Vita noſtra probatio fidei noſtræ eſt. Viva eſt, ſi ſit obediens. Mandatorum Dei propter ipſum Deum obſervantia, non ex fide vivere oſtendit. Dei magnitudinem & ſanctitatem parum novit, qui ejus amicitiam parviſacit, ejuſque legem contemnit, ac violare non metuit: Qui ſe Chriſtianum eſſe profitetur, & Chriſtiane non vivit, id eſt ſecundum Evangelium, mendax eſt. Chriſtum ore confitetur, factis negat. *Qui dicit ſe noſſe eum, & mandata ejus non cuſtodit, mendax eſt, & in hoc veritas non eſt*. Chriſtum noſſe debet Chriſtianus, ſicut Chriſtus novit Patrem, proportione ſervata, qua de cognitione ait Scribis & Phariſæis: *Ego ſcio eum, & ſi dixero quia non ſcio eum, ero ſimilis vobis mendax: ſed ſcio eum, & ſermonem ejus ſervo*. Mandata Dei vere non ſervat, qui caritatis mandatum non implet, Deum ſuper omnia, & proximum ſicut ſeipſum diligens. De reliquorum obſervatione præceptorum nemo ſibi blandiatur, ſi ex cupiditate aut timore pœnæ, non ex amore juſtitiæ illis obſequatur. *Qui autem ſervat verbum ejus, vere in hoc caritas Dei perfecta eſt: & in hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus*. Caritas hujus viæ perfecta vocatur, cum hominis menti cordique dominatur, cum id diligitur quod diligendum eſt, & propter quod diligendum eſt, cum diligitur Deus uſque ad abnegationem ſui, cum diliguntur etiam inimici propter amorem Dei. *Quæ eſt perfectio caritatis? Et inimicos diligere, & ad hoc diligere ut ſint fratres. Non enim dilectio noſtra carnalis eſſe debet*. „ Optare alicui ſalutem corporalem, bonum eſt; ſed etſi deſit, anima tuta ſit. Optas alicui amico tuo vitam? Benefacis. Gaudes de morte inimici tui, male facis. Sed forte & amico tuo vita illa quam optas inutilis eſt, & inimico tuo mors de qua gaudes utilis fuit. Incertum eſt utrum alicui ſit utilis vita iſta, an inutilis: vita vero quæ eſt apud Deum, ſine dubio utilis eſt. Sic dilige inimicos tuos, ut fratres optes, ut in ſocietatem tuam vocentur. Sic enim dilexit ille qui in cruce pendens ait, *Pater, ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt*. Neque enim dixit, Pater, vivant illi multo tempore, me quidem occidunt, ſed ipſi vivant; ſed, *ignoſce illis*. Mortem ſempiternam ab eis expellebat, prece miſericordiſſima, & potentia præſtantiſſima: Multi ex eis crediderunt, & dimiſſus eſt eis fuſus Sanguis Chriſti. Primo fuderunt, cum ſævirent; nunc biberunt cum crederent. Caritas vinculum eſt unitatis corporis Chriſti, quæ Caput & Membra in unum hominem coadunat, & nos in ipſo eſſe ac vivere manifeſtat. *Et in hoc ſcimus quoniam in ipſo ſumus*. Chriſti enim Domini ſententia eſt: *In hoc cognoſcent omnes quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad invicem*. Ad hanc erga proximos, ipſoſque inimicos caritatem nos adſtringit & invitat Chriſti non modo præceptum, ſed & exemplum, qui nos dilexit, cum inimici eſſemus, & tradidit ſemetipſum pro nobis, ut nos Deo Patri reconciliaret. Inaniter Chriſtiano nomine gloriatur, qui Chriſtum non imitatur. Vita capitis exemplar eſt vitæ membrorum. Vita veteris hominis in membro Chriſti Jeſu monſtrum eſt. *Qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare*. „ Ambulandum eſt igitur veſtigiis paribus, æmula ingreſſione nitendum eſt. Tunc reſpondet ad fidem nominis ſectatio veritatis, & credenti præmium datur, ſi quod creditur, & geratur. Via Chriſti, via juſtitiæ & ſanctitatis, via humilitatis & manſuetudinis, via crucis & patientiæ, via caritatis.

*S. Auguſt. Tract. 1. in hanc Epiſt. n. 9.*

*Joan. 13. 35.*

*S. Cyprian. lib. De Diſcipl. & Habitu Virginum.*

Mandatum caritatis & vetus, & novum eſt.

7. 8. 9. 10. 11. *Chariſſimi, non mandatum novum ſcribo vobis, ſed mandatum vetus, quod habuiſtis ab initio*. Mandatum dilectionis Dei & proximi, non Evangelio ſolum coævum eſt, ſed mundo. Ab hac lege in cordibus hominum impreſſa manu Creatoris, Spiritu Redemptoris, qui hominem ſolutum & diſpenſatum volunt, nec Legem, nec Evangelium noverunt. Vetus mandatum a Chriſto dicitur, non quod ad veterem hominem pertineat, ſed quod ab initio traditum ſit & Judæis & Gentibus, qui in Chriſtiana Religione inſtituebantur. Antiquum mandatum eſt, *Mandatum vetus eſt verbum quod audiſtis*: ſed nunquam antiquandum, quantumvis nitantur qui Doctrinas dæmoniorum in Eccleſiam Chriſti invehunt. *Cœlum & terra tranſibunt* (inquit) *verba autem mea non præteribunt*. Vetus mandatum eſt caritatis, & nihilominus novum in Chriſto Jeſu, quia caritas nos innovat. *Ut ſimus homines novi, hæredes Teſtamenti novi, cantatores Cantici novi. Hæc antiquos etiam juſtos, Patriarchas & Prophetas, ſicut poſtea beatos Apoſtolos innovavit: ipſa & nunc innovat gentes, & ex univerſo genere humano quod diffunditur toto orbe terrarum, facit & colligit populum novum, corpus novæ nuptæ Filii Dei unigeniti Sponſæ, de qua dicitur in Cantico Canticorum*. „ Quæ eſt iſta quæ aſcendit dealbata? *Utique dealbata, quia innovata, unde niſi mandato novo?* Hoc mandatum novum eſt in Chriſto, quia tenebræ veteris hominis tranſierunt, & lux novi hominis illuxit populo in tenebris ambulanti. *Iterum mandatum novum ſcribo vobis; quod verum eſt & in ipſo, & in vobis: quia tenebræ tranſierunt, & verum lumen jam illuxit*. Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino; ut filii lucis ambulate (ait Apoſtolus Paulus.) Sola caritas tenebras cordis perfecte diſſipat. Quicumque proximum odit, tametſi fidei lumine illuſtratus, tametſi ſapientiæ ſæcularis laude excellens, tametſi in omni ſcientiarum genere peritiſſimus, involutus eſt tenebris ignorantiæ & peccati. *Qui dicit ſe in luce eſſe, & fratrem ſuum odit, in tenebris eſt uſque adhuc*. Per Sacramentum illuminationis, Baptiſmum ſcilicet, filii lucis effecti, in lumine vitæ maneamus, ſervando caritatem erga fratres, quos in admirabile lumen ſuum Deus pariter vocavit. Qui proximum diligit, non peccat, Dei legem implet, nec ex aliorum peccatis ſumit occaſionem peccandi, immo potius proficiendi, illorum defectus & infirmitates patienter tolerando, & ſeipſum coram Deo humiliando. *Qui diligit fratrem ſuum, in lumine manet, & ſcandalum in eo non eſt*. Qui diligit fratrem, tolerat omnia propter unitatem & pacem, quæ fructus eſt caritatis. Unde Pſalmiſta ait: *Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum*. Et Apoſtolus Paulus: *Supportantes invicem in caritate, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis*. Odium proximi, tenebrarum & peccatorum ſtatus eſt, novorum peccatorum amariſſima radix, cæcitatis cauſa, eo magis lugendæ, quo minus cognitæ. *Qui autem odit fratrem ſuum, in tenebris eſt, & in tenebris ambulat, & neſcit quo eat, quia tenebræ obcæcaverunt oculos ejus*. Odium fraternum tenebras interiores parit; tenebræ illæ interio-

*S. Auguſtin. Tract. 65. in Evangel. S. Joan.*

*Cantic. 8. 5. ſecundum LXX.*

*Pſ. 118. 164.*

*Epheſ. 4. 2. 3.*

teriores ad exteriores tenebras perducunt, ubi erit fletus & ſtridor dentium, ubi nulla ſpes lucis & conſolationis, ubi ſempiternus horror & dolor.

Amor mundi cum Dei amore conciliari non poteſt.

15. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis diligit mundum, non eſt caritas Patris in eo.* Qui mundum, & ea quæ in mundo ſunt, diligit inordinate, id eſt, poſtpoſita lege Dei, rectæque rationis dictamine; qui res temporales & caducas diligit ut illecebram manſionis, non ut viaticum itineris; qui fruitur mundo & iis quæ in mundo ſunt, opibus, honoribus, voluptatibus, & in illis velut in fine ſuo conquieſcit, nec eorum uſum neceſſarium & ſobrium ad Deum refert, ille Dei caritatem non habet. „ Duo ſunt amores, mundi & „ Dei: ſi amor mundi habitet, non eſt qua intret „ amor Dei: recedat amor mundi, & habitet Dei; „ melior accipiat locum. Amabas mundum, noli a„mare mundum: cum exhauſeris cor tuum amore „ terreno, hauries amorem divinum, & incipiet ha„bitare in corde tuo caritas, de qua nihil mali „ poteſt procedere. Chriſtus quaſi agrum invenit „ corda hominum. Sed quomodo invenit? Si ſilvam „ invenit, exſtirpat. Si agrum purgatum invenit, „ plantat. Plantare ibi vult arborem, caritatem. Et „ quam ſilvam vult extirpare? Amorem mundi. Vis „ habere dilectionem Patris, ut ſis coheres Filii? „ Noli diligere mundum. Exclude malum amorem „ mundi, ut implearis amore Dei. *Vas es, ſed adhuc „ plenus es: funde quod habes, ut accipias quod non „ habes.* Ex aqua & Spiritu ſancto renati ſumus. *Bonum eſt nobis ut non diligamus mundum, ne remaneant in nobis Sacramenta ad damnationem, non firmamenta ad ſalutem. Firmamentum ſalutis eſt, habere radicem caritatis, habere virtutem pietatis, non formam ſolam. Bona forma: ſed quid valet, niſi teneat radicem? Nonne ſarmentum præciſum in ignem mittitur? Habe formam, ſed in radice. Quomodo autem radicamini, ut non eradicemini? Tenendo caritatem,* ſicut dicit Apoſtolus Paulus, *In caritate radicati & fundati.* Quomodo ibi radicabitur caritas inter tanta ſilvoſa amoris mundi? Exſtirpate ſilvas. Magnum ſemen poſituri eſtis: non ſit in agro quod ſuffocet ſemen. *Si quis diligit mundum, caritas Patris non eſt in eo.* Nolite diligere homines malos, mundo deditos, & ſecundum ejus corruptionem viventes. Qui enim illos diligit, quatenus tales ſunt, libenter imitatur: qui non imitatur, offendit. Qui cum illis ſol ſocietem init, ſalutem ſuam in diſcrimen adducit. *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit.* Quicquid in mundo eſt, nutrit & accendit cupiditatem, extinguit caritatem. *Venenum caritatis, cupiditas.*

*S. Aug. Tract. 2. in hanc Ep. n. 8. & 9.*

*Epheſ. 3. 17.*

*Pſal. 3.*

Triplex concupiſcentia in mundo regnans.

16. *Quoniam omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ: quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt.* Triplex illa cupiditas, Mundi reprobi; pro quo Chriſtus non oravit, character eſt. 1. *Concupiſcentia carnis*, intemperantia, incontinentia, voluptates omnes ſenſuum præter ordinem & modum rationis deſideratæ, quæſitæ, deguſtatæ. 2. *Concupiſcentia oculorum*, nempe divitiarum cupiditas ſeu avaritia. Ait enim Salomon de avaro: *Unus eſt, & ſecundum non habet, non filium, non fratrem, & tamen laborare non ceſſat, nec ſatiantur oculi ejus divitiis: nec recogitat, dicens: Cur laboro, & trado animam meam bonis?* Et alibi: *Infernus & perditio numquam implentur: ſimiliter & oculi hominum inſatiabiles.* Oculorum concupiſcentia genus etiam omne vanæ curioſitatis complectitur, ſive inordinatæ cupiditatis videndi, ſciendi, experiendi; quæ vanis & laſcivis ſpectaculis paſcitur, ſuperſtitioſas artes ſectatur, proximorum vitia, & arcana ad ſe non pertinentia ſcrutatur & explorat, ſigna & prodigia non ad ſalutem, & gloriam Dei flagitat, ſed ad divinæ potentiæ experimentum; quæ Dei tentatio eſt 3. *Superbia vitæ*, inordinata cupiditas eſt honorum, dignitatum, laudis, aſcenſus ad altiorem ſtatum, deſiderium emergendi ex obſcura & plebeia conditione ad Magiſtratum, vel Nobilitatem, pecuniæ, cui omnia obediunt, interventu, quod vitium in mundo commune eſt. Triplex hæc cupiditas non eſt a Deo, immo Deo adverſatur, & ab illo damnatur. Has igitur cupiditates oppugnemus, frænemus, vincamus, Quiſquis intus verbo Dei paſcitur, non quærit in iſta eremo voluptatem. „ Qui uni Deo tantum ſub„jectus eſt, non quærit in monte, id eſt, in ter„rena elatione jactantiam. Quiſquis æterno ſpe„ctaculo incommutabilis Veritatis adhæreſcit, non „ per faſtigium hujus corporis, id eſt per hos oculos „ precipitatur ut temporalia & inferiora cognoſcat. „ Noli diligere Mundum, ſed Deum, creatis rebus „ temperanter utere, ſolo Deo frui deſidera. „ Non te prohibet Deus creaturas amare, ſed diligere ad beatitudinem; amare, permittit & approbare, illiſque uti ut laudes & ames Creatorem. „ Si ſponſa plus „ diligeret annulum, quam ſponſum a quo illum „ accepit, nonne in ipſo dono ſponſi adultera de„prehenderetur, quamvis hoc amaret quod dedit „ ſponſus? Nonne illi jure diceretur, Amas aurum „ pro viro, amas annulum pro ſponſo tuo, & quaſi „ tibi ſufficiat annulus, non vis videre ſponſum? „ Ad hoc arrham tibi dedit ſponſus, ut non te op„pigneraret, ſed averteret? Ad hoc utique arrham „ dat ſponſus, ut in arrha ſua ipſe ametur. Ergo „ dedit tibi Deus omnia iſta, ama illum qui fecit. „ Plus eſt quod tibi vult dare, id eſt, ſeipſum, „ qui iſta fecit. Si autem amaveris hæc, quamvis „ illa Deus fecerit, & neglexeris Creatorem, & „ amaveris Mundum, nonne amor tuus adulterinus „ deputabitur?

*Ecclеſ. 3. 7.*

*Prov. 27. 20.*

*S. Aug. lib. 10. Confeſſ. cap. 35. & De vera Religione, c. 38.*

*S. Aug. Tract. 2. in hanc Ep. num. 11.*

17. *Et mundus tranſit, & concupiſcentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Elige an malis amare temporalia, & tranſire cum tempore; an Deum amare, & in æternum vivere cum Deo. Optio tibi datur. „ Mors & vita in conſpectu „ tuo; ad quod vis extende manum. Rerum tem„poralium fluvius trahit, ſed tamquam circa flu„vium arbor nata eſt Dominus noſter Jeſus Chri„ſtus. Aſſumpſit carnem, mortuus eſt, reſurrexit, „ aſcendit in cœlum. Voluit ſe quodammodo circa „ fluvium temporalium plantare. Raperis in præ„ceps? Tene lignum. Volvit te amor mundi? Tene „ Chriſtum. Propter te factus eſt temporalis, ut „ fias æternus. Dominus pro nobis ſanguinem ſuum „ fudit, redemit nos, mutavit ſpem noſtram. Ad„huc portamus mortalitatem carnis, & de futura „ immortalitate præſumimus: & in mari fluctuamus, „ ſed anchoram fidei in terra viventium jam fixi„mus. Æterni eſſe vultis? Deum diligite: Quia *Talis eſt quiſque, qualis ejus dilectio eſt. Terram diligis, terra eris. Deum diligis, quid dicam, Deus eris?* Non audeo dicere ex me, Scripturas audiamus, *Ego dixi, Dii eſtis, & filii Excelſi omnes.*

*Ibid. num. 10.*

*S. Aug. ibid. num. 14.*

*Pſalm. 81. 6.*

Bonus uſus temporis.

18. *Filioli, noviſſima hora eſt: & ſicut audiſtis quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi facti ſunt.* Noviſſima hora eſt, mundus ad finem vergit; ratio igitur poſtulat ut abjectis rerum temporalium impedimentis, & pravarum cupiditatum objectis, quæ ſunt *retinacula ſpei noſtræ* (ut loquitur Tertullianus) ea ſectemur quæ permanentia & æterna ſunt. Noviſſima hora eſt, tempus breve eſt: utamur igitur hoc mundo, tamquam non utamur. Noviſſima hora eſt: ſtrenue igitur ac indefeſſe incumbamus in opus ſalutis noſtræ, ut mercedem a Patre-familias operariis in vineam ſuam vocatis promiſſam, undecima etiam hora venientes recipiamus. Noviſſima hora eſt, ne in pueritia ſpirituali maneamus, ne pueri ſemper ſimus ſenſibus, ſed creſcamus in caritate & pietate Chriſtiana, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. „ Ætas cor„poris non eſt in voluntate. Nullus ſecundum car„nem creſcit quando vult, ſicut nullus quando vult „ naſcitur. Ubi autem nativitas in voluntate eſt, & „ incrementum in voluntate eſt. Nemo ex aqua & „ Spiritu naſcitur niſi volens: ergo ſi vult, creſcit; „ ſi non vult, decreſcit. Quid eſt creſcere? Profi„cere. Quid eſt decreſcere? Deficere. Is porro deficit, qui mundum, & ea quæ in mundo ſunt, diligit. Noviſſima hora eſt, vigilemus cum Chriſto una hora, id eſt, brevi tempore vitæ noſtræ, ne ab Antichriſto ſeducamur. Mundus in quo regnat peccatum, in quo errores, a quo veritas & juſtitia exulat, oppugnatur, perſecutionem patitur, Chriſti adverſarius eſt, quod Antichriſti nomen ſignificat. In ejus ſinu, per ejus cupiditates, per ejus ſpiritum formatur quotidie regnum Antichriſti. Et ſicut Chriſtus membra ſua habuit ab initio mundi, juſtos omnes: ſic Antichriſtus ab initio Eccleſiæ membra ſua habuit, magiſtros errorum & impietatis. Quicumque errores contra Fidem, & Moralis Chriſtianæ ſanctitatem adinveniunt ac diſſeminant, & Eccleſiæ ſcindunt unitatem? Antichriſti ſunt, quamvis Chriſti nomine glorientur. *Et nunc Antichriſti multi facti ſunt, unde ſcimus quia noviſſima hora eſt.* Multi Antichriſti unum præcedunt, & iter illi parant, *Myſterium jam operatur iniquitatis.*

*1. Cor. 6. 19.*

*Matth. 20.*

*S. Aug. Tract. 3. in hanc Ep. num. 1.*

Mundus Antichriſtus eſt, in ejus ſinu Antichriſti quotidie formantur.

*2. Theſſal. 2. 7.*

19. *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis; Nam ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent utique nobiſcum: ſed ut manifeſti ſint quia non ſunt omnes ex nobis.* Hæretici & Schiſmatici ab Eccleſia recedunt nullo Eccleſiæ damno, quia Eccleſiæ membra viventia non ſunt, etiam cum in Eccleſia verſari videntur. *Sic ſunt in Eccleſia quomodo humores mali. Quando evomuntur, tunc relevatur corpus: ſic & mali quando exeunt, tunc Eccleſia relevatur. Et dicit quando eos evomit atque projicit corpus, Ex me exierunt humores iſti, ſed non erant ex me. Quid eſt, non erant ex me? Non de carne mea præciſi ſunt, ſed pectus*

Eccleſiæ melius eſt ut hæretici & ſchiſmatici ex ipſa exeant, quam ut in ea lateant, eamque premant. *S. Aug. Tract. 3. in hanc Ep. num. 4. & 5.*

*mihi*



*mihi premebant cum ineſſent.* Ex nobis exierunt, ſed nolite triſtes eſſe; nam *ſi fuiſſent ex nobis, permanſiſſent nobiſcum*, aut certe foris non permanſiſſent, ſed in Eccleſiæ ſinum rediiſſent. Multi qui non ſunt ex nobis, accipiunt nobiſcum Sacramenta. Tentatio probat quod non ſunt ex nobis. Tentatione quaſi vento foras excutiuntur, quia grana non erant. Omnes autem tunc excutientur, & ſeparabuntur, cum area dominica in die judicii ventilabitur. Reproborum cum electis in Eccleſia mixtionem aliquorum receſſu & ſeparatione Deus manifeſtam facit, ut electi ab eorum contagione & corruptione, tam doctrinæ, quam morum, ſe cum gratia Chriſti, ſine qua nihil poſſunt, ſervare ſatagant; ut cum timore, tremore, & humilitate ſalutem ſuam operentur: quia & ipſi Antichriſti fieri poſſent, ſi Deum derentes ab eo deſerentur. *Sed ut manifeſti ſint, quoniam omnes non ſunt ex nobis.* Caveamus, timeamus, oremus ne ſimus Antichriſti, id eſt, Chriſto contrarii. De voluntate ſua quiſque aut Antichriſtus, aut in Chriſto eſt. „ Aut in membris ſumus, aut in humoribus „ malis. Qui ſe in melius commutat, in corpore „ membrum eſt. Qui autem in malitia permanet, „ humor malus eſt: & quando exierit, relevabun„tur qui premebantur.

Chriſtiani dignitas.

20. *Sed vos unctionem habetis a Sancto, & noſtis omnia.* Agnoſce, o Chriſtiane, dignitatem tuam. Deo conſecratus es ut membrum unigeniti Filii ejus Jeſu Chriſti, unctione Spiritus ſancti, quo unctus ipſe eſt præ conſortibus ſuis. Ex plenitudine Sancti ſanctorum omnes accepimus, ut ſancti ſimus & immaculati in conſpectu ejus. Ne nos igitur mundi & peccati corruptione inquinemus. Chriſtianus qui fidei lumen ſequitur, novit mundum eſſe Chriſti adverſarium, ejus leges & mores Evangelio Chriſti eſſe contrarios, novit peccatum Deo ſumme diſplicere, Mandatorum Dei violatores pœnis æternis plecti: novit quid credere, quid agere debeat, ut vitam æternam a Deo per Chriſtum promiſſam conſequatur. Fides ſcientia univerſalis eſt, *Adverſus regulam nihil ſcire, omnia ſcire eſt.* Chriſti lumine deteguntur Antichriſti, error & impietas agnoſcitur, ejuſque gratia adjuvante vitatur. *Et noſtis omnia.*

Fidei lumen, ſcientia univerſalis.

*Tertull.*

22. *Quis eſt mendax, niſi qui negat quoniam Jeſus eſt Chriſtus? Hic eſt Antichriſtus, qui negat Patrem & Filium.* Qui vitam filiis Dei, & membris Chriſti dignam non ducunt, Dei Filium Jeſum Chriſtum, & Patrem abnegant; Antichriſti ſunt, id eſt Chriſto contrarii, *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* „ Quiſquis factis negat Chriſtum, Antichri„ſtus eſt. Non audio quid ſonet, ſed video quid „ vivat. Opera loquuntur, quid verba requirimus? „ Quis malus non bene vult loqui? Sed quid dicit „ talibus Dominus? *Hypocritæ, quomodo poteſtis bona „ loqui, cum ſitis mali?* Voces veſtras ad aures meas „ profertis, ego cogitationes veſtras inſpicio: vo„luntatem malam video, & falſos fructus oſtendi„tis. Non colligo de tribulis ficus, nec de ſpinis „ uvas. Unaquæque enim arbor a fructu cognoſci„tur. Magis mendax eſt Antichriſtus, qui ore pro„fitetur Jeſum eſſe Chriſtum, & factis negat. Ideo „ mendax, quia aliud loquitur, aliud agit. Si ergo „ facta ſpectemus, non ſolum multos invenimus „ Antichriſtos foras exiiſſe: ſed multos nondum ma„nifeſtos, qui minime foras exierunt. Quotquot „ enim habet Eccleſia perjuros, fraudatores, malefi„cos, adulteros, ebrioſos, fœneratores, contrarii „ ſunt doctrinæ Chriſti, contrarii ſunt verbo Dei: „ Verbum autem Dei Chriſtus eſt: quicquid contra„rium eſt Verbo Dei, in Antichriſto eſt. Unuſ„quiſque conſcientiam ſuam conſideret: ſi mundi „ amator eſt, mutetur; fiat amator Chriſti, ne ſit „ Antichriſtus. Si quis eum Antichriſtum vocet, ira„ſcitur, injuriam ſibi factam putat: fortaſſis inſcri„ptionem minatur, ſi audiat a litigante quod Anti„chriſtus ſit, Dicit ei Chriſtus, Patiens eſto, ſi fal„ſum audiſti, gaude mecum, quia & ego falſum ab „ Antichriſtis audio: Si autem verum audiſti, con„veni conſcientiam tuam; & ſi audire times, eſſe „ plus time. „

Qui Chriſtum factis negant, Antichriſti ſunt. *Tim. 1. 16.*

*Matth. 12. 34. S. Aug. Tract. 3. in hanc Ep. n. 8. 9. & 10.*

24. *Vos quod audiſtis ab initio, in vobis permaneat. Si in vobis permanſerit quod audiſtis ab initio, & vos in Filio & Patre manebitis.* Quod in Baptiſmo profeſſi ſumus, quod audivimus, quod promiſimus, obſervare & implere ſatagamus. Permaneamus in gratia adoptionis filiorum Dei, quam ab initio accepimus; & ſi ab ipſa infeliciter exciderimus, eam recuperare vera Pœnitentia ſtudeamus. Qui fidem habet caritate & bonis operibus deſtitutam, in Filio & Patre non manet. Vitam æternam fidelibus Chriſti membris & cohæredibus a Deo promiſſam non conſequetur. *Et hæc eſt repromiſſio, quam ipſe pollicitus eſt nobis, vitam æternam.* Cor tantæ mercedis expectatione occupatum nulla mundi illecebra corrumpet, nulla terrebit aut franget adverſitas. *Exhorreſce quod minatur Omnipotens, ama quod pollicetur Omnipotens; & vileſcit omnis mundus, ſive promittens, ſive terrens.*

In gratia adoptionis filiorum Dei permanendum.

*S. Aug. ibid. num. 12.*

25. *Et vos unctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis. Et non neceſſe habetis ut aliquis doceat vos: ſed ſicut unctio ejus docet vos de omnibus, & verum eſt, & non eſt mendacium. Et ſicut docuit vos, manete in eo.* Nulla nova poſt Evangelium & Apoſtolicas Litteras revelatio, ſed doctrinæ dumtaxat, quam Eccleſia ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo Patre accepit, declaratio & expoſitio. Summa Chriſtianæ Religionis eſt, credere & facere quod Deus in mentibus & cordibus noſtris per Spiritum ſanctum in Baptiſmo ſcripſit. Unctio ejus facit ut faciamus per caritatem; quæ facit ut credamus, nos illuminando per fidem. Indocti ſunt in Chriſtiana Religione, quos Magiſter cœleſtis intus non docet. *Magiſteria forinſecus, adjutoria quædam ſunt & admonitiones. Cathedram in cœlo habet, qui corda docet,* Propterea ipſe in Evangelio ait: *Magiſter veſter unus eſt Chriſtus.* „ Interior ergo Magi„ſter eſt qui docet, Chriſtus docet, inſpiratio ipſius „ docet. Ubi inſpiratio & unctio illius non eſt, „ forinſecus inaniter perſtrepunt verba, pulſant, „ non intrat animas. Loquere ergo, Domine, ad cor meum, quia audit ſervus tuus. Unctione Spiritus ſancti tui doce me de omnibus, ut ſciam voluntatem tuam, & illam impleam; ut ſciam quid deſit mihi, & id a te orando poſtulem.

In Chriſtiana Religione indocti ſunt quos Magiſter cœleſtis intus non docet.

*S. Auguſt.*

*Matt. 23. 8. 10.*

28. *Et tunc, filioli, manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam, & non confundamur ab eo in adventu ejus.* Spiritum Dei fideliter conſervemus. Hic theſaurus eſt Chriſtiani, fundamentum fiduciæ ejus in die judicii, arrha æternæ felicitatis. Fideles ſimus verbo Dei, & Veritas liberabit nos, ut promiſit ipſe Chriſtus. Modo enim ſalus noſtra in ſpe, „ nondum in re: Non enim tenemus jam quod pro„miſſum eſt, ſed venturum ſperamus. Fidelis autem „ eſt qui promiſit; non te fallit: tantum tu noli „ deficere, ſed exſpecta promiſſionem. Non enim „ novit fallere Veritas. Tu noli eſſe mendax, ut „ aliud profitearis, aliud agas; tu ſerva fidem, & „ ſervat ille pollicitationem. Si autem non ſervave„ris fidem, tu te fraudaſti, non ille qui promiſit.

*Jo. 8. 31. & 32.*

*S. Aug. Tract. 4. in hanc Ep. n. 2.*

29. *Si ſciiis quoniam juſtus eſt, ſcitote quoniam & omnis qui facit juſtitiam in ipſo natus eſt.* Deus fons eſt, principium, & plenitudo omnis juſtitiæ, Nemo niſi per illum juſtus, & tamquam ex illo natus in Filio ejus, per Spiritum dilectionis & adoptionis, Spiritus ille cum novæ nativitatis & vitæ noſtræ principium ſit, omnium pariter operum noſtrorum principium eſſe debet, ut Deo grata ſint, æternæque vitæ meritoria. Ex operibus juſtitiæ filii Dei dignoſcuntur. „ Juſtitia modo noſtra ex fide, inchoata & „ imperfecta eſt, Initium juſtitiæ noſtræ confeſſio pec„catorum. Cœpiſti non defendere peccatum tuum, „ jam inchoaſti juſtitiam: perficietur autem in te, „ quando nihil aliud facere delectavit, quando abſor„betur mors in victoriam, quando nulla concupi„ſcentia titillabit, quando non erit lucta cum carne „ & ſanguine, quando erit corona victoriæ, trium„phus de inimico; tunc erit perfecta juſtitia. Ad „ hanc juſtitiæ perfectionem ſuſpiremus, & tendamus „ piis deſideriis, & operibus bonis. “

Filii Dei ex operibus juſtitiæ dignoſcuntur.

*Ibid. n. 3.*

---

## C A P U T III.

### *Senſus Litteralis.*

1. **V**ideté *qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur, & ſimus. Propter hoc* * *mundus non novit nos: quia non novit eum.* Conſiderate quantam & quam eximiam caritatem nobis exhibuerit, quanto beneficio nos affecerit Pater cœleſtis, ut Filii Dei nominemur, & revera ſimus. Mirum autem ac moleſtum nobis videri non debet, ſi mundus divinæ adoptionis noſtræ dignitatem non noverit, non æſtimet, neque nos ut filios Dei diligat, ſed deſpiciat & oderit; quia nec Deum novit, nec diligit.

* *Mundus* id eſt, homines impii & reprobi, quæ maxima pars eſt mundi.

7. *Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Jam vero, dilectiſſimi fratres, filii Dei ſumus per gratiam adoptionis, & nondum apparuit quid erimus, quam beati, quam glorioſi in futuro ſæculo. Scimus fide id nobis revelante, quod cum Chriſtus apparuerit in gloria, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt, ſecundum utramque naturam, non per ſpeculum, & in ænigmate, ſed facie ad faciem. Chriſto (inquam) ſecundum animam & corpus glorioſo ſimiles erimus, animæ beatæ gloria in

corpus

corpus redundante, & glorioſas dotes cum illo communicante. *Tam potenti enim natura Deus fecit animam, ut ex ejus pleniſſima beatitudine, quæ in fine temporum ſanctis promittitur, redundet etiam in inferiorem naturam, quod eſt corpus, non beatitudo, quæ fruentis & intelligentis eſt propria, ſed plenitudo ſanitatis, id eſt incorruptionis vigor*, impaſſibilitas, ſubtilitas, agilitas, claritas.

*S. Aug. Epiſt. 118. alias 56. Ad Dioſcorum.*

3. *Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat * ſe, ſicut & ille Sanctus eſt.* Omnis qui ſpem habet tanti boni, viſionis ſcilicet Dei & felicitatis æternæ, mundare ſe debet ab omni ſorde peccati, & digna converſatione ei fieri ſimilis, ejuſque ſanctitatem imitari, ſicut ſcriptum eſt † *Sanctis eſtote, quia ego Sanctus ſum Dominus Deus veſter.*

* Secundum Græcum, *Purificat ſe, ſicut & ille purus eſt.*

† *Levit. 19. 2.*

4. *Omnis qui facit peccatum, & iniquitatem * facit: & peccatum eſt iniquitas.* Omnis qui peccatum committit, legem Dei tranſgreditur, & peccatum legis divinæ violatio eſt, Ideoque fruſtra ſibi pollicetur ſimilitudinem gloriæ cum Chriſto, quamdiu in peccatis hæret.

* Græcæ, ἀνομία, *tranſgreſſio legis.*

5. 7. *Et ſcitis quia ille apparuit ut peccata noſtra tolleret, & peccatum in eo non eſt.* Noſtis per fidem, quod Filius Dei in aſſumpta carne viſibilis apparuit, ut peccata noſtra luenda & expianda ſuſciperet, ac pro illis Deo Patri ſatisfaciens, ſacrificio mortis ſuæ illa aboleret: quia nullum ipſe peccatum habuit, vel habere potuit, quod expiare illi opus eſſet. *Omnis qui in eo manet, non peccat: & omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum.* Omnis qui in Chriſto manet per caritatem, illique adhæret ut capiti, vitalem influxum ab eo recipiens, non peccat ex ea parte qua in Chriſto renatus ac renovatus eſt, in ipſoque manet, quia caritas non agit perperam: quamvis ex ea parte qua veteris Adam filius eſt, ſæpenumero peccet levioribus peccatis, ad quæ reliquiæ vetuſtatis inclinant, ſcilicet concupiſcentia poſt baptiſmum ſuperſtes: & omnis qui peccat gravi lethalique peccato, perſpicue probat ſe a Deo alienum eſſe, nec illum noſſe eo modo quo debet cognoſci, cognitione ſcilicet cum amore & grato animo conjuncta.

*S. Aug. lib. 2. De Peccat. Meritis & Remiſſ. Cap. 8. 9. & 10. lib. De Perf. juſtitiæ, cap. 18. & Epiſt. 177. alias 95. n. 17.*

7. *Filioli, nemo vos ſeducat. Qui facit juſtitiam, juſtus eſt: ſicut & ille juſtus eſt.* Ne vos in errorem abduci ſinatis a ſeductoribus, qui bona opera non eſſe neceſſaria ad ſalutem perſuadere vobis volunt, ſed fidem ſolam ſufficere. Qui facit opera juſtitiæ, juſtus eſt, ſicut & Chriſtus Jeſus juſtus eſt. Opera porro juſtitiæ ſunt, quæ per juſtitiam, id eſt caritatem vel inchoatam & actualem dumtaxat, vel perfectam & habitualem, Deus inſpirat & operatur in nobis. Sicut Chriſtus homo vera & intrinſecus adhærente, non extrinſecus imputata juſtitia juſtus eſt, & illius juſtitia non eſt otioſa, ſed in opera bona influit: ita fideles juſti ſunt vera & interius inhærente, non extrinſecus imputata juſtitia; illaque in bona opera ſe exerit.

8. *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.* Qui peccatum committit, ſe diaboli filium, ſectatorem, & immitatorem probat, quia diabolus ab initio mundi peccavit, & ceteris omnibus qui peccaverunt, tam angelis quam hominibus, peccatum ſuggeſſit atque perſuaſit, & ſic concupiſcentiam peccatorum radicem & fomitem in totum humanum genus invexit; & numquam peccare deſinit. Ad hoc Filius Dei in ſubſtantia noſtræ carnis apparuit, ut peccata, quæ ſunt opera diaboli, diſſolvat, aboleat, deſtruat, merito ſanguinis ſui pretioſiſſimi, & gratiæ ſuæ omnipotenti virtute.

9. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Quicumque per gratiam regenerationis & adoptionis Filius Dei effectus eſt, peccatum, quo Dei aut proximi caritas violetur, non committit quatenus ex Deo natus eſt, quia gratia & caritas, quod eſt ſemen Dei in eo manens, non peccati, ſed omnis boni principium eſt: & non poteſt peccare peccato ad mortem, ita ut peccatum hujuſmodi caritas admittat, vel cum eo maneat: Divinæ enim nativitatis ſemen in ipſo manens & viam ſuam exerens, impedit ne peccet, quamdiu vivificum illius impulſum ſequitur. Fieri ergo non poteſt ut peccando Filius Dei adoptivus maneat. *Peccata graviora & exitioſa, & mortalia, non admittet omnino qui natus ex Deo fuerit, non futurus Dei filius, ſi admiſerit*, (ait Tertullianus.) Eodem ſenſu S. Auguſtinus ait: *Quod non poteſt juſte, non poteſt juſtus, quoniam hæc decernendo prius amittit juſtitiam, ut quod non poteſt juſtus, poſſit injuſtus.* Eo ſenſu S. Joannes ait, eum qui ex Deo natus eſt peccare non poſſe, quo ſanctus Paulus dixit, *Prudentia carnis legi Dei non eſt ſubjecta, nec enim poteſt.* „ Tamquam ſi diceretur. Nix non calefacit, nec „ enim poteſt. Quamdiu enim nix eſt, non calefa- „ cit, ſed reſolvi poteſt & fervere, ut calefaciat: ſed „ cum hoc facit, jam nix non eſt. Sic & pruden- „ tia carnis dicitur, cum anima pro magnis bonis „ temporalia bona concupiſcit. Quamdiu enim ap- „ petitus talis ineſt animæ, legi Dei ſubjecta eſſe „ non poteſt, id eſt, non poteſt implere quæ lex „ jubet. Sed cum ſpiritalia bona deſiderare cœpe- „ rit, & temporalia contemnere, deſinet eſſe carnis „ prudentia, & ſpiritui non reſiſtet. Similiter *Qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, & non poteſt peccare*; ſed peccando excidit a divinæ illius nativitatis & filiationis dignitate, quia excidit a caritate. Ex hoc igitur S. Joannis loco nihil extundere poſſunt Calviniani pro hæretico dogmate ſuo de inamiſſibilitate juſtitiæ, quod a ſacra Synodo Tridentina merito damnatum eſt.

Hanc Apoſtoli ſententiam, Calviniani perperam detorquent ad hæreticum dogma ſuum de juſtitiæ inamiſſibilitate ſtabiliendum.

*Tertull. lib. De Pudic. cap. 19.*

*S. Aug. lib. 1. Contra Gaudentium, c. 30.*

*Roman. 8. 9.*

*S. Aug. lib. Quæſtionum 83. Quæſt. 66.*

*Concil. Trid. Seſſ. 9. Can. 23. 27. & 28.*

10. *In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.* Hoc ſigno dignoſcuntur inter ſe filii Dei, & filii diaboli. Filii enim Dei ex propenſione & impulſu gratiæ & caritatis per Spiritum ſanctum in cordibus ſuis diffuſæ exterius operantur: Mali vero ex propenſione & impulſu concupiſcentiæ, quam a Patre ſuo diabolo habent, utpote ex peccato primi hominis in totum genus transfuſam. Omnis qui opera juſtitiæ non facit, non eſt ex Deo; nec ille qui proximum ſuum non diligit.

11. 12. *Quoniam hæc eſt annuntiatio, quam audiſtis ab initio, ut diligatis * alterutrum.* Hoc vobis annuntiatum & traditum eſt ab initio, cum primum in Religione Chriſtiana inſtituti eſtis, ut vos invicem diligatis. *Non ſicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum.* Nec agatis ſicut Cain, qui maligni ſpiritus filius erat, a quo diaboli civitas initium cœpit. Is quippe fratrem ſuum inſtigante diabolo occidit. Et *propter quid occidit eum?* Quid vero impulit eum ad necem inferendam fratri? *Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem juſta.* Impulit eum ad crudele illud facinus invidia fraternæ virtutis, & gloriæ ex bonis operibus partæ: quia ſacrificium fratris ſui Deo gratum & acceptum eſſe, ex igne cœlitus in victimas ejus immiſſo, aut ex alio ſigno cognovit, ſuum vero Deo diſplicere ob injuſtitiam offerentis.

* Græce, ἀγαπῶμεν, *diligamus.*

*Geneſ. 4. 4. Hebræor. Traditio. Verſio Theodotionis. S. Hieron. in Tradit. Hebr. ſuper Geneſim.*

13. *Nolite mirari, fratres, ſi odit vos mundus.* Ne miremini igitur fratres, ſi homines mali vos oderunt & perſequuntur. Id minime novum, ut probat exemplum Cain. Quod vero novum non eſt, nec inſolitum, & ſors eſt bonorum communis, levius ferendum eſt.

14. 15. *Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Ceterum probabili conjectura, ſeu morali quadam certitudine concepta ex teſtimonio bonæ conſcientiæ, innocentis vitæ, & conſolationis Spiritus ſancti, ſcimus nos a Deo tranſlatos eſſe a morte peccati ad vitam gratiæ & juſtitiæ, conſequenter a ſtatu mortis æternæ, cui obnoxii eramus, ad ſtatum vitæ æternæ, ad quam jus habent juſti & boni Chriſtiani; quoniam diligimus proximos propter Deum, idque operibus probamus. Hujuſmodi enim dilectio, & fraternæ caritatis opera, ſigna ſunt & effectus vitæ ſpiritualis, quam in Deo per gratiam ſanctificantem habemus. *Qui non diligit, manet in morte.* Qui non diligit fratrem, manet in morte peccati, æternæque damnationis reatu. *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcitis quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.* Omnis qui proximum ſuum odit, odio conſummato, homicidii reus eſt, interno animi affectu & præparatione ſpectatis. Quem enim quis odit, periiſſe cupit. Scitis porro nullum homicidam habere ſemen vitæ æternæ, gratiam ſcilicet atque caritatem, in ſemetipſo manentem; ſed homicidii non modo conſummatione, ſed voluntate, & mortis fraternæ voto excidere a gratia Dei, & vitæ æternæ hereditate.

16. *In hoc cognovimus caritatem * Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Per hoc cognoſcimus vim caritatis Dei erga nos, quod Chriſtus pro redemptione noſtra vitam ſuam voluntarie tradiderit. Et nos exemplo Capitis noſtri parati eſſe debemus ad mortem pro ſalute proximi & gloria Dei ſubeundam.

* Secundum Græcum: *In hoc cognovimus caritatem, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit.*

17. *Qui habuerit ſubſtantiam † hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo caritas Dei manet in eo?* Qui habuerit bona temporalia, ex quibus & aliorum indigentiæ ſubvenire valeat, & viderit proximum ſuum, maxime vero Chriſtianum fratrem neceſſitatem pati, & cor ac viſcera ſua illi clauſerit, illius inopiam ex affectu miſericordiæ non ſublevans; quomodo fieri poteſt ut caritas Dei, propter

† Græce, ὃς ἂν ἔχῃ τὸν βίον τοῦ κόσμου *Qui habuerit victum mundi*, id eſt quæ ad victum & præſentis vitæ uſum pertinent, ut



quem diligendus eſt proximus, in eo reſideat? Ab ea certe alienus eſt.

ſunt alimenta, veſtes, pecuniæ.

18. 19. 20. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.* Non verbis tantum blandis & ſpecioſis, ſed operibus & beneficiis, veram ac ſinceram erga proximum dilectionem teſtemur ac probemus. *In hoc cognoſcimus quoniam ex veritate ſumus: & in conſpectu ejus ſuadebimus corda noſtra.* Hoc ſigno cognoſcimus nos eſſe filios veritatis, id eſt Dei, qui prima & ſumma veritas eſt; vel nos revera diligere proximum propter Deum (quod verbis profitemur) ſi illius indigentiæ, quantum in nobis eſt, ſuccurramus: & caritatis noſtræ ſinceritatem cordibus noſtris in conſpectu Dei probabiliter perſuadebimus, conſcientiam noſtram coram Deo tranquillam ac pacatam reddentes, pia concepta fiducia quod eum ex animo diligamus, & filii ejus ſimus. *Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum, major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia.* Si vero nos cor noſtrum ſeu conſcientia noſtra reprehendat & condemnet, quanto magis nos condemnabit Deus, qui incomparabiliter major eſt & potentior corde noſtro, & novit omnia, adeoque intimos cordis noſtri receſſus, cogitationes, affectus, conſilia, intentiones, perſpicacius ac profundius quam nos ipſi cognoſcamus.

20. 21. *Chariſſimi, ſi cor noſtrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo facimus.* Si conſcientia noſtra nos non arguat & condemnet tamquam dilectionem fraternam ſimulantes, & nullius aliunde mali operis, aut pravæ voluntatis nobis conſcii ſimus, fiduciam habemus accedendi ad Deum, & ab illo poſtulandi quicquid nobis neceſſarium aut conducibile eſt ad æternam ſalutem: & quicquid ab eo petierimus, pro votis impetrabimus, quia divina ejus mandata fideliter ſervamus, illa præſertim duo primaria de dilectione Dei & proximi, ad quæ cetera revocantur: & quæ illi grata ſunt & accepta, facimus.

22. 23. *Et hoc eſt mandatum ejus: Ut credamus in nomine Filii ejus Jeſu Chriſti: & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatum nobis.* † Hoc porro Dei mandatum eſt, ut credamus in Filium ejus Jeſum Chriſtum, & nos mutuo diligamus eo modo quo nobis id præcepit, nempe ad ſalutem & vitam æternam. *Mandatum do vobis* (inquit) *ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.*

† Hinc refellitur error Hæreticorum aſſerentium nihil in Evangelio præceptum eſſe præter fidem, cetera eſſe libera. *Joan. 13. & 15.*

24. *Et qui ſervat mandata ejus, in illo manet, & ipſe in eo: & in hoc ſcimus quoniam manet in nobis de Spiritu quem dedit nobis.* Qui vero ſervat Dei mandata, in Deo manet, & Deus in illo, intimoque ſocietatis & amicitiæ vinculo ſunt conjuncti: & hoc indicio novimus, Spiritum adoptionis filiorum, quem dedit nobis, clamantem in cordibus noſtris, Abba, Pater, in nobis permanere, quo agimur & dirigimur, ut quæ illi gratia ſunt faciamus.

---

## CAPUT III.

### *Senſus Moralis.*

1. *Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur & ſimus.* Admiremur & memori grataque voluntate, recogitemus immenſam illam Dei erga nos caritatem, qui nos viles creaturas & peccatores æterna damnatione dignos, per Jeſum Chriſtum Filium ſuum ſibi reconciliatos, in filios ſuos adoptavit, regnique ſui hæredes fecit. *Domine, quid eſt homo, quia magnificas eum, & apponis erga eum cor tuum?* Tanto amori totum cor noſtrum, totum amorem rependamus, & nullum rivulum duci extra patiamur, cujus derivatione minuatur. Agnoſcamus dignitatem noſtram, & divinæ conſortes facti naturæ, in veterem vilitatem degeneri converſatione numquam redeamus. Nihil cogitemus, loquamur, aut agamus, quod adoptione noſtra ſit indignum. Cæci homines de carnalis originis nobilitate gloriantur, & dignitatem filiorum Dei parvifaciunt. Dilectores mundi non cognoſcunt filios Dei, inſultant eis qui pie vivunt, qui contemnunt ſecularia, qui luxum, ludos, ſpectacula, comeſſationes averſantur. Quid mirum ſi mundus filios Dei non cognoſcit, qui Chriſtum ipſum non cognoſcit? *Propter hoc mundus non novit nos, quia non novit eum.* Cur vero non eſt cognitus a mundo Chriſtus Jeſus? „ Quia omnia peccata in hominibus arguebat. „ Illi amando delectationes peccatorum, non agno- „ ſcebant Deum: amando quod febris ſuadebat, in- „ juriam Medico faciebant.

Immenſa Dei erga nos caritas.

*S. Aug. Tract. 4. in hanc Epiſt. n. 4.*

2. *Cariſſimi, nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt.* Viſio Dei ut in ſe eſt, tota merces Sanctorum. Eum videndo amabimus, amando laudabimus, laudando ſine fine in ipſo delectabimur. Quis capere aut explicare valeat quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quod præparavit Deus diligentibus ſe? Unicum illud, ſummum, æternumque bonum noſtrum deſideremus: utque illo frui mereamur, cor noſtrum terrenis evacuemus deſideriis. Divinæ illius ſimilitudinis lineamenta formare in nobis incipiamus, quæ nobis in cœlo perficienda & conſummanda promittitur. *Fugiendum eſt igitur ad cariſſimam patriam, & ibi Pater, & ibi omnia*, (ajebat Plotinus Philoſophus Platonicus.) *Quæ igitur claſſis* (inquit) *aut fuga? Similem Deo fieri. Si ergo Deo quanto ſimilior, tanto fit quiſque propinquior; nulla eſt ab eo alia longinquitas, quam ejus diſſimilitudo. Incorporari vero illi, æterno, & incommutabili tanto eſt anima hominis diſſimilior, quanto rerum temporalium mutabiliumque cupidior.* Summum illud bonum quia in hac mortali vita videre non poſſumus ut in ſe eſt, & perfectam illius ſimilitudinem aſſequi, ad illud tendamus per amorem, & deſiderium. *Tota vita Chriſtiani boni ſanctum deſiderium eſt, Quod autem deſideras, nondum vides: ſed deſiderando capax efficeris, ut cum venerit quod videas, implearis. Sicuti enim ſi velis implere aliquem ſinum, & noſti quam magnum eſt quod dabitur, extendis ſinum: noſti quantum miſſurus es, & vides quia anguſtus eſt ſinus; extendendo facis capaciorem: ſic Deus differendo extendit deſiderium, deſiderando extendit animum, extendendo facit capacem. Deſideremus ergo, quia implendi ſumus. Tantum autem nos exercet ſanctum deſiderium, quantum deſideria noſtra amputaverimus ab amore ſæculi.* Evacuari oportet quod implendum eſt re aliqua meliore. *Bono implendus es, funde malum.*

Summum æternumque bonum noſtrum, ſcilicet Deum, unice amare, & deſiderare debemus.

*S. Aug. lib. 9. De Civit. Dei, cap. 17.*

*S. Aug. Tract. 4. in hanc Epiſt. n. 6.*

3. *Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat * ſe, ſicut & ille ſanctus eſt.* Chriſtiana ſpes, qua cœleſtia futuræ vitæ bona certa cum fiducia exſpectantur, nos ab hujus ſæculi bonis ſeparat, efficitque ut mundando cordi ſtudeamus, ſcientes nos aliter Deum videre non poſſe. *Beati* enim *mundo corde*, ait Chriſtus Jeſus, *quoniam ipſi Deum videbunt.* Animam noſtram puritati & ſanctitati Dei conformemus, ſi gloriæ ejus participes eſſe volumus. *Omnis qui habet hanc ſpem in eo, ſanctificat ſe, ſicut ille ſanctus eſt.* Liberum arbitrium ſub gratia ſalvum ſignificat S. Joannes. Quis nos ſanctificat, niſi Deus? „ Sed Deus te nolentem non ſanctificat. Ergo cum adjungis voluntatem tuam Deo, ſanctificas teipſum. *Sanctificas te, non de te, ſed de illo qui venit ut inhabitet in te. Tamen quia agis aliquid voluntate,* „ *ideo & tibi aliquid tributum eſt. Ideo autem tibi* „ *tributum eſt, ut dicas*, Adjutor meus eſto; ne „ derelinquas me. *Si dicis*, Adjutor meus eſto, *ali-* „ *quid agis: nam ſi nihil agis, quomodo ille ad-* „ *juvat?*

* *S. Aug. legit, Caſtificat ſe.*

*Matth. 5.*

Liberum arbitrium ſub grat ſalvum.

*S. Auguſt. ibid. n. 7.*

*Pſal. 26. 9.*

4. 5. 6. 7. 8. *Omnis quis facit peccatum, & iniquitatem facit: & peccatum eſt iniquitas.* Odium & fugam peccati multis rationibus Chriſtianis diſſuadet dilectus Chriſti Jeſu Apoſtolus. 1. Quia voluntati & legi Dei, quæ ipſa juſtitia eſt, & noſtrarum actionum regula, mortale peccatum capitaliter adverſatur. Omnis peccator divinæ legis prævaricator eſt. *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ.* Peccatum eſt *Voluntas faciendi quod juſtitia vetat, & unde liberum eſt abſtinere.* Quid iniquius, quam vilem creaturam adverſus Creatorem ſuum rebellare? Relicto eo qui ſumme eſt principio, & beatitudinis ſuæ fine, ſibi ipſi fieri velle principium & finem, in ſeipſo, aliave creatura quieſcendo, & illa fruendo? Quid iniquius, quam diabolum Chriſto præponere? Quid iniquius, quam fœdus & pactum cum Deo initum in baptiſmo violare? Quid iniquius, quam ſanguinem Chriſti, quo redempti ſumus conculcare? 2. Mortale peccatum fini Incarnationis, Paſſionis, & mortis Jeſu Chriſti adverſatur, qui venit in mundum ad peccatum deſtruendum, ut victima pro totius mundi peccatis oblata, ut Sacerdos noſter, ut principium & exemplar ſanctificationis noſtræ. Ejus ſanguinem pro ſalute ſua inutilem reddit, ejus Spiritum in ſe extinguit, ejus vitæ innocentiſſimæ & ſanctiſſimæ contumeliam facit, qui lethale peccatum committit. *Et ſcitis quia ille apparuit ut peccata noſtra tolleret, & peccatum in eo non eſt.* 3. Seipſum a Chriſti corpore abſcindit & ſegregat, qui lethaliter peccat, illi ut membrum capiti adhærere non vult, ejus influxum reſpuit, in ipſo & de ipſo vivere contemnit. *Omnis qui in eo manet, non peccat.* 4. Ita ſe gerit ac ſi numquam guſtaſſet ac vidiſſet quam ſuavis eſt Dominus, nec Dei bonitatem, nec juſtitiam recogitat. Magnitudi-

Odium & fuga peccati. Rationes quæ nos ab eo deterrere debent.

*Pſalm. 118.*

*S. Auguſt.*

nis

nis Dei, beneficiorum ejus, creationis, redemptionis, vocationis, promiſſionum, æternæ vitæ, damnationis æternæ obliviſcitur, quorum omnium conſideratio illum a peccato coerceret. „ *Non eſt Deus*
*Pſalm.* 10. 5.
„ *in conſpectu ejus, inquinatæ ſunt viæ illius in* „ *omni tempore. Auferuntur judicia tua a facie ejus.* Hinc de filiis Heli, qui ſe multis flagitiis inquinabant, ſcriptum eſt, *Filii Heli, filii Belial, neſcientes Dominum.*
1. Reg. 2. 12.
Homines peccato dediti neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant. *Omnis qui peccat, non vidit eum, nec cognovit eum*, ait Apoſtolus noſter. 5. Si Deum & Chriſtum vere noſſet peccator cognitione ſalutari, non ſolum fugeret ac execraretur peccatum, ſed opera juſtitiæ faceret, Chriſtum imitaretur, vitamque ſuam ejus vitæ ſanctiſſimæ conformaret. Summa Religionis eſt imitari quem colas. Chriſtiani nomine indignus cenſetur, qui Chriſtum non imitatur. Si quis aliter docet, ſeductor eſt. *Filioli, nemo vos ſeducat. Qui facit juſtitiam, juſtus eſt, ſicut & ille juſtus eſt.* 6. Peccator diabolo peccatorum principi & exemplari ſe adjungit, illum imitatur, in ejus familiam cooptatur, illi militat, regnum ejus propagat, opera ejus promovet, Filii Dei conſiliis contradicit & repugnat. *Qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat. In hoc apparuit Filius Dei, ut diſſolvat opera diaboli.* Propter imitationem Chriſtus Judæis ait: *Vos ex parte diabolo eſtis, & deſideria patris veſtri vultis facere.*

9. 10. *Omnis qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit: quoniam ſemen ipſius in eo manet, & non poteſt peccare, quoniam ex Deo natus eſt.* Concupiſcentia parit filios ſæculi, caritas filios Dei. Divinæ gratiam nativitatis caritas in nobis conſervat.

Caritas nota eſt filiorum Dei.

Mortale peccatum cum illa cohærere non poteſt; cum id uno ictu mortem inferat animæ, cujus illa vita eſt. Caritate lex Dei in corde ſcribitur, quæ quandiu diligitur, homo peccare non poteſt, id eſt peccare non vult, niſi caritas extinguatur. *Qui natus eſt ex* „ *Deo, non peccat.* Certum quoddam peccatum in- „ telligas, quod non poteſt admittere homo qui ex „ Deo natus eſt: & tale peccatum eſt illud, ut ſi „ quiſquam illud admiſerit, confirmet cetera; ſi quis „ non admiſerit, ſolvat cetera. Quod eſt hoc pec- „ catum? Facere contra mandatum. Quod eſt man- „ datum? *Mandatum novum do vobis, ut vos invi-* „ *cem diligatis.* Per hanc dilectionem peccata ſolvuntur.

*S. Aug. Tract. 5. in hanc Epiſt. Joan. 13. 34.*

Hæc ſi non teneatur, & grave peccatum eſt, & radix omnium peccatorum. *In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii diaboli. Omnis qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.* Signent ſe omnes ſigno crucis Chriſti, Baptiſmum ſuſcipiant, in Eccleſiam ad ſolemnes preces conveniant, Sacramenta frequentent, eleemoſynas erogent, externa quævis pietatis opera exerceant; *Dilectio ſola diſcernit inter filios Dei, & filios diaboli.* Quicquid vis habe: hoc ſolum non habeas, nihil tibi prodeſt: alia ſi non habeas, hoc habe, & impleſti legem. *Qui* enim *diligit proximum, legem implevit*, &, *Plenitudo legis eſt caritas.*

*Rom.* 13. 8. & 10.

11. 12. *Quoniam hæc eſt annuntiatio quam audiſtis ab initio, ut diligatis alterutrum. Non ſicut Cain, qui ex maligno erat, & occidit fratrem ſuum. Et propter quid occidit eum? Quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem ejus juſta.* Mandatum dilectionis proximi tam antiquum eſt quam humanum genus. Id in ipſa hominis natura Deus inſculpſit; peccato deformatum Chriſtus mediator verbo ſuo, ac exemplo, Spiritu ſuo, gratiaque reſculpſit. Caritas *ſummum fidei ſacramentum, Chriſtiani nominis theſaurus, quam Apoſtolus totius viribus Spiritus ſancti commendat.* Hæc actionum bonarum ſumma, perfecta juſtitia, finis cœleſtium præceptorum, mors criminum, vita virtutum, fundamentum pacis, vinculum unitatis. Proximos igitur in Deo, & propter Deum diligamus; odium proximi ut peſtem, ut monſtrum immane, ut primum peccatum filiorum Adam, ut primum invidiæ fœtum, ut homicidii multiplicis, tam ſpiritualis, quam corporalis principium, fugiamus.

Invidia & odium proximi, prima peccata filiorum Adam.

*Tertull. lib. De Patientia.*

„ Qui invidet, non amat. Peccatum „ diaboli eſt in illo, quia & diabolus invidendo „ dejecit. Cecidit enim, & invidit ſtanti. Non „ ideo voluit dejicere ut ipſe ſtaret, ſed ne ſolus caderet. *Invidia diaboli mors intravit in mundum.* Invidia cum caritate eſſe non poteſt. *Caritas non æmulatur.* Invidia Cainum Deo exoſum, caritas Abelem gratum fecit. Ignis e cœlo immiſſus a Deo ſacrificium Abel inflammavit, cujus cor ignis caritatis accenderat. Deus cor magis reſpicit, quam manum. Sacrificium Abel reſpexit, quia cum caritate obtulit; a Caini ſacrificio oculos avertit, quia cum invidia de terræ fructibus obtulit. Oderat fratrem, & ejus operibus bonis invidit. Quem imitari noluit, occidit: hinc ille filius diaboli, ille juſtus Dei apparuit; cujus juſtitiam in ſacroſancto Miſſæ ſacrificio perpetua commemoratione celebrat Eccleſia: *Supra quæ* (inquit) *propitio vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicut accepta habere dignatus es munera pueri tui juſti Abel.*

*S. Auguſt. Tract. 5. n. 8.*

13. *Nolite mirari, fratres, ſi odit vos mundus:* Mirandum potius eſſet, ſi mali bonos & pios diligerent, cum Dominus dixerit, *Si mundus vos odit, ſcitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuiſſetis, mundus, quod ſuum erat, diligeret: quia vero de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.... Mementote ſermonis mei: Non eſt ſervus major Domino ſuo. Si me perſe-* „ *cuti ſunt, & vos perſequentur.* In bono ergo pro- „ poſito conſtitutis, inimicitiæ diſſimilium diabolo „ inſtigante non deſunt, ut facile in odia prorum- „ pant, quorum improbi mores deteſtabiliores fiunt „ comparatione juſtorum. Iniquitas cum juſtitia non „ habet pacem, temperantiam odit ebrietas, falſitati „ nulla eſt cum veritate concordia: non amat ſuper- „ bia manſuetudinem, petulantia verecundiam, ava- „ ritia largitatem: & tam pertinaces habet diverſitas „ iſta conflictus, ut etiamſi exterius conquieſcat, „ ipſa tamen piorum cordium penetralia inquietare „ non deſinat: ut verum ſit, quod *Qui volunt pie* „ *vivere in Chriſto, perſecutionem patientur:* & quod „ omnis hæc vita tentatio eſt. Ipſis experimentis „ ſuis unuſquiſque fidelis edoctus, Chriſti cruce ar- „ metur, ut Chriſto dignus habeatur.

*Joan.* 15. 18.
Boni & pii mundo exoſi.
*S. Leo, Serm. 46. in Quadrag. 9.*
*2. Tim. 3. 12.*
*Job. 7. 1.*

14. 15. *Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres.* Qui proximum odit, in ſtatu mortis manet, a quo non transfertur ad vitam, niſi diligendo. *Qui non diligit, manet in morte.* Spiritus ſancti oraculum eſt. Quem non terret, hic infideli deterior eſt. Qui odio habens inimicos, & hæc audiens, inimicitias non deponit, ad reconciliationem & pacem non feſtinat, mortem æternam non formidat. Mortis corporalis metu dura quæque toleramus, ad vitandam vero animæ mortem, quod facillimum eſt, & in ſola voluntate poſitum, ſcilicet diligere fratres, recuſamus. „ *Redeat unuſquiſque ad cor ſuum: Si ibi invenerit caritatem fraternam, ſecurus ſit, quia tranſiit de morte ad vitam. Jam in dextera eſt; non attendat quia modo gloria ejus occulta eſt, cum venerit Dominus, tunc apparebit in gloria. Viget enim, ſed adhuc in hyeme; viget radix, ſed quaſi aridi ſunt rami: intus eſt medulla quæ viget, intus ſunt folia arborum, intus fructus, ſed ætatem exſpectant.* In caritate perſeveret, ſalus ejus in tuto erit. *Qui non diligit, manet in morte.* Non ait Apoſtolus, Qui odit, & perſequitur proximum, manet in morte; ſed, qui non diligit, id eſt, qui caritatis officia non exhibet, quorum vel ſola omiſſio mortis æternæ reos facit, ut probat Chriſti judicis ſuprema in reprobos ſententia. Qui vero proximum odit, duplicis homicidii reus eſt. Seipſum enim vita gratiæ, & ſpe vitæ æternæ deſtituit: & proximum jam occidit in corde ſuo, quem ægre fert vivere, erga quem tam prave affectus eſt, ut de ejus morte gauderet. *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt. Et ſcimus quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.* „ Jam ergo ſi contemnebat quiſ- „ quam odium fraternum, numquid & homicidium „ in corde ſuo contempturus eſt? Non movet manus „ ad occidendum hominem, homicida jam tenetur a „ Domino, qui corda ſcrutatur: vivit ille, & iſte „ jam interfector judicatur. Quantæ vero & quam „ atroces ex odio calumniæ & detractiones oriun- „ tur, quibus vita honoris & famæ adimitur? ut „ dicere liceat cum Optato Milevitano: *Vos vivum feciſtis homicidium: vivunt homines, & occiſi ſunt honores a vobis.*

Qui proximum odit, duplicis homicidii reus eſt.
*S. Auguſt. Tract. 5. in hanc Epiſt. num. 10.*

16. *In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit: & nos debemus pro fratribus animas ponere.* Chriſtus Jeſus qui mandatum novum caritatis dedit, non ſolum nobis adjutorium præbet quo illud impleamus, ſed & exemplum. *Hoc eſt præceptum meum* (inquit) *ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Chriſtus pro ſalute noſtra mori dignatus eſt; & nos igitur parati eſſe debemus ad mortem pro fratribus oppetendam, ſi Dei gloria & ſalus ipſorum id exigat. Homo quilibet proximus & frater noſter eſt, maxime vero Chriſtianus, etiam inimicus. Poſtulat autem ordo caritatis, ut proximi ſalutem magis diligamus quam vitam corporis noſtri, adeoque ut pro ejus ſalute procuranda vitam corporis noſtri exponamus ac devoveamus. Ad id præ ceteris tenentur animarum Paſtores. *Bonus Paſtor*, ait Chriſtus, *animam ſuam dat pro ovibus ſuis.* Hoc eſt veræ & perfectæ caritatis officium.

Chriſtus Jeſus caritatis exemplum.

17. 18. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo caritas Dei manet*



*net in eo?* Eleemoſynam pauperibus erogare, rudimentum eſt & inchoatio, non perfectio caritatis.

Eleemoſynæ præceptum.

Chriſtus qui pro nobis ſanguinem ſuum dedit, jus habet exigendi vitam noſtram pro membrorum ſuorum ſalute. Qui vero non dividit cum proximis indigentibus ſubſtantiam ſuam; quomodo pro illis daturus eſt vitam ſuam? Qui pauperibus non ſubvenit ſecundum facultatum ſuarum menſuram, & ſecundum eorum indigentiam, caritatem Dei non habet, jus non habet ad vitam æternam, a Chriſti corpore alienus eſt, mortuum & putre membrum eſt. Neceſſitas fratrum, non ſolum extrema, ſed communis & quotidiana, ſublevanda eſt ex præcepto caritatis ab iis qui facultates habent hujus mundi. Hæc audiant divites immiſericordes, & contremiſcant. Divitias poſſident ut Dei diſpenſatores & œconomi; jus habent ex iis ſumendi tantum quæ ſibi & familiæ ſuæ neceſſaria ſunt ad perſonarum & ſtatus ſui ſuſtentationem, non ad inanes expenſas, ad luxum, ad ludos, ad voluptates. Non ſolum decimas bonorum ſuorum debent pauperibus, ut Phariſæi, ſed omnia ſuperflua; hæc abundantior & plenior juſtitia eſt, quam a Chriſtianis divitibus Chriſtus Dominus exigit & exſpectat; quam niſi habuerint, non intrabunt in regnum cœlorum. Superflua dico, non cupiditati, quæ numquam dicit, Sufficit, ſed neceſſitati. *Dominus non ſolum decimam partem, ſed etiam omnia ſuperflua pauperibus jubet exhiberi, ſecundum illud* (Luc. 11.) *Quod ſupereſt date eleemoſynam* (ait S. Thomas. †) *Superflua divitum, neceſſaria ſunt pauperum. Res alienæ poſſidentur, cum ſuperflua poſſidentur.* Eroganda autem eleemoſyna eſt, non ex hypocriſi, aut vanæ gloriæ ſtudio, ſed ex ſincero Chriſtianæ compaſſionis affectu.

*S. Thomas, Secunda Secundæ Quæſt. 87. Art. 1. ad 4.*
*Pſ. 147. n. 12.*

Nihil divitibus proficit ad ſalutem arcam & crumenam pauperibus aperire, ſi cor & viſcera claudant, qui tribuunt importunitati, oſtentationi, cupiditati, quod caritas exigit. *Qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo caritas Dei manet in illo?* Vera & ſincera caritas non folia ſolum, ſed fructus profert; non verbis dumtaxat ſpecioſis compatientis animi affectum ſæpe mentientibus, ſed operibus & beneficentia exhibetur. *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.* Si dixeris pauperi, Deus te adjuvet, nec illi ſubvenias cum potes, & quantum potes, dilectio Dei in te non manet. Si caritas Dei in te non manet, non es natus ex Deo. „ Quo- „ modo te gloriaris eſſe Chriſtianum? Nomen habes, & facta non habes.

*S. Aug. Tract. 5. n. 12.*

19. 20. 21. *In hoc cognovimus quoniam ex veritate ſumus; & in conſpectu ejus ſuadebimus corda noſtra.* Simulator caritatis, non eſt filius veritatis, Chriſtianus vocari non meretur. Multi eleemoſynas erogant, qui id ex caritate non faciunt, pagani, hæretici, ſchiſmatici, mali & impœnitentes Chriſtiani. Noſtram ergo conſcientiam in conſpectu Dei interrogemus.

Nihil prodeſt eleemoſyna facienti, niſi ex ſincera caritate fiat.

Nam *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.... Opus autem ſuum probet unuſquiſque, & tunc in ſemetipſo gloriam habebit, & non in altero.* Opus ſuum probet, utrum de vena caritatis emanet, utrum de radice dilectionis rami bonorum operum pullulent. Fruſtra illi perhibet teſtimonium lingua aliena, ſi redarguat eum conſcientia propria. *Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum, major eſt Deus corde noſtro, & novit omnia.* Intimos cordis noſtri receſſus, affectus, conſilia, intentiones ſcrutatur & videt, qui dixit, *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis:* &, *Neſciat ſiniſtra tua quid faciat dextera tua.* „ Dextera, pura conſcientia eſt; „ ſiniſtra, mundi cupiditas. Multi per cupiditatem „ mundi multa in ſpeciem bona & mira faciunt; „ ſiniſtra operantur, non dextera. Dextra debet „ operari, & neſciente ſiniſtra, ut nec miſceat ſe „ cupiditas ſæculi, quando aliquid boni dilectione „ operamur. Et unde hoc cognoſcimus? Ante Deum „ interroga cor tuum: vide quid feciſti, & quid ibi „ appetiſti, ſalutem tuam, an laudem hominum. In- „ tus vide, nam homo judicare non poteſt, qui „ cor tuum non videt. Ille videat, qui coronat; vel damnat: ille ſit teſtis, quo judice coronaris, aut damnaris. Si caritas in te ſincera ſit, non ficta; coram Chriſto judice cum fiducia comparebis, qui regnum ſuum non promiſit niſi caritati & ejus operibus. Qui caritatem non habet, conſcientiæ ſuæ judicio prædamnatur. *Si cor noſtrum non reprehenderit nos fiduciam habemus ad Deum.* Piam ſalutis æternæ fiduciam ingenerant pura conſcientia, & caritatis operatio aſſidua. „ Præclara & divina res ſalutaris „ operatio, ſolatium grande credentium, ſecuritatis „ noſtræ ſalubre præſidium, munimentum ſpei, tu- „ tela fidei, medela peccati. Verum Dei munus & „ maximum, infirmis neceſſarium, fortibus glorio- „ ſum, quo Chriſtianus adjutus perfert gratiam ſpi- „ ritualem, promeretur Chriſtum judicem, Deum „ computat debitorem.

*2. Cor. 1. 22.*
*Galat. 6. 4.*
*Matth. 6. 1. 3.*
*S. Auguſt. Tract. 6.*
*S. Ciprian. De Opere & Eleemoſinis.*



22. *Et quidquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata ejus cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus.* Deus nihil negat caritati in ſanctis oranti, quia nihil ipſa negat unquam Deo, ſtudens illi non ſolum in omnibus obſequi, ſed & adulari (ut Tertulliani verbis utar.) Quicquid juſtus petit, accipit, modo petat quod petendum eſt, & quando petendum, & quomodo petendum, & quantum res tanta peti debet, ſcilicet perſeveranter. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet & ſalvos faciet eos.* „ Deus & ſi volun- „ tati noſtræ non dat, ſaluti dat. Quid ſi enim „ hoc petieris quod tibi obeſt, & Medicus novit quod „ obeſt, tibi? Non enim non te exaudit Medicus, „ quando forte tu frigidam aquam petis, & ſi pro- „ deſt, ſtatim dat; ſi non prodeſt, non dat. Non „ exaudivit, an potius ad ſanitatem exaudivit, quia „ voluntati contradixit? Sit ergo in vobis caritas, „ & ſecuri eſtote: & quando non vobis datur quod „ petitis, exaudimini, ſed neſcitis. Diſcite rogare „ Deum, ut Medico committatis, quod ipſe novit „ faciat. Tu morbum confitearis, ille medicamen- „ tum adhibeat. Tu tantum caritatem tene. Nam „ ille ſecare vult, urere vult: tu ſi clamas, & non „ exaudiris in ſectione, in uſtione & tribulatione, „ novit ille quo uſque putre eſt. Tu vis jam revo- „ cet manus, & ille vulneris ſinum attendit, ſcit „ quouſque perveniat. *Non exaudit ad voluntatem ſed exaudit ad ſanitatem.*

Oratio juſti quantam vim habeat?
*Pſal.* 144. 19.
*S. Aug. Tract. 6. in hanc Epiſt. n. 8.*

23. 24. *Et hoc eſt mandatum ejus: Ut credamus in nomine Filii ejus Jeſu Chriſti: & diligamus alterutrum, ſicut dedit mandatum nobis.* Hæc legis Chriſtianæ ſumma: credere, & diligere. *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum:* ait Salvator noſter. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc eſt maximum & primum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis univerſa Lex pendet, & Prophetæ.* Proximos autem ex caritate non diligimus, ſi ex principio fidei non diligimus ut membra Jeſu Chriſti, & in ejus nomine, propter Deum, & ad ſalutem æternam, quomodo ipſe & verbo & exemplo ſuo diligendos docuit. *Sicut dedit mandatum nobis.* Chriſtiana caritas a Deo ut a principio manans, in eo velut in fine requieſcit. Per hanc homo juſtus Deo adhæret tamquam amicus amico potentiori, prævenienti, adjuvanti, promoventi, & perficienti in bonis, protegenti in malis; & viciſſim Deus homini juſto adhæret tamquam amico infirmiori, gratiæ ſuæ præſidio illum ſervans, adjuvans, confirmans & quemadmodum tres divinæ perſonæ admirabili circuminceſſione in ſe ipſis inhabitant per unitatem ſubſtantiæ: ita juſti in Deo, & tres divinæ Perſonæ in juſtis miro quodam modo inhabitant per unitatem caritatis, quæ Deus eſt. *Et qui ſervat mandata ejus, in illo manet, & ipſe in eo.* Caritate & operibus caritatis, nobis inhabitatio Dei in cordibus noſtris manifeſtatur; quemadmodum naſcentis Eccleſiæ tempore variis chariſmatis, ut dono linguarum, Prophetiæ, miraculorum, ſanitatum, præſentia Spiritus ſancti in fidelibus manifeſtabatur. *Et in hoc ſcimus quoniam manet in nobis, de Spiritu quem dedit nobis.* „ Ergo ſi vis noſſe quia accepiſti Spiritum ſanctum, „ interroga cor tuum; ne forte Sacramentum ha- „ beas, virtutem Sacramenti non habeas. Interroga „ cor tuum: ſi eſt ibi dilectio fratris, ſecurus eſto. „ Non poteſt eſſe dilectio ſine ſpiritu Dei, dicente „ Paulo Apoſtolo: *Caritas Dei diffuſa eſt in cordibus* „ *noſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis.*

Legis Chriſtianæ ſumma, credere & diligere.
*Joan. 17. 3.*
*Matt. 22. 37. 38. 39. 40.*
*S. Auguſtin. Tract. 6. in hanc Epiſt.*
*Rom. 5. 5.*

---

## C A P U T IV.

### *Senſus Litteralis.*

1. *CAriſſimi, nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint: quoniam multi* * *Pſeudo-Prophetæ exierunt in mundum*, † Ne fidem adhibeatis cuilibet homini doctrinam quaſi a Spiritu ſancto ſibi revelatam proferenti & jactanti, ſed hujuſmodi homines examinate ad regulas quas vobis tradimus. (*Verſ. 2. & 6. hujus capitis,*) ut cognoſcatis an vere ſint a Deo afflati & miſſi, & an eorum doctrina ſit a Spiritu Dei revelata. Multi enim Magiſtri mendaces in mundum prodierunt.

2. 3. *In hoc cognoſcitur * Spiritus Dei: Omnis ſpiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex*

* Simon Magus, Menander, Cerinthus, Ebion, Baſilides, Valentinus, &c.
Ex hoc loco perperam colligunt Hæretici quidam, examen doctrinarum ex ſi

Dei morumque regulis, & judicium controverſiarum fidei, ad quoſvis Chriſtianos pertinere.

* Græce, γινωσκετε, *Cognoſcite*.

* Secundum Græcum: *Et hic eſt Antichriſti*.

*ex Deo eſt: Et omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt: & hic eſt Antichriſtus, † de quo audiſtis quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt.* Hoc ſigno cognoſcatis quempiam doctrinam a Spiritu Dei profectam tradere: Omnis qui confitetur Jeſum Chriſtum verum Deum ex ſinu Patris æterni in mundum veniſſe, & veram carnem ad redimendos homines aſſumpſiſſe, in eaque ſalutis noſtræ Myſteria operatum, quantum ad hoc doctrinæ caput, ex Deo eſt. Et omnis doctor qui diſſolvit ac deſtruit Jeſum, duas in eo naturas ſeparans, duaſque in eo perſonas eſſe dicens; adeoque illum non eſſe Dei Filium, verumque Meſſiam & Chriſtum, non tradit doctrinam a Deo inſpiratam, ſed diabolicam: & hic eſt Antichriſti præcurſor, quem venturum audiviſtis: & jam membra ejus & ſpiritus in mundo ſunt, regnum ejus inchoantia & promoventia. Græcus Textus hodiernus & Latina Verſio in Verſu tertio variant. Secundum Græcum Textum hodiernum ex omnibus Codicibus conſtantem ſic legitur: *Et omnis ſpiritus qui non confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo non eſt*. Cui lectioni Syriaca Verſio concordat, & S. Cyprianus ſuffragatur. Verſio vero Latina habet: *Et omnis ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt*. Quam Verſionem primitivo, antiquiori, & ſincero Textui Græco conſona eſſe conjicimus ex S. Irenæo illam agnoſcente, ex S. Auguſtino utramque lectionem exponente, quas & Tertullianus multo antiquior conjunxit, & ex Socrate Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Auctore, qui obſervat ignoraſſe Neſtorium in Catholica Joannis Epiſtola ita ſcriptum eſſe in antiquis exemplaribus. *Omnis ſpiritus qui Jeſum a Deo ſeparat, non eſt ex Deo*. Hanc enim

*S. Cyprian. lib. 2. Adverſus Judæos. S. Ireneus lib. 3. cap. 18. S. Aug. Tract. 6. Tertull. lib. 5. contra Marcion. cap. 16. Socrates lib. 2. cap. 32.*

„ ſententiam, (inquit) e vetuſtis exemplaribus ſuſtulerunt ii, qui ab hominis diſpenſatione divinitatem ſeparare ſtudebant. Quomobrem & priſci Interpretes idipſum obſervaverunt, fuiſſe nimirum quoſdam qui hanc Epiſtolam depravarint, hominem a Deo ſejungere cupientes.

4. 5. *Vos ex Deo eſtis, filioli, & viciſtis eum * quoniam major eſt qui in vobis eſt, quam qui in mundo.* Vos vero, qui per gratiam adoptionis filii Dei eſtis, per fidem viciſtis Antichriſti ſpiritum in Pſeudoprophetis jam ſpirantem & multos ſeducentem: quia Deus, qui in vobis habitat, & per gratiam ſuam vos regit ac protegit, fortior ac potentior eſt diabolo, qui mundo impio & reprobo dominatur. *Ipſi de mundo ſunt; ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.* Illi Antichriſti præcurſores & errorum Magiſtri, ex hominum mente corruptorum, & mundo ſervientium, numero ſunt. Ideo ex mundi ſpiritu & affectu loquuntur, falſamque doctinam ſpargunt a diabolo mundi principe inſpiratam, & falſis mundi præjudiciis ac depravatis affectibus congruentem; & mundus eos lubenter audit, illis credit, ac morem gerit.

* Secundum Græcum Textum, & Syriacam Verſionem: *Et viciſtis eos*.

6. *Nos ex Deo ſumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos: in hoc cognoſcimus ſpiritum veritatis, & ſpiritum erroris.* Verſu tertio regulam, ſignumque ſpeciale temporibus ſuis congruens, ad Pſeudoprophetas dignoſcendos tradidit S. Joannes, nimirum, quod a Chriſto Jeſu abducant, & illum dividant ac diſſolvant. Iſto vero Verſu tradit regulam generalem, ſignumque univerſalius, & omnibus temporibus conveniens, quo vera doctrina diſcernatur a falſa: Quod nimirum ea vera doctrina ſit, quam Apoſtoli docuerunt ac prædicarunt; falſa vero quæ doctrinæ & Traditioni Apoſtolicæ repugnat. Nos Apoſtoli (inquit) ex Deo ſumus, a quo accepimus doctrinam quam prædicamus, & a quo vocati & miſſi ſumus ad prædicandum omnibus gentibus Evangelium. Quicumque Deum novit, & diligit, & cum eo ſocietatem habet, audit nos, noſtram doctrinam obedienter ſuſcipit ac ſectatur: Qui non eſt ex Deo, noſtram doctrinam ſpernit, rejicit, impugnat. Per hoc cognoſcimus & diſcernimus veram falſamque doctrinam, magiſtros erroris & doctores veritatis.

7. 8. *Chariſſimi, diligamus nos invicem: quia caritas ex Deo eſt. Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt, & cognoſcit Deum*: Nos omnes amore ſancto invicem diligamus: quia caritas eximium eſt ac ſingulare Dei munus, quod per gratiam ſuam in nobis operatur. Et omnis qui proximum non carnali ſolum & naturali, ſed ſpirituali dilectione proſequitur propter Deum, Dei filius eſt, & Deum cognoſcit ut oportet, intimo cordis affectu ei adhærens. *Qui non diligit, non novit Deum; quoniam Deus caritas eſt*. Qui non amat proximum, non novit Deum ut oportet, notitia quæ illius divina majeſtate digna ſit, notitia ſalutari, ut amicitiæ ſocietatem cum illo habens: Quia Deus ipſa caritas eſt eſſentialis, increata, ſubſiſtens: unde qui a caritate alienus eſt, amicitiæ fœdere Deo non conjungitur.

9. 10. 11. *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum * ut vivamus per eum.* Hoc illuſtri argumento Deus Pater admirabilem ſuam erga nos caritatem declaravit, quod Filium ſuum unigenitum, humana & mortali carne indutum miſit in mundum, ut qui mortui eramus morte peccati, & æternæ damnationi addicti, per eum ceu mediatorem & caput noſtrum vita gratiæ & gloriæ ſempiternæ vivamus. *In hoc eſt caritas: non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos, & miſit ſuum Filium propitiationem pro peccatis noſtris.* Per hoc maxime commendatur caritas Dei erga nos, quod nos ipſum priores non dilexerimus, & ejus amorem provocaverimus, aut aliquo modo promeriti ſimus, ſed quod nos, cum inimici ejus eſſemus, prior dilexerit, & Filium ſuum miſerit ut victimam propitiationis pro peccatis noſtris in ara crucis immolandam. *Cariſſimi, ſi ſic Deus dilexit nos: & nos debemus alterutrum diligere.* Si Deus nos a ſe averſos ita dilexit, & nos ipſius exemplo debemus proximos diligere, non ſolum amicos, ſed & inimicos ac perſecutores.

* Confer cum Joan 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

12. *Deum nemo vidit unquam. † Si diligamus invicem, Deus in nobis manet & charitas ejus in nobis perfecta eſt.* Deum nemo in hac mortali vita vidit unquam ſicuti eſt: unde nec illum condigne redamare poſſumus amore illo ſublimi & beatifico quo illum amant Angeli & omnes Sancti, qui beata illius viſione perfruuntur. Verumtamen, ſi proximum propter Deum diligamus, nobiſque mutuæ dilectionis officia impendamus, Deus in nobis inhabitat per gratiam ſuam, & caritas ejus in nobis vera, ſincera, & perfecta eſt eſſentiali perfectione, quæ viatorum caritati convenit; illa enim dilectionem Dei ſuper omnia etiam complectitur, quatenus proximus non propter carnem & ſanguinem, nec propter nullum commodum temporale, ſed propter Deum diligitur.

* Confer cum Joan 1. 88. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.*

13. 14. *In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis, quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis.* Per hoc nos Apoſtoli & Diſcipuli Chriſti cognoſcimus nos in Deo manere, & Deum in nobis, quia varia Spiritus ſui dona in nos effudit. *Et nos vidimus, & teſtificamur, quoniam Pater miſit Filium ſuum Salvatorem mundi.* Et nos, quorum magiſterio & prædicatione fidem Chriſtianam ſuſcepiſtis, vidimus oculis noſtris Jeſum Chriſtum, in quem creditis; & ſicut vidimus, teſtimonium perhibemus, ſignis confirmatum, quod Deus Pater miſit Filium ſuum ut eſſet mundi Salvator, id eſt ut homines toto orbe in ſe credentes a peccato & morte æterna ſalvos faceret.

Confer cum 1. *Cor.* 12.

15. *Quiſquis confeſſus fuerit quoniam Jeſus eſt Filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo.* Quiſquis fide viva & per caritatem operante confeſſus fuerit Jeſum eſſe verum & unigenitum Filium Dei, ejuſdem cum æterno Patre ſubſtantiæ, eique in omnibus æqualem, non ſimplicem hominem e numero ceterorum, ſed hominem Deum; in Deo manet, & Deus in eo, & mutuo amicitiæ vinculo ſunt conjuncti.

* 16. *Et nos cognovimus & credidimus caritati, quam habet Deus in nobis.* Et nos compertam habuimus propria veluti experientia, & fide cognovimus caritatem illam immenſam, quam Deus erga nos habet, qua Filium ſuum propter nos homines, & propter noſtram ſalutem, miſit in mundum, & morti tradidit, ut peccata noſtra deleret, noſque ab æterna morte eriperet. *Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo.* Deus eſt ipſa caritas, & qui caritate fraterna Deum imitatur, intimo ſocietatis & amicitiæ vinculo Deo conjungitur, & in eo manet; viciſſimque in illo Deus, ut amans in amato conquieſcit, ſibique complacet.

17. *In hoc perfecta eſt caritas Dei nobiſcum, ut habeamus fiduciam in die judicii: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo.* * Hoc argumentum eſt ac teſtimonium perfectionis caritatis noſtræ erga Deum, ſi tales ſimus in hoc mundo, qualis Chriſtus fuit dum in illo verſaretur, proximos ex animo diligentes propter Deum, & pro illorum ſalute mori parati, ſi opus eſſet: ut cum fiducia ante tribunal ipſius ſtemus in die judicii.

* Trajectionem ſetentiarum hic agnoſcunt Viri Eruditi, cum Oecumenio.

18. *Timor non eſt in caritate: ſed perfecta caritas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet, qui autem timet, non eſt perfectus in caritate.* Timor divini judicii, quem conſcientia peccatorum gignit, cum caritate non cohæret: perfecta caritas timorem ſervilem ac initialem excludit, cujus pœna objectum eſt: Qui vero pœnæ timore ducitur nondum perfectam caritatem aſſecutus eſt.

19. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos.* Nihil æquius quam ut Deum redamemus toto corde, totiſque viribus, qui nos amore ſuo beneficentiſſimo prævenit.

20. Si



20. *Si quis dixerit: Quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuum quem videt, Deum, quem non videt, quomodo poteſt diligere?* Si quis dixerit ſe diligere Deum, & fratrem ſuum odio habeat, falſum loquitur, ſeque ipſum decipit, quia dilectio Dei amorem proximi complectitur. Nam ſi proximum ſuum, quem oculis corporis videt, non diligit; quomodo Deum quem hoc modo non intuetur, & qui ab hominum ſenſibus remotiſſimus eſt, diliget? Proximus enim quia nobis magis viſibilis eſt, primo nobis occurrit diligendus. „ Ex his enim quæ animus novit, diſcit & incognita amare. Unde ſi quis proximum non diligit, argui poteſt quod Deum non diligat, non quod proximus amabilior ſit, ſed quod prius amandus occurrat. Deus autem amabilior eſt propter infinitam bonitatem.

*S. Thomas Secunda Secundæ. Art. 1. ad 1.*

21. *Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.* Et hoc mandatum accepimus a Deo, ut ipſum inprimis, deinde proximum propter illum diligamus. Deum autem non diligere convincitur, qui mandatum ejus violare non veretur. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea* (inquit) *ille eſt qui diligit me.*

*Joann. 14. 15.*

---

## CAPUT IV.

### *Senſus Moralis.*

1. 2. 3. CHariſſimi, *nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt: Quoniam multi Pſeudo-prophetæ exierunt in mundum.* Probare vellem, ait S. Auguſtinus, ſi errare non poſſem. „ Certe niſi probavero ſpiritus qui ex Deo ſunt, incurram neceſſe eſt in ſpiritus qui ex Deo non ſunt, & ex hoc ſeducar a Pſeudo-prophetis. Quid agam? Quomodo obſervem? O ſi Sanctus Joannes quomodo nobis dixit, *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt*; dicere dignaretur, quomodo probentur ſpiritus qui ex Deo ſunt! Examinandum diligenter qualis doctrina ſit quam novi magiſtri diſſeminant, an cum regula fidei, cum ſacris litteris, cum Apoſtolicis Traditionibus, cum moribus & definitionibus Eccleſiæ conſentiat. Si enim in doctrinis, quas a Deo revelatas jactant, aliquid reperitur quod his aliquo modo adverſetur, tamquam errores, mendacia, illuſiones rejiciendæ ſunt. Deus enim veritas eſt, & ſibi ipſi contrarius eſſe non poteſt. *Principium verborum tuorum veritas*: & Spiritus ejus eſt *Spiritus veritatis*. „ A facie nemo videt quis habeat Spiritum ſanctum, quis habeat ſpiritum immundum. Venit Montanus dicens, Spiritum ſanctum habeo. Venit Manes dicens, Spiritum ſanctum habeo. Ne igitur plures ſeducerentur, dixit Chriſtus Dominus: *Cum venerit Paracletus Spiritus veritatis, qui a Patre procedit, ille docebit vos omnem veritatem*. „ Si quem igitur audieritis dicentem, Spiritum Dei habeo, & non loquentem Evangelica, ſed propria, is a ſe ipſo loquitur, & non eſt Spiritus ſanctus in ipſo. Qui diſcernendi ſpiritus & doctrinas, lumen, vim, aut donum non habent, Doctores, Paſtores, Epiſcopos conſulant, illiſque dirigentibus probent ſpiritus ſi ex Deo ſint. Sine examine enim novas doctrinas recipere in materia fidei vel morum, aut vitæ ſpiritualis, levitas eſt periculoſa. *Qui cito credit, levis eſt corde*. De ſacrarum Scripturarum ſenſu, & quæſtionibus fidei proprio ſpiritu judicare velle, præſumptio damnanda. *Væ Prophetis inſipientibus, qui ſequuntur ſpiritum ſuum, & nihil vident*. Privatum ſpiritum pro Spiritu Dei accipere ac venditare, illuſio diabolica, omniumque errorum, & hæreſum origo. *Nolite audire verba Prophetarum, qui prophetant vobis & decipiunt vos, viſionem cordis ſui loquuntur, non de ore Domini*. Probandi ſpiritus, quia *multi Pſeudoprophetæ exierunt in mundum*. Quicumque Fidei Chriſtianæ dogmata, aut ſanam Morum doctrinam adulterant & corrumpunt, ut Pſeudo-prophetæ ſunt habendi. Veniunt in veſtimentis ovium, intrinſecus autem ſunt lupi rapaces: ex fructibus ſuis cognoſcuntur. Quiſquis fidei veritatem, vel Eccleſiæ unitatem dividit; quiſquis arctam Evangelii viam dilatat; quiſquis Moralem Chriſtianam opinionibus & affectibus hominum, ſeculique moribus accommodat; quiſquis Scriptura ſacra, Traditione Apoſtolica, Decretis Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ contemptis, alienas doctrinas obtrudit, & magiſteria humanæ inſtitutionis inducit; quiſquis populo Dei aquas furtivas & panes abſconditos novorum dogmatum offert veluti dulciores, ille regnum Antichriſti promovet. Quantum enim error & peccatum propagantur, tantum Antichriſti regnum dilatatur & firmatur. *Omnis*

*S. Auguſt. Serm. 182. alias 30. De verbis Apoſt.*

Probatio & diſcretio Spirituum & Doctrinarum.

*S. Chryſoſt. Hom. de Spiritu ſancto.*

*Eccli.* 19. 4.

*Ezech.* 13. 7.

*Jerem.* 23. 16.



*ſpiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus; de quo audiſtis quoniam venit, & nunc jam in mundo eſt. Qui* vero *confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt*. Confeſſionem adventus Domini in carne, non lingua ſolum, ſed operibus, ſanctus Apoſtolus intelligi voluit, ſicut S. Paulus eodem Spiritu afflatus ait: *Semper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus veſtris*. „ Qui igitur operantem in ſe habet Jeſum, & mundo mortuus eſt, & Chriſto vivit, & hunc circumfert non in ſola Chriſti carne, verum etiam in ſua, hic ex Deo eſt. Quiſquis autem non Chriſto, ſed mundo vivit, hoc eſt mundi voluptatibus, talis non eſt ex Deo.

1. *Cor.* 4.

*Oecumenius in hunc locum.*

4. *Vos ex Deo eſtis, filioli, & viciſtis eum, quoniam melior eſt qui in vobis eſt, quam qui in mundo.* Gratia Chriſti Salvatoris, & fides viva, per quam Chriſtus habitat in cordibus noſtris, fortior eſt mundo, diabolo, & peccato. Ne de viribus noſtris præſumamus; ſed in Deo, qui fortitudo noſtra & refugium noſtrum eſt, confidamus, vigilemus, ejuſque auxilium humili, fervente, & aſſidua oratione poſtulemus. Cum audis, Viciſti, noli extolli, Dominum agnoſce rectorem, & omnis boni in te auctorem. Contemne te, cum laudaris. Ille in te laudetur, qui per te operatur. Abs te habes male agere, a Deo bene agere. Iſta confeſſio firmat cor, & facit dilectionis fundamentum. Caveamus ne victoriæ fructum amittamus, nobis & non Deo gloriam ejus tribuentes. Parati ſemper ſimus ad reſiſtendum hoſti, qui, quamdiu in hoc mundo vivimus, non penitus eliditur, ſed pugnam ſæpe redintegrat; & cum maleſana ſecuritate torpemus, nos facilius vincit, faciendo ut ſuperbiamus de ſuperbia victa. Se fortem non exiſtimet Anima, niſi quatenus Dilecto ſuo innixa eſt, qui pro ipſa & in ipſa pugnat & vincit.

Non ex nobis, ſed per gratiam Dei victores mundi, peccati, & diaboli ſumus.

*S. Aug. Tract.* 7. & 8.

5. *Ipſi de mundo ſunt: ideo de mundo loquuntur, & mundus eos audit.* De mundo ſunt, qui mundum diligunt, ejuſque errores & mores ſectantur; qui ea magnifaciunt, quæ mundus æſtimat, ea ſpernunt quæ mundus ſpernit, ea damnant quæ mundus damnat; loquuntur ut mundus, agunt ut mundus; ideo mundus cum delectatione & applauſu illos audit, quia ejus cupiditatibus & vitiis favent. Bonus Chriſtianus de mundo non eſt, quamvis in mundo vivere cogatur. *Nihil appetere jam, nihil deſiderare de ſæculo poteſt, qui ſæculo major eſt. Poſtquam Auctorem ſuum cœlum intuens anima cognovit, ſolo altior, & hac omni terrena poteſtate ſublimior, id eſſe incipit, quod ſe eſſe credit.*

Bonus Chriſtianus de mundo non eſt.

*S. Cyprian. Epiſt.* 1.

6. *Nos ex Deo ſumus. Qui novit Deum, audit nos: qui non eſt ex Deo, non audit nos, in hoc cognoſcimus Spiritum veritatis, & ſpiritum erroris.* Apoſtolos ex Deo eſſe demonſtrat miſſionis auctoritas miraculis probata, veritas doctrinæ Propheticis oraculis, & totius mundi fide confirmata, caritas diſcipulorum ex operibus manifeſta. Omnis qui illos audit, & eorum Succeſſores in Eccleſia Catholica, Apoſtolica, Romana ortas de Fide & Morali Chriſtiana controverſias finientes, Chriſtum audit, & ex Deo eſt: qui illos obedienter non audit, ſed ſpernit, Chriſtum ſpernit, & ex Deo non eſt. „ Qui vos audit (*ait Chriſtus*) me audit & qui vos ſpernit, me ſpernit. Qui autem me ſpernit, ſpernit eum qui miſit me. „ *Hoc diſcernendi ſpiritum veritatis a Spiritu erroris criterium*. Maximæ & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos, indicantes, confundimus omnes qui quoquo modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam, propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt undique Fideles, in qua ſemper ab his, qui ſunt undique, conſervata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis traditio. „ *Et*, Beatus Petrus qui in propria Sede vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem.

Criterium quo ſpiritus veritatis & ſpiritus erroris diſcernuntur.

*Luc.* 10. S. *Irenæus lib. 3. cap. 3.*

*S. Petrus Chryſoſt. Epiſt. ad Eutychen, inter Epiſt. S. Leonis.*

7. 8. *Chariſſimi, diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo. Et omnis qui diligit, ex Deo natus eſt; & cognoſcit Deum. Qui non diligit, non novit Deum, quoniam Deus caritas eſt.* Nihil majus & excellentius caritate, quæ a Deo eſt ut a principio, & ab ipſo Spiritu ſancto in cordibus noſtris accenditur. Nihil potentius caritate, quæ nos filios Dei adoptivos facit, & regni ejus cum Filio ipſius unigenito coheredes. Nihil luminoſius & amabilius caritate, quæ veram, actuoſam, ſalutarem Dei notitiam nobis tribuit. Cur dicitur. *Diligamus invicem, quia caritas*

Deum ſalutari notitia non cognoſcit, qui non diligit.



ex

*S. Aug. l. De Gratia & Libero arbitrio cap. 18.*

*ex Deo eſt*, niſi quia *præcepto admonitum eſt liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum? Quod quidem ſine ullo ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi prius acciperet aliquid dilectionis, ut ad ſibi quæreret, unde quod jubebatur impleret. Cum dicitur*, Diligamus invicem, *lex eſt. Cum dicitur*, quia dilectio ex Deo eſt, *gratia eſt*. Sola caritas nos filios Dei facit, per quam Pater nos conſociat Filio dilectionis ſuæ. Omnes qui non diligunt Deum, alieni ſunt, Antichriſti ſunt. Habere Baptiſmum & malus poteſt: „ habere prophetiam & malus poteſt: accipere Sa„ cramentum Corporis & Sanguinis Domini & malus „ poteſt: Chriſtianus vocari & malus poteſt: habere „ autem caritatem & malus eſſe non poteſt. Hoc eſt proprium donum filiorum Dei. Iis qui illud non habent, Chriſtus in die noviſſimo dicet: *Numquam novi vos: diſcedite a me, qui operamini iniquitatem*. Illos pro ſuis non agnoſcet, ſed a ſocietate filiorum Dei, & regni ſui hæreditate excludet, quia eum non noverunt, ut par erat, quia non dilexerunt. Cum enim Deus ſit ipſa caritas, Deum non novit, qui a caritate alienus eſt. *Qui non diligit, non novit Deum*. Ea de cognitione loquitur Apoſtolus, de qua ipſe Chriſtus: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, cognoſcet de Doctrina mea*. Et alibi: *Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non videt eum nec ſcit eum. Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit*. Mundus in quo non eſt caritas, quia regnat in eo cupiditas, Deum neſcit. *Animalis homo*, ait Paulus Apoſtolus, *non percipit ea quæ ſunt Spiritus Dei, & non poteſt intelligere*. De illa notitia loquitur dilectus Chriſti Diſcipulus, de qua iterum ipſe Chriſtus: *Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*. Quo modo *cum Deus docet, non per legis litteram, ſed per Spiritus gratiam; ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantum cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat*.

*S. Aug. Tract. 7. in hanc Ep.*

*Matth. 7. 23.*

*Joan. 7. 17.*

*Joan. 14. 17.*

*1. Cor. 2. 14.*

*Joan. 6. 45.*

*S. Aug. l. De Gratia Chriſti, c. 14.*

Nullum evidentius eſt argumentum immenſæ caritatis Dei in homines, Incarnatione Filii ejus unigeniti.

9. 10. 11. *In hoc apparuit caritas Dei in nobis, quoniam Filium ſuum unigenitum miſit Deus in mundum, ut vivamus per eum*. Nullum evidentius eſt immenſæ caritatis Dei erga homines argumentum Incarnatione Filii ejus Domini noſtri Jeſu Chriſti. Infinitam Dei magnitudinem, extremamque hominis in peccatum lapſi corruptionem & miſeriam comprehendere ſi poſſemus, mente poſſemus aſſequi quantus fuerit Dei in nos amor, qui ſic dilexit mundum, ut Filium ſuum unigenitum pro noſtra reparatione & ſalute in mundum mitteret, ac per illum nos filios ſuos faceret, utque per eum, & vita illius viverem, Filium ſuum dedit nobis Deus, & cum illo nobis omnia donavit. Ingrati ſumus, ſi nos ipſos totos, & in omne tempus, Deo pro tanto beneficio non retribuamus. Nos dilexit prior, immeritos, cum ejus inimici eſſemus. Illum ſaltem toto corde, totiſque viribus redamemus, nec unquam ab ejus amore deficiamus. *In hoc eſt caritas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos*. Exinanivit ſemetipſum Filius Dei pro nobis; humiliemus nos ipſos in conſpectu Majeſtatis ejus, ut Myſterium Incarnationis ejus honoremus, ejuſque fructum percipiamus. Deſinat eſſe homo ſuperbus, pro quo humilis factus eſt Deus. Miſit Deus Filium ſuum ut pro nobis in cruce moreretur, & peccata noſtra ſanguine ſuo expiaret ac deleret. *Propitiationem pro peccatis noſtris*. Nos ipſos ut victimam Deo offeramus ac devoveamus cum Chriſto Jeſu, cordis contriti ſacrificio, & ſenſuum carniſque mortificatione. Exemplum caritatis nobis dedit Deus: divino illi exemplari nos conformemus diligendo proximos, etiam immeritos, etiam inimicos, illis ſubveniendo, illorum ſalutem pro viribus promovendo. *Si hoc Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere*. Imitatores ejus eſſe debemus, quem colimus. Verus autem Dei cultus in illius & proximi amore conſiſtit. *Non colitur niſi amando*. Sanguinem pro nobis dedit, jure ſanguinem a nobis repetere poteſt. In omnium pauperum univerſitate mendicans panem petit, ſanguinem non petit. Ejus amore indignus eſt, qui proximis indigentibus non ſuccurrit.

*S. Auguſt.*

Oculus cordis caritate purgandus, ut Deus videri poſſit.

12. *Deum nemo vidit unquam. Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & caritas ejus in nobis perfecta eſt*. Per caritatem ad Deum accedimus, & ad ejus viſionem præparamur ac perducimur. Non oculo, ſed corde quærendus eſt. „ Sed quemad„ modum ſi ſolem iſtum videre vellemus, oculum „ corporis purgaremus, quo videri lux poteſt: vo„ lentes videre Deum, cordis oculos purgemus, qui„ bus Deus videri poteſt. *Beati mundo corde, quo„ niam ipſi Deum videbunt*. Caritate Deus in ſe ipſo poſſidetur, & in proximo invenitur. Nemo noſſe poteſt Deum in ſe manere, niſi noverit ſe proximum propter Deum, ut ſeipſum diligere. Unde autem habetur illa notitia? Ex operibus ſinceræ & perfectæ caritatis. Tunc eſt perfecta caritas, cum non dominatur cupiditas, cum Deus rebus omnibus præponitur, & ex ejus amore proximo in neceſſitatibus ſubvenitur. „ Nemo vero deſidioſum ſibi fingat „ caritatem, & quadam, non dico, manſuetudine, „ ſed remiſſione & negligentia ſervari. Non eſt iſta „ caritas, ſed languor. Ferveat caritas ad corri„ gendum, ad emendandum: boni mores delectent „ mali emendentur, corrigantur. Noli in homine „ amare errorem, ſed hominem. Ama quod Deus „ fecit, non quod ipſe homo fecit. In ſpecie co„ lumbæ venit Spiritus ſanctus, per quem caritas „ infunditur. Fel columba non habet: tamen roſtro „ & pennis pro nido pugnat, ſine amaritudine ſæ„ vit. Hoc facit & pater, quando filium caſtigat, „ ad diſciplinam caſtigat. Tales eſtote ad omnes. „ Caritas ſævit quodam modo ſine felle, more co„ lumbino, non corvino. Si nos ita geramus, cognoſcemus Deum in nobis manere, quia Spiritum ſuum dedit nobis. Ibi Spiritus ſanctus eſt, ubi operatur, ubi dilectionem legis Dei diffundit, ubi fructus Chriſtianarum omnium virtutum & bonorum operum parit. *In hoc cognoſcimus quoniam in eo manemus, & ipſe in nobis: quoniam de Spiritu ſuo dedit nobis*. „ Officia caritatis pro tempore exhibean„ tur, caritas intus non intermittatur: ſpem & guſtum ſpiritualium bonorum ſemper nobis tribuat: ab amore carnalium & temporalium bonorum nos magis ac magis abſtrahat.

*Matth. 5. 8.*

Caritatis fervor.

*S. Auguſtinus Tract. 7. in hanc Epiſtol. num. 11.*

Caritas ſine amaritudine ſævit.

16. *Deus caritas eſt, & qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo*. Admirabile commercium dilectionis! Viciſſim in ſe habitant, qui continet, & qui continetur. Habitas in Deo, ſed ut continea„ ris: habitat in te Deus, ſed ut te contineat, ne „ cadas. Ne forte ſic te putes domum Dei fieri, „ quomodo domus tua portat carnem tuam. Si ſub„ trahat ſe domus in qua habitas, cadis: ſi autem te „ ſubtrahas, non cadit Deus. Integer eſt cum eum „ deſeris, integer cum ad illum redieris. Tu ſanaris, „ non illi aliquid præſtabis: tu mundaris, tu reficeris, tu corrigeris. Ille medicamentum eſt non ſano, „ regula eſt pravo, lux tenebroſo, habitatio eſt de„ ſerto. Omnia ergo tibi conferuntur. Nihil Deo conferre potes. Opera & obſequio ſervorum noſtrorum indigemus, Deo obſequiis noſtris non indiget. *Dixi Domino, Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges*. „ Ille eſt verus Dominus, qui „ nihil a nobis quærit, & væ nobis, ſi eum non „ quæramus. Nihil a nobis quærit, & quæſivit nos, „ cum eum non quæreremus. Ovis una erraverat, „ invenit eam, gaudens in humeris ſuis reportavit. „ Numquid ovis erat Paſtori neceſſaria, & non po„ tius Paſtor ovi neceſſarius?

Juſtus per caritatem in Deo manet, & Deus in eo, diverſimode.

*S. Auguſtin. Tract. 8. in hanc Epiſtol. num. 14.*

*Pſalm. 15. 2.*

17. *In hoc perfecta eſt caritas Dei nobiſcum, ut fiduciam habeamus in die judicii: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo*. Caritas de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta, fiduciam in Deum parit. Quo quiſque magis in caritate proficit, eo majorem concipit fiduciam in die judicii. „ Cœ„ pit aliquis credere diem judicii; ſi cœpit credere, „ cœpit & timere. Sed quia timet adhuc, nondum „ habet fiduciam in die judicii, nondum eſt illo per„ fecta caritas. Numquid tamen deſperandum eſt? „ In quo vides initium, cur deſperas finem? *Initium „ ſapientiæ timor Domini*. Cœpit timere diem judicii; „ timendo corrigat ſe; vigilet adverſus hoſtes ſuos, „ id eſt, adverſus peccata ſua; incipiat reviviſcere „ interius, & mortificare membra ſua quæ ſunt ſu„ per terram, id eſt, avaritiam, immunditiam, &c. „ Quantum autem mortificat membra ſua terreſtria, „ tantum ſurgunt & corroborantur membra cœleſtia, „ ſcilicet omnia opera bona. Surgentibus cœleſtibus „ membris, incipit deſiderare quod timebat. Metue„ bat enim ne veniret Chriſtus, & inveniret impium „ quem damnaret: deſiderat ut veniat, qui inven„ turus eſt pium, quem coronet. Jam cum cœperit „ deſiderare venientem Chriſtum caſta anima, quæ „ deſiderat amplexus Sponſi, renuntiat adultero, fit „ virgo interius ipſa fide, ſpe, & caritate. Habet „ jam fiduciam in die judicii: non contra ſe pugnat „ quando orat & dicit, *Adveniat regnum tuum*. Qui „ enim timet ne veniat regnum Dei, timet ne exau„ diatur. Qui autem orat cum fiducia caritatis, optat „ ut veniat. De iſto deſiderio ait Propheta, *Et tu Domine uſquequo? Convertere, Domine, & eripe animam meam*. „ Sunt enim homines qui cum pa„ tientia moriuntur; ſunt autem quidam perfecti qui „ cum patientia vivunt. Qui adhuc deſiderat iſtam „ vitam, quando illi venerit dies mortis, patienter „ tolerat mortem: luctatur adverſum ſe, ut ſe„ quatur voluntatem Dei; & hoc potius agit animo „ quod elegit Deus, non quod elegit voluntas hu„ mana;

Perfecta caritas parit fiduciam in die judicii.

*S. Auguſtin. Tract. 9. in hanc Epiſtol. num. 2. & 3.*

*Eccli. 1. 16.*

*Coloſſ. 3. 3.*

*Matth. 6. 10.*

*Pſalm. 6. 4.*



„ mana; & ex deſiderio vitæ præſentis fit lucta cum „ morte; & adhibet patientiam & fortitudinem, ut „ æquo animo moriatur; iſte patienter moritur. Qui autem deſiderat, ut Apoſtolus, *Diſſolvi & eſſe cum Chriſto*, non patienter moritur, ſed patienter vivit, delectabiliter moritur. „ Demus igitur operam ut „ deſideremus diem judicii. Ille autem eum deſide„ rat, qui fiduciam habet in illo, cujus nempe con„ ſcientia non trepidat in caritate perfecta atque ſin„ cera. Quænam porro cauſſa fiduciæ? Dei ſimilitudo, Chriſti Jeſu imitatio, inimicorum dilectio. *Diligite inimicos veſtros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri qui in cœlis eſt*. „ Si ergo ad hanc perfectio„ nem nos invitat Deus, ut diligamus inimicos no„ ſtros ſicut & ipſe dilexit ſuos, ea nobis fiducia eſt „ in die judicii, *Quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in „ hoc mundo*: quia ſicut ille diligit inimicos ſuos, „ faciendo ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos, „ & pluendo ſuper juſtos & injuſtos; ita nos quia „ inimicis noſtris non poſſumus præſtare ſolem & „ pluviam, præſtemus lacrymas cum pro illis ora„ mus. Qui Chriſti ſimilitudinem in ſe agnoſcit per imitationem ſanctitatis, humilitatis, patientiæ, & caritatis ejus, merito confidit in ejus judicio ſe mercedem ab eo promiſſam in cœlis recepturum. Non enim apparebit ille vacuus coram Domino, ſed ejus opera erunt plena, cujus cor plenum eſt caritate. In quo autem non eſt ſincera caritas, quid eſt niſi cupiditas, & vanitas?

*Philipp. 1. 13.*

*Matth. 5. 46.*

Timor ſervilis non eſt ex caritate.

18. *Timor non eſt in charitate: ſed perfecta charitas foras mittit timorem: quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non eſt perfectus in caritate*. Timor ſervilis non eſt ex caritate, ſed ex amore ſui, ex cupiditate, quatenus ſervilis eſt. Timor initialis eſt ex caritate inchoata, timor caſtus & filialis ex caritate perfecta. Incipiat timor, quia *Initium ſapientiæ timor Domini*. „ Timor quaſi locum præparat cari„ tati: cum autem cœperit caritas habitare, pelli„ tur timor qui ei præparavit locum. Quantum enim „ illa creſcit, ille decreſcit: & quantum illa fit in„ terior, timor pellitur foras. Major caritas, minor „ timor: minor caritas, major timor. Si autem nul„ lus timor, non eſt qua intret caritas. Sicut vi„ demus per ſetam introduci linum, quando aliquid „ ſuitur, ſeta prius intrat, ſed niſi exeat, non ſuc„ cedit linum: ſic timor primo occupat mentem, „ non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit „ ut introduceret caritatem. *Qui ſine timore eſt, non „ poterit juſtificari*. Opus eſt ergo ut intret timor „ primo, per quem veniat caritas. Timor medica„ mentum; caritas, ſanitas. *Qui autem timet, non „ eſt perfectus in caritate*. Quare? *Quoniam timor „ pœnam habet*, quomodo ſectio Medici tormentum „ habet. Ceterum *Timor Domini caſtus permanet in „ ſæculum ſæculi*. Aliud eſt timere Deum ne mittat „ te in gehennam cum diabolo: aliud eſt timere „ Deum ne recedat a te. Primus nondum eſt caſtus, „ nondum enim venit ex amore Dei, ſed ex timore „ pœnæ; cum autem times Deum ne deſerat te „ præſentia ejus; amplecteris eum, ipſo frui deſi„ deras. Cogita duas mulieres, unam adulteram, „ aliam caſtam. Illa timet maritum, ſed quia adhuc „ amat nequitiam, huic non grata, ſed oneroſa eſt „ mariti præſentia; timet maritum ne veniat. Tales „ ſunt qui timent diem judicii. Altera timet virum „ ne deſerat, ne diſcedat. Pone hoc in animo Chri„ ſtiano, & invenis timorem quem foras mittit ca„ ritas, & alium timorem caſtum permanentem in „ ſæculum ſæculi. O anima, quæ ſic times Deum „ ne damnet te Deus, quomodo timet mulier, quam „ delectat nequitia, ne damnetur a viro: quomodo „ tibi diſplicet illa mulier, diſplice & tu tibi. Si „ habes aut habere vis uxorem, caſtam eam vis, „ ut te diligat, non ut te timeat. Exhibe te talem „ Deo. Poteſt mulier fallere virum: tu Deum fallere non potes. Te nunc convenio, o Anima ſancta, Dominum timens timore caſto in ſæculum ſæculi permanente. Secura expectas adventum ejus, paululum exſpecta, cito veniet. Sed tardum eſt amanti. Audi ſimilem tibi ſuſpirantem & dicentem, *Pſallam & intelligam in via immaculata, quando venies ad me?* In via immaculata merito non timebis, quia *Perfecta caritas foras mittit timorem*.

Timor ſervilis non eſt ex caritate. Timor caſtus eſt ex caritate, & cum ea permanet.

S. *Aug. Tract. 9. in hanc Ep. n. 4. 5. & 6.*

*Eccli. 1. 28.*

*Pſal. 18. 10.*

*Pſal. 100. 2.*

19. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos*. Amor Dei ſemper præveniens eſt, ſemper beneficus & efficax. Prior dilexit nos. Nam unde diligeremus, niſi nos prior dilexiſſet? „ Diligendo „ amici facti ſumus: ſed inimicos ille dilexit, ut „ amici efficeremur. Prior dilexit nos, & donavit „ nobis ut diligeremus eum. Animas adhuc peccatis „ fœdas amavit, ſuæque pulchritudinis amorem „ illis infundendo pulchras effecit. Qualis amor eſt, „ qui reddit pulchram amantem? Amavit nos prior „ qui ſemper eſt pulcher, *Specioſus forma præ filiis „ hominum*: & quales amavit, niſi fœdos & defor„ mes? Non ideo tamen ut fœdos dimitteret; ſed „ ut mutaret, & ex deformibus pulchros faceret. „ Quomodo erimus pulchri? Amando eum qui ſem„ per eſt pulcher. Quantum in te creſcit amor, „ tantum creſcit pulchritudo: quia ipſa caritas eſt „ animæ pulchritudo. Amans curre, currens ama. „ Pulcher es: ſed noli tibi in te placere, noli in „ te gloriari, ne perdas quod accepiſti. Ad illum „ omnes affectus tuos converte, a quo factus es pul„ cher. Ideo ſis pulcher, ut ille te amet. Totam „ intentionem tuam ad illum dirige, ejus amplexus „ pete, ab illo time diſcedere, qui prior te dilexit, „ & cum peccator eſſes, mortuus eſt pro te, juſtus „ pro injuſto, pulcher pro fœdo.

Amor Dei ſemper præveniens, ſemper beneficus & efficax.

S. *Aug. n. 9.*

20. 21. *Si quis dixerit, Quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt, &c.* Nemo poteſt diligere fratrem, niſi diligat caritatem: Deus autem caritas eſt. Præterea, ille dedit nobis mandatum ut diligamus invicem. „ Quomodo diligis eum, cujus odiſti præceptum? „ Quis eſt qui dicat, Diligo Im„ peratorem, ſed odi leges ejus? Lex Imperatoris „ noſtri quæ eſt? *Mandatum novum do vobis ut di„ ligatis invicem*. Dicis te diligere Chriſtum: ſerva „ mandatum ejus, & fratrem dilige. Si fratrem non „ diligis, quomodo eum diligis, cujus mandatum con„ temnis? Lex eſt inviolabilis caritatis ut bonum, quod accepiſti a Deo, ex parte proximo tuo reddas; & quod tibi malum proximus intulit, ipſi propter Deum ignoſcas. *Diligite inimicos veſtros, orate pro perſequentibus vos, benefacite his qui oderunt vos, ut ſitis filii Patris veſtri cœleſtis*. Dilectionem inimicorum a dilectione Dei disjungere fruſtra nititur amor proprius, cum utramque conjunxerit Legiſlator & Dominus noſter Jeſus Chriſtus. *Et hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*.

Qui proximum odit, Deum non diligit.

S. *Aug. n. 10.*

---

## C A P U T V.

### *Senſus Litteralis.*

1. *OMnis qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus eſt ex eo*. Quiſquis fide viva & obediente credit Jeſum eſſe Chriſtum in Lege & Prophetis promiſſum, & a Patribus exſpectatum, ex Deo natus eſt per regenerationem ex Spiritu ſancto, ac proinde filius Dei adoptivus eſt. Omnis enim qui Patrem diligit, conſequenter diligit & filium, ſive naturalem, ſive adoptivum.

2. 3. *In hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata ejus faciamus*. Per hoc cognoſcimus nos vera caritate diligere filios Dei adoptivos, fratres noſtros, cum Deum efficaciter diligimus, ejuſque mandata ſervamus. Dilectio enim Dei ratio eſt & cauſa obſervationis mandatorum. *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, ille eſt qui diligit me* (ait Chriſtus Dominus.) *Hæc eſt enim caritas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus*. In hoc dilectio Dei conſiſtit; ſive, hoc effectu, ſignoque certiſſimo manifeſtatur. *Et mandata ejus gravia non ſunt*: * Quin immo levia. Tantum abeſt ut ſint impoſſibilia juſtis volentibus, conantibus, ſecundum præſentes quas habent vires, & ut deſit illis gratia qua poſſibilia fiant: Quæ Janſeniana hæreſis eſt a ſummis Pontificibus Innocentio X. Alexandro VII. Clemente IX. Innocentio XII. & Clemente XI. univerſaque Eccleſia merito damnata. *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*, ait Chriſtus Dominus. *Si quis* ergo *dixerit, Dei præcepta homini etiam juſtificato, & ſub gratia conſtituto eſſe ad obſervandum impoſſibilia, anathema ſit. Nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis*.

*Joan. 11.*

* Janſeniana hæreſis de mandatorum Dei impoſſibilitate refellitur.

*Matth. 11.*

*Concil. Trid. Seſſ. 6. Can. 18. & cap. 11.*

*Concil. Arauſic. 2. Can. 23.*

4. 5. *Quoniam omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum: & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra*. Omnes enim, cujuſcumque ſexus, gentis, & conditionis ſint, qui ex Deo per Spiritum ſanctum ejus renati ſunt, quatenus ut filii Dei operantur, & Spiritu ejus aguntur, vincunt mundum, ac omnem ejus malignitatem & corruptelam. Et hæc victoria, qua mundo & concupiſcentiis in eo dominantibus ſuperiores & potentiores evadimus, per fidem noſtram obtinetur. *Qui eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Jeſus eſt filius Dei?* Quis enimvero mundi victor eſt, niſi qui credens Jeſum eſſe Filium Dei, per eum ut Mediatorem ac Salvatorem accedit ad Patrem, impetraturus

rus gratiam & fortitudinem qua omnes mundi blandientis vel terrentis tentationes ſuperet?

6. *Hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem, Jeſus Chriſtus: non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Et Spiritus eſt qui teſtificatur quoniam Chriſtus eſt veritas.* † Hic eſt Jeſus Chriſtus, qui venit cum aqua & ſanguine, non cum aqua ſola, ut Joannes ejus Præcurſor aqua baptizans. Venit (inquam) ad homines Deo reconciliandos per ſanguinem ſuum, & regenerandos per Baptiſmum aquæ a ſe inſtitutum. Et Spiritus ſanctus eſt qui teſtificatur Chriſtum eſſe Veritatem, tum in ejus Baptiſmo ſuper ipſum, tum die Pentecoſtes ſuper ejus Diſcipulos deſcendens, tum varia chariſmata fidelibus naſcentis Eccleſiæ diſtribuens. De quo Spiritus ſancti teſtimonio ipſe Chriſtus prædixit: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me.* Et S. Petrus: *Deus Patrum noſtrorum ſuſcitavit Jeſum, quem vos interimiſtis ſuſpendentes in ligno. Hunc Principem & Salvatorem Deus exaltavit dextera ſua ad dandam Pœnitentiam Iſraeli, & remiſſionem peccatorum. Et nos ſumus teſtes horum verborum, & Spiritus ſanctus, quem dedit Deus omnibus obedientibus ſibi.*

† Secundum Textum Græcum: *Et Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Spiritus eſt veritas*, adeoque nec fallere poteſt nec falli.

*Act. 5. 32.*

7. *Quoniam tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, * Pater, Verbum, † & Spiritus ſanctus: * & hi tres unum ſunt.* Tres ſunt teſtes in cœlo quod Jeſus ſit Chriſtus, verus Deus, Deique Filius, noſterque Mediator & Salvator; Pater in ejus Baptiſmo, in Transfiguratione glorioſa, & quando vox de cœlo venit inſtar tonitrui, *Et clarificavi, & iterum clarificabo:* Verbum incarnatum, id eſt, ipſe Filius Dei unigenitus, doctrina & miraculis in iſtius veritatis confirmationem ab illo editis: & Spiritus ſanctus ſuper Jeſum baptizatum deſcendens in ſpecie columbæ, & ſuper Apoſtolos & Diſcipulos, & Chriſti Doctrinam inſpirans, perſuadens, confirmans, tum unctione & lumine interiore, tum variorum effuſione ac diſtributione chariſmatum. Et hi tres unum ſunt unitate Naturæ ſeu Eſſentiæ Divinæ, quæ voluntatis & teſtimonii conſenſionem infert.

* *Matt. 3. ult. & cap. 17. 18. & Joan. 12. 28.* † *Joan. 5. 17. & 36. cap. 8. 12. & 25. cap. 10. 24. & 37. cap. 11. 44. c. 13. 17. cap. 14. 29. Joan. 18. 37. & cap. 19. 7.* * *Matt. 3. 16. Joan. 1. 32. 33. 34. Act. 2. & 8. 16. & 17.*

Hic Verſus omiſſus quidem eſt Scribarum oſcitantia in pleriſque Mſſ. antiquis Græcis & in Verſionibus etiam Orientalibus deeſt. Verumtamen Canonicum eſſe ac divinum, Joanniſque Apoſtoli genuinum, probat Eccleſiæ Græcæ Latinæque conſenſus. Nam & Græci in Lectionario ſuo, quod inſcribitur, Ἀπόστολος, & Vulgatæ Verſionis Latinæ ſinceriores Codices illum habent. Illum agnoverunt Auctores Editionis Complutenſis Mſſ. optimis freti. Illum habebant novem Codices ex iis quos legit & contulit Robertus Stephanus, plures etiam ex iis quos diſcuſſit Laurentius Valla; Codex Britannicus venerandæ antiquitatis, ex quo illum Eraſmus in ſua Editione reſtituit. Prologus antiquus Codici Regio Bibliorum Caroli Calvi præfixus, quæ in Bibliotheca Regia ſervantur, & S. Hieronymo a viris quibuſdam eruditis, ſed parum Criticis perperam tributus, hunc Verſum vindicat. In multis Codicibus Miſſ. Regiis, Colbertinis, & S. Germani a Pratis, in quibus Verſus iſte ſeptimus deeſt, legitur additus ad marginem æque antiqua manu. Hunc quidem in ſuis Codicibus non habuerunt S. Auguſtinus & alii quidam Patres, qui illum contra Arianos nuſquam protulere: ſed integros hac in parte illorum Codices non fuiſſe certo conſtat ex Sancto Cypriano hunc locum proferente lib. *De Unitate Eccleſiæ* Cap. 4. *De Patre* (inquit) *Filio, & Spiritu ſancto ſcriptum eſt: Hi tres unum ſunt.* Quem locum etiam indicat Epiſtol. *Ad Jubajanum* de hæreticis baptizandis. Eumdem locum profert S. Fulgentius lib. Reſponſionum contra Arianos: *In Patre ergo & Filio & Spiritu ſancto* (inquit) *unitatem ſubſtantiæ accipimus, Perſonas confundere non audemus. Beatus enim Joannes Apoſtolus teſtatur dicens: Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi Tres unum ſunt. Quod etiam Beatiſſimus Martyr Cyprianus in Epiſtola de Unitate Eccleſiæ confitetur dicens: De Patre & Filio & Spiritu ſancto ſcriptum eſt, Et tres unum ſunt.* Hunc Verſum pariter profert Victor Vitenſis lib. 3. De Perſecutione Eccleſiæ Africanæ a Wandalis, ſeu Catholici omnes Africæ Epiſcopi in Profeſſione Fidei Hunnerico Regi Wandalorum oblata. Beza Calvini ſectator, hunc Verſum retinendum cenſuit ut Joannis Apoſtoli genuinum. Joannes Oxonienſis S. Cypriani cum Notis editor, illum vindicat. Soli fere Sociniani addititium eſſe contendunt.

Verſus ſeptimus hujus capitis vindicatur contra Richardum Simon audacioris Criticæ virum, *Hiſtor. Crit. Textus Novi Teſtam. cap.* 18. & Joannem Clericum in Animadverſionibus in Novum Teſtam. & ad Adnotationes Hammondi.

8. *Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, & aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt.* Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, Chriſtum eſſe verum hominem, ſicut eſt verus Deus, ſcilicet ſpiritus quem emiſit in cruce moriens, id eſt anima, quæ a corpore morientis ſeparata eſt, de qua ſcriptum eſt: *Et inclinato capite tradidit ſpiritum:* de qua & ipſe dixit magnam voce clamans: *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum:* aqua, & ſanguis, quæ de latere Chriſti recens mortui manarunt, ut idem Joannes Apoſtolus in Evangelio ſuo refert oculatus teſtis: & hi tres in unum teſtimonium conſpirant. Hunc ſenſum Textus Græcus exprimit: ϗ οἱ τρεῖς εἰς ὃ ἓν εἰσιν. *Et hi tres ad unum ſunt.* Facundus Hermianenſis Spiritu ſignificare Patrem, aſſerit, de quo ſcriptum eſt, *Spiritus eſt Deus*; Sanguine Filium, qui communicavit carni & ſanguini; aqua Spiritu ſanctum, de quo ait Chriſtus, *Qui in me credit, ſicut dixit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dicebat de Spiritu quem accepturi erant credentes in eum*, (ait S. Evangeliſta.) Et hanc interpretationem S. Cypriano tribuit Facundus. Verum de S. Cipriani ſenſu magis S. Fulgentio credi par eſt, quam Facundo. Præterea S. Joannes, qui in Evangelio ſuo tam accurate obſervavit Chriſtum aquæ nomine ſignificaſſe Spiritum ſanctum in eo quem mox indicavimus loco, non poſuiſſet aquam pro Spiritu ſancto ſine explicatione metaphoricæ locutionis, quæ infrequens eſt, nec intelligentiæ obvia. Denique Verſ. 6. Ubi ait, *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem Jeſus Chriſtus*, aquæ & ſanguinis nomine veram aquam & verum ſanguinem, non Spiritum ſanctum & Filium intellexit. Cur ergo lectoribus nihil tale cogitantibus Filium nomine ſanguinis, Spiritum Sanctum aquæ nomine ſignificaſſet Verſu 8.? Id certe præter omnem veri ſpeciem eſt. Miror Simonium hoc Facundi commentum amplexum fuiſſe, ut Verſum VII. quo Perſonarum Divinarum in una eſſentia Trinitas contra Socinianos tam luculenter probatur, in Canonicam S. Joannis Epiſtolam intruſum eſſe oſtendat. Qui conatus ipſi infeliciter ceſſit, cum illi eam ob rem ſoli Sociniani applaudant. Non diffiteor Spiritus, aquæ, & ſanguinis ſubſtantiis, velut ſacramentis, id eſt ſignis Myſticis, Patrem, Chriſtum, & Spiritum ſanctum ſignificatos intelligi potuiſſe: Sed myſticum iſtius loci ſenſum, qui multiplex afferri poteſt, impræſentiarum non quærimus, ſed litteralem. Myſticum quidem illum, quem poſtea Facundus quaſi litteralem amplexus eſt, Sanctus Auguſtinus laudat, ſed litteralem ſupponit, quem protulimus. „ Tria itaque novimus (*inquit*) de corpore Domini exiſſe, cum penderet in ligno, primo ſpiritum, unde ſcriptum eſt, *Et inclinato capite tradidit ſpiritum:* deinde quando latus ejus lancea perforatum eſt, ſanguinem & aquam: quæ tria ſi per ſe ipſa intueamur, diverſas habeant ſingula quæque ſubſtantias, ac per hoc non ſunt unum. Si vero ea quæ his ſignificata ſunt, volumus inquirere, non abſurde occurrit ipſa Trinitas, qui unus, ſolus, verus, ſummus eſt Deus, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, de quibus veriſſime dici potuit, Tres ſunt teſtes, & Tres unum ſunt: ut nomine Spiritus ſignificatum accipiamus Deum Patrem, nomine ſanguinis Filium, & nomine aquæ Spiritum ſanctum....... Hi ſunt Tres teſtes, & Tres unum ſunt, quia unius ſubſtantiæ ſunt. Quod autem ſigna, quibus ſignificati ſunt, de corpore Domini exierunt, figuraverunt Eccleſiam prædicantem Trinitatis unam eamdemque naturam: Quoniam hi Tres qui trino modo ſignificati ſunt, unum ſunt; Eccleſia vero eos prædicans, corpus eſt Chriſti .... Si quo autem alio modo tanti ſacramenti iſta profunditas, quæ in Epiſtola Joannis legitur, exponi & intelligi poteſt ſecundum Catholicam fidem, quæ nec confundit, nec ſeparat Trinitatem, nec abnuit Tres Perſonas, nec diverſas, credit eſſe ſubſtantias, nulla ratione reſpuendum eſt. Quod enim ad exercendas mentes fidelium in Scripturis-ſanctis obſcure ponitur, gratulandum eſt ſi multis modis, non tamen inſipienter exponitur. Sanctus Auguſtinus, & quidam alii Patres Verſum 7. in ſuis Codicibus non habuerunt; ſed Codices, quibus ſunt uſi, hac parte integros non fuiſſe, & Verſum illum librariorum incuria & hallucinatione omiſſum, vel Arianorum malitia & fraude eraſum, deinde errorem in alios Codices propagatum, certiſſimum eſt.

*Joann. 19.*

*Luc. 2. 3.* Vide Innocentii tertii Decretalem, *In quadam, Ext. De Celebrat. Miſſar.*

*Facundus Hermian. lib. 1. pro Defens. trium Capitul. cap. 5.*

*S. Aug. lib. 2. Contra Maximin. Arian.*

9. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt: quoniam hoc eſt teſtimonium Dei, quod majus eſt, quoniam teſtificatus eſt de Filio ſuo.* Si hominum teſtimonia, qui fallere poſſunt & falli, in rebus humanis recipimus & probamus, multo magis Dei teſtimonio acquieſcendum eſt, quod hominum teſtimonio longe præſtantius, dignius, & firmius eſt, cum Deus ſit prima & ſumma Veritas. Deus autem ipſe eſt. Pater æternus, qui magnum illud teſtimonium de Filii ſui Jeſu Chriſti Divinitate dedit.

Confer



Confer cum verbis Chriſti, Joann. 5. 36. 37. *Ego autem habeo teſtimonium majus Joanne. Opera enim, quæ dedit mihi Pater ut perficiam ea: ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me: & qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me.*

10. *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe. Qui non credit Filio, * mendacem facit eum: quia non credit in teſtimonium quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.* Qui credit Jeſum eſſe Filium Dei, amore voluntatis ad aſſenſum hujus veritatis impulſus, teſtimonium Dei Patris in animum ſuum obedienter admittit. Qui non credit Jeſum eſſe verum & naturalem Dei Filium, Deum arguit mendacii, quantum in ſe eſt, quia non credit teſtimonio, quod Deus de Filio ſuo incarnato perhibuit.

* Secundum Textum Græcum: *Qui non credit Deo.*

11. 12. *Et hoc eſt teſtimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus. Et hæc vita in Filio ejus eſt.* Ad divinum illud teſtimonium id etiam pertinet, quod vitam æternam dedit nobis Deus jam in ſpe inchoatam, in re vero conſummandam in futuro ſæculo. Et hæc vita in Filio ejus eſt ut in auctore, & per ejus meritum, quatenus Mediator noſter eſt, obtinetur. *Qui habet Filium, habet vitam: Qui non habet Filium, vitam non habet.* Qui Filium Dei vera fide per dilectionem operante complectitur, jus habet ad vitam æternam. Qui vero fidem vivam non habet in Chriſtum Jeſum ut Dei Filium, & Dei hominumque Mediatorem, a vita gratiæ penitus deſtitutus eſt, nullumque jus habet ad vitam æternam. Confer cum ſancti Joannis Baptiſtæ verbis ab Apoſtolo noſtro & Evangeliſta relatis: *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: Qui autem incredulus eſt Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

*Joann. 3. 36.*

13. * *Hæc ſcribo vobis, ut ſciatis quoniam vitam habetis æternam, qui creditis in nomine Filii Dei.* Hæc ad vos ſcripſi, ut ſciatis, vos, qui fidem habetis in Filium Dei Jeſum Chriſtum, cum caritate & obſervatione legis Evangelicæ conjunctam, jus ad vitam æternam habere, ipſamque jam in vobis inchoatam eſſe per fidem, ſpem, & caritatem.

* Secundum Græcum: *Hæc ſcripſi vobis, qui creditis in nomen Filii Dei: ut ſciatis quod vitam habemus æternam, & ut credatis in nomen Filii Dei*, id eſt, ut in ea fide perſeveretis.

14. 15. *Et hæc eſt fiducia, quam habemus ad eum: Quia quæcumque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos.* Hæc fides certiſſimam parit fiduciam, nos a Deo impetraturos quicquid ejus voluntati conſentaneum petierimus. *Et ſcimus quia audit nos quicquid petierimus: ſcimus quoniam habemus petitiones quas poſtulamus ab eo.* Certi porro ſumus Deum nobis conceſſurum quicquid ab eo recte petierimus noſtræ ſaluti conveniens, quia jam plurima quæ poſtulavimus, ab ejus divina bonitate conſecuti ſumus.

16. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis.* Si quis noverit fratrem ſuum, hominem quemlibet Chriſtianum, commiſiſſe peccatum, quod cum ſalutarium remediorum contemptu, cum obſtinatione, obduratione, impœnitentia non ſit conjunctum, oret pro illo, & dabit illi Deus remiſſionem peccati, & vitam gratiæ, ſi revera peccatum eſt non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, pro illius remiſſione non dico ut quivis oret, quaſi confidens ſe facile vitam hujuſmodi peccatori a Deo impetraturum. Non ſufficiunt ſcilicet ad hujuſmodi criminum remiſſionem vulgares orationes, ſed neceſſe eſt ut ſingularis eximiique meriti viri veniam pro iis flagitent; utque Eccleſia ſuis precibus veniam illis obtineat. At enim dilectus Chriſti Apoſtolus *Non ad Moyſen & Jeremiam loquebatur, ſed ad populum, qui ſuorum peccatorum alium precatorem deberet adhibere, cui ſatis eſt ſi pro levioribus delictis Deum precetur, graviorum veniam Juſtorum orationibus reſervandam putet. Nam quomodo Joannes diceret non orandum pro delicto graviore, qui legiſſet Moyſen rogaſſe & impetraſſe, ubi erat prævaricatio voluntaria: qui ſciret etiam Jeremiam rogaſſe?*

Hoc loco Novatiani abutebantur.

*S. Amb. lib. 1. De Pœnit. cap. 8.*

Peccatum ad mortem intellige, cujus remiſſionem reus ipſe ea qua par eſt humilitate numquam deprecatur. Pro eo autem fruſtra quis oraret ex vulgo bonorum Chriſtianorum, quia obduratio & impœnitentia peccatoris irritas reddit piorum preces pro illius converſione. Hinc S. Auguſtinus in exemplum peccati ad mortem, & peccati non ad mortem, profert peccatum Judæ, & S. Petri, & ita hanc S. „ Joannis ſententiam exponit: Iſta differentia peccatorum Judam tradentem a Petro negante diſtinguit: non quia Pœnitenti vel peccanti non ſit ignoſcendum, ne contra illam ſententiam Domini veniamus, qua præcipit ſemper ignoſcendum eſſe fratri petenti ut ſibi frater ignoſcat: ſed quia iſtius peccati tanta labes eſt, ut deprecandi humilitatem ſubire non poſſit, etiamſi peccatum ſuum mala conſcientia & agnoſcere & enuntiare cogatur. Cum enim dixiſſet Judas, Peccavi, quod tradidi rim Sanguinem Juſtum, facilius tamen deſperatione cucurrit ad laqueum, quam humilitate veniam deprecatus eſt. Quapropter multum intereſt quali Pœnitentiæ ignoſcat Deus. Multi enim multo citius ſe fatentur peccaſſe, atque ita ſibi ſuccenſent ut vehementer ſe peccaſſe nollent: ſed tamen animum ad humiliandum & obterendum cor, implorandamque veniam non deponunt: quam mentis affectionem propter peccati magnitudinem jam de damnatione illos habere credendum eſt. Et hoc eſt fortaſſe peccare in Spiritum ſanctum, id eſt per malitiam & invidiam, fraternam oppugnare caritatem poſt acceptam gratiam Spiritus ſancti, quod peccatum Dominus neque hic, neque in futuro ſæculo dimitti dicit.

*S. Aug. lib. 1. De Serm. Dom. in Monte, cap. 21.*

17. *Omnis iniquitas peccatum eſt: & eſt * peccatum ad mortem.* Omnis iniquitas ſeu injuria in Deum, factum ſcilicet, dictum vel cogitatum quo lex ejus violatur, peccatum eſt; eſt tamen quoddam peccati genus quod non eſt ad mortem, illud nempe quod ex infirmitate vel ignorantia, magis quam ex malitia committitur, neque cum impœnitentia ſive finali, ſive habituali conjunctum eſt. Unde S. Hieronymus ait: *Hoc ſolum eſt peccatum ad mortem, quod ad pœnitentiam non reſpicit.*

* Secundum Græcum: ϗ ἔστιν ἁμαρτία οὐ πρὸς θάνατον, *Et eſt peccatum non ad mortem.*

*S. Hieron. in cap. 14. Jerem.*

18. *Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat: ſed generatio Dei conſervat eum, & Malignus non tangit eum.* Certo novimus, eos qui per gratiam regenerationis, aut ſecundæ juſtificationis, ſunt filii adoptivi Dei, non peccare mortaliter, quandiu filii Dei manent. Sed gratia & caritas, quæ ſemina ſunt novæ vitæ, quam a Deo acceperunt, illos a gravibus peccatis puros conſervant: & diabolus illos ad gravia peccata non pertrahit niſi conſentientes, & in protectione Dei permanere nolentes. Hic itaque locus Calviniſtarum hæreſi nullatenus favet, aſſerentium quod quælibet crimina a filiis Dei committantur, illis imputari non poſſunt. Sane Textus Græcus, quem præ vulgata Verſione Latina ſequuntur, hoc loco habet: *Sed qui genitus eſt ex Deo, conſervat ſeipſum.* Quomodo autem in gravia peccata laberetur, qui conſervat ſe ipſum ab iis purum? Qui (inquam) cum auxilio gratiæ Dei, cui fideliter reſpondet, ſeipſum impollutum ſervat a graviorum peccatorum labe. Peccata illa ſi commiſerit homo ex Deo natus, nonne Dei filius eſſe deſinit? Nonne ipſi imputantur, ſecundum Apoſtoli noſtri divinam doctrinam? *Omnis qui non diligit, manet in morte* (inquit.) *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt, & ſcitis quia omnis homicida non habet vitam æternam in ſemetipſo manentem.*

*1. Joann. 3. 14. & 15.*

19. *Scimus quoniam ex Deo ſumus: & mundus totus in maligno poſitus eſt.* Scimus nos, qui ex fide per caritatem operante vivimus, ex Deo natos eſſe. Et omnes homines, qui Spiritu Dei non ſunt renovati, & ii qui concupiſcentiis in mundo regnantibus obediunt, & ſecundum pravos mundi mores converſantur, diaboli ſubditi ſunt imperio, cui ſponte ſe addixerunt.

20. *Et ſcimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna.* Et fidei lumine certiſſime novimus Filium Dei incarnatum eſſe, & veniſſe in mundum, ad peragendum noſtræ redemptionis opus, vita, morte, & reſurrectione ſua; & dediſſe nobis intelligentiam ut verum Deum cognoſcamus & colamus, & veri Filii ejus Jeſu Chriſti corpori myſtico inſeramur & conjungamur ut membra ejus. Hic Jeſus Chriſtus eſt verus Deus, ex Deo vero ab æterno genitus; Deus eſt, non participatione & adoptione, ſed ſubſtantiæ & naturæ unitate: & eſt Vita æterna, qua in ſeipſo vivit cum Patre & Spiritu ſancto, & quam electis ſuis promeruit ac largitur.

Chriſtus verus Deus.

21. *Filioli, cuſtodite vos a ſimulacris. Amen.* Chariſſimi filii, vos etiam atque etiam obteſtor, ut tantæ gratiæ memores, ab omni idololatriæ parte ac ſpecie, omnibuſque ethnicæ ſuperſtitionis reliquiis vobis caveatis. Ita fiat.

---

## CAPUT V.

### *Senſus Moralis.*

1. 2. *Omnis qui credit, quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt. Et omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus eſt ex eo.* „ Quis „ eſt qui non credit quod Jeſus ſit Chriſtus? Qui non ſic vivit, quomodo præcepit Chriſtus. Multi enim dicunt, Credo: ſed fides ſine operibus non ſalvat.

Fides ſine bonis operibus nihil prodeſt ad ſalutem.

*S. Auguſtin. Tract. 10. in hanc Epiſtol. num. 1.*

Opus

,, Opus autem fidei, dilectio eſt, dicente Paulo ,, Apoſtolo: *Fides quæ per dilectionem operatur*. ,, Opera quidem tua, antequam crederes, vel nulla ,, erant, vel ſi bona videbantur, inania erant. Si ,, nulla erant, eras ſi quaſi homo ſine pedibus, aut ,, vexatis pedibus ambulare non valens: ſi autem ,, bona videbantur antequam crederes, currebas qui- ,, dem, ſed præter viam currendo errabas potius, ,, quam perveniebas. Eſt ergo nobis & currendum, ,, & in via currendum. Qui præter viam currit, ,, inaniter currit, immo ad laborem currit. Quæ eſt ,, via per quam currimus? Chriſtus dixit, *Ego ſum* ,, *via*. Quæ patria quo currimus? Chriſtus dixit, ,, *Ego ſum veritas*. Per illum curris, ad illum cur-

*Joann. 14. 6.*

,, ris, in ipſo requieſcis. Sed ut curreremus per illum, ,, extendit ſe uſque ad nos: longe enim eramus, & ,, longe peregrinabamur: & languidi nos movere non ,, poteramus. Medicus venit ad ægrotos, via por- ,, recta eſt ad peregrinos. Salvemur ab ipſo, ambu- ,, lemus per ipſum. Hoc eſt credere quia Jeſus eſt ,, Chriſtus, quomodo credunt Chriſtiani, qui non ſolo ,, nomine Chriſtiani ſunt, ſed & factis & vita, non

** Jacobi 2. 19.*

,, quomodo credunt dæmones. Nam & * *Dæmones credunt, & contremiſcunt*. Ideo fidei dilectionem conjungit Apoſtolus noſter, *quia ſine dilectione fides inanis eſt*. *Cum dilectione fides Chriſtiani, ſine dilectione fides dæmonis*. ,, Qui credit in Chriſtum, & non di- ,, ligit, habet fidei confeſſionem in timore pœnæ, ,, non in amore coronæ: nam & dæmones puniri ti- ,, mebant. Adde huic fidei dilectionem, ut fiat fides ,, quæ per dilectionem operatur: inveniſti Chriſtia- ,, num, inveniſti civem Jeruſalem, inveniſti civem ,, Angelorum, inveniſti in via ſuſpirantem peregri- ,, num; adjunge te illi, curre cum illo, ſi tamen ,, & tu hoc es. *Omnis qui diligit eum qui genuit, diligit & eum qui natus eſt ex eo*, Qui diligit Deum Patrem, diligit & Filium; & qui diligit Filium Dei, diligit & ejus membra. *Et diligendo fit & ipſe membrum, & fit per dilectionem in compage corporis Chriſti: & erit unus Chriſtus amans ſe ipſum. Cum enim ſe invicem amant membra, corpus ſe amat* ..... *Si diligis Caput, diligis & membra: ſi membra non diligis, nec Caput diligis. Non expaveſcis vocem Capitis de*

*Act. 9. 4.*

*cœlo clamantem pro membris*, Saule, Saule, quid me perſequeris? *Perſecutorem ſuum vocavit perſecutorem membrorum ſuorum: dilectorem ſuum vocavit dilectorem membrorum ſuorum*. Qui Deum diligit,

*Joan. 13. 14.*

præcepta ejus diligit: Igitur proximos diligit. *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis*, ait Chriſtus Jeſus. Omnes Dei filios quaſi pretioſam auri maſſam in unum conflat ignis divinæ caritatis. *In hoc cognoſcimus quoniam diligimus natos Dei, cum Deum diligamus, & mandata ejus faciamus*.

Mandata Dei gravia non ſunt; tantum abeſt ut juſtis volentibus, & conantibus, ſint impoſſibilia.

3. *Hæc eſt enim caritas Dei, ut mandata ejus cuſtodiamus: & mandata ejus gravia non ſunt*. Dilectio Dei, operibus probatur & manifeſtatur. Si Deum diligimus, voluntati ejus noſtram conformamus, legem ejus diligimus, ejuſque mandata ex dilectione juſtitiæ obſervamus. Et mandata ejus gravia non ſunt, immo *Omnia facilia ſunt caritati, cui uni Chriſti ſarcina levis eſt*. Nam & ipſe ait; *Jugum meum ſuave eſt, & onus meum leve. Grave certe non eſt, quod diligendo fit, non timendo. Laborant autem in Dei præceptis, qui ea timendo conantur implere: ſed perfecta caritas foras mittit timorem, & facit præcepti ſarcinam, non ſolum non prementem onere ponderum, verum etiam ſublevantem vice pennarum*. Porro non aliam ob cauſam Scriptura commemorat non eſſe gravia divina præcepta, niſi ut anima quæ illa gravia ſentit, intelligat ſe nondum accepiſſe vires, quibus talia ſint qualia commendantur, lævia ſcilicet atque ſuavia, & *Oret gemitu voluntatis, ut impetret donum facilitatis*. Mandata Dei gravia non ſunt diligentibus. Quos labores non tolerant rerum temporalium amatores, ut optatis

*S. Aug. lib. De Natura & Gratia, c. 69. Et lib. De Perfectione Juſtitia, cap. 10.*

*S. Aug. Tract. 10. in hanc Epiſt.*

fruantur? Quid tibi jubet Deus? Dilige me. Aurum ,, magno cum labore quæſiturus es, & forte non ,, inventurus: quiſquis me quærit, cum illo ſum. ,, Amas honorem, forte non perventurus: quis me ,, amavit, & ad me non pervenit? Patronum tibi ,, vis facere; aut amicum potentem: ambis per alium ,, inferiorem: Me ama, dicit tibi Deus: non ad me ,, ambitur per aliquem: ipſe amor præſentem me tibi ,, facit.

Fides victrix mundi.

4. *Quoniam omne quod natum eſt ex Deo, vincit mundum; & hæc eſt victoria quæ vincit mundum, fides noſtra*. Chriſtianus qui novæ nativitatis ſuæ ſpiritu ducitur, qui novi cordis, novique amoris propenſionem ſequitur, ex mundo non eſt, ab ejus cupiditatibus liber, illum odit ut inimicum. Victor ejus eſt per fidem, quia cognoſcit bona quæ propter ſe ipſa diligenda ſunt, & mala quæ ſola timenda ſunt. Hæc eſt qua omnia tela diaboli ignea ex-

*S. Auguſt.*

tinguuntur. Hæc eſt *qua hic mundus cum omnibus ſuis erroribus, amoribus, & terroribus vincitur*. Fide Martyres de mundo triumpharunt. *Prælium eſt nobis*, inquit Tertullianus, *quod provocamur ad tribunalia, ut illic ſub diſcrimine capitis pro veritate certemus. Victoria eſt autem, pro quo certaveris, obtinere. Ea victoria habet & gloriam placendi Deo, & prædam vivendi in æternum. Vincimus cum occidimur. Licet nunc ſarmentitios & ſemaxios appelletis, quia ad ſtipitem dimidii axis revincti ſarmentorum ambitu exurimur. Hic eſt habitus victoriæ noſtræ, hæc palmata veſtis, tali curru triumphamus: merito itaque victis non placemus*.

*Tertullian. Apolog. cap. 48.*

5. *Quis eſt qui vincit mundum, niſi qui credit quoniam Jeſus eſt Filius Dei?* Mundum vincere non poſſumus, niſi per fidem & gratiam Jeſu Chriſti. Hunc vere Filium Dei credimus, ſi omnem noſtram fiduciam in illo collocamus, ſi mandatis ejus obſequimur, ſi ad ejus gratiam confugimus, nihil nos boni ſalutaris ſine illo, totum cum illo & per illum poſſe perſuaſi. ,, Sic non credit mundus Jeſum eſſe ,, Filium Dei. Putaſne (inquit S. Bernardus) Filium ,, Dei reputat Jeſum, quiſquis ille eſt homo, qui ,, ipſius nec terretur comminationibus, nec attrahi- ,, tur promiſſionibus, nec præceptis obtemperat, ,, nec conſiliis acquieſcit? Nonne is etiamſi fateatur ,, ſe noſſe Deum, factis tamen negat? Porro fides ſi- ,, ne operibus mortua eſt in ſemetipſa. Nec ſane ,, mirum videri poteſt, ſi nequaquam vincit, qui ne ,, vivit quidem.

*S. Bernard. Serm. 1. in Octava Paſchæ.*

*Jacobi 2.*

6. *Hic eſt qui venit per aquam & ſanguinem, Jeſus Chriſtus: non in aqua ſolum, ſed in aqua & ſanguine. Et Spiritus eſt qui teſtificatur quoniam Chriſtus eſt veritas*. Joannes Baptiſta venit in aqua ſolum baptizans, ut de Chriſto teſtimonium perhiberet. Jeſum Chriſtum demonſtravit, qui non aqua ſolum baptizaret, ſed ſanguine ſuo vim cœleſtem baptiſmo abſtergendi peccata, & ſanctificandi animas tribueret: Agnum Dei indicavit, Catholicam Patris victimam, cujus ſanguis in ara crucis effuſus nos redimit, nos in Baptiſmo & Pœnitentia purificat, nos in Euchariſtia paſcit. Has fidei veritates teſtimonio divinorum chariſmatum, operationum ſuarum, ac miraculorum ab Eccleſiæ exordio ad hæc uſque tempora Spiritus ſanctus confirmavit, Chriſtumque Veritatem eſſe perſuaſit iis, qui vocem ejus audiverunt. Qui Spiritui veritatis cor claudunt, ejuſque lumen reſpuunt, tradi merentur ſpiritui erroris & mendacii, quo Novatores omnes in doctrina Religionis afflantur. Sic Achab impium Regem, qui Michæam Prophetam Domini audire noluerat, & in carcerem conjecerat, Deus a falſis Prophetis decipi ad illius perditionem permiſit. ,, Ait Dominus, Quis decipiet Achab Regem Iſrael? .... ,, Egreſſus eſt autem ſpi- ,, ritus, & ſtetit coram Domino, & ait: Ego decipiam illum. Cui locutus eſt Dominus: In quo? Et ,, ille ait: Egrediar, & ero ſpiritus mendax in ore ,, omnium Prophetarum ejus. Et dixit Dominus: ,, Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita. Nunc ,, igitur (ait Michæas) Ecce dedit Dominus ſpiri- ,, tum mendacii in ore omnium Prophetarum tuo- ,, rum, qui hic ſunt, & Dominus locutus eſt contra ,, te malum.

Qui ſpiritui veritatis cor claudunt, ſpiritui erroris tradimerentur

*3. Reg. 22. 20. & ſeq.*

7. 8. *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo. Pater, Verbum, & Spiritus ſanctus, & hi tres unum ſunt. Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua & ſanguis; & hi tres unum ſunt*. Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, ſummæ ſuæ erga nos bonitatis teſtimonium nobis dederunt, Pater nos creando ad imaginem & ſimilitudinem ſuam; Filius nos redimendo; Spiritus ſanctus nos ſanctificando. Reddamus & nos teſtimonium Patri, Filio & Spiritui ſancto, fide, ſpe, caritate, de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta: cordis compunctione, lachrymarum aſſiduitate, carnalis concupiſcentiæ mortificatione. Hæc tria ſignificant *ſpiritus, aqua, & ſanguis*. Hoc plenæ victoriæ de mundo reportatæ teſtimonium eſt. Carnis quippe concupiſcentia ipſius mortificatione vincitur. Oculorum concupiſcentiam ſuperat ſtudium compunctionis & aſſiduitas lacrymarum. Ambitionis vanitatem virtus caritatis excludit, quæ ſola caſtificat animam, ſola purgat intentionem. *Certum triumphati mundi teſtimonium eſt, ſi corpus caſtiges, & ſubjicias ſervituti, ne pernicioſa libertate ſerviat voluptati: ſi fletui præbeas oculos magis quam petulantiæ vel curioſitati: ſi denique ſpirituali dilectione flagrans nulli animum dederis vanitati*. ,, Filius Dei Jeſus Chriſtus Sangui- ,, nem proprium dedit in redemptionem noſtram; ,, aquam de latere ſuo in ablutionem; Spiritum ſan- ,, ctum ſuum de cœlo miſit, qui adjuvaret infirmita- ,, tem noſtram. Vis ergo noſſe an hæc aliquid ope- ,, rentur in te, ne forte reus ſis Sanguinis Domini, ,, quem evacuas quantum in te eſt: ſed & aqua ipſa ,, quæ debuerat mundare, in ſordibus permanenti ,, judi-

Pater, Filius & Spiritus ſanctus ſummæ erga nos bonitatis ſuæ teſtimonium nobis dederunt: demus & nos ipſis teſtimonium.

*S. Bernard. Serm. 2. In Octava Paſcha.*



,, judicium damnationis accumulet: Spiritus quoque ,, cui reſiſtis, te arguat de peccato? Quis eſt qui ,, teſtimonium habet effuſi pro ſe non ſine cauſa ,, ſanguinis Chriſti, niſi qui continet a peccatis? ,, Servus enim peccati eſt, qui peccatum facit: ut ,, ſi deinceps continere potuerit, & jugum abjicere ,, miſerabilis ſervitutis, certiſſimum ſit teſtimonium ,, redemptionis, quam operatur ſine dubio ſanguinis ,, Chriſti. Verum non ſufficit peccatori continentia, ,, ſi non etiam adſit pœnitentia. Habet ergo & ab ,, aqua teſtimonium, qui laborat in gemitu ſuo la- ,, vans per ſingulas noctes lectum ſuum. Sicut enim ,, ſanguis ille redemit, ut non regnet peccatum in ,, noſtro mortali corpore, ſic aqua illa abluit ab his ,, peccatis, quæ commiſimus ante. Sed quid erit quod ,, longo catenarum uſu & carceris habitatione cru- ,, deli confracti ſumus, atque colliſi defecimus in via ,, vitæ? Invocemus Spiritum vivificatorem & ad- ,, jutorem, confidentes quia dabit Pater, qui eſt ,, in cœlis, Spiritum bonum petentibus ſe. Sane ,, novum ſuperveniſſe ſpiritum certiſſime converſatio ,, nova teſtatur.

10. 11. 12. *Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium Dei in ſe*. Nimiæ credulitatis accuſari non poteſt, qui Deum habet teſtem Myſteriorum & veritatum quas credit. ,, Quanta docilitate, obedientia, ,, grati animi ſenſu, quo amoris affectu teſtimonium ,, illud Dei recipere debemus! Qui ita credit in Fi- ,, lium Dei, ut exerceat operando quod credit; ha- ,, bet teſtimonium Dei in ſe. Ille vero teſtimonio Dei injuriam facit, qui non ita vivit ut credit. Hic fidem infructuoſam habet, ſeque indignum facit vita æterna, cujus radix eſt fides in Jeſum Chriſtum, per caritatem operans. Cum Filium ſuum dedit nobis Deus, nobis vitam æternam dedit, adhuc in terra peregrinantibus in ſpe, quam daturus eſt in cœlis, ad ſe pervenientibus, in re. Vitam gratiæ recipere poſt peccatum, reſurrectio eſt. Illam a Deo Patre recipere, privilegium adoptionis filiorum eſt. Hanc recipere in Filio ejus, membrorum ipſis gratia eſt. Illam recipere in æternum, beata ſors electorum eſt. *Et hoc eſt teſtimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus*. ,, *Et hæc vita in Filio ejus eſt*: In ,, fide ſcilicet & confeſſione nominis ejus, in perce- ,, ptione Sacramentorum ejus, in obſervatione man- ,, datorum ejus. *Nemo*, inquit, *venit ad Patrem niſi per me*.... *Neque nomen eſt aliud ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*, (ait S. Petrus.)

*Vener. Beda.*

Vis, & conditione Orationis.

14. 15. *Et hæc eſt fiducia quam habemus ad eum: quia quodcumque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos*. Juſtum ſecundum Dei voluntatem, quæ ſanctificatio noſtra eſt, ab eo petens neceſſaria vel utilia ad ſalutem ſuam, ſemper exauditur, ſi fide firma, cum pia fiducia, humiliter, & perſeveranter petat. *Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet eos*. Quæcumque ſalutaria ſunt, debito modo petentibus nunquam negantur, quamvis ut congruo dentur tempore, quandoque differantur. Orationes noſtras proculdubio exaudiet, qui orat in nobis, ſi oremus, & vivamus ut filii ejus, & quæ voluntati ejus conſentanea ſunt, poſtulemus. *Quærite primum regnum Dei* (inquit) *& juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis*. Illa igitur impetrandi plenam habeamus fiduciam, quæ non noſtris commodis, nec ſolatiis temporalibus, ſed Domini congruunt voluntati. Unde in Oratione Dominica orare nos docuit, *Fiat voluntas tua* non noſtra. *Quid enim oremus, ſicut oportet, neſcimus* (ait S. Paulus.) Saluti noſtræ contraria interdum poſtulamus: quamobrem nobis a Deo miſericorditer denegantur. Quandoque concedit iratus, quod negat propitius. Ad tribunal gratiæ ejus cum fiducia accedimus, ſi & ea quæ ipſe vult rogemus, & tales ipſi, quales nos eſſe deſiderat, ad orandum veniamus; fidem ſcilicet habentes, quæ per dilectionem operatur, & Evangelicum illud mandatum implentes: *Cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & Pater veſter qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra*.

*Pſal. 144. 19.*

*Vener. Beda.*

*Marci. 11.*

16. *Qui ſcit fratrem ſuum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Eſt peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis*. Eſt peccatum ad mortem in eodem peccato manentibus: eſt peccatum non ad mortem ab eo recedentibus. Peccatorum, quibus peccata ſua ex animo diſplicent, qui cum mala conſuetudine luctantur, qui peccandi occaſiones fugiunt, qui pœnitentiæ opera facere incipiunt, perfecta converſio facile impetratur. Illorum vero difficile obtinetur, qui peccati mortem amant, qui non ex infirmitate, aut tentatione improviſa, ſed ex cupiditate radicata, ex conſuetudine inveterata, ex malitia obfirmata peccant. Vix illis proſunt Eccleſiæ lachrymæ, qui lacrymas ipſi ſuas cum ſanctæ Matris fletibus non miſcent; qui pro ſeipſis cum fratribus non gemunt. De nemine tamen, quantumvis flagitioſo & obdurato deſperandum eſt; ſed pro omnibus orandum, ſecundum præceptum Domini, qui vult omnes ſalvos fieri. *Nec pro illis imprudenter oratur, de quibus non deſperatur*.

*Gelaſius Pontifex Max. De Anathemate.*

Quodnam peccatum ad mortem?

*S. Aug. lib. 1. Retract. c. 1.*

18. 19. *Scimus quia omnis qui natus eſt ex Deo, non peccat: ſed generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum*. Deus hominem ſemel juſtificatum non deſerit, niſi prius deſeratur ab eo. Sol juſtitiæ non facit a nobis occaſum, niſi prius ab eo ſecerimus caſum. Qui filii Dei ſunt, & Spiritu adoptionis animantur & agunt, nihil magis timent & cavent, quam Patri cœleſti diſplicere. Quicquid a Deo in regeneratione ſua per Chriſtum Jeſum acceperunt, illos Deo arctiſſime conjungit. Beneficiorum ſibi collatorum a Domino memores, importunæ concupiſcentiæ, & diabolicis tentationibus reſpondent: *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Innocentia baptiſmi conſervata, aut per ſinceram & conſtantem pœnitentiam reparata, terribilis eſt diabolo. Spiritus ſanctus animæ juſtæ zelator eam quaſi ſcutum inexpugnabile circumdat, & protegit, ne adverſus eam prævaleat inimicus. Non patitur illam tentari ſupra id quod poteſt; ſed ejus infirmitati ſubvenit, ut non deficiat, neque adverſitate aliqua vincatur. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem*. Deus nos elegit de mundo, ut nos filios ſuos faceret; a diaboli ſervitute nos eripuit: ne iterum nos in eam tradamus, ad mundum deficientes, ejuſque concupiſcentiis ſervientes. *Scimus, quoniam ex Deo ſumus: & mundus totus in Maligno poſitus eſt*. Ibi nequitiæ & corruptionis plurimum, ibi lubrica ſunt omnia, ibi periclitantur animæ, affliguntur corpora, ibi omnia vanitas.

Deus juſtos non deſerit, niſi prius ipſum deſerant.

*Geneſ. 39. 9.*

*Pſal. 117. 14.*

20. *Et ſcimus quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna*: Filium ſuum ducem, Præceptorem, Salvatorem, Mediatorem, Legiſlatorem Iſraelitis ac Gentibus dedit Deus. Hic in terris aſſumpta natura humana viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt, plenus gratiæ & veritatis, verique Dei cognitionem & amorem hominibus communicavit & inſpiravit. Hæc ſcientiæ ſalutis ſumma eſt, Deum verum, & Filium ejus Jeſum Chriſtum noſſe & diligere cum Spiritu ſancto. Hæc prima Chriſti gratia. ,, Qua agitur non ,, ſolum ut facienda noverimus, verum etiam ut co- ,, gnita faciamus; nec ſolum ut diligenda creda- ,, mus, verum etiam ut credita diligamus. Hæc ,, gratia ſi doctrina dicenda eſt, certe ſic dicatur, ,, ut altius & interius eam Deus cum ineffabili ſua- ,, vitate credatur infundere, non ſolum per eos qui ,, plantant & rigant extrinſecus, ſed etiam per ſe- ,, ipſum qui incrementum ſuum miniſtrat occultus, ,, ita ut non oſtendat tantummodo veritatem, ve- ,, rum etiam impertiat caritatem. Sic enim docet ,, Deus eos qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, ,, ſimul donans & quid agant ſcire, & quod ſciunt ,, agere. ,, Hi vero Dei Filio Chriſto Jeſu ſunt intime conjuncti, ut membra ejus, & filii Dei per ipſius gratiam adoptati, ejus vita vivunt, æternumque vivunt vita immortali & glorioſa, ſi in illo maneant, in ejuſque dilectione & mandatorum obſervatione fideliter ad finem uſque vitæ hujus mortalis perſeverent.

Scientiæ ſalutis ſumma.

*Aug. lib. De Gratia Chriſti, cap. 12. & 13.*

21. *Filioli, cuſtodite vos a ſimulacris. Amen*. Capitale crimen eſt, ſi qui veri Dei cognitione imbuti ſunt, ad idolorum cultum deficiant. Eliminata jam idololatria, ubicumque fundata & propagata Eccleſia eſt, non metuimus ne Chriſtiani ad idolorum ligneorum, & lapideorum cultum problabantur: ſed merito timemus ne carnalibus idolis adhæreant, ne ſerviant creaturis potius quam Creatori. Quicquid contra legem Dei amamus, idolum eſt quod colimus & adoramus. Avarus divitias, luxurioſus carnales voluptates, ambitioſus honores & inanem mundi gloriam: Magiſtri errorum contra Fidem, aut Chriſtianam Morum diſciplinam; ſeu partium & factionum contra obedientiam Superioribus Eccleſiaſticis, Epiſcopis, præſertimque Romano Pontifici debitam, ſigniferi aut ſectatores phantaſmata ſua, & amorem proprium inſtar Numinis adorant. Quiſquis lethaliter peccat, finem ſuum ultimum ac beatitudinem in creaturæ fruitione conſtituit, ſpiritualis idololatriæ reus eſt. Poſtquam Salvatoris noſtri gratia idola & templa falſorum numinum evertit, diabolus Dei æmulus nova idola in cordibus hominum fabricatur, qui illa colunt, non ſpiritu viliſſimi nidoris alicujus, ſed ſuo proprio; nec anima pecudis impenſa, ſed anima ſua; illis longe pretioſiorem victimam immolant, ſalutem ſuam.

Quicquid contra Dei legem amamus, idolum eſt quod colimus.

# IN EPISTOLAM II. S. JOANNIS APOSTOLI, COMMENTARIUS LITTERALIS ET MORALIS,

## PROLOGUS.

HAnc & ſequentem Epiſtolam Canonicas eſſe nuſquam in Eccleſia dubitatum eſt, quamvis quidam in dubium revocaverint utrum eſſent Joannis Apoſtoli, an alterius cognominis, Diſcipuli Domini, qui Joannes Senior ſit appellatus, & cujus etiam ſepulchrum Epheſi videbatur, ut refert S. Hieronymus *. Verum has ut Canonicas & S. Joannis Apoſtoli genuinas agnoſcunt S. Athanaſius, in Epiſtola Feſtali, & in Synopſi Scripturæ ſacræ, S. Cyrillus Hieroſolymitan. Catecheſi 4. Sanctus Gregorius Nazianz. Carmine 34. Concilium Laodicenum Canone 60. Concilium Carthaginenſe tertium, Canone 47. S. Hieronymus Epiſtola 85. *Ad Evagrium*, S. Auguſtinus libro ſecundo *De Doctrina Chriſtiana*, Innocentius I. Epiſtola tertia, & Concilium Tridentinum Seſſione quarta. Hæc Epiſtola ſcripta eſt ad nobilem ſanctamque mulierem, nomine *Electam* †, non ad Eccleſiam, ut quidam commenti ſunt. Scripta videtur Epheſi, ubi ſanctus Joannes poſt reditum ab exilio morabatur. Hoc autem Epiſtolæ argumentum eſt, Gratulatur Electæ & ejus filiis de fidei integritate & ſinceritate caritatis: & hortatur ut in iis perſeverent: Devitent autem ſummo ſtudio hæreticos, qui tunc temporis Jeſum Chriſtum non verum hominem, ſed phantaſma fuiſſe docebant, quo errore totum redemptionis noſtræ fundamentum ſubruitur.

*S. Hieron. in Catal. Script. Eccleſ. in Jo.

† An *Electa* ſit nomen proprium & perſonale, an gentilitium, ſeu familiæ, incertum. Cognomen fuiſſe veriſimile eſt, cum ejus ſoror *Electa* pariter vocaretur.

---

### CAPUT UNICUM.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. 3. SENIOR * *Electæ Dominæ, & natis ejus, quos ego diligo in veritate, & non ego ſolus, ſed & omnes qui cognoverunt veritatem, propter veritatem quæ permanet in nobis, & nobiſcum erit in æternum.* Presbyter jam ætate grandævus, Dominæ Electæ, & ejus liberis, quos ſincere diligo; nec ego ſolus, ſed & omnes qui Chriſtianæ fidei veritatem cognoverunt, amplexi ſunt & profitentur, una mecum diligunt propter eamdem veritatem, quæ conſtanter manet in nobis, nec ullis perſecutionum terroribus concutitur, & quæ in nobis (ut ſpero) in perpetuum permanebit: ſiquidem vita beata, quam nobis in fide & caritate perſeverantibus Deus promiſit, gaudium plenum eſt de veritate. *Sit vobiſcum gratia, miſericordia, pax a Deo Patre, & Chriſto Jeſu Filio Patris, in veritate & caritate.* Vobis adprecor gratiam, miſericordiam, & pacem cum præſentis vitæ, tum futuræ, a Deo Patre, & Jeſu Chriſto Filio ejus vero & dilecto; vel, Gratiam, Miſericordiam, & Pacem cum veritate fidei & ſinceritate caritatis conjunctas, Deus vobis largiatur.

* Græce, πρεσβυτερο Quod nomen eſt & dignitatis, & ætatis. Nomen ſuum non adſcribit S. Joannes ſolito more Presbyteri, ſeu Epiſcopi nomine notus erat: Nomen Presbyteri & Epiſcopi, communiter tunc uſurpabatur: *Nomen Senioris* apud Judæos honorificū: & cujuſque Provinciæ Primas in Eccleſia Africana *Senior* primis ſæculis appellari conſueverat.

4. 5. *Gaviſus ſum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, ſicut mandatum accepimus a Patre.* Gaviſus ſum gaudio ſpirituali, Deo bonorum omnium auctori gratias agens, quod aliquos ex filiis tuis invenerim in veritate Doctrinæ Chriſtianæ & via Mandatorum Dei progredientes & proficientes, ſicut nobis mandavit Deus Pater per Filium ſuum Jeſum Chriſtum. *Et nunc rogo te, Domina, non tamquam mandatum novum ſcribens tibi, ſed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum.* Et nunc etiam atque etiam obſecro te, Domina, ut mutuam & fraternam caritatem conſervemus; quod ad te ſcribo, non quaſi novum Mandatum imponens aut promulgans, ſed quod nobis ab initio datum eſt a Deo Patre, & per Jeſum Chriſtum renovatum & promulgatum.

6. 7. *Et hæc eſt caritas, ut ambulemus ſecundum mandata ejus. Hoc eſt enim mandatum, ut quemadmodum audiſtis ab initio, in eo ambuletis.* Hoc vero poſtulat a nobis caritas, ut mandata Dei accuratiſſime ſervemus. Hoc eſt Dei mandatum, ut fidei dogmata, & morum præcepta, in quibus ab initio prædicationis Evangelicæ apud vos, inſtituti eſtis, conſtantes retineatis, & ad ea vitam veſtram ac mores componatis. *Quoniam multi ſeductores * exierunt in mundum, qui non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem: hic eſt ſeductor & Antichriſtus.* Multi enim impoſtores orti ſunt in mundo, qui negant Jeſum Chriſtum veram carnem aſſumpſiſſe, & in ea cum hominibus converſatum, & pro nobis paſſum & mortuum fuiſſe. Quid id negat, ſeductor eſt, & Antichriſtus, ſeu famoſi illius Antichriſti, in fine ſæculorum venturi, præcurſor.

† Baſilides, ejuſque ſectatores,

8. *Videte voſmetipſos, ne perdatis * quæ operati eſtis: ſed ut mercedem plenam accipiatis.* † Cavere ne perdatis fructum bonorum operum quæ hucuſque feciſtis; ſed ſtudete & nitimini totis viribus ut in fide & pietate Chriſtiana perſeverantes, cœleſtem illam, plenam & copioſam mercedem, quam Deus electis ſuis promiſit, recipiatis.

* Meritum bonorum *operum ex hoc* loco confirmatur.

† Secundum Græcum, *Ne perdamus quæ operati ſumus.*

9. *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic & Patrem & Filium habet.* Omnis qui non permanet in doctrina quam Chriſtus tradidit, ſed recedit ab ea ille Deum non poſſidet, neque in hac vita per gratiam, neque in futura per gloriam. Qui vero conſtanter permanet in doctrina a Chriſto tradita, Patrem & Filium poſſidet, hic per gratiam adoptionis, in cœlo per gloriam æternæ beatitudinis, quæ Dei viſio, & fruitio eſt.

10. 11. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis.* Si quis venit ad vos, & doctrinam quam Chriſtus tradidit, & Apoſtoli annuntiarunt, averſatur, impugnat ac deſtruere nititur, eum in domum, communionem, ac familiaritatem veſtram ne recipiatis, nec ei ut fratri ſalutem dicatis. *Qui enim dicit illi, Ave, communicat operibus ejus malignis.* Qui enim illi ſalutem dicit, ſit conſors & conſcius malorum ejus operum, quibus Chriſti doctrinam evertere nititur. Quod hic verbis præcepit, exemplo confirmavit S. Joannes. Cum enim aliquando in balneum lavandi cauſa introiſſet, & Cerinthum intus eſſe didiciſſet, ſtatim ex eo loco fuga ſe proripuit, cum ne tectum quidem idem cum Cerintho ſubire ſuſtineret: hortatuſque eſt comites ſuos ut idem facerent. *Fugiamus*, inquit, *ne balneum corruat, in quo Cerinthus eſt veritatis inimicus.* Et S. Polycarpus ab Apoſtolis edoctus, Marcioni aliquando occurrenti ſibi & dicenti, *Cognoſcis nos?* reſpondit: *Cognoſco te primogenitum ſatanæ.* „ Tantum Apoſtoli & ipſorum diſcipuli habuerunt timorem ne verbo tenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverant veritatem, (ait S. Irenæus.)

*S. Iren. lib. 3. Adverſ. Hæreſes, cap. Euſebius l. 3. Hiſtor. c. 28.*

12. *Plura habens vobis ſcribere, nolui per chartam & atramentum: ſpero autem me futurum apud vos, & os ad os loqui, ut gaudium veſtrum plenum ſit.* Cum plura haberem ad vos ſcribenda, nolui ea chartæ committere, ſperans me brevi ad vos venturum, & viva voce de his vobiſcum collocuturum, ut gaudium veſtrum plenum ac perfectum ſit.

13. *Salutant te filii ſororis tuæ Electæ.* Filii ſororis tuæ Electæ tibi ſalutem in Chriſto exoptant & adpræcantur.

CA-



### CAPUT UNICUM.

*Senſus Moralis.*

1. 2. 3. 4. SEnior *Electæ Dominæ, & natis ejus, quos ego diligo in veritate, & non ego ſolus, ſed & omnes qui cognoverunt veritatem: propter veritatem quæ permanet in nobis, & nobiſcum erit in æternum.* Hic deſcriptos habemus ab Apoſtolo veræ amicitiæ caracteres. Primo ſincera eſt & ſine ſimulatione. Non ſola verborum honeſtate & urbanitate, ſed intimo caritatis affectu, & officiorum exhibitione conſtat. Nulla vera amicitia eſt niſi Chriſtiana. *Ille veraciter amat amicum, qui Deum amat in amico, aut quia eſt in illo, aut ut ſit in illo.* 2. Amicitia Chriſtiana eſt ſumma conſenſio, non in rebus tantum humanis, ſed maxime in divinis, in fide, pietate, & caritate. *Propter veritatem quæ permanet in nobis.* Inter quos enim amicos non eſt rerum conſenſio divinarum, nec humanarum plena poteſt eſſe ac vera. *Neceſſe eſt enim ut aliter quam oportet humana æſtimet, qui divina contemnit; nec hominem recte diligere noverit, quiſquis eum non diligit qui hominem fecit.* 3. Vera amicitia non temporalibus commodis, ſed gratuito amore veritatis & caritatis penſanda eſt. *Nemo enim poteſt veraciter amicus eſſe hominis, niſi fuerit ipſius primitus veritatis: quod ſi gratis non fiat, nullo fieri pacto poteſt.* Hæc amicitia Chriſtianos omnes toto orbe diffuſos connectit. *Non ego ſolus, ſed & omnes qui diligunt veritatem.* 4. Sola amicitia Chriſtiana conſtans eſt, perſeverans, æterna; non in bonis perituris, ſed in ipſa veritate & caritate, quæ Deus eſt, fundata. *Propter veritatem quæ permanet in nobis, & nobiſcum erit in æternum.* Igitur *Amicitia nuſquam niſi in Chriſto fidelis eſt, in quo ſolo eſſe etiam ſempiterna ac fœlix poteſt.*

Amicitiæ Chriſtianæ caracteres.

*S. Aug. Serm 336. alias De Tempore 256.*

*Idem Ep. 288. alias 155.*

*Idem Epiſt. 155. alias 52.*

*S. Aug. lib. 1. Ad Bonifacium contra duas. Ep. Pelagian. cap. 1.*

5. Vera & Chriſtiana amicitia bona ſpiritualia, cœleſtia, & æterna, non temporalia & terrena deſiderat amicis ſuis, niſi quatenus ad æternam ſalutem conducibilia eſſe poſſunt. Veritas caritatis, & caritas veritatis, theſaurus eſt Chriſtianorum. Gratia ſanctificans, gratia quotidiana, auxiliatrix & victrix vitiorum, gratia qua omnes infirmitates noſtræ ſanantur, qua animæ noſtræ miſeriis per Chriſtum Jeſum Salvatorem noſtrum ſubvenitur; magna illa & gratuita miſericordia, qua liberamur a peccato, qua ſeparamur a mundo perdito, qua eripimur a diaboli tyrannide, & tentationibus; Pax æterna in cœlis, ad quam Dei gratia & miſericordia per varia bella & pugnas carnis, mundi & diaboli nos perducit: cujus quidem pacis pignus eſt bonæ conſcientiæ tranquillitas & fiducia: hæc vera bona ſunt, quæ amicitia Chriſtiana adprecatur illis quos in Chriſto complectitur. *Sit vobiſcum gratia, miſericordia, pax a Deo Patre, & a Chriſto Jeſu Filio Patris, in veritate & caritate.* 6. Amicitia Chriſtiana de ſpirituali profectu, de fervore caritatis, de bono uſu donorum Dei magis quam de proſperitate temporali amicorum gaudet ac gratulatur. *Gaviſus ſum valde, quoniam inveni de filiis tuis ambulantes in veritate, ſicut mandatum accepimus a Patre.* Semper in virtute progredi ac proficere, Dei mandatum eſt. Qui in Chriſtiana pietate non proficit, ſenſim deficit. *Ferveamus in itineribus bonorum operum, hoc eſt enim ambulare noſtrum*, (ait S. Auguſtinus.)

*S. Aug. Enar. 4. in Pſal. 32. n. 10.*

5. 6. *Et nunc rogo te, Domina, non tamquam mandatum novum ſcribens tibi, ſed quod habuimus ab initio, ut diligamus alterutrum.* Ad deſtruendum regnum cupiditatis, ad propagandum regnum caritatis tendere debent omnes boni Paſtoris adhortationes. Sæpe repetitum mutuæ dilectionis præceptum nemini faſtidio eſſe poteſt, qui noverit caritatem Chriſtianæ legis eſſe fundamentum & plenitudinem. Præceptum Domini eſt, & ſi ſolum fiat, ſufficit. Hæc virtutum mater ceterarum, fons & radix bonorum operum & meritorum, ſumma Scripturarum, finis præceptorum. *Qui enim diligit proximum, legem implevit.* Dilectio nempe proximi propter Deum, ex dilectione Dei oritur. Ad dilectionem Dei omnia primæ tabulæ præcepta, ad dilectionem proximi præcepta ſecundæ tabulæ univerſa revocantur. Amor Dei nec mera cogitatio, nec ſenſibilis affectio, nec ſterile deſiderium, ſed conformitas voluntatis noſtræ voluntati Dei, legis ipſius dilectio, mandatorum illius ex hujuſmodi dilectione, non ex timore pœnæ obſervatio, & ſincera firmaque voluntas in hac obſervatione proficendi ac perſeverandi. *Et hæc eſt caritas, ut ambulemus ſecundum mandata ejus. Hoc eſt enim mandatum, ut quemadmodum audiſtis ab initio, in eo ambuletis.*

*Rom. 15. 8.*

7. *Quoniam multi ſeductores exierunt in mundum, qui non confitentur Jeſum Chriſtum veniſſe in carnem: hic eſt ſeductor & Antichriſtus.* Non illi tantum qui negant Jeſum Chriſtum veram carnem noſtræ conſubſtantialem aſſumpſiſſe, non ſolum omnes Hæretici, verum & omnes Moralis Evangelicæ corruptores, *Qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum:* Qui dicunt ambulantibus in pravitate cordis ſui, *Non veniet ſuper vos malum: Qui conſuunt pulvillos ſub omni cubito manus, & faciunt cervicalia ſub capite univerſæ ætatis ad capiendas animas*, ſeductores ſunt & Antichriſti. Qui anguſtam Evangelii viam dilatant, qui Moralem Chriſtianam mundi moribus accommodant, qui Chriſtum crucifixum non prædicant, ſed glorioſum dumtaxat, ſuis ipſi figmentis & pravis opinationibus ſeducuntur, alioſque ſeducunt. Quot, bone Deus, exierunt in mundum ſeductores & Antichriſti? Hos ſtudioſe fugiamus. *Nullus* enim *hic temeritati locus eſt, ſi aut perſona inanis, aut opinio falſa deceperit*, Seipſos denique ſeducunt, qui ſufficere ſibi putant ad ſalutem Evangelio credere, nec ſatagunt ſecundum Evangelium vivere; Quid illis prodeſt Chriſtum noſſe, quem ſequi & imitari nolunt? Quicumque Chriſto contrarius eſt, & contra quam præcepit, vivit, Antichriſtus eſt.

*Iſai. 5. 20.*

*Jerem. 23. 16. Ezech. 13. 18.*

*Lactantius l. 3. Inſtit. c. 23.*

8. 9. *Videte voſmetipſos, ne perdatis quæ operati eſtis: ſed ut mercedem plenam accipiatis.* Quanta Dei bonitas, qui vult noſtra eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona, & quæ in nobis & nobiſcum per gratiam ſuam operatur, æterna gloria remunerare dignatur! Attendamus nobis ipſis. Unico peccato mortali omnium bonorum operum meritum & fructus perditur. Quam ſtudioſi, quam vigiles, quam actuoſi ſunt homines ne bona temporalia perdant! Quam negligentes ac deſides in vitanda bonorum cœleſtium & æternorum jactura! Quam parum ſolliciti ne Deum amittant! Quæ propter mundum, aut propter nos ipſos operamur, non propter Deum, perdimus. Inanes ſunt labores ad Dei gloriam non relati. Plenam mercedem non accipient, niſi quorum plena fuerint opera. Vigilemus igitur, & ferventes in bonis operibus ſimus, ne nobis dicatur: *Scio opera tua, quia nomen habes quod vivas, & mortuus es . . . Non invenio opera tua plena coram Deo meo.* Qui in bonis operibus non perſeverat, a ſalute excidit, Deum ſuum, & omnia cum illo amittit. *Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet.* In doctrina Chriſti, non permanet, qui ſecundum ejus Evangelium ac mandata vitam non inſtituit ſuam. Ad Chriſtianæ enim Religionis eſſentiam æque pertinet morum integritas, ac ſpeculativorum dogmatum fides. *Non poteſt Evangelium in parte conſiſtere, & in parte nutare. Aut utrumque oportet valeat, aut utrumque vim veritatis amittat.*

Omnium bonorum operum fructus uno peccato mortali amittitur.

*Apoc. 3, 1. 2.*

*S. Cypr. De Lapſis.*

10. 11. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Hæreticorum & impiorum ſocietatem fugiendam ſuadent 1. fidelitas quam Deo debemus: 2. Salutis noſtræ cura: 3. Scandali metus. 4. Studium converſionis ipſorum. Si enim publicos hoſtes & majeſtatis reos averſari tenemur, multo magis Dei & Eccleſiæ profeſſos hoſtes. Si mortalis hujus vitæ conſervationi tanta ſollicitudine providemus, caventes & abſtinentes ab omnibus quæ officere poſſunt valetudini, & mortem afferre: quanto magis fugere debemus ſeductionis periculum, venena doctrinarum, contagionem impietatis, omniumque vitiorum? *Beatus vir qui non abiit in conſilio impiorum, & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit.* Infirmorum fratrum ſcandalum vitare tenemur: quem vero illorum non offendat familiaritas cum hæreticis & impiis hominibus inita? Tandem ſi vitari conſortium ſuum a fidelibus piiſque videant, ſalutari forte pudore ſuffuſi hæreſim ejurabunt, ſeu flagitioſos mores emendabunt. Errori aut crimini patrocinari cenſetur, qui cum hæreticis, aut impiis & flagitioſis hominibus ſocietatem & familiaritatem init. *Recedite a tabernaculis hominum impiorum* (ait Dominus) *& nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.*

Hæreticorum & impiorum ſocietas vitanda.

*Pſalm. 1.*

*Num. 16. 26.*



Cc 2 IN

# IN EPISTOLAM III. S. JOANNIS APOSTOLI, COMMENTARIUS LITTERALIS ET MORALIS,

## PROLOGUS.

HÆc Epiſtola inſcribitur Gaio ſeu Caio, quem alium fuiſſe a Caio Corinthio, cujus meminit S. Paulus, * & a Caio Derbenſi, cujus meminit S. Lucas in Actis Apoſtolorum †, veriſimile eſt, cum illi S. Pauli Diſcipuli fuerint, hic S. Joannis Apoſtoli: & incertum ſit an duo illi S. Pauli Diſcipuli vixerint eo tempore quo S. Joannes ex Inſula Pathmo redux Epheſi degebat, cunctas Aſiæ regens Eccleſias. Caium laudat ob fidei vitæque integritatem, illique gratulatur quod Chriſtianos peregrinos hoſpitio excipiat, & omnibus caritatis officiis proſequatur. Ad perſeverantiam in fide & miſericordiæ operibus illum hortatur, & ne moveatur pravo exemplo Diotrephis, hominis ambitioſi, maledici, & inhumani, qui Eccleſiæ illi forte præerat, in qua verſabatur ipſe Gaius; ſed potius Demetrii hominis ſincere Chriſtiani exemplo in bono confirmetur.

* *Rom.* 16. 32. 1. *Cor.* 1. 14. † *Act.* 10. 4.

### CAPUT UNICUM.

*Senſus Litteralis.*

1. 2. 3. S*Enior Gaio chariſſimo, quem ego diligo in veritate.* Epiſcopus ætate grandævus Gaio mihi amiciſſimo, quem ſincera caritate in Chriſto complector, ſalutem dico. *Chariſſime, de omnibus orationem facio proſpere te ingredi, & valere, ſicut proſpere agit anima tua.* Deum precor ut valeas, & omnia tibi proſpere cedant in rebus temporalibus; quemadmodum certus ſum omnia tibi proſpere cedere in his quæ ſtatum animæ tuæ ſpectant. *Gaviſus ſum valde venientibus fratribus, & teſtimonium perhibentibus veritati tuæ, ſicut in veritate ambulas.* Magno gaudio perfuſus ſum, cum fratres Chriſtiani ad nos venientes teſtimonium perhibuerunt ſinceræ pietati tuæ, ac vitæ quam ſecundum Evangelii veritatem inſtituis.

4. *Majorem horum non habeo gratiam * quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* Nuſquam enim majori gaudio afficior, quam cum audio meos in Chriſto filios in via Chriſtianæ perfectionis proficere, ſinceræque pietatis opera exercere.

* Secundum Græcum, *Majus his non habeo gaudium.* Sic habent & veteres Concordantiæ Bibliorum ab Hugone Cardinali & Fratribus Prædicatoribus ei collaborantibus contextæ, Latinum interpretem legiſſe, χάριν quod ſignificat *gratiam* pro χαρὰν id eſt, *gaudium*, veriſimile eſt. Biblia Complutenſia & Regia habent χαρὰν

5. 6. 7. *Cariſſime, fideliter facis quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, qui teſtimonium reddiderunt caritati tuæ in conſpectu Eccleſiæ, quos, benefaciens, dedecus digne Deo.* Rem facis viro fideli dignam, cum hoſpitalitatem, & alia miſericordiæ opera exerces in fratres Chriſtianos, præſertim in peregrinos. Hi caritatem tuam in publico Eccleſiæ cœtu collaudarunt. Quos ſi deduxeris, aut deduci curaveris ſubminiſtrato viatico, rem certe facies dignam Deo, & quæ magnam ab eo remunerationem tibi promerebitur. *Pro nomine enim ejus profecti ſunt, nihil accipientes a Gentibus* †. Pro nomine enim Jeſu Chriſti profecti ſunt in alias regiones, ſive ad prædicandum Evangelium, ſive propter fidem & confeſſionem ſancti nominis a civibus & contribulibus ſuis patria expulſi; & nihil accipientes a Gentibus, ut eorum offenſionem vitarent, & ne illis oneri eſſe viderentur. Vel: Omnibus facultatibus ſuis relictis, profecti ſunt a Gentilibus in exilium amandati, vel fugere compulſi.

† *Vener. Beda.*

6. *Nos ergo debemus ſuſcipere hujuſmodi, ut cooperatores ſimus veritatis.* Nos ergo Chriſtiani debemus hujuſmodi viros benigne ſuſcipere, omnique caritatis officio proſequi ac ſublevare, ut illorum cooperatores ſimus in promovenda Evangelii veritate.

9. 10. *Scripſiſſem forſitam * Eccleſiæ: ſed is, qui amat primatum gerere in eis, Diotrephes, non recipit nos.* Ad Eccleſiam veſtram ſcripſiſſem, fratres pro Chriſti nomine peregrinos & extorres communi caritati commendaturus: ſed fruſtra id me facturum intellexi: Qui enim apud vos Epiſcopatum gerit, ſeu invaſit, & ubique dominari amat ambitioſus Diotrephes, Apoſtolicam noſtram auctoritatem non reveretur, Epiſtolaſque noſtras non ſuſcipit, ſed contemnit. *Propter hoc, ſi venero, commonebo ejus opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos: & quaſi non ei iſta ſufficiant; neque ipſe ſuſcipit fratres; & eos qui ſuſcipiunt, probibet, & de Eccleſia ejicit.* Quamobrem, ſi ad vos venero, publice arguam ejus facinora, maledicta & calumnias, quibus me Jeſu Chriſti Apoſtolum proſcindit: inhoſpitalitatem, inhumanitatem, & tyrannidem, quibus Chriſtianos peregrinos & propter Chriſti nomen exules, ac Evangelicos Operarios, non modo non ſuſcipit, verum etiam aliis prohibet ne illos hoſpitio excipiant ac juvent: & qui ſecus fecerint, violenta cenſura ejicit ex Eccleſia, eoſque a communicatione orationis, & conventus, & omnis ſancti commercii relegat.

* *Forſitan*, hoc loco non dubitationem, ſed eventum contingentem, & ex Dei beneplacito pendentem ſignificat. Secundum Græcum, ἔγραψα τῇ Ἐκκλησίᾳ, *Scripſi Eccleſiæ.*

11. *Cariſſime, noli imitari malum, ſed quod bonum eſt. Qui benefacit, ex Deo eſt: qui malefacit, non vidit Deum.* Tu vero, dilectiſſime, ne malos iſtius Diotrephis, aut cujuſvis alterius mores imiteris, ſed quæ bona & laudabilia ſunt æmulare. Qui recte & ex divinæ legis præſcripto vitam inſtituit, Dei filius eſt per gratiam & caritatem. Qui pravis eſt moribus, a Deo alienus eſt, & ita ſe gerit quaſi nullam ejus notionem haberet.

12. *Demetrio teſtimonium redditur ab omnibus, & ab ipſa veritate. Sed & nos teſtimonium perhibemus: & noſti quoniam teſtimonium noſtrum verum eſt.* * Demetrii ſincera pietas, caritas ac beneficentia in pauperes Chriſtianos, ſive domeſticos, ſive peregrinos, omnium fidelium teſtimonio commendatur, & ipſa rei veritate ac evidentia innoteſcit: ſed & nos teſtes ſumus quam ſincere pietatem colat; quanto fervore opera caritatis exerceat; tibique perſpectum eſt teſtimonium noſtrum veritati congruere.

* Confer cum Verſu penultimo Evangelii: *Hic eſt Diſcipulus ille qui teſtimonium perhibet de his, & ſcripſit hæc: & ſcimus quia verum eſt teſtimonium ejus.*

13. 14. *Multa habui tibi ſcribere: ſed nolui per atramentum & calamum ſcribere tibi.* Plura ad te ſcribenda habebam: ſed ea litteris committenda non cenſui. *Spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur,* Spero autem me brevi te viſurum, & viva voce tecum de his acturum.

15. *Pax tibi. Salutant te amici, Saluta amicos nominatim.* Tibi pacem adprecor in hac, æternaque vita. Qui mecum ſunt communes amici tibi ſalutem dicunt. Tu quoque noſtros, qui apud vos degunt, amicos ſingillatim, nomine meo ſalutes velim.

### CAPUT UNICUM.

*Senſus Moralis.*

Qua ratione orandum eſt pro temporali amicorum proſperitate.

2. 3. C*Ariſſime, de omnibus orationem facio proſpere te ingredi & valere, ſicut proſpere agit anima tua. Gaviſus ſum valde venientibus fratribus & teſtimonium perhibentibus veritati tuæ, ſicut tu in veritate ambulas.* Tametſi amicos ſpiritualiter, non carnaliter; propter Deum, non propter nos ipſos diligere debeamus; orare tamen debemus pro illorum incolumitate & temporali proſperitate, feliciqne negotiorum exitu, quatenus hæc inſtrumenta virtutum, & ad æternam ſalutem adjumenta eſſe poſſunt. Diligentibus Deum, quibus omnia cooperantur in bonum, & qui per amorem Creatoris bene utuntur creaturis, optima valetudo, proſperaque omnia optanda ſunt, & a Deo poſtulanda. Verum fidei, Chriſtianæque pietatis ſinceritas, fervor caritatis, virtutum omnium ac bonorum operum uberes fructus, amicis noſtris ſunt imprimis optandi. Gaudere debemus ſpirituali gaudio cum gratiarum actione conjuncto, quod in veritate cari-



tatis, & caritate veritatis, per Chriſti gratiam proficiant.

Caritas in pauperes advenas peregrinos, ignotos exercenda, maxime vero in Operarios Evangelicos.

5. 6. 7. *Cariſſime, fideliter facis quicquid operaris in fratres, & hoc in peregrinos, &c.* Quicumque recogitant ſe advenas & peregrinos eſſe ſuper terram, ſe a Chriſto in Eccleſiam, quæ domus ejus eſt, miſericorditer ſuſceptos, ejuſque corpori inſitos, ad benefaciendum Chriſtianis fratribus, egentibus, peregrinis, ignotis, pro Catholica fide aut pro juſtitia ex patria expulſis, aut ad fugam compulſis, ſunt propenſi. Primorum Chriſtianorum in ſuſcipiendis, fovendis, & juvandis Evangelii Prædicatoribus, Miniſtris Eccleſiæ, & pauperibus quibuſque fratribus, maxime peregrinis, devotio, ſinceram illorum caritatem demonſtrabat. Solus Deus in hominibus incognitis amatur. Fideles advenæ & peregrini, & qui pro ejus nomine patiuntur, commendatitias ab ipſo litteras habent. *Qui recipit vos, me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me miſit.* Qui bonorum ſuorum jacturam pro Chriſti cauſa paſſi ſunt, & ab inimicis Dei & Eccleſiæ non ſolum nihil accipere voluerunt, ſed patrimonium perdere maluerunt quam fidem, cum gaudio ſuſcipiendi ſunt omnique ſolatio & ſubſidio recreandi, ac fovendi. Caritas, honor religionis, juſtitia, grati animi erga Chriſtum Jeſum officium, poſtulant ut illis ſubveniamus. *Digne Deo.* „ Non exſpectemus, donec ad nos veniant, ſed „ accurramus, præveniamus, inſequamur illos, ſicut „ Abraham & Loth peregrinos & pauperes præve„ niebant, invitabant, & cum gaudio ſuſcipiebant. Præcipue autem erga Evangelicos Operarios exercenda ſunt caritatis officia, ut laborum quos pro fidei ac pietatis Chriſtianæ propagatione ſuſcipiunt, participes ſimus, ac in communionem meritorum & coronarum cum illis veniamus. Veritati, quæ Deus eſt, cooperantur, qui prædicatores ac defenſores Catholicæ veritatis adjuvant & fovent pro viribus. *Nos ergo debemus ſuſcipere hujuſmodi, ut cooperatores ſimus veritatis.* Id debemus Veritati increatæ, per quam conditi; Veritati incarnatæ, per quam reparati; Veritati inſpiratæ, per quam illuminati ſumus. „ Qui „ ſpiritalia dona habentibus temporalia ſubſidia tri„ buit, in ipſis donis ſpiritalibus cooperator exiſtit. „ Nam cum pauci ſint qui ſpiritalia dona perceperunt, „ & multi qui rebus temporalibus abundant; per „ hoc ſe divites virtutibus pauperum inſerunt, dum „ eiſdem ſanctis pauperibus de ſuis divitiis impar„ tiuntur Hinc Dominus ait: *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet.*

*Matt.* 10. 40. *Oecumenius.* *Penes* 18. 19. *Vener. Beda.* *Matth.* 10. 41.

Primatus ambitio quanta mala parat in Eccleſia?

9. *Scripſiſſem forſitan Eccleſiæ: ſed is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos.* Superbia & ambitio, hæreſum, ſchiſmatum, & factionum in Eccleſia parens, Pſeud-apoſtolos in Apoſtolos Chriſti excitavit, Diotrephem ad ſpernendam S. Joannis auctoritatem, ad ejus litteras rejiciendas, ad calumnias in illum ſpargendas impulit. Qui Eccleſiaſticas Præfecturas ambiunt ut præſint, non ut proſint: qui honorem quærunt, & laborem refugiunt; qui Clero dominari amant, non Eccleſiæ ſervire, Diotrephis ſunt imitatores, non Joannis Apoſtoli. Primatus ambitio Valentinum ad condendam hæreſim impulit, Tertulliano teſte: *Speraverat*, inquit, *Epiſcopatum Valentinus, quia & ingenio poterat, & eloquio, ſed alium ex Martyrii prærogativa loci potitum indignatus, de Eccleſia authenticæ regulæ abruit (ut ſolent animi pro prioratu exciti, præſumptione ultionis accendi) ad expugnandam converſus veritatem.* Non mirum quod adverſus Apoſtolorum ſucceſſores inſurgant identidem homines ambitioſi & turbulenti, illoſque famoſis libellis proſcindant, qui Fidei puritatem & Moralis Chriſtianæ integritatem defendunt. Homines ambulantes in vanitate ſenſus ſui, ferre non poſſunt Præſules ambulantes in veritate Evangelii. Qui primatum & dominationem ubique affectant, prava ſua dogmata & maleſanas opiniones ab Epiſcopis improbari & damnari impatienter ferunt. Diotrephem dixeris in illis hominibus redivivum, qui *Maluit nova dicendo primatum ſibi uſurpare ſcientiæ, quam antiquis ſanctæ Eccleſiæ, quæ Joannes prædicabat, humiliter auſcultare mandatis.*

*Tertullian. Adverſ. Valentin. cap.* 4. *Vener. Beda.*

Diotrephis imitatores, Epiſcopis obtrectantes.

10. *Propter hoc, ſi venero, commonebo ejus opera, quæ facit, verbis malignis garriens in nos: & quaſi non ei iſta ſufficiant; neque ipſe ſuſcipit fratres, & eos qui ſuſcipiunt, prohibet, & de Eccleſia ejicit.* Eccleſiæ inimici ſunt, qui ejus auctoritatem in Paſtoribus legitimis contemnunt, qui caritatis ejus incrementis & profectibus adverſantur, qui ejus unitatem factionibus ſuis & ſcriptis ſeditioſis violant, Paſtorum omnium uni Paſtori Romano Pontifici, & cum eo communicantibus Epiſcopis obtrectantes, & verbis malignis in illos garrientes. „ Ab illis Diotrephis imi„ tatoribus cum exceſſerit Spiritus ſanctus, non po„ teſt eſſe in eis, niſi mens prava, & fallax lingua, „ & odia venenata, & ſacrilega mendacia, quibus „ qui credit, cum illis neceſſe eſt inveniatur, cum judicii dies advenerit. Sciant Diotrephes illi Epiſcoporum obtrectatores, *Epiſcopum in Eccleſia eſſe, & Eccleſiam in Epiſcopo, & ſi quis cum Epiſcopo non ſit, in Eccleſia non eſſe; & fruſtra ſibi blandiri eos, qui pacem cum Sacerdotibus Dei non habentes obrepunt, & latenter apud quoſdam communicare ſe credunt; quando Eccleſia, quæ Catholica una eſt, ſciſſa non ſit, neque diviſa, ſed ſit utique connexa, & cohærentium ſibi invicem Sacerdotum glutino copulata.* Quicumque vero Eccleſiæ Paſtores, Doctores, Concionatores, Sacerdotes, improborum hominum calumniis & obtrectationibus lacerantur, nec meritum patientiæ & humilitatis perdant; nec falſa humilitate, ſtupidaque patientia famam ſuam & auctoritatem regendæ, vel ædificandæ Eccleſiæ, & ſacro Miniſterio obeundo, animarumque ſaluti promovendæ neceſſariam negligant. Coram Deo parcant calumniatoribus & obrectatoribus; veruntamen os loquentium iniqua obſtruant, illoſque arguant, refellant, compeſcant, emendent vel a Superioribus plecti curent. *Linguas detrahentium* (inquit Venerabilis Beda) *ſicut noſtro vitio non debemus excitare, ne ipſi pereant; ita per ſuam malitiam excitatos debemus æquanimiter tolerare, ut nobis meritum creſcat, aliquando autem compeſcere; ne dum de nobis mala diſſeminant, eorum qui audire nos ad bona poterant, corda innocentium corrumpant.* „ Hanc S. Joannes detractoris ſui linguam coarguit: ne ſuam prædicationem non audirent qui audire poterant, & in pravis moribus remanerent.

*S. Cyprian. Epiſt.* 69. *Ad Florentinum Pupianum*, De Obtrectatoribus. *Venerab. Beda, in hunc locum.*

Mali exempli contagio.

11. *Cariſſime, noli imitari malum, ſed quod bonum eſt, &c.* Mali exempli contagium juſtos etiam corrumpere & perdere poteſt: Boni exempli ædificatio peccatores convertere ſola non poteſt. Sola gratia Chriſti ab illo contagio nos tuetur: ſola efficit ut bono exemplo ædificemur ad ſalutem. Hanc ut obtineamus, vigilandum & orandum eſt; Chriſto Domino ſupplicandum eſt ut trahat nos poſt ſe, detque nobis vires currendi in odorem unguentorum ſuorum, & quæcumque bona ſunt, quæcumque juſta, quæcumque pudica, quæcumque ſancta, quæcumque bonæ famæ, ſi quæ virtus, ſi quæ laus diſciplinæ, hæc imitandi, ut ubique & ſemper Chriſti bonus odor ſimus, & nos ex Deo eſſe operibus demonſtremus, noſque illius notitiam habere, non ſpeculativam dumtaxat & ſterilem (qualem habuerunt quidam Gentium Philoſophi, qui cum Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt & gratias egerunt) ſed affectivam, practicam, & ſalutarem, quæ bonorum Chriſtianorum propria eſt. *Qui benefacit, ex Deo eſt: qui malefacit, non vidit Deum.* „ Imitemur Sanctos, quorum pedes ſupra pe„ tram firmati, & greſſus a Chriſto directi. *Vide„ bunt juſti, & timebunt.* Videbunt & timebunt ſe„ qui vias malas, cum vident quoſque meliores ele„ giſſe vias bonas, & dicunt in animo ſuo, quo„ modo ſolent dicere viatores, attendentes alios „ cum præſumptione ambulantes in via, ipſi adhuc „ incerti via, & quaſi fluctuantes quo eant, di„ cunt ſibi, Non fruſtra illi hac eunt, quando illo „ eunt quo nos ire volumus, & quare cum magna „ fiducia hac eunt, niſi quia illac ire pernicioſum „ eſt? *Videbunt ergo juſti, & timebunt.* Anguſtam „ viam vident hac, latam, viam vident illac vident „ paucos, illac multos. Sed ſi juſtus es, noli nume„ rare, ſed appende, ſtateram affer æquam, non do„ loſam. Vide contra pauca grana quantam paleam „ leves. Hoc agant fideles juſti qui ſequuntur. Quid „ illi qui præcedunt? Non ſuperbiant, non ſe exal„ tent, non decipiant ſequentes, promittendo illis „ in ſe ſalutem. Quid ergo debent illi qui ſequun„ tur? *Videbunt juſti, & timebunt, & ſperabunt in „ Dominum.* Non in eos a quibus præceduntur. „ Quamvis enim iſtos imitentur, ſpem ſuam tamen „ in illo ponunt, a quo & illi acceperunt unde ta„ les ſunt. *Levavi oculos meos in montes*, ait Pro„ pheta Rex in alio Pſalmo, Intelligimus montes „ claros quoſque & magnos Eccleſiæ ſpiritales vi„ ros, magnos ſoliditate, non tumore. Per ipſos no„ bis Scriptura omnis diſpenſata eſt; Prophetæ ſunt, „ & Evangeliſtæ ſunt, Doctores boni ſunt: illuc *le„ vavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium „ mihi.* Et ne humanum putares auxilium, ait: *Au„ xilium meum a Domino, qui fecit cœlum & ter„ ram.* Eia qui volunt ſperare in Dominum, ti„ meant ambulare vias malas, vias latas, eligant „ viam anguſtam ... Via lata mortifera eſt: lati„ tudo ejus delectat ad tempus, finis ejus anguſtus „ in æternum. „ Qui ſe ipſos bonorum operum ex„ empla præbent, ut Demetrius ſancti Joannis Apo„ ſtoli teſtimonio probatus & laudatus, *ab ipſa Ve„ ritate* teſtimonium habebunt in die Judicii, cum *Laus erit unicuique a Deo.*

Sancti imitandi: ſpes in Chriſto unice ponenda eſt. *S. Aug. In Pſ.* 39. *num.* 6. 1. *Cor.* 4. 5.

IN

# IN EPISTOLAM CATHOLICAM
# S. JUDÆ APOSTOLI,
# COMMENTARIUS
# LITTERALIS ET MORALIS,

## *PROLOGUS.*

QUAMVIS de Epiſtola S. Judæ Apoſtoli, an Canonica eſset, a nonnullis fuerit dubitatum, ut teſtantur Euſebius, * Amphilochius †, & S. Hieronymus: illam tamen in ſanctarum Scripturarum Canone recenſent Concilium Laodicenum Canone 60. & Carthaginenſe III. Canone 47. S. Athanaſius in Epiſtola Feſtali & in Synopſi, S. Cyrillus Jeroſolymitanus Catecheſi quarta, S. Gregorius Nazianzenus Carmine trigeſimo-quarto, Ruffinus in Expoſitione Symboli, S. Auguſtinus libro ſecundo *de Doctrina Chriſtiana*, cap. octavo, Innocentius I. in Epiſt. Ad Exuperium. Illam pariter laudant ſub S. Judæ Apoſtoli nomine Tertullianus lib. primo *De Cultu Feminarum*, capite tertio, Clemens Alexandr. lib. 3. Pædagogi, & in libris Hypotipoiſeon, Origenes Homilia ſeptima in Joſue, & lib. quinto in Epiſtolam ad Romanos, Lucifer Calaritanus in Tractatu *De non conveniendo cum Hæreticis*, S. Ambroſius in *Lucæ* 8. Verſ. 24. S. Hieronymus in cap. 29. Jeremiæ, S. Epiphanius Hæreſi vigeſimaſexta, S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum, S. Auguſtinus lib. *De Fide & Operibus*, cap. 25. & lib. ſecundo Retractationum cap. vigeſimo-ſeptimo. Merito itaque Sacra Synodus Tridentina illam in Canone ſacrarum Scripturarum recenſet. Temere Grotius hanc Epiſtolam Judæ Epiſcopi Jeroſolymitani eſſe aſſerit, qui vixit Adriani Imperatoris tempore, aſſeritque hæc verba, *Frater autem Jacobi*, initio Epiſtolæ addita eſſe a Scribis, ut Judas hic Apoſtolus eſſe crederetur. Omnes enim Catholici conſentiunt hujus auctorem Epiſtolæ eſſe S. Judam Apoſtolum, fratrem S. Jacobi Minoris, qui & Thadæus in Evangelio vocatur, unum ex filiis Mariæ Cleophæ, ſororis beatæ Virginis Mariæ Matris Dei, fratribus, id eſt cognatis Jeſu Chriſti Domini noſtri.

* Euſeb. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. cap. 25.
† S. Amphiloch. Carm. Ad Seleucum S. Hieron. in Catal. Vir. Illuſt.

Matth. 13. & Marc. 6.

Scripta eſt hæc Epiſtola poſt aliorum Apoſtolorum mortem, uno S. Joanne excepto, ut conſtat ex Verſu ſeptimo: *Vos autem, chariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicta ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui dicebant vobis, Quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores, ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietatibus.* Quod S. Petrus in ſecunda ſua Epiſtola prædixit, cui hæc argumento affinis eſt. Simonianos, Nicolaitas, Gnoſticos hæreticos præcipue inſectatur, *Dei gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum Dominatorem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes.* Librum Enoch, qui apocryphus eſt, citat, & S. Michaelis Archangeli altercationem cum diabolo de Moyſis corpore, quæ de apocryphis etiam ſumpta videri poteſt. Id tamen non imminuit illius Epiſtolæ auctoritatem. In apocryphis enim non omnia ſunt apocrypha. Diſcrevit autem divino lumine ſanctus Apoſtolus certa ab incertis, vera a falſis. Certe ſi S. Paulus quaſdam Ethnicorum ſententiam ſuis Epiſtolis inſerendo conſecravit, potuit S. Judas Apoſtolus aliqua ex apocryphis accepta, quorum veritatem illuſtrante Spiritu ſancto cognovit, pariter conſecrare.

## C A P U T   U N I C U M.

### *Senſus Litteralis.*

1. 2. *JUdas Jeſu Chriſti ſervus, frater autem Jacobi, his qui ſunt in Deo Patre dilectis, * & Chriſto Jeſu conſervatis, & vocatis. Miſericordia vobis, † & Pax, & caritas adimpleatur.* Judas Jeſu Chriſti in Apoſtolico munere, Miniſter, frater Jacobi Minoris, Alphæi filii, & fratris Domini, his qui ad fidem & Religionem Chriſtianam vocati ſunt, quos Deus Pater ab æterno dilexit, & in tempore ſanctificavit, & quos Chriſtus Jeſus a ſe redemptos conſervavit: Miſericordia divina, Pax, & caritas in vobis creſcat & conſummetur.

* *Judas* Hebraice, *filius confeſſionis.*
† Græce, ηγαπημενοις *ſanctificatis.* Quidam tamen Codices habent ἡγιασμενοις *dilectis*, ſicque legit Oecumenius.

3. *Cariſſimi, omnem ſollicitudinem faciens ſcribendi vobis de communi veſtra ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis: deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei.* Cum ardenti ſtudio ſemper optaverim ad vos ſcribere de ſalute nobis communi, nunc ad id neceſſitate compellor, ut vos adhorter ad certandum pro fide, quæ per Apoſtolos ſeu viva voce, ſeu per Epiſtolas, Fidelibus tradita & conſignata eſt.

4. *Subintroierunt enim quidam homines (qui olim præſcripti ſunt * in hoc judicium) impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum Dominatorem & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes.* In Eccleſiam enim quidam homines impii furtim irrepſerunt, quos jam olim Prophetæ, Chriſtus, Apoſtoli deſcripſerunt, & prænuntiarunt ſub nomine falſorum Prophetarum & ſeductorum, hoc judicium ſubituros, quod Deus in eos exercet tradendo illos reprobo ſenſui in hoc ſæculo, & æternæ damnationi in futuro: Qui doctrinam & libertatem Legis Evangelicæ, Dei gratia hominibus annuntiatam & traditam, vertunt in occaſionem omnis laſciviæ & carnalium voluptatum: & negant unum mundi dominatorem Deum, plures mundi gubernatores confingentes, & Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum verum eſſe Deum, aut verum hominem inficiantur.

* Jerem. 14. 14. Thren. 21. 14. Zachar. 13. 4. Matth. 7. 15. 1. Col. 11. 19. 1. Tim. 4. 2. 2. Tim. 3. 1. 2. Petri 3. 2.

5. *Commonere autem vos volo, ſcientes ſemel omnia, quoniam Jeſus * populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundo eos, qui non crediderunt perdidit.* † Vobis autem in memoriam revocare volo, quamvis omnia ea quæ mox ſcripturus ſum, vos noſſe minime dubitem, quod Dominus Jeſus, cujus perſonam & typum gerebat Angelus ille Moyſi familiaris, populum Iſraeliticum per Mare Rubrum & per deſertum deducens, poſtquam populum ex Ægypto liberaſſet, deinde incredulos variis mortis generibus perdidit, ita ut omnes qui numerati fuerant a Moyſe a viginti annis & ſupra, in deſerto perierint, præter Caleb & Joſue.

* Secundum Græcum. *Dominus.*
† Numer. 14. & 26. Exod. 14. 19. 20. & cap. 23. 20. & ſeq.

6. *Angelos vero, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine ſervavit.* * Angelos vero, qui non ſervaverunt originis ſuæ dignitatem, gratiam in qua conditi fuerant, ſed a Deo per ſuperbiam deficientes, de cœleſti domicilio deturbati ſunt, vinculis æternis ligatos in tenebris detinet, & in magnum univerſalis Judicii diem reſervat coram univerſis Angelis & hominibus damnationis ſententiam ſubituros.

* Confer cum 2. Petri 2. 4.

7. *Sicut Sodoma & Gomorrha, * & finitimæ civitates, ſimile modo ex fornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum, ignis æterni pœnam ſuſtinentes.* † Sodomæ etiam & Gomorrhæ, & finitimarum civitatum, Adama & Seboim, abominabiles incolæ, in præpoſteras & contra naturam libidines effuſi, pœna ignis & ſulphuris, qua ſunt conſumpti propoſiti ſunt in exemplum punitionis impiorum igne æterno.

* Confer cum 2. Petri 2. 6.
† Geneſ. 19. 24.

8. *Similiter & hi * carnem quidem maculant Dominationem autem ſpernunt, Majeſtatem vero blaſphemant.* Similiter & hi, nimirum Gnoſtici, carnem diu noctuque nefariis libidinibus pollunt & contaminant, Magiſtratum omnem & ordinem a Deo conſtitutum contemnunt, Eccleſiæ ac ſæculi Principes convitiis ac maledictis proſcindunt.

* Græce, καὶ, αὗτοι ἐνυπνιαζόμενοι, *& hi inſomnii agitati*, quod Oecumenius *& hi inſomniis agitati*; quod Oecumenius de nocturnis contra naturam libidinibus, alii de figmentis impiis interpretantur. Ex Traditione, ſeu ex divina revelatione id notum habuit ſanctus Apoſtolus. Secundum Græcum, *Increpetre Dominus.* De ſepultura Moyſis vide *Deuteron.* 34.

9. *Cum Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ, ſed dixit: Imperet tibi Dominus.* Verumtamen adeo exoſa eſſe debet maledicendi & convitiandi libido, ut Michael Archangelus, ſive ſanctorum Angelorum Princeps, in contentione quam habuit cum Lucifero de Moyſi corpore, (quod ille abſcondere volebat, hic autem palam ſepeliri in Monte Nebo, ut populus ad idololatriam pelliceretur,) noluit illum damnare cum execratione, ſed dixit: Te coerceat Dominus imperio ſuo ac ſumma poteſtate. Confer cum *Zachariæ* 3. 2.



*Confer cum* 2. *Petri* 2. 12. *Geneſ.* 4. 8. *Numer.* 22. & 31. 16. *Numer.* 16. *Confer cum* 2. *Petri* 2. 15. 16.

10. *Hi autem, quæcumque quidem ignorant, blaſphemant: quæcumque autem naturaliter, tamquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* At iſti impii & carnales homines, cum execratione damnant quæcumque ipſorum captum ſuperant, & quæ pravo eorum ſenſui repugnant, ac laſciviæ adverſantur, nempe Myſteria fidei, temperantiæ & caſtitatis honeſtatem, carnalis concupiſcentiæ mortificationem, bonorum operum neceſſitatem, Poteſtatum a Deo ordinatarum dominationem: in iis vero quæ ſenſibus norunt, ſola natura, non ratione duce, brutorum inſtar appetendis & amplectendis, per comeſſationes, ebrietates, variaſque libidines, animas ſuas & corpora corrumpunt.

Græce, ἐν ἀγάπαις ὑμῶν, *in veſtris convivit caritatis.* Σπιλάδες, Vulgato Interpreti *maculæ*, Oecumenio & nonnullis recentioribus illum ſeculis, *Scopuli*: Quia ſicut naves ad ſcopulos latentes alliſæ, ita Catholici cum hæreticis familiaritatem ineuntes, naufragium fidei ſœpius faciunt.

11. *Væ illis, quia in via Cain abierunt, & errore Balam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt.* Divina maledictione digni ſunt, quia Cain imitantur. Fraternitatem enim oderunt & deſerunt: & ſicut ille vitam corporis fratri ademit, ſic illi vitam animæ pernicioſis ſuis doctrinis fratribus adimunt. Et ſpe turpis lucri decepti, exemplo Balaam, in omne nefas effuſi & prolapſi ſunt. Et murmurationem ac ſeditionem Core adverſus Moyſen & Aaron imitati, ſimiliter peribunt, & ad inferos detrudentur.

12. 13. *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, convivantes ſine timore, ſemetipſos paſcentes, nubes ſine aqua, quæ a ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ.* Hi ſunt labes, & maculæ in conviviis caritatis, quæ in occaſionem diſſolutionis & luxuriæ vertunt, ſpretis Chriſtianæ temperantiæ ac modeſtiæ regulis genio indulgentes ſine pudore & timore Dei: nullam niſi ſui ventris implendi, & carnis paſcendæ curam gerentes; nubes ſteriles & infœcundæ, pluviam ſalutaris doctrinæ promittentes, ſed nuſquam effundentes; inconſtantes, & omni doctrinæ vento agitati, ac in varios errores impulſi, prout eos affectus cupiditatum, & innovandi libido impulerint: arboribus extremo autumno florentibus, & fructus non afferentibus, aut certe non perducentibus ad maturitatem, penitus mortuis, & eradicatis ſimiles ſunt. *Flactus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones, ſidera errantia: quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum.* Hi fluctibus efferi maris ſimiles ſunt, inquieti, ſeditioſi, tumidi; ſed eorum elatio & tumor in fœdas libidines deſpumat. Denique ſtellis erraticis ſimiles ſunt, & propter inconſtantiam & variationem doctrinæ. His tenebroſa procella in æternum ſervata eſt in inferno, quia tenebras errorum lumini veritatis anteponunt.

Hanc Prophetiam Enoch ſcripto non eſſe conſignatam, ſed in veteris Eccleſiæ depoſito conſervatam traditione perpetua, veriſimilius eſt: ex cujus traditionis fide, & divinæ revelationis lumine illam S. Apoſtolus laudavit. Vide Diſſertationem noſtram 5. in Hiſtoriam Eccleſ. Veteris Teſtamenti primæ mundi Ætatis, Propoſit. 21.

14. 15. *Prophetavit autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch, dicens, Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes: & arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum, quibus impie egerunt, & de omnibus duris quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii.* Horum ſeductorum damnationem & exitium ſpiritu prophetico prædixit Enoch ſeptimus ab Adam primo parente, dicens: Ecce veniet Dominus innumera Sanctorum ſuorum multitudine comitatus, ut judicium ſuum contra omnes reprobos exequatur, & omnes impios convincat, damnet ac puniat ob omnia opera impietatis, quæ commiſerunt; & ob verba contumelioſa & blaſphema, quæ contra Deum protulerunt.

Confer cum 2. *Petr.* 2. 14. *Act.* 20. 29. 1. *ad Tim.* 4. 1. & 2. *Tim.* 3. & 2. *Petri* 3. 2. 3.

Græcos inter Codices, qui nunc extant, & eos quibus uſus Vulgatus Interpres Latinus, nonnulla varietas eſt in his duobus Verſibus. Secundum Græcum Textum hodiernum ſic vertendum eſſet: *Hos quidem miſeremini dijudicantes. Hos vero in timore ſalvate, de igne rapientes, odientes & eam a carne maculatam, tunicam.* Verum Vulgata Verſio ab Eccleſia approbata & tot ſæculorum uſu conſecrata, quam & nonnullis Codicibus Græcis adhuc extantibus conſonam eſſe, Viri Eruditi obſervarunt, retinenda eſt, & ſequenda. His verbis, *In adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti*, nihil in Græco reſpondet.

16. *Hi ſunt murmuratores queruloſi, ſecundum deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperbia, mirantes perſonas quæſtus cauſa.* Hi ſunt murmuratores, qui de Chriſtianæ legis ſeveritate, ac de Eccleſiæ Præpoſitis conqueruntur, qui abjecto legum omnium, imo & rationis frœno, ſuis dumtaxat cupiditatibus ducuntur, faſtu & arrogantia tumidi, ſublimia & magnifica in ſpeciem loquuntur, ut nomen ſibi faciant: & hominibus, præſertim divitibus ac potentibus, ficta admiratione adulantur, quæſtus & temporalis emolumenti gratia.

17. 18. 19. *Vos autem, chariſſimi, memores eſtote verborum, quæ prædicata ſunt ab Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Qui dicebant vobis, quoniam in noviſſimo tempore venient illuſores, ſecundum deſideria ſua ambulantes in impietate.* Vos autem, fratres dilectiſſimi, memores eſtote commonitionum & prædictionum Apoſtolicarum. Apoſtoli enim Domini noſtri Jeſu Chriſti vobis dixerunt, noviſſimis temporibus venturos impoſtores, effrenatis cupiditatibus ſuis obſequentes, & impietatem cum doctrina tum vita propagantes. *Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, Spiritum non habentes.* Hi ſemetipſos ab Eccleſiæ doctrina & ſocietate ſegregant, & alios ſecum abducunt, vitæ dumtaxat animalis curam gerentes, ſenſuum voluptatibus immerſi, Spiritu Dei vacui.

20. 21. *Vos autem chariſſimi, ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei, in Spiritu ſancto orantes, voſmetipſos in dilectione Dei ſervate, expectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam.* Vos vero, fratres dilectiſſimi, voſmetipſos velut ædificium ſpirituale per bona opera erigentes ſuper fundamentum ſanctiſſimæ fidei veſtræ, voſmetipſos in amicitia & gratia Dei ſervate, ſumma fiducia exſpectantes quotidianum gratiæ adjutorium, & perſeverantiæ donum a miſericordia Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut vitam æternam obtineatis.

22. 23. *Et hos quidem arguite judicatos: illos vero ſalvate, de igne rapientes. Aliis autem miſeremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam.* Et illos quidem qui in ſua hæreſi & impietate videntur obdurati, convictos, ſuoque ac Dei judicio jam damnatos, palam redarguite: illos vero qui in hæreſim lapſi, nondum obfirmati ſunt in impietate, quaſi injecta manu rapite & ſalvate de igne libidinis & vitiorum, quo jam ardere cœperunt, & conſequenter de ignis æterni periculo. Aliorum autem, qui nondum ſeducti, in proximo tamen periculo verſantur, miſeremini, eos in fide ac vitæ Chriſtianæ puritate, incuſſo divini judicii timore continentes: Vel, Illorum miſeremini, vobis ipſis timentes ne tentationi ſuccumbatis; & odio proſequentes ac fugientes quaſi veſtem ſordibus contaminatam, aut leproſorum vel peſtilenti morbo laborantium hominum contactu infectam, quicquid carnali corruptioni ac libidini affine eſt.

Secundum Græcum, *Sol ſapienti Deo*

His verbis *Per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*, nihil reſpondet in Græcis exemplaribus editis Latina tamen Verſio Vulgata cum pluribus Mſs. Græcis conſentit.

24. 25. *Ei autem qui potens eſt vos conſervare ſine peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti; ſoli Deo ſalvatori noſtro, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, gloria & magnificentia, imperium & poteſtas, ante omne ſæculum, & nunc, & in omnia ſæculorum ſæcula. Amen.* Ei autem qui ſolus conſervare nos uſque in finem poteſt ſine peccato efficaciſſima virtute gratiæ ſuæ, & poſt hujus vitæ curſum conſtituere puros & ſine macula ante faciem ſuam glorioſam, cujus viſione beati erimus, cum lætitia & exultatione ſincera, plena, & perpetua, cum Dominus noſter Jeſus Chriſtus ad judicium venerit; ſoli Deo ſalutis noſtræ auctori, per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum ac Mediatorem, quem Pater in mundum miſit, & pro nobis omnibus morti tradidit, gloria, & magnificentiæ, imperii, & potentiæ laus debita ante omnia ſæcula, & nunc, & in perpetuum reddatur. Ita fiat.

## C A P U T   U N I C U M.

### *Senſus Moralis.*

1. 2. *JUdas Jeſu Chriſti ſervus, frater autem Jacobi, his qui ſunt in Deo Patre dilectis, & Chriſto Jeſu conſervatis & vocatis: Miſericordia vobis, & pax, & caritas adimpleatur.* Servum eſſe Jeſu Chriſti glorioſius eſt, quam orbi univerſo imperare. Multi ſe Chriſti Jeſu ſervos eſſe profitentur: pauci vitam agunt eo nomine & profeſſione dignam: ſiquidem fidem & obedientiam illi debitam non ſervant, ejus mandata contemnunt, eam nec diligunt, nec timent. Veros Filii ſui ſervos diligit Deus Pater, & dilectione ſua ſanctificat. Quam illis promeritus eſt & acquiſivit ſanguine ſuo gratiam, Filius conſervat, dato ipſis Spiritu ſancto ſuo. Veri Jeſu Chriſti ſervi filii ſunt Dei Patris nullis ſuis meritis, ſed per ejus miſericordiam Chriſtus qui eſt pax noſtra, redemptor & mediator noſter, ſanguinis ſui virtute ac meritis noſtra peccata remittens ac delens, jugiter in nobis ſanctificationem operatur. Spiritus ſanctus caritatem in cordibus noſtris a ſe diffuſam auget, ac perficit, ſi donis ejus ingrati non ſimus, & ſpirituale incrementum hominis novi non impediamus.

3. *Chariſſimi, omnem ſimilitudinem faciens ſcribendi vobis de communi veſtra ſalute, neceſſe habui ſcribere vobis: deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei.* Sanctorum Epiſcoporum officium eſt Paſtoralibus Litteris Clerum populumque ipſis a Deo commiſſum docere, commonere, adhortari paterna ſollicitudine, cum id neceſſitas poſtulat. *Neceſſe habui ſcribere vobis.* 2. De quæſtionibus inutilibus, & quæ

Paſtoralium litterarum ab Epiſcopis ſcribendarum ratio.

& quæ contentiones & diſſenſiones excitare poſſunt, nec fidem, aut morum diſciplinam, ſeu rectum Eccleſiæ ordinem & ædificationem ſpectant, Paſtorales Litteras ſcribere non debent, ne veniant in contemptum; ſed de his tantum quæ ad communem ſalutem attinent: *De communi veſtra ſalute*. 3. Quæ fidei ſunt, ex Scripturis ſacris & Traditione Apoſtolica ſtabilire & confirmare debent, non ex privatis opinationibus, ratiocinationibus, ac præjudiciis. *Semel traditæ ſanctis fidei*. 4. Si quos adverſus Traditionem errores oriri ac ſerpere compertum habeant, tota fidei virtute expugnandi ſunt: *Supercertari*. 5. Ad impugnandos errores, & ad reſiſtendum Novatoribus Clerum ac plebem Chriſtianam ferventer adhortari debent: *Deprecans ſupercertari ſemel traditæ ſanctis fidei*. 6. Clero populoque ſuo maxime inculcare debent nihil novi recipiendum in materia fidei, adverſus id quod ſemel traditum eſt; *Semel traditæ*. 7. Quamvis ſumma auctoritate præditi ſint, deprecationibus tamen res Dei & Eccleſiæ magis promovebunt, quam imperioſo agendi modo. *Decrepantes*.

Novatorum caracteres.

4. *Subintrojerunt enim quidam homines (qui olim præſcripti ſunt in hoc judicium) impii, Dei noſtri gratiam transferentes in luxuriam, & ſolum Dominatorem & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes*. Hæreſiarchæ ſine Miſſione legitima prædicandi & docendi munus uſurparunt, & in Chriſti gregem irrepſerunt, ſub nomi...s Chriſtiani ſuperficie, & veſtimentis ovium deliteſcentes. *Subintrojerunt*, falſi Prophetæ, operarii ſubdoli, de quibus

*Jerem. 23. 21.*

Dominus per Prophetam ait: *Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant; non loquebar ad eos, & ipſi prophetabant*. Oh ſuperbiam, impietatem, luxuriam, aliaque crimina, Deus qui peccatorum intentator & auctor non eſt, ſed ſapiens & omnipotens ordinator, illos a lumine veritatis deſertos, cui oculos cordis clauſerunt, occulto, ſed tamen juſtiſſimo judicio labi permittit in hæreſim, & in damnationem ruere: *Qui olim præſcripti ſunt in hoc judicium*. Impietas, Sacramentorum abuſus, rerum divinarum contemptus, Eccleſiaſticarum inſtitutionum ac ceremoniarum irriſio, trahunt in hæreſim præcipites: *Impii*. Hæretici, & qui ſub Catholico nomine doctrinas novas ſerunt contra Fidem, aut Moralis Chriſtianæ puritatem; qui pro Evangelio pœnitentiæ, & mortificationis lege, humanarum opinionum commenta, naturæ corruptæ cupiditatibus, & mundi moribus accommodata inveniunt docent, propugnant, *Dei noſtri gratiam transferunt in luxuriam*. Nec vero Novatorum duntaxat proprium eſt

*Vener. Beda.*

gratiam Evangelii in luxuriam transferre, ſed omnibus impiis & flagitioſis Chriſtianis commune. Nam, ut obſervat Venerabilis Beda, Domini noſtri gratia mollivit duritiam Legis, quia cum illa diceret, Si quis hæc vel illa fecerit, lapidibus obruatur, aut flammis comburatur: Dominus laxata diſtrictione Legis, dedit per Evangelii gratiam licentiam ſcelera commiſſa purgandi per pœnitentiam & eleemoſynæ fructus. Sed hanc ejus gratiam transferunt in luxuriam, qui nunc tanto licentius ac liberius peccant, quanto minus ſe vident ſtatim aſperitate Legis de admiſſis facinoribus puniri. Hujuſmodi homines, qui Jeſu Chriſti vocem non audiunt, & ejus Evangelio non obediunt, ſolo nomine Chriſtiani ſunt. De ſancto nomine perperam gloriantur, qui idolum Dagon juxta Arcam collocant, qui Samariæ vitulos cum vero Deo colunt, nunc Baal, nunc Domino ſacrificium offerunt; qui modum ſerviendi mundo & Deo tradunt. Hi *ſolum Dominatorem & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negant*.

5. *Commonere autem vos volo, ſcientes ſemel omnia, quoniam Jeſus populum de terra Ægypti ſalvans, ſecundo eos, qui non crediderunt, perdidit*. Qui Dei miſericordiæ ac beneficiis ſunt ingrati, ac ſanctis inſpirationibus infideles, ultricem juſtitiam experientur. Omnes qui Ægyptiaca ſervitute premebantur, Deo miſerante liberati ſunt; omnes duobus exceptis, in deſerto perierunt, & ingreſſu ac poſſeſſione Terræ promiſſæ privati ob incredulitatem, ſuperbiam, murmurationem, & inobedientiam, idolatriam, & luxuriam.

*Vener. Beda in hunc locum.*

„ Hoc exemplum proponit Apoſtolus noſter, ut meminerimus Deum ſic per aquas baptiſmi, quod Mare Rubrum ſignificabat, ſalvare credentes, ut etiam poſt baptiſma humilem in nobis vitam requirat. Quam ſi quis vel a fide deviando, vel male agendo violaverit; quaſi reverſus corde in Ægyptum, non ad promiſſam regni patriam pervenire, ſed inter impios merebitur interire.

6. *Angelos vero qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis ſub caligine reſervavit*. Similis pœna ſuperbos & ambitioſos manet. Qui nemini ſubjici volunt, & in dependentiam ac maleſanam affectant libertatem; *vinculis æternis* in inferno conſtringentur ſub diaboli ſervitute qui *Rex eſt ſuper omnes filios ſuperbiæ*. Qui carnis ſuæ ſenſu inflati, rectæ rationis, Evangelii, & divinæ gratiæ lumen ſequi noluerunt, perpetuis horrendiſque tenebris damnabuntur, nec fruentur umquam luce ſancta, quam fidelibus ſervis ſuis promiſit Deus: *Sub caligine*. Qui amore caſto Deo adhærere noluerunt, & in vanitate, propriaque exellentia quieſcere maluerunt; quam in veritate ſtare, in judicii die cum diabolo & angelis ejus æterna combuſtione damnabuntur. *In judicium magni diei reſervavit*. Si Deus Angelos, qui gratiam Creatoris deſeruerunt, e cœlo ad inferos deturbavit, & pœnis æternis addixit: quibus digni ſunt pœnis homines, qui Myſteriis & gratia Chriſti Salvatoris abutuntur? „ Qui angelis peccantibus non pepercit, nec hominibus parcet ſuperbientibus: ſed hos quoque cum ſuum principatum non ſervaverint, illum videlicet quo per gratiam adoptionis filii Dei effecti ſunt, ſed dereliquerint ſuum domicilium, id eſt Eccleſiæ unitatem, in qua Deo renati ſunt: vel certe ſedes regni cœleſtis, quas accepturi erant, ſi fidem ſervarent, & ſecundum eam viverent: & ante judicium, graviter, & gravius in judicio univerſali damnabit.

Superborum pœna.

*Vener. Beda.*

7. *Sicut Sodoma & Gomorrha, & finitimæ civitates, ſimili modo exfornicatæ, & abeuntes poſt carnem alteram, factæ ſunt exemplum ignis æterni pœnam ſuſtinentes*. Pœnæ, criminiſque proportionem Deus ultionum in Sodomitarum ſupplicio ſervavit. *Sulphur quippe fœtorem habet, ignis ardorem. Quia itaque ad perverſa deſideria ex carnis fœtore arſerant, dignum ſuis ut ſimul igne & ſulphure perirent: quatenus ex juſta pœna diſcerent, ex injuſto deſiderio quid feciſſent*. „ Cur vero cum admittantur a nefariis hominibus Sodomorum ſcelera, non tamen contingunt Sodomorum clades? Quia manet iſtos ignis alius longe illo gravior, cruciatuſque finem nullum habens. Hæc pœna erit omnium qui flagitioſa vita Deum inhonorant. *Pluet ſuper peccatores laqueos: ignis, & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum*. Hæc (inquam) pœna eorum eſt atque exitus, per quos blaſphematur nomen Dei, ut primo cupiditatum ſuarum igne vaſtentur; deinde malorum operum putore a cœtu Beatorum abjiciantur; poſtremo abjecti atque ſubmerſi ineffabiles pœnas luant.

Impudicorum pœna.

*S. Greg. M. lib. 14. Moral. cap. 10.*

*S. Chryſoſt. Adverſus Vituperatores Vitæ Monaſticæ cap. 7.*

*Pſalm. 10. 7.*

*S. Auguſt. in hunc Pſ. n. 11.*

8. *Similiter & hi carnem quidem maculant, dominationem autem ſpernunt, majeſtatem autem blaſphemant*. Impudicitia ſæpe cum hæreſi conjuncta eſt. Deus juſto judicio permittit ut corpus omni turpitudinum genere polluatur, cum animus a Deo fornicatur. Quas abominationes Gnoſtici primis Eccleſiæ temporibus, Molinoſiani ſeu Quietiſtæ noſtra ætate non perpetrarunt? De ceteris taceo. Hæreſiarcharum pars maxima caſtitatis, & mortificationis Chriſtianæ, quæ carnem in officio continet, inimica fuit; Deum in ſuis & Eccleſiæ ſuæ Miniſtris contempſit; quicquid in Eccleſia ſacratius, & in ſæculo auguſtius eſt, Pontifices Romanos, Epiſcopos, Sacerdotes, Doctores Catholicos, Viros Religioſos, Reges, Magiſtratus, maledictis & verbis contumelioſis inſectata eſt.

9. 10. *Cum Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus judicium inferre blaſphemiæ ſed dixit: Imperet tibi Deus. Hi autem quæcumque ignorant, blaſphemant*, &c. Angelorum ſanctorum Miniſterio Deus utitur ad repellendos inſultus dæmonum ab Eccleſia, electiſque ſuis. Beatorum illorum Spiritum dux & princeps S. Michael Archangelus proptetor Eccleſiæ, ut olim Synagogæ. Illos ut Miniſtros conſiliorum Dei, & providentiæ ejus cooperatores, tutoreſque noſtros ac interceſſores apud Deum, colere, invocare, imitari, & religionis officium, & utilitatis noſtræ ratio poſtulant. Eorum puritatem, caſtum Dei amorem, humilitatem, obedientiam, zelum ac fervorem in Dei gloria, & hominum ſalute promovendis, æmulemur neceſſe eſt. Modeſtiæ ſingularis exemplum in ſancto Archangelo Michaele habemus, qui de Moyſi corpore cum diabolo contendens, & in ea contentione victor, diabolum, tametſi maledictis omnibus & execratione dignum, utpote publicum & profeſſum Dei & electorum ejus inimicum, maledicere cum execratione noluit, ſed judicium ejus Deo detulit, dicens: *Imperet tibi Deus*; vel *Increpet te Deus*. Hinc diſcamus in hominibus etiam improbis dona Creatoris eſſe reverenda, in reprehenſionis & objurgationis ſeveritate, quam interdum poſtulant defenſio veritatis aut vir-

Cultus & imitatio ſanctorum Angelorum.

tu-



tutis, ædificatio Eccleſiæ, & proximorum ſalus, humilitatem in corde, moderationem in verbis eſſe ſervandam; a contumelioſis verbis & maledictis temperandum. Hi Angelici, Apoſtolici, & Chriſtiani zeli characteres. Hæreticorum vero & omnium Novatorum caracter eſt ſuperbia, petulantia, & effrenis ad impugnandas cum blaſphemia & execratione Catholicas veritates, quas ignorant, & ad maledicendum Eccleſiæ, & ejus legibus, ceremoniis ac Miniſtris propenſio. *Quæcumque ignorant, blaſphemant*.

11. *Væ illis, quia in via Cain abierunt, & errore Balaam mercedem effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt*. Hæreticos adverſus Eccleſiam excitant, & ad ſecedendum ab ea compellunt. 1. Invidia & æmulatio quæ illos Caini imitatores, & fratrum interfectores, pravorum dogmatum venenis facit. 2. Avaritia, ſeu lucri cupiditas, quæ cor illorum corrumpit, & ad mendacia & maledicta vili pretio vendenda impellit, ut Balaam. 3. Superbia & ambitio, qua contra legitimorum Paſtorum auctoritatem inſurgunt ſeditioſi ac perduelles, & Miniſterium ſacrum uſurpantes, ſchiſma in Eccleſia faciunt, ut Core.

Caracteres hæreticorum

*Beda in hunc locum.*

„ Via Cain abeunt, ait Venerabilis Beda, qui propter invidiam meliorum, nomen ſibi Doctorum, quo honorificentur, aſſumunt. Errore Balaam effuſi ſunt, qui pro amore terreſtrium commodorum, veritatem, quam ipſi norunt, impugnant. Contradictione Core, qui vivus ad inferna deſcendit, intereunt, quicumque appetitu indebiti Primatus ſeſe ab unitate ſanctæ Eccleſiæ ſecernunt. Et quidem Cain de fratricidio cogitantem Dominus corripuit, ſed eum invidia ſalvari non ſivit. Balaam adverſus Dei populum iter agentem Dominus vetuit, ſed amor pecuniæ, ne obtemperaret, obſtitit. Core ſuperbientem Moyſes Domino in ſe loquente lenire curavit, ſed eum elatio qua fervebat, inſanabilem reddidit. Sic Heretici ad increpationem ſanctæ Eccleſiæ emendari deſpiciunt: quin potius fratres gladio malæ doctrinæ interficere, ſicut Cain: malo conſilio decipere, ſicut Balaam; contra Doctores Catholicos erigere, ſicut Core; ad ſuam ipſorum perditionem contendunt. “ Et utinam hæc vitia ſolos hæreſiarchas & ſchiſmatum auctores macularent, nec in Eccleſiæ ſinu graſſarentur!

12. 13. *Hi ſunt in epulis ſuis maculæ, convivantes ſine timore*. Convivia Chriſtianorum debent eſſe convivia caritatis, in quibus modeſtia, temperantia, pudicitia, & pauperum amor eluceant. Tales erant primorum Chriſtianorum epulæ.

Chriſtianorum convivia.

*Tertull. Apol. cap. 39.*

„ Cœna noſtra, *inquit Tertullianus*, de nomine rationem ſui oſtendit. Id vocatur quod dilectio penes Græcos. Quantiſcumque ſumptibus conſtet: lucrum eſt pietatis nomine facere ſumptum. Siquidem inopes quoſque refrigerio iſto juvamus, non qua penes vos paraſiti affectant ad gloriam famulandæ libertatis ſub auctoramento ventris inter contumelias ſaginandi; ſed qua penes Deum major eſt contemplatio mediocrium. Si honeſta cauſa eſt convivii, reliquum ordinem diſciplinæ æſtimate qui ſit, de religionis officio. Nihil vilitatis, nihil immodeſtiæ admittit. Non prius diſcumbitur, quam oratio ad Deum præguſtetur. Editur quantum eſurientes cupiunt. Bibitur quantum pudicis eſt utile. Ita ſaturantur, ut qui meminerint etiam per noctem adorandum Deum ſibi eſſe. Ita fabulantur, ut qui ſciant Dominum audire. Poſt aquam manualem & lumina, ut quiſque de Scripturis ſanctis, vel de proprio ingenio poteſt, provocatur in medium Deo canere. Hinc probatur quomodo biberit. Æque oratio convivium dirimit. Inde diſceditur ad eamdem curam modeſtiæ & pudicitiæ; ut qui non tam cœnam cœnaverint, quam diſciplinam. “ Qui convivia ad Chriſtianam amicitiam & caritatem fovendam inſtituta vertunt in comeſſationes, ebrietates, laſciviam, *maculæ ſunt epularum*, Chriſtianiſmi ſordes & dedecus. Paſtores vero & Sacerdotes, qui grege neglecto, & pauperum cura poſthabita, bona Eccleſiaſtica in frequentes epulas & comeſſationes impendunt, *paſcentes ſemetipſos*, maculæ ſunt Ordinis Eccleſiaſtici.

*Nubes ſine aqua, quæ a ventis circumferuntur*. Nubes ſunt ſancti Doctores & Prædicatores, qui aqua doctrinæ ſalutaris animos fidelium irrigant. *Concreſcat ut pluvia doctrina mea*. Falſi Paſtores efferunt ſe in altum inſtar nubium, ſacra pulpita conſcendunt, promittunt populis ſalutaris doctrinæ pluviam; ſed nubes ſteriles ſunt, & caliginem dumtaxat, ventoſque, imbres non fundunt. *Nubes & ventus, & pluviæ non ſequentes, vir glorioſus, & promiſſa non complens*, ait Spiritus ſanctus per os Salomonis. Concionatores, qui inani verborum pompa, & venuſtæ orationis apparatu eloquentiæ laudem affectant, nec aquam ſapientiæ ſalutaris derivant e cœleſtibus ſacrarum Scripturarum & Patrum laticibus, aut arentia auditorum corda irrigent, eiſque horrorem vitiorum, amorem virtutum, divinorum judiciorum timorem inſpirent, omniumque Chriſtianæ vitæ officiorum notitiam tradant, *Nubes ſunt ſine aqua*. Hæretici, qui poſuerunt in cœlum os ſuum per verba ſuperbiæ, qui de Evangelii puritate, de Eccleſiæ reformatione, de ſalutis facilitate per ſolam fidem ſine bonis operibus, ſine Pœnitentiæ Sacramento, ſine ſatisfactione, & mortificatione corporis obtinenda multa garriunt & pollicentur, nubes ſunt, non pluviam ſalutarem, ſed tetram caliginem miſeris animabus offundentes. *Nubes ſine aqua, quæ a ventis circumferuntur*. Huc, illuc leviſſimis de cauſis impelluntur, prout ab hac aut illa parte lucri aut gloriolæ ſpes adſpirat, chameleonti ſimiles, qui *mutare totus, nec aliud novit*, in doctrina, moribuſque variant. *Novæ ſunt ipſæ hæreſes, licet veteres ſint: quotidie doctrinam ſuam innovant. Novi veterum ſunt magiſtrorum errores, ſed quotidie ipſi nova inveniunt, quod Eccleſia non facit. Hæretici vero & hæreticis detrahunt, quorum filii ſunt per doctrinam & fidem, & ipſorum verba reprehendunt: & tamen in altero ſenſu ipſa dicunt, quia novis verbis nihil aliud quam ipſa ſunt. Filii eorum ſicut novellæ plantationes in juventute ſua. Eccleſiæ tamen verba non ſunt multa, & ipſa non mutantur, quia firma ſunt; & nova non ſunt, quia ipſa tota in Symbolo ſunt. Et quicquid foras Symbolum eſt. hæreticorum verba ſunt*.

*Deut. 32. 2.*

*Prov. 25. 14.*

Hæreticorum variationes.

*Tertull.*

*Etherius & Beatus lib. 1. contra Elipandum.*

*Pſal. 143.*

*Arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ*. Arbor bona fructus bonos facit. Quæ vero mali operis fructum profert, bis mortua eſt. Et ſi ille qui boni operis fructum ferre noluit, pro ſua ſterilitate dicitur excidendus, & in ignem mittendus: quas pœnas ille meretur, qui vel perverſe agendo, vel alios pervertendo, peſſimos fructus attulit? Nec mirum ſi infructuoſæ & bis mortuæ dicantur arbores, quæ eradicatæ eſſe probantur. De Sanctis enim dicitur: *In caritate radicati, & fundati*. Qui vero a caritatis ſoliditate ſe eradicare non timent, merito ſi quid boni fructus habere videntur, amittunt. Merito autumnalibus arboribus comparantur, ut deſperata eorum ſalus oſtendatur. Autumni enim tempore non ſolum poma nulla naſci, ſed etiam ea quæ nata erant, matura ſolent decidere. Quibus aſſimilantur hi, qui & fructus fidei ferre ipſi negligunt, & ea quæ fideles quoslibet ferre conſpiciunt, extirpare ſtudent & conantur.

*Vener. Beda.*

*Fluctus feri maris, deſpumantes ſuas confuſiones*. Novatores omnes fluctus ſunt feri maris, quia & inſe ipſis inquieti ſemper, tumidi, & amari ſunt, cupiditatum ſuarum æſtu agitati: & pacem Eccleſiæ factionibus ſuis, perpetuiſque contentionibus impugnare non ceſſant. Verum inſtar tumentium undarum, quanto altius ſe ſuperbientes attollunt, tanto amplius confuſi, quaſi in ſpumas leviſſimas diſſolvuntur, & pereunt. *Deſpumantes ſuas confuſiones*.

Novatorum caracteres.

*Sidera errantia, quibus procella tenebrarum ſervata eſt in æternum*. Novatores, quantavis doctrinæ luce coruſcare videantur, ſidera ſunt errantia, ſimilitudinem habent ſiderum, non æquabilitatem, conſtantiamque motus. Eccleſiæ cœlo, & Jeſu Chriſto juſtitiæ Soli non adhærent, nec ab eo lucem hauriunt. Infauſtis cometis ſimiles ſunt ob inconſtantiam doctrinæ, & mala quæ orbi Chriſtiano ſuis erroribus non portendunt ſolum, ſed inferunt. Quia vero ſub nomine lucis tenebras errorum in mundum induxerunt, & in ſimilitudinem procellæ pacem Eccleſiæ turbaverunt, cadent in æternam procellam tenebrarum.

14. 15. *Prophetavit autem & de his ſeptimus ab Adam Enoch: dicens: Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis, facere judicium contra omnes, & arguere omnes impios*, &c. Dedit Deus omni tempore metuentibus ſe ſignificationem, ut fugiant a facie arcus; ut ejus electi liberentur. Suſcitavit ab initio Prophetas Sanctos, qui Judicii ejus ſeveritatem hominibus prænuntiarunt. Quam terribile Judicium generale & ultimum, ſive ſpectetur Majeſtas, potentia, æquitas, & ſeveritas Judicis, ſive examinis rigor, ſive pœnæ acerbitas & duratio! Certiſſime veniet, nec diu tardabit, Chriſtus Jeſus ad Judicium. *Ecce venit*. Non judicandus, ut in primo adventu, ſed judicaturus veniet; non in infirmitate, ſed *cum poteſtate magna & majeſtate*:

Dei judicium quam terribile?





non

non in præſepi humilis ut olim, inter duo animalia; ſed *in nubibus cœli* apparebit, Angelorum myriadibus ſtipatus: *In ſanctis millibus ſuis*. In primo adventu ad miſericordiam faciendam apparuit: in ſecundo, ad judicium ſine miſericordia in peccatores exercendum: *Facere judicium*. Id nemo improborum effugere poterit. Principes æque ac ſubditi, potentes non minus quam plebeii, divites ſimul & pauperes ſtare compellentur ad tribunal ſummi Judicis: *Contra omnes*. Quam rigidum vero erit examen, quam accurata diſcuſſio, accuſante & teſte conſcientia? Quam plena & certa convictio, libris apertis, id eſt, patentibus conſcientiis Angelorum & hominum univerſitati? Quam ſevera increpatio reproborum ob opera impietatis & nequitiæ, ob Sacramentorum violationem, ob legis divinæ contemptum, ob abuſum gratiarum, ob Sanguinis Jeſu Chriſti conculcationem? *Et arguere omnes impios de omnibus operibus impietatis eorum*. Nec de malis tantum operibus, ſed etiam de verbis impietatis, blaſphemiæ, perjurii, diſſolutionis & impudicitiæ, calumniæ, detractionis, contumeliæ. De impugnatione veritatis, ſive Fidem, ſive Chriſtianam Morum diſciplinam ſpectantis, rationem exiget ſummus Judex, cujus examen nulla tergiverſatione eludi, cujus judicium nullis artibus declinari, cujus ſeveritas nullis precibus, nullis patrociniis flecti poterit. *Et de omnibus duris, quæ locuti ſunt contra Deum peccatores impii*. Pœna denique impiorum, æterna Dei privatio, ignis qui non extinguetur, vermis qui non morietur, tenebræ ſine ſpe lucis, vincula ſine ſpe libertatis, ſumma miſeria cum deſperatione fœlicitatis.

16. *Hi ſunt murmuratores queruloſi, ſecundum deſideria ſua ambulantes, & os eorum loquitur ſuperba, mirantes perſonas quæſtus cauſa*. Novatoribus amore proprio excæcatis omnia pene diſplicent præter illorum figmenta, & profanes novitates. Adverſus Eccleſiæ diſciplinam, & Præſules, Religioſos Viros, & Theologos novitatis & factionum adverſarios murmurant, doctrinam illorum, moreſque ſcriptis petulantibus ac verbis maledicis inſectantur. Pravis cupiditatibus ſuis indulgent, & voluptatum irritamenta ſequuntur. Scientiam oſtentant, ceteroſque nihil ſapere effutiunt. Potentibus & divitibus, præſertim mulieribus adulantur, ut in eorum animos irrepant, eorumque gratiam, ac patrocinium aucupentur. Gloriæ, vel turpis lucri gratia docent, prædicant, ſcripturiunt: fautores ſuos admirantur; adverſarios, etiam Eccleſiæ vel ſæculi Principes contemnunt, ludibrio habent, convitiis proſcindunt.

Hæreticorum caracteres.

19. *Hi ſunt qui ſegregant ſemetipſos, animales, Spiritum non habentes*. Hæretici ſemetipſos ab Eccleſiæ doctrina & communione ſegregant, ſeorſim conventicula ſua agunt, & alios erroribus ſuis ſeductos in diem ſchiſma perthaunt. *Hæretici veritatis exules, ſani & veriſſimi ſymboli deſertores, de ſinu Eccleſiæ ſanctæ impiis ſenſibus depravati, contempto quod bene fuerant geniti, ut ignorantes & rudes deciperent, de ſe naſci voluerunt. Et qui jamdudum vitalibus paſti fuerant cibis, corruptela malæ digeſtionis, in pernicie miſerorum, diſputationibus impiis venena mortifera vomuerunt*. Senſibus ſuis inſtar brutorum animalium ducuntur, cupiditatibus ſuis obediunt, ventri ſuo, avaritiæ, aut vanæ gloriæ ſerviunt, non Deo; toti in carnem mutati, Spiritum Dei non habent, dicente Deo: *Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt*. „ Spiritum unitatis quo Eccleſia congregatur,
„ quo ſpiritalis efficitur, habere non meruerunt,
„ ideo diffluunt, quia coagulum non habent cari-
„ tatis.

*Optatus Milevit. lib.* 1. *Contra Parmenianum.*

*Geneſ.* 6.
*Vener. Beda.*

20. 21. *Vos autem cariſſimi, ſuperædificantes voſmetipſos ſanctiſſimæ veſtræ fidei, in Spiritu ſancto orantes, voſmetipſos in dilectione Dei ſervate, exſpectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam*. Dei ædificatio ſumus. Ædificii ſpiritualis fundamentum Apoſtolica fides eſt, ſanctiſſimas vitæ inſtituendæ regulas præſcribens. Hoc ædificium ſpe, caritate, oratione, bonis operibus in cœlum attollitur, eademque caritate velut faſtigio conſummatur. In hac ædificatione partes quidem ſuas habet liberum hominis arbitrium, ſed *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*. Ut nos ipſos ſuper fundamentum ſanctæ fidei noſtræ per bona opera ædificemus, & ad lapides vivos domus Dei, quæ Eccleſia eſt, adjungamus, ut a terrenis ad cœleſtia erigamur, in Spiritu ſancto orandum eſt, ut miſericordia ejus nos præveniat & ſubſequatur omnibus diebus vitæ noſtræ. De noſtris viribus numquam præſumamus, ſed Spiritus ſancti in nos petamus adventum, quo inſpirati ardentius orare valeamus, ne forte cum his qui Spiritum non habent, ideoque animales perſeverant, ab Eccleſia primitivorum, qui conſcripti ſunt in cœlis, in æternum ſegregemur. Omne ſtudium, omnem curam ac vigilantiam adhibeamus ut conſervemus nos in dilectione Dei per obſervantiam mandatorum ejus, & fugam occaſionum quæ nos ad peccatum pertrahere poſſunt. *Si præcepta mea ſervaveritis*, (ait Chriſtus Dominus) *manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſervavi, & maneo in ejus dilectione*. Expectemus vitam æternam a Deo promiſſam, per bona opera illam promereri ſatagentes: exſpectemus illam ſpe firma, & patientia in laboribus, ærumnis hujus vitæ, tribulationibus, & perſecutionibus inconcuſſa & ſemper invicta. Cum vero omnia fecerimus quæ Deus præcipit, nos ipſos ſervos inutiles profiteamur, & vitam æternam a ſola Dei miſericordia ſperemus, qui noſtra vult eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. *Exſpectantes miſericordiam Domini noſtri Jeſu Chriſti in vitam æternam*. Hæc ſit votorum noſtrorum ſumma, hic deſideriorum finis, Deum ſemper diligere, & miſericordias ejus in æternum cantare, qui *Non ſecundum opera juſtitiæ quæ fecimus, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit*.

Ædificium ſpirituale. Nos ipſos per bona opera ſuper fundamentum fidei ædificare cum Dei gratia debemus.

*Joan.* 15. 10.

*Ad Tit.* 3. 5.

22. 23. *Et hos quidem arguite judicatos: illos vero ſalvate de igne rapientes. Aliis autem miſeremini in timore: odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam*. Nemo ſibi ſoli natus eſt. Unicuique mandavit Deus de proximo ſuo. Vox impii Caini eſt: *Numquid cuſtos fratris mei ſum ego?* Singuli ſumus alter alterius membra in Chriſti corpore, ſub ipſo capite connexa, & ejus Spiritu viventia. Nos mutuo in negotio ſalutis æternæ juvare, nos mutuo ædificare debemus, orationibus, bonis operibus & ſanctis exemplis, & ſalutaribus correptionibus. De nullius converſione deſperandum eſt, quantumvis obduratus in malo videatur. Potens eſt Deus ex lapidibus ſuſcitare filios Abrahæ. Corri-
„ piendi ſunt impii, orandusque pro ipſis Deus, ut
„ ſtrepitu correptionis forinſecus inſonante, intus
„ in illis operetur & velle, qui habet humanorum
„ cordium, quocumque voluerit, inclinandorum
„ omnipotentiſſimam poteſtatem. *Et hos quidem arguite judicatos*. Qui proximorum ſaluti cooperatur, divinæ miſericordiæ miniſter eſt, Angelus illorum animas ſalvans de incendio Sodomæ, de malo igne triplicis concupiſcentiæ, qua totus mundus in Maligno poſitus conflagrat, de igne æterno impiis parato. Non ſolum adhortandi, ſed urgendi, & velut injecta manu trahendi ſunt, & judicii divini terrore eripiendi ab interitu. *Illos vero ſalvate, de igne rapientes*. Proximorum, quos vitiis immerſos, aut erroribus ſeductos videmus, miſereri nos caritas jubet, eorumque converſionem, prout poſſumus, procurare, nobis ipſis metuentes ob fragilitatem noſtram, & quotidiana ſalutis pericula, Deumque humiliter, ferventer & perſeveranter orantes, ne tentationibus ſuccumbamus. *Aliis autem miſeremini in timore*. Denique odio habendus eſt mundus, & ejus corrupti mores deteſtandi, ne familiariter converſando cum hominibus impiis, & in libidines effuſis, & ipſi maculemur & corrumpamur. *Odientes & eam, quæ carnalis eſt, maculatam tunicam*. Exuimus in Baptiſmo veterem hominem, & induimus novum, qui ſecundum Deum creatus eſt in juſtitia & ſanctitate veritatis: Veſte candida induti ſumus a Sacerdote, in ſymbolum caritatis & innocentiæ: illam immaculatam perferamus ante tribunal Domini noſtri Jeſu Chriſti.

Chriſtiani ſeſe mutuo juvare debent in negotio ſalutis æternæ.

*S. Auguſt.*

24. 25. *Ei autem, qui potens eſt vos conſervare ſine peccato, & conſtituere ante conſpectum gloriæ ſuæ immaculatos in exultatione in adventu Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſoli Deo Salvatori noſtro per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, gloria & magnificentia, imperium & poteſtas ante omne ſæculum, & nunc, & in omnia ſæcula ſæculorum. Amen*. Solus Deus nos ſine peccato per gratiam ſuam conſervare poteſt. Liberum enim arbitrium primo peccato vulneratum ad bonum non ſufficit, niſi adjuvetur ab omnipotenti Bono. *Quid ſum mihi ſine te*, Deus meus, *niſi dux in præceps?* Ut igitur ſine crimine in finem uſque ſervemur, & immaculati ſtemus ante thronum gloriæ Dei, gratiæ ejus efficaciſſimæ virtuti tribuendum eſt, ejuſque quotidianum auxilium aſſiduis orationibus implorandum, ut voluntas noſtra per eam *indeclinabiliter & inſuperabiliter agatur, & quamvis infirma*, inter tot & tam graves carnis, mundi, & diaboli tentationes *non deficiat, neque adverſitate aliqua vincatur*. Gratiæ fideles ſimus, & cum timore caſto ſatagamus, ut per bona opera certam noſtram vocationem & electio-

*S. Aug. lib.* 4. *Confeſſ. c.* 4.

*Idem lib. De Corrept. & Gratia, c.* 12.





nem faciamus; ut a corruptione ſæculi puri, & immaculati ſtemus ante tribunal Chriſti cum exultatione, in ejus adventu glorioſo. *Quia quanto magis trepidi de actibus noſtris in præſenti fuerimus, tanto amplius in futuro de percepta mercede lætabimur*. Deus Creator & Salvator noſter, qui neminem vis perire, qui ut ſervos a peccato & morte æterna redimeres, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum Filium tuum morti tradidiſti, tibi corda noſtra conſecramus. In illis regna per amorem tuum, illa ab omni culparum labe purifica per ſanguinem ejuſdem dilectiſſimi Filii tui, in illis auge & perfice caritatem per Spiritum ſanctum tuum; ut in ea conſummati, gloriam, & magnificentiam, imperium, ſummamque poteſtatem tuam in æternum collaudemus, AMEN.

*Vener. Beda.*

*Finis Commentarii in ſeptem Epiſtolas Catholicas.*

# INDEX
## RERUM ET VERBORUM
### Quæ in hoc II. Tomo continentur.

## A

ABel. Ejus Sacrificium Deo acceptum. pag. 117
*Abraham*. Ejus fides imitanda. 120. Abrahæ fides in dilecti filii immolatione. 121
*Abſtinentia*, chriſtiana & religioſa. 41
*Acceptio*, perſonarum quomodo lege Dei prohibitum. 138. Ea in Chriſtiani hominibus non parvum vitium. 139. Grave peccatum. 140
*Accuſatio*. Adverſus Presbyterum & Prælatum non facile recipienda. 43. 46
*Adam*. Invidia, & odium proximi, prima peccata filiorum Adam. 192
*Adoptio*. Adoptionis noſtræ in filios Dei fons & ſemen. 136. In hac gratia permanendum. 189
*Ædificium*, ſpirituale. Nos ipſos per bona opera ſuper fundamentum fidei ædificare cum Dei gratia debemus. 210
*Afflictio*, & Crux ſors bonorum Chriſtianorum. 9. Utilitas afflictionum, 19. 58. Eæ ſunt argumenta divini amoris erga nos. 127. Salutares. *ibid.* Dei beneficia ſunt, propter quæ gratias ipſi agere debemus. 134. Magna Dei gratia eſt vexationes pati injuſte, propter Deum. 161
*Ambitio*. Primatus ambitio quanta mala parat in Eccleſia? 205
*Amicitia*. Chriſtianæ amicitiæ caracteres. 203
*Amor* & Amicitia. Ex amore proprio omnium vitiorum colluvies oritur. 61. Amor mundi cum Dei amore conciliari non poteſt. 188
*Angeli*. Angelos ſuos Deus mittit in miniſterium propter electos. 86. Angelorum malorum pœna. 178. Cultus & imitatio ſanctorum Angelorum. 208
*Antichriſtus*. Quiſquis mortaliter peccat, Antichriſtus eſt. 22
*Arca*. An Manna & virga Aaronis proprie fuerint in arca? Scripturæ conciliantur. 109. Ea fuit figura Eccleſiæ. 166
*Avaritia*, fugienda. 49. 130

## B

BAptiſmus. Promiſſiones in eo factæ. 50. Diluvium ejus typus. 166
*Beatitudo*, extra Deum fruſtra quæritur. 94
*Bona*. Conſanguineorum fortunæ ex Eccleſiæ bonis non augendæ. 46. Ea temporalia a ſolo Deo petenda, & quatenus? 145. Summum æternumque bonum noſtrum, ſcilicet Deum, unice amare, & deſiderare debemus. 191

## C

CÆcitas. Gradus in peccatis quibus ad cæcitatem, & duritiem cordis pervenitur. 92. 93
*Candelabrum* aureum, in plures ramos diſtinctum. 109.
*Caritas*, Præceptorum & orationum finis. 9. Caritas noſtra univerſalis eſſe debet, ſeu ad omnes extendi. 19. 60. In ea, & in beneficentia non deficiendum. 25. Ejus caracteres, 29. 164. Caritas ſanctarum Scripturarum clavis & finis. *ibid.* Fides ſine caritate non prodeſt ad ſalutem. 30. Caritatis Paſtoralis ſacrificium. 57. Severitas caritatis erga obſtinatos veritatis hoſtes. 70. Plures ejus gradus erga proximos. 75. Ejus opera. 72. Teſtamentum Jeſu Chriſti. Excluduntur ab ejus hereditate, qui alieni ſunt a caritate. 111. Caritas & pax hominis Chriſtiani Characteres. 128. Nota præcipua Chriſtianorum fraterna caritas. 130. 192. Anima purificanda per caritatem. 157. Caritas ſumma Chriſtianæ legis. 168. Admirabilis Filii Dei Caritas & humiliatio, qui ſe nobis manifeſtavit aſſumpta carne. 184. 191. 192. Caritas in pauperes, advenas peregrinos, ignotos exercenda, maxime vero in operarios evangelicos. 205
*Caro*, Naturæ humanæ veritas in Chriſto. Caro ejus noſtræ conſubſtantialis, vereque paſſibilis, & mortalis. 87. Velum templi, figura carnis Chriſti. 115
*Caſtitas*, ejus laus. 11. Vigilantia Miniſtrorum Chriſti in ejus cuſtodia. 47
*Chriſtiani*. Vera Chriſtiani conſolatio. 23. Chriſtiani omnes Chriſto commori debent. 58. Boni Chriſtiani mortem ſuam in ſacrificium convertunt. 65. Maxime cavere debent Chriſtiani ne infructuoſi ſint. 77. Præcipuum Chriſtianorum ſtudium conſideratio Chriſti, 91. Chriſtianus in ſumma etiam proſperitate ad cœleſtem civitatem ſuſpirat. 122. Sanctimoniam ſeu, continentiam ſervare; gratiæ Dei nunquam deeſſe, hominis Chriſtiani officium eſt. 128. Probi religioſique Chriſtiani caracteres. 137. De bonis carnis eum gloriari non decet. 157. Chriſtiani in hoc mundo gerere ſe debent ut advenas & peregrinos. 160. Sancta converſatione omnes ad virtutis amorem allicere ii debent. 161. Bonus Chriſtianus de mundo non eſt. 195. Chriſtianorum convivia. 209. Chriſtiani ſe mutuo juvare debent in negotio ſalutis æternæ. 210
*Chriſtus*. Ejus imitatio 4. Unus Mediator pro omnium hominum redemptione mortuus. 32. 73. 87. 111. maxime pro fidelium. 40. Pro Chriſto pati glorioſum. 54. Chriſtus in pauperibus & captivis quæritur & invenitur. 54. Chriſti Divinitas. 83. Chriſtus nos regni ſui cohæredes effecit. Quibus conditionibus? 85. Chriſtus inimicos ſuos vel ſpontaneos vel invitos vincit. 86. Chriſto ad ſalutem proximi ſervire angelicum miniſterium eſt. *ibid.* Modus ſalvandi homines per mortem Chriſti Filii Dei unigeniti, ſuprema Dei Majeſtate digniſſimus. 89. Chriſtus diabolum juſtitia magis quam potentia debellavit. *ibid.* Chriſtus morte ſua per mortis metum nos munivit. *ibid.* Chriſtus Jeſus verus Deus, qui omnia creavit. 90. 199. Ipſe eſt Pontifex noſter ad ferendum nobis auxilium propenſiſſimus. 96. Ejus excellentia ſupra Pontifices Aaronicos, qui homines tantum erant. 96. Chriſtus ſponſor noſter ac fidejuſſor, & advocatus apud Patrem. 106. Chriſti Pontificis noſtri ſanctitas novæ legis Sacerdotibus imitanda. *ibid.* Solus Chriſtus Jeſus digna pro noſtrorum expiatione peccatorum victima. 115. Ejus Sanguis nos liberat ab exterminatore. 123. Gratus in Chriſtum redemptorem noſtrum animus. 157. Nonnullis Chriſtus fit lapis offenſionis, non ex ſe, ſed illorum culpa. 160. Chriſtus bonus Paſtor animarum. 162. Omnes Paſtores ſunt unus Paſtor in Illo. *ibid.* Ejus deſcenſus ad inferos. 165
*Clerici*. V. *Mulier*. Ii ſic ſe gerere debent, ut nemo eos deſpiciat. 74
*Communio*. Qui indigne communicant, inviſibiliter Satanæ traduntur. 32. Diſpoſitio ad ſanctam Communionem. 114
*Concionatores*, Dono Verbi quomodo uti debeant. 168
*Concupiſcentia*. Ei ab initio reſiſtendum. 136. Triplex concupiſcentia in mundo regnans. 188
*Confeſſio*. Remiſſionem peccatorum impetrat humilis, & ſincera confeſſio. 185
*Continentia*. Patientia huic adjungenda. 175
*Converſio*, vera & ſincera. 5

*Cupi-*



*Cupiditates*. Opus cupiditas malorum omnium radix. 50. Pravæ cupiditates domandæ. 145. Cupiditas temporalium bonorum Dei Miniſtros a recta via & ſana doctrina numquam abducat. 179
*Cura*. Paſtoralem curam nemo ambire, & pro ſe poſtulare debet. 28. Cura domeſticorum in ſpiritualibus, & temporalibus. 44. Quinam ad animarum curam promovendi? 68

## D

DEcimæ, Paſtoribus ſolvendæ. 105
*Depoſitum*. Eccleſiæ doctrina Depoſitum eſt Epiſcopis commendatum. 51
*Detractio*. Nemini maledicendum ſive detrahendum. 75. Detractionis & temerarii judicii vitia. 147
*Devotio*. Arbitrariæ devotiones, & ab Eccleſia non probatæ, introducendæ non ſunt, nec a paſtoribus tolerandæ. 41
*Deus*. Bonitas ejus generalis erga omnes homines. Specialia beneficia erga electos. 41. Deus per Filium ſuum hominibus loqui dignatus eſt. 84. Dei verbi excellentia. 7. Cum quibus diſpoſitionibus ad Deum accedendum ſit? 116. Deus nos eligit & vocat ſine meritis, non ſalvat ſine meritis. 175. Non vult aliquos homines perire. 181. Deum ſalutari notitia non cognoſcit, qui non diligit. 195. Deus juſtos non deſerit, niſi prius ipſum deſerant. 201
*Diabolus*. Ei reſiſtendum, nobis ſemper infeſto. 171. Fide contra eum pugnandum eſt. *ibid.*
*Diaconi*. Eorum dotes. 38
*Dignitas*, Chriſtiani. 189. Qui ad dignitates Eccleſiaſticas nominandi? 38
*Diluvium* generale. 178
*Diotrephes*. Ejus imitatores, Epiſcopis obtrectantes. 205
*Diſcretio*. Probatio & diſcretio Spirituum & Doctrinarum. 195
*Divitiæ*. Earum cupiditas damnanda, non poſſeſſio. 49. Quantum periclitetur divitum ſalus malo divitiarum uſu. *ibid.* Veræ divitiæ. 50. Divitum officia. 51. 105. Divitiarum vanitas. 135. Difficilis divitum ſalus. 149. Eorum luxus non minus adverſatur caritati quam avaritia. 150
*Doctor*. Omnis Apoſtolorum doctrina ad fidem & caritatem revocatur. 54. Sanæ doctrinæ fontes. 62. Periculoſum Paſtoris & Doctoris Munus. 142
*Documentum*. Matronis Chriſtianis documenta tradenda. 71
*Duplicitas*. Qui duplices animo, & in omnibus viis ſuis inconſtantes? 135

## E

ECcleſia. Sola Eccleſia Catholica domus eſt Dei vivi. 38. Habet verum Altare, conſequenter Sacrificium verum. 129. In ejus Altari reali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti. *ibid.*
*Eccleſiaſtici Viri*, ad laborem profeſſioni ſuæ convenientem tenentur. 25
*Electa*. *Electi*. Electa ſancta mulier, & ejus filii, S. Joannis Apoſtoli amici. Epiſtola ad illam ſcripta a Sancto Joanne. 202. Chriſtus in electis ſuis glorificabitur in ſecundo ſuo adventu. 20. Tota œconomia ſalutis electorum. *ibid.* Quantum electi debeant Deo? 22. Lapſus eorum ipſis cooperantur ad bonum. 80. Dei Novum Teſtamentum condentis beneficia erga electos. 115. Deus electos ſuos cuſtodit & ſervat per fidem cum caritate conjunctam. 155
*Eleemoſyna*. Ejus virtus Deum conſtituit debitorem. 102. Eleemoſynæ præceptum. 193. Nihil prodeſt eleemoſyna facienti, niſi ex ſincera caritate fiat. 193
*Epiſcopus*. In Epiſcopatu non honor ſed labor amandus. 36. Epiſcopi ſanctitas. 37. Officia. 68. In ſacris Ordinationibus & promotionibus ad Beneficia, quanta cautio a Præſulibus adhibenda? 47. Eccleſiæ doctrina depoſitum eſt Epiſcopis commendatum. 51. Reverentia & obedientia a Clero & Populo Epiſcopis, aliiſque Paſtoribus exhibenda. 170
*Evangelium*, ne ejus Prædicatio ſit infructuoſa culpa Paſtorum & Concionatorum. 6. Veritatum Evangelicarum credibilitas. 88
*Excommunicatio* medicinalis eſſe debet. 26
*Exemplum*, Præſulibus imitandum. 4. Boni exempli vis. 5. Exempla terribilia punitionis peccatorum. 178. Mali exempli contagio. 205

## F

FIdes, viva, radix patientiæ. 19. Ejus initium, incrementum, & perfectio, donum Dei eſt. 24. Defectio a fide pœna eſt præcedentium peccatorum. 40. Fides & caritas uſum rerum indifferentium ſanctificat. Infidelitas & cupiditas rerum ex ſe bonarum uſum pervertit. 70. Nihil prodeſt fides quæ cor non mundat & rectum non facit. 94. Ejus notio & elogium. 119. Fides Creationis. 120. Noe. *ibid.* Fides deſiderium bonorum æternorum, contemptum temporalium parit. 121. Fides invariabilis. 130. Ea ſine operibus nihil prodeſt. 134. 141. 199. Fidei noſtræ probatio & victoria Dei dona ſunt. 155. Finis & merces fidei noſtræ, *ibid.* Quomodo paratus eſſe debeat Chriſtianus omnis ad rationem de fide ſua reddendam. 165. In Fidei dogmatibus & Morum regulis tradendis & exponendis Scripturæ ſacræ & traditioni inhærendum eſt. 176. Fides nos Deo Patri, & Filio ejus Jeſu Chriſto conſociat. 184. Fides victrix mundi. 200
*Fiducia*, in Chriſto Jeſu. 42. In Dei providentia, & paterna bonitate. 171. Cum ea, nec non cum timore ad Ipſum advocatum noſtrum accedendum eſt. 186
*Filii*. Eorum ſancta educatio. 35. Filii Dei ex operibus juſtitiæ dignoſcuntur. 189
*Fornicatio*, ejus fuga, primus dumtaxat ad Chriſtianam ſanctimoniam gradus. 11. Simplex fornicatio peccatum æterna morte dignum. 129

## G

GAjus, ſive Cajus Sancti Joannis Apoſtoli diſcipulus. Epiſtola Sancti Joannis ad illum ſcripta. 204
*Galatæ*. Sanctus Petrus Apoſtolum Paulum, divinam ejus ſapientiam, & epiſtolas commendat, inter quas & illa eſt, in qua ipſius Petri reprehenſio legitur, ac defenditur, ſcilicet epiſtola ad Galatas. 181
*Gaudium*. Ejus cum tribulatione conjunctio Chriſtianiſmi privilegium eſt. 5
*Gratia*. Efficaciſſima gratiæ vis. Humanæ voluntatis cooperatio. 24. Gratiæ efficacia ex æterno Dei propoſito, & fidelitate quam ſibi ipſi debet. 17. Ejus neglectus Sacerdotibus metuendus. 42. Soli virtuti gratiæ Dei confidendum. 56. In noſtra poteſtate eſt cum auxilio gratiæ Dei ut vaſa in honorem ſanctificata ſimus. 59. Quales ſint homines ſine gratia. 75. Interioris hominis per Chriſti gratiam renovatio. 75. Gratiarum abuſus earum ſubtractione punitur. 102. Reſpondendum fideliter Gratiæ. 132. Dona gratiæ ſola Dei miſericordia & bonitate conſequimur. 136. Non ex nobis, ſed per gratiam Dei victores mundi, peccati, & diaboli ſumus. 195
*Grotius*, ejus Commentum 18. 74. 180. Is refellitur. 158

## H

HÆreſis. Bona ex hæreſibus a Deo elicita. 40. Superbia & ignorantia earum parentes. 49. Hæreticorum ingenium. 62. Caracteres. 209. 210. Variationes, *ibid.* Ii coercendi ac vitandi. 76. Janſeniana hæreſis refellitur. 125. Cur Deus hæreſes permittat. 178. Hæreſiarcharum caracteres. 179. Eccleſiæ melius eſt ut hæretici & ſchiſmatici ex ipſa exeant, quam ut in ea lateant, eamque premant. 188
*Hebræi*. Eorum Tranſitus per Mare Rubrum noſtrorum Myſteriorum figura. 123
*Hoſpitalitas*, exercenda. 130
*Humilitas*. Humiliatio, vera. 31. Omnis fortitudo Chriſtiani in humilitate poſita eſt, qua ſibi ipſi diffidit. 56. A Chriſto diſcenda. 188. Ea eſt vera Chriſtianorum gloria. 135. Chriſtianæ humilitatis officia. 146. Humilitas ab omnibus, etiam ab ipſis Paſtoribus ſervanda. 170
*Hypocriſis*, quam exitialis Eccleſiæ. 61

*Jaco-*

## I

*JAcobus*. Benedictio Jacob a patre Iſaac, prophetia eſt. 122. Myſteria in benedictione filiorum Joſeph a Patriarcha Jacob. *ibid.*
*Idolum*. Eſt quicquid contra Dei legem amamus. 201
*Jericho*. Everſio murorum ejus, cujus rei typus? 123.
*Jeſus*. Domini Jeſu adventus diligendus & vigilanter expectandus. 21. Jeſus Chriſtus hominum Magiſter. 73. Verus Dei Filius, Pontifex maximus Novæ Legis. 94. Ad mortem, adventumque Ejus Chriſtiana præparatio. 156
*Impudicitia*, & avaritia plerumque falſos doctores ad ſectas faciendas impellunt. 178. Impudicorum difficillima converſio. 179. Eorum pœna. 208
*Incarnatio*. Incarnati Verbi admirabile myſterium. 39. ejuſque fructus. 72
*Infidelitas*. Fides & caritas uſum rerum indifferentium ſanctificat. Infidelitas & cupiditas rerum ex ſe bonarum uſum pervertit. 70
*Invidia*, & odium proximi, prima peccata filiorum Adam. 192
*Joannes*. Epiſtolæ I. ipſius argumentum. 183. Tota ſpirat caritatem, *ibid.* Epiſtolæ II. ejuſdem argumentum. 202. Epiſtolæ III. ejuſdem argumentum. 204
S. *Judas*, qui & Thadæus Apoſtolus. Epiſtolæ ejus Catholicæ argumentum. 206
*Judicium*, Dei terribile. 8. 95. & 209. Ad illud præparatio. 12. Ejus dies ignotus omnibus, improviſus multis. 14. 182. Nec fides ſine operibus, nec opera ſine fide proderunt in die illa. *ibid.*
*Juramentum*. Deus more hominum non jurat. 100. Juramenta vitanda. 151
*Juſtitiæ*, corona eadem eſt corona gratiæ, & miſericordiæ. 66. Chriſtianæ juſtitiæ officia. 165
*Juvenis*. Juvenilia deſideria a Miniſtris Eccleſiæ comprimenda. 59. Documenta juvenibus tradenda. 72

## L

*LAbor*. Chriſtiane laborandum. 25
*Lachrymæ*, compunctionis & devotionis. 53
*Lex*, ſecundum præcepta moralia conſonat Evangelio: ſecundum præcepta ceremonialia, præfigurabat Evangelium, & ad illud præparabat. 28. Ejus bonus uſus. 30. Juſti non ſunt ſub lege, nec tamen ſunt ſine lege, *ibid.* Graviores pœnas merentur novæ legis tranſgreſſores, quam veteris. 88. Veteris Legis infirmitas: virtus & excellentia Novæ. 105. Evangelicæ legis aſſidua meditatio & obſervantia perſeverans. 137. Uno peccato mortali tota lex violatur. 140. Gravius peccatum eſt violantis legem ſibi cognitam, quam ignorantis. 148. Legis Chriſtianæ ſumma, credere & diligere. 193.
*Libertas*, a peccato, & miſeria. 156. Falſa, & vera libertas. 179. Liberum arbitrium ſub gratia ſalvum. 191
*Lingua*, refrænanda. 137. 164. Ejus peccata. 143. Ut ea dometur, orandum & laborandum. *ibid.*

## M

*MAndatum*. Si mandata Dei implemus, certiſſimum judicium eſt nos ab eo ſalutis noſtræ doctrinam didiciſſe. 12. Mandata Dei vere non ſervat, qui mandatum caritatis non implet. 187. Hoc & verum, & novum eſt. *ibid.* Ea gravia non ſunt; tantum abeſt ut juſtis volentibus, conantibus, ſint impoſſibilia. 220
*Matrimonium*, bonum, continentia laudabilior. 40. Matrimonii bona & ſanctus uſus. 130
*Melchiſedech*, typus Chriſti. 104
*Militia*. Chriſtiani hominis vita ſancta militia eſt. 31. Militia Eccleſiaſtica. 57. Chriſtiana. *ibid.*
*Miniſter*, Miniſtrorum Chriſti officia, 6. Sobrietas. 47. Bonus Chriſti Miniſter numquam de veritate aut juſtitia erubeſcit. 54. Eccleſiæ Miniſtri ſæcularibus negotiis implicare ſe non debent. 57. Miniſtrorum Chriſtifidelitas. 91
*Miſericordia*, Dei erga S. Paulum. 30. Incitanda Filii Dei miſericordia. 90. Eam propitiam in judicio Dei non habebit, niſi qui illam imitatus fuerit. 149
*Miſſa*. Proteſtantium objectio contra Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium ſolvitur. 112
*Mors*. Chriſtianorum immoderatus dolor & luctus in mortibus ſuorum eſſe non debet. 12. Chriſtiana in morte amicorum conſolatio. *ibid.* Mors Chriſti pro omnibus & ſingulis hominibus. 88. Mortem guſtavit, ut mortis metum nobis auferret. 89. Ad mortem & judicium nos quotidie præparare debemus. 112. Moriendum peccato. 167
*Mos*. Sex documenta ad morum informationem. 79. Varia ad eumdem effectum. 80
*Moyſes*, Chriſti typus inſignis. 122. Ejus fides. *ibid.*
*Mulier*. Muliebris habitus cultuſque modeſtia. 35. 164. Univerſalis modeſtia feminei ſexus officium & ornamentum eſt. *ibid.* Frequens cum mulieribus converſatio etiam ſpecie pietatis & directionis periculoſa, Clericis præſertim vitanda. 45. 71
*Mundus*, in maligno poſitus, Antichriſtus eſt, in ejus ſinu Antichriſti quotidie formantur. 22. 188. Amantes mundum Chriſtianorum nomine ſunt indigni, Dei inimici, adulteri. 145. Boni, & pii Mundo exoſi. 192. Mundi corruptio fugienda, ut bonis a Deo promiſſis fruamur, & ne ab iis quæ nobis contulit, excidamus. 174
*Myſteria*, Incarnationis, Paſſionis, & mortis Chriſti meditanda. 31. 156

## N

*NEgatio*. Qui Chriſtum factis negant, Antichriſti ſunt. 189
*Novatorum*, caracteres. 208. 209. Paſtorum vigilantia contra Novatorum & impiorum hominum colloquia & ſcripta. 58
*Noviſſima*. Noviſſimorum noſtrorum ſalutaris meditatio. 29

## O

*OBduratio*. Quam timenda cordis durities. 93
*Obedientia*, Principibus & Poteſtatibus jure divino debita. 75. In Schola Chriſti diſcenda ea eſt. 98. Ejus caracteres. 122
*Odium*, & fuga peccati. Rationes quæ nos ab eo deſerere debent. 191. Qui proximum odit duplicis homicidii reus eſt. 192
*Officium*. Omnia officia noſtra fideliter implenda. 4. Paſtorum, & ovium officia. 15. nec non Sacerdotum. 97
*Oneſiphorus*. S. Pauli diſcipulus addictiſſimus. 53
*Oneſimus*. Servus Philemonis ipſi a S. Paulo commendatus Epiſtola ſingulari. 78
*Opera*. Eorum meritum. 64. Omnibus pravis operibus Chriſtus negatur. 70. Bonis operibus præeſſe curet Chriſtianus. 76. Ut ad beatam æternitatem perveniamus opera bona præmittenda ſunt. 86. In eis perſeverandum. 102. Eorum fœcunditas. 121. Omnium bonorum operum fructus uno peccato mortali amittitur. 203
*Operarii*. Eorum mercedem defraudare peccatum eſt ad cœlum clamans. 150
*Oratio*, paſtoralis & gratiarum actio. 4. Oratio aſſidua. 16. 53. Orationes in ſancto Altaris Sacrificio Deo oblatæ. 33. Orate pro Regibus, religionis officium eſt. *ibid.* Locus omnis privatis precibus idoneus. 34. Quomodo orandum. *ibid.* Chriſti oratio noſtræ infirmitatis indicium, auxilium, & exemplum eſt. 98. Cum fide & fiducia impetrandi orandum eſt. 135. Seſe mutuis orationibus jurare debent Chriſtiani. 152. Oratio juſti quantam vim habent. 193. Vis & conditio orationis. 201. Qua ratione orandum eſt pro temporali amicorum proſperitate. 204
*Ordinatio*. In ſacris Ordinationibus & promotionibus ad Beneficia quanta cautio a Præſulibus adhibenda. 47. Paſtores & Sacerdotes gratiam vocationis & ordinationis ſuæ in ſe ipſis exſuſcitare debent. 58
*Otium*. Otioſitatis mala. 25





## P

*PArochia*. Eccleſiaſtici Parochiarum Conventus frequentandi. 116
*Paſtor*. Paſtorum, nec non & Prædicatorum officia. 4. 41. 142. 65. 74. 100. 170. & 176. Reſidentia paſtoralis. 8. Sollicitudo. 9. Paſtores omnia ſolatia exteriora poſtponere debent animarum ſaluti. *ibid.* Ipſi, nec non Sacerdotes laborare debent pro ſalute omnium procuranda. 34. Paſtorum nec non Miniſtrorum Eccleſiæ neceſſariæ dotes. 37. 68. 143. Prudens & ſanctum familiæ regimen a paſtore deſideratur. 37. Quæ Paſtoribus & Sacerdotibus conciliant auctoritatem. 41. Bonis Paſtoribus neceſſaria ad honeſtam ſuſtentationem perſonæ ſtatuſque debentur. 46. Eorum famæ conſulendum, *ibid.* Paſtorum officia. Zelus ſalutis animarum. 64. Paſtores docere debent, & exhortari Chriſtianam plebem verbo, & exemplo. 71. 181. nec non bonis operibus. 72. Paſtorum caritas. 80. Paſtores animarum infirmis compati, & ſuccurrere debent Chriſti ſummi Paſtoris exemplo. 96. 127. Paſtorum & ovium officia. 131. Paſtorum vigilantia contra Magiſtros erroris & impietatis, qui ſublimium ingeniorum gloriam ſibi arrogant. 181. Paſtoralium litterarum ab Epiſcopis ſcribendarum ratio. 207
*Patientia*. Quod boni Chriſtiani patiuntur, non eſt pœna, ſed militia & probatio. 117. Chriſtus Jeſus exemplar patientiæ noſtræ. 126. 161. Tria in paſſione Chriſti conſideranda. *ibid.* Ejus paſſionis fructuoſa meditatio, *ibid.* Merces æterna patientiæ in rebus adverſis. 136. Ea patres ſanctificantur. 150. Rationes ad eam moventes. *ibid.* Fructus Paſſionis Chriſti. 162. Magna fœlicitas pro Fide, & Juſtitia pati. 163. Quo animo adverſa pati debeant Chriſtiani. 165. Chriſti paſſionibus communicandum, ut ejus gloriæ conſortes ſimus. 168. Patientiæ pietas adjungenda. 175. Nihil adverſi pati, præjudicium quoddam eſt damnationis. 169
S. *Paulus*. Ejus prudentia, caritas, & vigilantia Paſtoribus imitandæ. 29. Exemplar fiduciæ in Dei miſericordia & gratia Chriſti Jeſu. 31. De tempore adventus & Paſſionis Chriſti reſpicit ipſe Danielis vaticinium. 153
*Paupertas*. Pauperes, cæteris paribus, plus honorandi quam divites. 140
*Pax*, & vita æterna quomodo quærenda? 95. Diligenda inquirendaque ea eſt. 144. Tunc ipſa plena erit, cum plena erit juſtitia & perfecta caritas. *ibid.*
*Peccatum*. Peccata publica palam arguenda & publica pœnitentia emendanda. 46. Gradus in peccatis, quibus ad duritiem cordis pervenitur. 92. Mortalia peccata commiſſa a Chriſtianis poſt Baptiſmum graviora ſunt, cæteris paribus, iis quæ a Paganis & Judæis committuntur. 101. 116. Solo hominis Dei ſanguine mundari poterant homines a peccatis. 112. Peccata venialia quotidiana pœnitentia eluenda. 142. Nemo homo ſine peccato Matre Domini excepta. 184. Chriſti ſanguis pro totius mundi peccatis effuſus. 187. Quodnam peccatum ad mortem? 201
*Perfectio*. Diſpoſitiones ad viam perfectionis ineundam neceſſariæ. 99
*Perſecutio*, piis omnibus ſuſtinenda. 62
*Perſeverantia*. In nobis eſt ut perſeveremus in bono tametſi non ex nobis. 93
*Petrus*, Ejus humilitas & caritas Paſtoribus imitandæ. 154. 170
*Philemon*. Epiſtolæ ad Philemonem argumentum. 78. Documenta eruta ad morum informationem. 79
*Pœnitentia*, congrua ſola peccatorum commemoratione peragitur. 114. Pœnitentia & lacrymæ fallaces, benedictionem Dei non obtinent. 128. Quomodo Sacerdotes Pœnitentiæ Miniſtri peccatorum vulnera curare debeant. 168
*Prædeſtinatio*. Recedere ab iniquitate, & bonum operari, ſignaculum prædeſtinationis eſt. 58
*Prædicatio*, & *Prædicator*. Prædicatorum officium. 4. Caveant ne illorum culpa infructuoſa ſit prædicatio. 8. Modus docendi, & prædicandi Chriſtianas veritates. 95

## Q

*QUæſtio*. Quæſtiones inutiles quæ rixas & contentiones in Eccleſia pariunt, devitandæ. 59. 76.
*Quæſtus*, magnus pietas. 49

## R

*RAhab*, Eccleſiæ figura. 123
*Redemptio*, ejus beneficium. 73. Redemptionis noſtræ pretium Sanguis Chriſti eſt. Merus homo nos redimere non potuit. 156. Chriſti redemptio ad ſolos prædeſtinatos non pertinet. 177
*Regula*. Regimini Eccleſiaſtici modus. 80
*Religio*. Per regulas fidei de omnibus quæ Religionem ſpectant, judicium ferendum eſt ab iis ad quos attinet. 16. Inſtitutio in vera Religione magna Dei gratia. 53. A contentioſis diſputationibus in rebus præſertim religionis, abſtinendum eſt. 58. In quo conſiſtit Chriſtianæ Religionis ſpiritus. 73. In Chriſtiana Religione indocti ſunt, quos Magiſter cœleſtis intus non docet. 189
*Requies*. Timendum & ſollicite cavendum ne ab æterna requie excidamus. 94. Ingreſſus in requiem Dei quibus datur? 94. Plena & perfecta in Deo requies legali ſabbato ſignificata. 95. Feſtinandum eſt ad eam æternam. *ibid.*
*Reſurrectio*, Chriſti, fons eſt conſolationum ſpiritualium. 57. Noſtræ regenerationis cauſa. 153
*Rex*. Reverentia & obedientia Regibus & Magiſtratibus ab eis conſtitutis divino jure debita. 161
*Roma*, & *Romana Eccleſia*. Fidei depoſitum & Apoſtolicas Traditiones Romana Eccleſia ſemper conſervavit. 23

## S

*SAcerdotium*, *Sacerdos*. Novæ legis Sacerdotes ita ſe gerere debent in Dei & Eccleſiæ rebus, quaſi parentes & conſanguineos non haberent. 105. Reverentia Sacerdotibus exhibenda, *ibid.* Eorum novæ Legis officia, ſanctæque diſpoſitiones. *ibid.*
*Sacrificium*, orationum & actionis gratiarum ab omnibus fidelibus, maxime vero a Paſtoribus offerendum eſt. 19. Sacrificii Chriſti Jeſu dignitas & efficacia. 111. Ejus comparatio cum Sacrificiis Judaicis. 114. Sacrificium laudis, & caritatis. 131
*Salus*. Deus venit omnes homines ſalvos fieri. Quo ſenſu? 32. Si ſalutem æternam non conſequamur, cauſa in nobis eſt, non in Deo. 34. Saluti Animarum pro viribus cooperari tenemur. 152. Tres Perſonæ divinæ ad hominum electorum ſalutem indiviſim concurrunt. 154
*Sancti*, imitandi: ſpes in Chriſto unice ponenda eſt. 205. nec non imitanda eorum exempla. 126
*Sapientia*, vera a Deo poſtulanda. 155. Falſa Mundi ſapientia, ejuſque caracteres. 144
*Scientia*, ſalutaris. 49. Scientiæ ſuperbæ mali fructus. 70. Fidei lumen, ſcientia univerſalis. 189. Scientiæ ſalutis ſumma. 201
*Scriptura Sacra*. Ejus lectio Paſtoribus commendatur. 42. 62. Ejus excellentia, & utilitas. 63. In ea quærendus Chriſtus. 156. Ejuſdem interpretatio proprio ſpiritu non facienda. 176
*Senex*. Documenta ſenibus tradenda. 71
*Servus*. Servorum officia. 48. erga dominos ſuos. 161. Documenta ſervis tradenda. 72
*Societas*, impiorum, & mundi corruptio fugienda. 179. & 203.
*Sociniani*, refelluntur. 83. & 183
*Sodomorum* & *Gomorrhæorum* everſio, & incendium. 178
*Solatii*, rationes in afflictionibus. 155. nec non in rebus adverſis multiplex argumentum. 172
*Solitudo*. Sanctorum receſſu Mundus fit deſertum incultum, ſolitudo paradiſus. 123
*Spes*. Chriſtianæ ſpei firmitas. 102. Excellentia. 155
*Spiritus*. Spiritus ſancti gratiam quinam extinguunt? 16. Criterium quo ſpiritus veritatis & ſpiritus erroris diſcernuntur. 195
*Status*, qualis animæ poſt Pœnitentiam in mortale peccatum relapſæ. 180
*Superbi*. Eorum pœna. 208

## T

*TAbernaculum*. Novi Teſtamenti Sanctuarium cum Sanctis Sanctorum Tabernaculi veteris comparatur. 111
*Talentum*. Bonus talentorum a Deo acceptorum uſus. 168
*Temperantia* ſeu continentia ab omnibus affectibus vitioſis. 175

*Tempus*. Ejus bonus uſus. 188

*Tentatio*, probationis a Deo eſt, non tentatio ſeductionis. 136. Quinque tentationis gradus. *ibid.*

*Teſtamentum*, vetus prophetia novi. 104. Ad novum Teſtamentum non pertinemus, niſi veterem hominem exuamus. 108. Eumdem æternum vocat Apoſtolus, quod aliud non ſit poſt hac futurum: & quia in eo æterna bona promittuntur. 129.

*Teſtimonium*. Pater, Filius & Spiritus ſanctus ſummæ erga non bonitatis ſuæ teſtimonium nobis dederunt: demus & nos ipſis teſtimonium. 200

*Theſſalonica*, Macedoniæ Metropolis Epiſtolæ primæ S. Pauli ad Theſſalonicenſes argumentum. 3. Epiſtolæ ſecundæ ad eoſdem argumentum. 18

*Timor*. Quam timendæ cordis durities. 93

*Timotheus*, per divinam revelationem ad prædicationis miniſterium & Paſtorale munus electus & ordinatus. 28. S. Paulus vocat eum filium. 52.

*Titus*. Epiſtolæ ad Titum argumentum. 67. Illum Epiſcopum Cretenſium conſtituit. *ibid.*

*Thuribulum*, aureum quid? & quomodo ad Sancta Sanctorum pertinuerit? 109

*Traditio*. Traditiones Apoſtolicæ altera fidei regula. 23. Sacrum Traditionis Apoſtolicæ depoſitum. 56

*Transfiguratio*. Myſterium Transfigurationis Chriſti. 176.

*Tribulatio*. Adverſa omnia intuitu Dei toleranda. 123

## V

V*Erbum*, Incarnatum Dei Filium hominem factum S. Hieronymus intelligit. 67. Verbum Dei Chriſtus in animos omnium vult introire ſed homines aditum illi vitiis ſuis occludunt. 73. Quid nobis Dei Filius præſtiterit? quid illi rependere debeamus? 85. Verbum Dei fideliter obſervandum. 87. 157. Pœna eorum qui Dei vocem non audiunt. 128. Diſpoſitiones ad Verbum Dei cum fructu audiendum. 137. Lac ſpirituale Verbi divini. 159. Duo hujus ubera Verus & Novum Teſtamentum. Diſpoſitiones ad Scripturæ Sacræ lectionem, & Verbi divini auditionem. 159

*Veritas*. Qui hanc non amat, juſto Dei judicio credit errori. Veritatis verbum tractandum eſt ſecundum regulas a ſpiritu veritatis præſcriptas. 58. Modus docendi & prædicandi Chriſtianas veritates. 98. Veritatem cognoſcere non ſufficit, ſed facere neceſſe eſt. 184. Qui ſpiritui veritatis cor claudunt, ſpiritui erroris tradi merentur. 200

*Via*. Semper in via ſalutis incedendum, non retrocedendum eſt. 11. Diſpoſitiones ad viam perfectionis ineundam neceſſariæ. 99. nec non ad diſcretionem aſſequendam, *ibid.* Quæ via lucis, quæ via tenebrarum? 184

*Vidua*. Viduarum Nuptiæ. 43. 44. Status honorabilis, officia. 44. Otium, loquacitas, curioſitas, vidui fugienda. 45

*Vigilantia*. In rebus adverſis & proſperis orandum & vigilandum eſt. 151. 167

*Virtus*. Virtutum concatenatio Chriſtiani hominis perfectio eſt. 175.

*Vita*, Chriſtiani hominis. 5. Otioſa Chriſtiano indigna. 12. Caracteres vitæ Chriſtianæ. 14. Inordinate vivit, quiſquis otioſe vivit. 24. Non longa ſed bona vita optanda eſt. 95. Ad Chriſtianæ vitæ perfectionem tendere omnes & ſinguli Chriſtiani tenentur. 101. Vita noſtra ad regulam Evangelii componenda. 141. Ejus fragilitas & brevitas. 147. 181. Quæ vita gentilis. 167. Vita noſtra ſi ſecundum Dei legem ſit inſtituta, probatio eſt fidei noſtræ. 187

*Unctio*. Unctionis extremæ Sacramentum a Chriſto inſtitutum, a Sancto Jacobo Apoſtolo promulgatum. 149. Debitæ ad illud diſpoſitiones. 151

*Vocatio*. Vocationis noſtræ finis ſanctificatio noſtra. 11. Vocatio Dei ad ſacrum Miniſterium; nec non ad Paſtorale munus. 53. 98. Animæ quas Deus ad perfectionem vocat, in ejus via ſunt a Paſtoribus dirigendæ. 99. Ad Eccleſiam vocatum, magna felicitas. 128

*Voluntas*, Dei, hominum ſalus. 115. Omnia conſilia operaque noſtra & eorum ſucceſſum, Dei providentiæ ac voluntati ſubjicere debemus. 147. Præcipue in rebus adverſis. 169

*Voluptas*. A voluptatibus & deliciis carnis abſtinendum. 179

*Votum*, continentiæ vidualis, ex Apoſtolica traditione. 43. Ejus violatio damnabilis. 45

*Uxor*. Maritorum erga uxores officia. 164

## Z

Z*Elus*, ſine prudentia & diſcretione, plerumque pernicioſus. 175

*FINIS.*

R. P. NATALIS

# ALEXANDRI

ORDINIS FF. PRÆDICATORUM

IN SACRA FACULTATE PARISIENSI DOCTORIS, ET EMERITI PROFESSORIS

# PRÆCEPTA ET REGULÆ AD PRÆDICATORES

verbi Divini informandos:

*CUM IDEIS CONCIONUM per totum annum.*

PARISIIS,

Expenſis THOMÆ BETTINELLI VENETI.

MDCCLXVIII.